A. lat. b.
396 hmb

Cicero

C

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLARUM

AD T. POMPONIUM ATTICUM

LIBRI XVI.

RECENSUIT ET ADNOTATIONE ILLUSTRAVIT

I. C. G. BOOT.

EDITIO ALTERA EMENDATA ET AUCTA.

AMSTELODAMI,
APUD JOH. MULLERUM.
CIↃIↃCCCLXXXVI

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

TYPIS DE ROEVER KRÖBER-BAKELS.

PRAEFATIO EDITIONIS PRIORIS.

Postquam Iac. Tunstallus in epistola ad Middletonum anno MDCCXLI data recensionem Ciceronis epistolarum ad Atticum post Petri Victorii, Leon. Malaspinae, Sim. Bosii, Dion. Lambini aliorumque operam desiderari ostendisset, multi exorti sunt, qui in illis emendandis et explicandis laudabilem diligentiam ponerent. Longum est omnes enumerare; satis erit nominasse Io. Aug. Ernestum, Christ. God. Schuetzium, Io. Casp. Orellium, Alb. Sad. Wesenbergium, Reinh. Klotzium. Horum imprimis ingenio et diligentia effectum est, ut habeamus epistolas innumeris vitiis purgatas et quamvis non tales, quales legit Cornelius Nepos, certe minus indignas scriptoris ingenio et arte, quam in antiquis editionibus circumferuntur. Interpretationem epistolarum soli Ernestus et Schuetzius attigerunt, ille brevissimis plerumque adnotationibus sententiam verborum aperiens, hic superiorum interpretum verba repetens, et ubi illi vel errarent vel tacerent suas explicationes addens, quo in genere nonnihil quoque debemus Aug. Matthiae, plus Fr. Hofmanno, qui selectas Ciceronis epistolas in usum discipulorum commentariis instruxerunt. Verum etsi de horum omnium laudibus nihil detraho gratusque accipio, quae dederunt, in utroque tamen genere et emendandi et enarrandi multos recte operam suam ponere posse arbitror, antequam licebit quemquam reprehendere, quod ingenium et industriam in his potissimum libris collocaverit. Nam et in rebus multa sunt nondum satis illustrata et in verbis saepe haeremus. Nec mirum in epistolis, non eo consilio scriptis, ut ederentur et a posteris legerentur, multa inesse, quae nobis obscura sint, quum vel ab aequalibus scriptoris praeter Atticum non omnia potuissent intelligi, et nulla Attici epistola supersit, quae tenebras pellere possit. Accedit quod codices scripti, qui has antiquitatis reliquias servarunt, turpissimis vitiis abundant, et quod falsa opinio de fide et auctoritate codicum Bosianorum editores, maxime Orellium, et criticos, in quibus Wesen-

bergius parvo Emendationum libello principem locum occupavit, decepit et induxit, ut praeter necessitatem a codice Mediceo discederent. Nec sane facile in magno numero optimarum lectionum, quas Simeo Bosius, criticus magis audax quam felix, ubi divinatione opus est, e codicibus suis decurtato (Y), Crusellino (X), Tornaesiano (Z), deprompsisse se affirmavit, aliquis fraudem suspicatus esset eamve suspicionem aliis probasset, nisi Theod. Mommsenus in bibliotheca Parisina detexisset animadversiones Sim. Bosii in septem posteriores libros epistolarum ad Atticum, quae si cum editis comparantur manifesto ostendunt eum codices YX finxisse, ut emendationibus suis ex editione Romana et margine Cratandrinae vel etiam ex ingenio depromptis auctoritatem adderet, nec magna diligentia et fide usum esse codice Z, ex quo Lambinus et Turnebus plures scripturas a Bosianis discrepantes attulerunt. Fraudem aperuit paucisque exemplis demonstravit M. Hauptius in Indice lect univ. Berolinensis a. MDCCCLV, et quamvis D. Detlefsenus in Annalibus philologiae classicae Vol. III. fasc. 1 p. 113 seqq. Bosii causam accurate egerit, eius tamen codicibus non multum tribuendum esse constat. Cf. Buechelerus in Mus. philol. Rhen. XI. p. 514, Fr. Hofmannus in praef. libelli de apparatu crit. epistt. ad Att. p. I. Itaque habemus scripturas varias codicis Tornaesiani, in quibus indicandis Lambinus et Turnebus quoque non summa diligentia versati sunt, habemus eas, quae in margine editionis Cratandrinae anni MDXXVIII adscriptae sunt e perbono codice, sive is fuit Wirzeburgensis, cuius sex folia nuper reperta a L. Spengelio in relationibus doct. Monacensibus a. MDCCCXLVI et a C. Halmio in Museo philol. Rhenano XVIII. 3, p. 460 seqq. evulgata sunt, sive alius liber eiusdem familiae, sed in verbis constituendis praecipue sequi debemus codicem Mediceum, maximam partem scriptum a Franc. Petrarca, correctum a Coluccio Salutato et aliis, sed plurimis tamen vitiis inquinatum. Nam vereor, ut comparatio librorum scriptorum, qui in Italia, Hispania, Gallia plures inveniuntur harum epistolarum, orationem reddat integriorem, quam ex illo libro, si non verum, at veri vestigia servante prodit. Affirmare hoc possum de duobus codicibus, de quibus non alienum ab re erit aliquid hoc loco dicere.

Quum ex Orellii historia critica epistolarum ad Atticum cet. (Operum III. 2, p. XV edit. prior.) cognovissem in bibliotheca Escorialensi servari duo codices manuscriptos harum epistolarum, quos Haenelius saeculo XIII et XIV adscripserit, ante plures annos rogavi virum no-

bilissimum Eduardum Baronem Sirtema de Grovestins, Regis nostri ad aulam Hispanicam legatum, ut si veniam impetrare posset, antiquioris collationem cum editione aliqua meo sumptu faciendam iuberet, recentiorem nonnullis in locis a me indicatis inspiciendum curaret. Atque ille, quocum Romae familiariter vixeram, nihil intentatum reliquit, ut desiderio meo satisfaceret et nobilium Hispanorum consiliis et opera, nec minus gratia et auctoritate sua post longas moras effecit, quod rogaveram. Itaque accepi, quod volebam, et quamvis collatio codicum cum editione Aldina anni MDXLIV non accuratissime facta sit, satis multae tamen scripturae diversitates sunt notatae, ut de librorum origine et pretio iudicari possit.

Iosephus Quevedo, bibliothecae Escorialensi tunc praefectus, codices accurate descripsit. Is me docuit librum membranaceum saeculo XIII medio scriptum, qui olim fuit Io. Iac. Chiffletii, signis s. Q. 11 inscriptum continere Iulii Solini epistolas et Polyhistora, Ciceronis orationes pro Marcello, Ligario, Deiotaro, librum de Senectute, Annaei Senecae quaedam spuria, *Ciceronis in Synonimis artis rethoricae* (sic), sed nullas Ciceronis epistolas. Falso Haenelius hunc codicem indicavit. Alter, quem idem laudavit, insignitus s. Q. 9, est membranaceus saec. XIV extremo vel initio sequentis in Italia scriptus. Auro coloribusque initio singulorum librorum pictus in fronte gerit insigne gentis nobilis, cuius olim fuit. In extrema pagina scriptum est *Codex Matthaei Iohannis et amicorum* et inferius Hieronymus Surita suum nomen posuit, e cuius bibliotheca in Escorialensem illatus est. Post inscriptionem *M. T. Ciceronis' epistolarum ad Atticum liber primus incipit feliciter* sequuntur duodeviginti epistolae, quae faciunt librum I epist. ad Brutum, deinde epistolae ad Q. fratrem. Qui in codice sequitur liber II epist. ad Att. continet epistolas libri I, et deinceps numeri librorum veros numeros uno superant. Post librum XV, qui ei XVI fuerat, librarius errorem agnovit ideoque ultimi libri inscriptionem omisit. Vocabula Graeca omissa sunt, sed nonnullis in locis alia manu in margine sunt adscripta.

Hunc codicem ex eodem libro descriptum esse, ex quo Petrarchae exemplum ductum est, affirmare non dubito. Nam in XVI. 5, 3 post verba: *Si neutrum erit ἀσφαλές, eodem revertar*, ut in Mediceo inserta est libri XII. ep. 3 integra, et codex similiter desinit in verbis *non serventur magnam*, XVI. 16 B, 8. Quum autem in hoc libro epistolae 18 et 19 libri I legantur, quae in Med. desunt, codicem Escorialensem

non ex hoc Florentino, sed cum eo e communi fonte derivatum iudicamus *). Ut consensus cum Med. ex aliquo exemplo appareat, adscribam quae in utroque codice eodem modo scripta sunt in ep. 16, lib. I. Conspirant in his, p. 38, 24 edit. meae: *illum infamia relinqui*, p. 35, 5, *homines quis summos*, 13 *impetrarat*, 42, 8 *plena ita*, 44, 4 *regem ferremus*, 7 *putes quam dicere*, 45, 5 *melius nunquam*, 9 *trudo*, 12 *barbatuli tuens*, 46, 1 *et ludet si gladiatoribus*, 10 *habitarent;* cum manu secunda Med. communia habet codex 38, 24 *ac sordibus*, 39, 8 *aerati quam*, 41, 12 *rerum*. Erravit librarius p. 39, 10 scribens *inhaerentes* pro *maerentes*, p. 47, 4 *comitia in XI Kal.*, p. 48, 6 *thlylius*. Satis demonstratum puto exiguam utilitatem esse huius libri MS., quoties constat de scriptura codicis Medicei. Itaque taediosum et inutilem laborem singula comparandi vitavi, paucisque in locis valde corruptis quaesivi an forte hic veri vestigia servata essent. Si quid affero e *cod. Hisp.* hunc codicem me dicere moneo.

In eadem bibliotheca est alter codex, qui solas epistolas ad Atticum complecititur. Est membranaceus, in catalogo indicatur litteris ij. T. 2. Habet hanc subscriptionem: *Scriptus per me Ioannem Andreae de Colonia sub anno Domini MCCCCXXXVII die II Novembris Florentiae. Vale. Felix.*' Hic liber per librum I et paucis in locis, quos indicaram, ad meum usum inspectus manifesto e Mediceo descriptus est nihilque proprii habet praeter librarii vitia. Lacuna codicis Med. in ep. 18 et 19, lib. I in eo redit, sed quae in illo omissa sunt post verba *non serventur magnam*, in hoc aliunde suppleta sunt.

De codicibus harum epistolarum Parisinis nondum satis iudicari potest. Orellii rogatu Hauthalius inspexit quatuor, sed non plane in sua descriptione congruit cum Detlefseno, qui in disputatione, quae legitur in Novis Annal. Philol. vol. 87, p. 551—573 quinque codices

*) Has epistolas ex alio codice, quam e codice Poggii, descriptas esse ostendunt scripturae inter se comparatae. In Codiee Hisp. sunt p. 55, 12 *anguntque; mihi videor.* 15 *huiuscae epistolae,* 19 *ipsa medicina efficit,* 56. 3 *vehemens favi,* 9 *equites r. quod erat qui ob rem iudicvndam. Sic ille,* 57, 1 *quidem,* 2 *tribulus,* 3 *nobis,* 58, 4 *legulam,* 13 *scripsimus tanta etiam a me non scripta perspici scire iussisse nos,* 59, 2 *quam plurimum* (Ep. 19) 6 *epistolam a te sine absque.* 60, 4 *Nam Hedues fratres nostri pugnant pueri in ala mihi pugnarunt et sine dubio,* 61, 9 *nihil postulare habebat,* 10 *conditionis,* 13 *arteminos,* 62, 1 *populo autem Pompeio nam id quamquam volebam,* 6 *plane quidem erit,* 63, 16 *constantiam praesentem,* 18 *atque tametsi eis novis,* 65, 15 *vobis coram.* Ad ep. 19 codicis Poggiani scripturas ex apographo Th. Mommseni edidit Fr. Hofmannus in libro: Ausgewaehlte Briefe von Cicero I. p. 234 sq. ed. tertiae.

a se visos describit, in quibus est codex lat. 8534, quem ego quoque olim videram. Contra codex 8533, quem Hauthalius vocat longe praestantissimum, neque a me, neque a Detlefseno, ut e silentio eius efficio, inveniri potuit. Variae scripturae, quas e codd. 8534, 8536, 8537, 8538 ad duas priores epistolas libri primi accurate descripsi, non tanti sunt, ut operae pretium esse videatur in hoc negotio bonas horas ponere. Sed Detlefsenus multis gratum fecerit, si codicis lat. 10339, cui primas tribuere videtur, aliquam partem cum editione Orelliana comparatam in publicum proferre voluerit.

Ut res se nunc habet, codex Mediceus esse debet fundamentum, quo recensio epistolarum ad Atticum constituenda est. Utinam eum consulere potuissem, vel uti accurata collatione Theod. Mommseni. Sed hic a me rogatus, ut eam mihi committeret, humanissime negavit se voluntati meae satisfacere posse, quoniam abiecto iamdiu editionis consilio illas chartas dedisset M. Hauptio, a quo Fr. Hofmannus accepisse videretur. Praeclaro adiumento destitutus praeterquam in paucis epistolis, ad quas Hofmannus in selectarum epistolarum fasciculo I varietatem codicis Med. Mommsenianam evulgavit, in reliquis usus sum copiis Orellianis, id est collatione codicis, quam instituit Fr. del Furia.

Quum enarrationem praecedere debeat emendata lectio, id maxime spectavi, ut vitia, quae orationem Tullianam saepe deformant, tollerem vel emendandi viam aliis monstrarem. Multa tamen tam obscura sunt, ut sine meliore codice vix in integrum restitui posse videantur. Si aliis res melius succedet, gaudebo. Interim aequi iudices, nisi fallor, me hoc in genere et alienis inventis diligenter usum esse censebunt et partim e codicibus partim ex ingenio multa, quae in editione Orelliana altera et in Klotziana vitiose tradebantur, correxisse. In recipiendis aliorum coniecturis facilior fui, quam in meis, quas in adnotationibus proferre malui quam in epistolis admittere.

In enarratione praeter antiquiores interpretes, quorum adnotationes inveniuntur in editione Graeviana, quae prodiit Amstelodami anno MDCLXXXIV, non sine fructu consului Mongaltium, Wielandum, Schuetzium, alios quoque qui obiter res a Cicerone narratas illustrarunt. Atque hac in parte laboris licuit mihi uti commentario inedito Io. Fr. Gronovii. Ante paucos enim annos in librorum MSS. auctione amplum volumen comparavi, quod continet dictata in epistolas ad Atticum, quae Gronovius die XIII Februarii MDCLXIV discipulis dictare coepit et die XVII Apr. MDCLXVI absolvit. Adnotationes

sunt pleraeque breves, captui auditorum accommodatae, sed Gronovio haud indignae. Iisdem ante me Io. Georg. Graevius usus est, qui ipse hoc profitetur in Praefatione editionis laudatae, sed parcius; quod ipse agnovisse videtur plura inde depromens in Addendis post P. Manutii commentarium T. II. 305 seqq. Ego dum meum commentarium perpolio, summi viri adnotationes omnes legi nec pauca ex illo fonte meis adspersi, quae rarius ad crisin, saepius ad explicationem epistolarum aliquam utilitatem habere videbantur. Nihil sumpsi a Gronovio suppresso auctoris nomine. Non necessarium duxi eadem religione versari in omnibus, quae alii ante me viderunt et monuerunt. Qui commentarium Graevianum aliorumve adnotationes editas cum meis comparabit, facile inveniet, quid aliis, quid mihi debeatur. Ego nec tam pauper sum ut alienis pannis egeam, nec tam superbus ut alienis auxiliis uti nolim. Volui edere has epistolas purius, quam alii ante me fecerunt, et quum verba tum res ita explicare, ut qui eas legant facilius intelligant. Utrumque quatenus assecutus sim, alii videant.

Erunt qui me vituperent, quod in vocabulis scribendis vulgarem usum retinuerim. Iis respondebo me non ignorare recentiori tempore multas quaestiones orthographicas videri profligatas, sed non tantum tribuere codicibus, qui plura saecula post aetatem Ciceronis scripta sunt, ut ex iis nominum forma, quam ille, nec fortasse constanter, secutus sit — nam quis in talibus per totam vitam eandem normam servat? — certo demonstrari possit. Etsi igitur Buechelero largior *quoius*, *quoi*, *volgo*, *quotiens*, multaque alia, quae ille collegit in Musei Philol. Rhen. vol. XI. p. 515 seq. non sine magna probabilitate Tullio restitui posse, exemplum et auctoritas Madvigii me tamen deterruit a mutandi consilio. Nam quum summus ille criticus libros de Finibus edens plura mutasset in hoc genere, mox eum facti poenituit; de quo prudenter disputavit in Praefat. p. LVII seq. Unum mihi displicet, quod in iisdem vocibus scribendis non semper unam rationem tenui, velut in eo, quod scribendum erat, *ceteri*, *ceterum*, nonnunquam diphthongus *ae* in antepenultima relicta est. Sed haec leviora in longo opere aequi lectores mihi condonabunt.

Perpetuam inscriptionem *Cicero Attico S.*, quam multi codices omittunt, ut inutilem et incertam abieci. Nam etsi T. Pomponius cognomen Atticum accepit ante a. u. DCLXXXIX, quo Romam remigrasse traditur in Cornelii Nepotis vita c. 4, itaque antequam epistolae, quae supersunt, praeter paucas libri primi, ad eum datae sunt, tamen non

est veri simile Ciceronem, qui saepe in epistolis eum alloquitur *mi Pomponi* (vid. III. 4. 9, 2. 22, 3. IV. 18, 2 et cf. II. 8, 1. VII. 7, 7) et in cuius epistolis ante annum DCCIV *Attici* nomen non invenitur (primum VI. 1, 20), in inscriptionibus semper solo cognomine usum esse. Neque adducor, ut eum semper contentum fuisse credam simplicissima salutandi formula, quae indicatur litera S nomini subiecta, quum in epistolis ad alios datis, quibus non minus familiariter utebatur, saepe S. D. vel S. P. D. adscripserit, quae medium locum inter nomen scribentis et eius, ad quem scribitur, occupare solent.

Ordo epistolarum mire perturbatus in nonnullis libris, maxime in lib. I, IV, XI—XIII, XV, XVI, lectorem rebus intentum valde exercet. Quare laudandi sunt editores, qui verum ordinem ex additis dierum notis aliisve indiciis restituere studuerunt, P. Manutius, C. G. Schuetzius, I. C. Orellius, et qui diligentia superiores superavit Io. de Gruber in Quaestione de tempore atque serie epistolarum Ciceronis, Sundiae a. 1836 edita. Si omnes epistolas Tullianas ederem, sine ulla dubitatione sequerer Schuetzii exemplum, qui in peculiari earum editione Halensi eas secundum temporis, quo scriptae sunt aut esse videntur, ordinem disposuit. Nunc solas epistolas ad Atticum editurus vulgatum ordinem retinui, nisi paucis in locis, ubi corrigendi summa erat necessitas, ut in ultimis epistolis libri IV. Cf. adnot. prima ad IV, 16. Sed ut legentium commodis consulerem elenchum Gruberianum, ab Orellio in Onom. Tull. parte tertia p. 441—48 repetitum, paucis in locis a me emendatum, praefationi subiiciendum curavi.

Non possum praefationi finem facere sine grata commemoratione trium virorum, qui mihi in hoc opere comiter auxilium praestiterunt, sed quos omnes exstinctos lugeo. Primus fuit Tiallingius Petrus Tresling, Groninganus, qui quum anno MDCCCXXXIII elegantem disputationem de vita Ciceronis litterata scripsisset, deinde mecum per litteras ad tres priores epistolarum libros nonnullas animadversiones communicavit measque accepit. Erant illa, ut exspectari poterant ab adolescentibus, qui nondum interiorem cum scriptis Tullianis consuetudinem iunxerant. Nihil fere in illis litteris inest, quod nunc probo. Sed Treslingius meus nisi variis negotiis ab his studiis distractus mox in ipso aetatis flore morte raptus esset, meliora aliquando daturus erat, et ego nunquam obliviscar, quantum eius adhortatio me incitaverit ad suscipiendam horum studiorum rationem.

Quod epistolas saepe et multum lectas meaque opera illustratas

tandem aliquando in publicum prodire iubeo, id haud scio an non facerem, nisi Petrus Hofmannus Peerlkampius saepius me monuisset, ut e scrinio depromerem, quae benignius fortasse quam verius aliis utilitati mihi laudi fore existimabat. Cui adhortationi magnum ille momentum adiecit, quum mea causa epistolas perlegeret mihique mitteret suas coniecturas et suspiciones de pluribus locis corruptis. Qui sciunt qua animi intentione ille senex veterum scripta legere soleret, quam acutus esset in vitiis cernendis, quam feliciter audax in corrigendis, in iis, quas suis locis attuli, etiam quando a vero aberrasse videbitur, Peerlkampium agnoscent.

Amico et magistro tertius accedat discipulus, quem habui carissimum, Simco Rinkes, Frisius. Is et antea de nonnullis locis epistolarum quid statueret mihi scripsit et quum iam graviter aegrotaret ultro pollicitus est auxilium in taedioso et molesto plagularum vitiis typographicis liberandarum labore. Quum paucis ante obitum diebus mihi remitteret nonum folium deficiente manu adscripsit, ne plura mittere vellem. Quam vivo referre nequeo gratiam, mortuo agam meque consolabor certa spe vitae optime actae praemia amico defuncto non esse defutura. Scripsi Amstelodami m. Octobri MDCCCLXV.

PRAEFATIO HUIUS EDITIONIS.

Vicesimus agitur hic annus, postquam priorem editionem huius operis absolvi. Etsi tunc omnino non sperabam fore ut nova editio aliquando desideraretur multoque minus ut mihi eam adornare contingeret, tamen non destiti in marginibus mei exemplaris adnotare, quae ab aliis animadversa videbam vel quod mihi aliter scribendum et melius explicandum videbatur. Quum autem praeter spem evenerit, ut prioris editionis exempla paene exhausta essent, alteram editionem confeci valde auctam et emendatam.

Usus sum auxiliis plurimis, de quibus breviter dicendum est. Primo loco eos pono, qui suum de meo labore iudicium divulgarunt, G. Meutznerum in Novis annalibus philologicis vol. XCV. p. 689—708

et 761—782, O. Heynium in Relationibus doct. Gotting. a. 1868 fasc. 14 p. 521—552, Martinum des Amorie van der Hoeven in Horreo litterario de Gids, a. 1867 p. 379 seq. Quae ab his viris doctissimis recte monita existimavi suis locis adscivi, quae non placebant plerumque silentio praeterii.

Multo plura debeo iis, qui post me has epistolas ediderunt. Primus in hoc ordine fuit Io. Georgius Baiterus Turicensis, qui epistolas ex codice Mediceo denuo a se excusso anno MDCCCLXVII Lipsiae edidit. Is in adnotatione critica saepe meas coniecturas et emendationes laudavit, pluresque in ipsis epistolis recepit. Secutus est Reinh. Klotzius, Professor Lipsiensis, qui quum in adnotationum ad has epistolas fasciculis duobus a. MDCCCLXVIII et sequenti Lipsiae editis suum de multis locis iudicium prodidisset, saepius meum laborem attingens, anno MDCCCLXX, qui ei fatalis fuit, editionem alteram Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri typis describendam curavit. Is in prooemio huius libri saepius rationem reddidit, cur me sequeretur aut a me dissentiret. Tribus annis post in eadem urbe apud eundem editorem exierunt Epistolae ad Atticum ex recensione Alb. Sadolini Wesenbergii Dani, qui iam anno huius saeculi quadragesimo Hauniae edito Emendationum Ciceronis epistolarum libello ostenderat quantum et quam laudabile studium in Tullianis epistolis perpoliendis posuisset. Quem libellum quum ego saepius laudassem, Wesenbergius noluit par pari reddere. Nam cognovit meam editionem ex adnotatione critica Baiteri, a quo totus pendet quoties meas coniecturas memorat tam in adnotatione critica quam in Emendationibus alteris anno MDCCCLXXIII Lipsiae editis, ipsam consulere neglexit. Quo factum est ut saepe tanquam suas protulerit coniecturas, a me iam factas, saepius nonnulla a me recte emendata neglexerit, quam negligentiam merito vituperavit H. A. Kochius in iudicio de illa editione deprompto in Indice philologico a. MDCCCLXXIIII vol. VI. p. 490 seqq. Qui novissime partem harum epistolarum edidit Rob. Yelverton Tyrrell Anglus in operis, quod inscribitur: The correspondence of M. Tullius Cicero, volumine I (quod solum in meas manus pervenit typis descriptum anno MDCCCLXXIX), ut ipse profitetur in Praef. p. II in hac parte maxime me ducem habuit. Hic paucis in locis, ubi me errantem comiter in viam reduxit, a me laudabitur; quae ipse non feliciter temptavit, omittere quam reprehendere malo. Consuluisse me quoque dilectum epistolarum a Frederico Hofmanno anno MDCCCLXXIIII

tertium editum Berolini et eius operis alterum volumen quinto anno post a Georgio Andreseno ibidem editum ex adnotationibus apparebit.

Magnus est numerus eorum, qui his viginti annis aut in libellis separatim editis aut in horreis philologicis de variis locis harum epp. disputarunt. Nemo plura felicius attigit Madvigio, qui in Adversariis criticis vol. II p. 234—240, vol. III p. 165—192 prope centum locos sub examen vocavit magnamque eorum partem egregie correxit. Multos quoque locos corrigere studuit G. G. Pluygers Leidensis, quas coniecturas ex adnotationibus Mss. amici defuncti cum lectoribus Mnemosynes suae communicavit Cobetus, in vol. IX novae seriei p. 121—131, praeter paucas ab ipso scriptore publicatas in eiusdem operis vol. XI p. 288 seqq. Insunt quae Pluygersii ingenium et acumen probent, sed plurimae diu ab aliis, non paucae a me inventae erant, ut apparebit illas adnotationes cum mea editione comparanti. Pluygersium satis novi, ut affirmare possim eum noluisse alienis spoliis se ornare, nec dubito quin si ipse edendi laborem suscepisset in novo capite Lectionum Tullianarum, ea omissurus fuisset, quae ab aliis recte excogitata marginibus sui exempli adscripserat.

Anno MDCCCLXXX Academia regia disciplinarum, quae Amstelodami sedem habet, edidit meas Observationes criticas ad M. T. C. epistolas. In eius libri capite tertio de pluribus locis Epistolarum ad Atticum meum iudicium deprompsi, a quo nunc raro discedendum puto.

Legi etiam et suis locis citabo quae alii viri docti in Germania de his epp. scripserunt, quatenus ipsos libellos mihi comparare potui, vel si hoc mihi non successit, quatenus eorum coniecturas cognovi ex relatione Caroli Lehmanni in vol. X Annalium societatis philologicae Berolinensis p. 1—42, quam scriptoris humanitati acceptum refero.

Nova subsidia librorum MStorum non usurpavi praeter collationem codicis, qui servatur Ravennae in bibliotheca Classensi, olim signatus CXXII, nunc N. 137, 4, 2. Eum ego librum obiter inspexeram, quum anno 1871 mense Octobri unum diem Ravennae peragerem, et lectis quae Theod. Mommsenus in fronte adscripsit vehementer cupiebam cognoscere varias scripturas, quas continet. Quum exigua spes superesset Ravennae iterum visendae gratissimum mihi accidit virum doctissimum Urs. Phil. Boissevain Amstelodamensem, qui studiorum causa Italiam petebat, suam mihi operam offerre in comparando illo codice cum editione Wesenbergiana. Hic promisso stetit et diligenter notavit varietates libri primi, quas mense Sextili anni LXXXI Roma ad me misit,

simulque mihi declaravit non tantam sibi videri codicis praestantiam, quantam Mommsenus ei tribuerat, qui eum appellavit »praeclarum omniumque, qui supersunt, epistolarum ad Atticum librorum MStorum sine ullo dubio antiquissimum". Primi libri variis scripturis sub examen vocatis de antiquitate aliquid detrahendum putavi, sed cum Mommseno existimavi nonnunquam in hoc libro scripturas servari unice veras. Itaque non inanem laborem me facturum putavi, si reliquae quoque partis accuratam collationem consequi conarer. Res ex voto mihi cessit, et P. Rosati, Collegii S. Ludovici in urbe Bononia Rector, rogavit veterem discipulum suum Ludovicum Donium Ravennatem, Iuris Candidatum ut hunc laborem suscipere vellet. Is libenter suscepit et bene perfecit. Quare tam Donio quam Boissevanio ob egregium, quod mihi tulerunt auxilium gratias hic maximas ago. Eorum collationes in meum usum adhibui et cum aliis communicabo. Sed primum dabo codicis descriptionem a Mommseno factam: »Codex membranaceus forma maxima, foliorum non numeratorum 110 scriptorum, quae efficiunt quinterniones undecim signatos litteris romanis A—L; praeterea folia non scripta quatuor bina in capite et in calce complectitur. Scriptus est saeculo XIII litteris luculentis et pulchris. Continet

Ciceronis epp. ad Brutum [f. 1—15, lib. I]
» » ad Q. fr. libros III [f. 15—50]
» ep. ad Octavium [50′—52′]
» epp. ad Atticum [f. 52′—fin.]

neque tamen omnes, sed sex libros tantum et ne hos quidem integros. En conspectum ad numeros editionis Orellianae:

L. I—III integri sunt.

L. IV ep. 1—4, 16 a principio ad verba § 4: *intelligat curo*, item a verbis § 10 *amisimus*, *mi Pomponi* ad finem epistolae. Deest ep. 17, sed adest 18 ultima huius libri.

L. V ep. 1—8 et 10.

L. IX ep. 2—4 et 6 a verbis § 4 *Ante sollicitus* ad finem epistolae Caesaris. In inscriptione sequentis epistolae codex desinit".

Qui codicem descripsit erat linguae graecae peritus, quod apparet partim e vocabulis graecis, quae marginibus adscripsit, partim e sincera scriptura vocabulorum Gr. quae Cicero epistolis immiscuit. Quid moverit librarium, ut libri IV et V epistolas plures omitteret, libros VI et VII plane negligeret, libri IX quattuor tantum litteras

describeret, quae omnia in nullo alio codice pariter inventa sunt, nec scio nec divinare possum.

Scriptus est liber in Italia et ut videtur Ravennae, in gratiam cuiusdam viri Florentini, ut novimus ex hac nota marginali: »erat M. tullius librorum avidus sed in ea re cedebat tibi florentine''.

Saepe congruit cum libro Mediceo, etiam in manifestis vitiis et erroribus, sed non est ex eo descriptus. Ubi alias scripturas affert, raro habet easdem, quae aliae manus in Mediceo inter versus aut in margine posuerunt. Nonnunquam praebet ea, quae Malaspina ex optimis suis codicibus Antoniano et Faerni libro adnotavit. Habere quoque optimas lectiones in nullo alio codice servatas ex adnotationibus meis et ex iis, quae sequuntur, apparebit. Nam ut alii de pretio huius libri, quem voco R. vel Rav., iudicare possint, dabo hic integram varietatem e collatione facta ad editionem Wesenbergii, litterisque M2, A. F. additis indicabo locos, ubi codex Ravennas cum Mediceo correcto, Antoniano et Faerni libro conspirat. Qui pro me contulerunt, raro adnotarunt morem, quem librarius tenuit in vocabulis scribendis, sed Boissevanius in peculiari schidula descripsit quae hac in parte observavit. Ea secundum litterarum ordinem disposita infra ponam.

In medio folio 52 haec scripta sunt:

M. TULLI CICERONIS EPISTVLARUM AD
ATTHICUM LIBER PRIMUS EX VI INCIPIT
CICERO ATTHICO SALUTEM

Prima cuiusque epistolae littera fere semper abest. Appingi debebat, sed non est factum. Saepius epistolae praecedentibus iunctae sunt, ut libri I, 1—3, 9 et 10, 11 et 12, 13 et 14, libri IV, 1 et 2, libri IX, 2—4.

COLLATIO CODICIS RAVENNATIS CUM EDITIONE WESENBERGII.

LIBER I.

Ep. 1 § 1. huiusmodi] *huiuscemodi* — Prensat] *pensat* — opinio est] *opinio si* — prensandi] *praefandi* — cogitabamus] *cogitaramus* — tempore] omissum — quo tuum] *quo te tuum* — proficisci] *profisci* — tribuniciis] *tribunitiis* — putent] *putant* — Aquillium] *qui illum* — arbitrabamur] *arbitramur* — et negavit] *denegant* — iuravit] *iurant* — op posuit] *apposuit* — de Auli filio] *de Aufidio* — § 2. Silano] *Syllano* — et ab existimatione] *ab*

om. — videatur] *videantur* — si in nostrum annum] *si animum in nostrum* — candidatus fore] *candidatum ore* — videatur] *videbatur* — ac libenter] *lubenter* — Caesari] *nunciteri* — consulem accedere viderim] *consuli acciderim* — his] *iis* — Pompeii] *pompei* — § 3. quum] *et ī* — fratre] *erat re* — A.] om. — eum dolo] *cum dolo* — mancupio] *mancipio* — L.] om. — et is] *is* — cognosce rem] *cognoscere* — § 4. perturbatus] *conturbatus* — quum] *cum* — Satyri] om. — Domitii] *domitio* — humanitate] *humanitati* — amici] *animis* — eius] *ei uis* — venirem] *venire* — ἐπεὶ βοείην] desunt — simus] *sumus* — omnes] *omnis* — § 5. ita belle est] *est belle* — eius ἀνάθημα] cluiana θῆμα.

Ep. 2 § 1. Marcio] *martio* — consulibus] *consule* — tam diu] *etiam diu* — voluimus] *volumus* — illum] *nullum* — § 2. maturo] *matura* — mense] *meunte.*

Ep. 3 § 2. non*dum*] *non* — § 3. in modum] *immodum* — Hoc ad te] *hoc eo ad te* — *nec sibi*] desunt.

Ep. 4 § 1. iam te] *te iam* — Quinctilem] *quintilem* — censeo] *sentio* — Quinti] *Q.* — Acutilianam] *ac upilianam* (M 2) — hoc] *haec* — etiam Peducaeus] *peduceus etiam* — admonuit] *monuit* — § 2. voluntate] *de voluntate* — § 3. per mihi gratum] *pergratum mihi* — est: est] *est et* — nondum] *nundum* — *me* meos] *meos.*

Ep. 5 § 1. Lucii] L. — quoque id] *quoque ut* — et meo] *meo* — § 2. Quinti] Q. — et velimus] *et ut velimus,* sed *ut* in litura et deinde additum — § 4. et contentione] *ex contiuone* — scribere] *rescribere* — § 5. *video*] abest — me statuere] *statuere* — § 8. Q.] *quo* — Terentia] *terentia tua* — ascribit] *adscribit.*

Ep. 6 § 1. videto in] *vide cū* — par mihi] *par in hoc mihi* — Fontinus] *fontius* — pertineret] *partineret* — § 2. χρηστομαθῆ D.] *chrestomatheo* — *a* nobis discessit] *nobis decessit* — habebam fere] *fere habebam* — qua] *quae* — γυμνασιώδη] *gymnasio de.*

Ep. 8 § 1. recusaret] *recusarat* — satisdare] *satisdari* — decidisse] *accepisses* — magno opere] *magnopere* — vir mehercule] *et mehercule vir*] — aestimes] *extimes* — § 2. CCIↃↃ CCIↃↃ] alter numerus deest. — Pentelici cum] *pentelicitum.*

Ep. 9 § 2. Hermas] *thermas* — ne dubitaris] *ne dubites* — voluptatis] *voluntatis* — γυμνασιώδη maxime sunt] *gymnasio maxime desunt,* sed *o maxime de* in litura — naves] *aves* — diligenter cures] *cures diligenter* — Thyillus] *chiyllus* — πάτρια] πατρίδι.

Ep. 10 § 1. Roma] *romam* — iturum] *missurum* — tam] *iam* — § 3. quo] *quom* — quid] *quod* — οἰκεῖον] ὠνεῖον — typos] *lypos* — § 6. arcessi a me] *arcessam* — prohiberi] *prohibebo* — missus sis] *missus esses* — me autem eum] *sin autem quem* — quasi] *quas* — appellat] *non appellat* (M 2.).

Ep. 11 § 1. Lucceio] *luceio* — illud tuum] *illud suum* — allegatio] *legatio* (M 2) — quam tu] *quam* — putabis] *putaris* — significarim] *significarē* — idem] *eidem* — offirmatior] *affirmatior* — § 2. nec quando] *ne quanto* — hoc] *haec.* — § 3. Academiae nostrae] *nostrae academiae* — *me*] abest.

Ep. 12 § 1. Τεῦκρις illa] *teucri sylla* — Terentiam postea] *te rem post eam* — Axium] *maximū* — minoris] *minore* — lentius] *lentulus* — σκήψεις — ἀναβολαί] *scepsis* — *anabolae* — Pompeiani] *pompeani* — prodromi] *prudromi* — nuntiant] *nunciat* — acturum] *actiturum* — mando] *mandat* — § 2. Thyillusque] *thiyliusque* — libertum] *liberum* — § 3. credo te] *te credo* — pro populo] *sacrificium pro populo* — eumque] *quomque* — esse insigni] *insigni esse* — § 4. Quod] *quid* — Sositheus] *Sositeus* — saepe ad nos] *ad nos saepe.*

Ep. 13 § 1. tuas tres] *tris tuas* — *a* Tribus] praepositio adest, post *tribus* ponitur *ei* — ei dedisti] *dedisti* — mihi] deest — phaselo] *phaxelo* — *ut*] deest — pueri] *pure* — rescribendum] *scribendum* — caesis] *cessis* — victimis] *victū eis* — Sicyonem] *sycronem* — § 2. scito primum] *scito* — praepositumque esse] *propositumque* — retinendam contra] in M1 omissa hic adsunt — paene] *pene* (M 2) — non nimis] *nominis* — Catulus] *catullus* — tantum] *tamen* — seiunctus] *sevinctus* — speres mali] *metuas mali* — § 3. nefas] *nephas* — Clodii] *claudi* — et fert] *et effert* — consulto de] *consulto et de* — boni viri] *boni* — Lycurgei] *licurgei* (M 2) — neglecta] *iniecta* — § 5. reliquisti] *requisisti* — in-

cludam] *inclusam* — valde mihi] *valde* (M 2) — multo mihi] *multo mi* — φιλορρήτορα] *philorchetora*. Littera c ab alio deleta — § 6. Novi] *non* — Autronianam] *aut romanam* — CXXXIIII] CXXXIII — inquies] *inquis* — Τεῦκρις] teucris.

Ep. 14 § 1. huic vix] *vix huic* — ereptum e] praep. abest — scripsi] abest — frigebat quum] *erigebat tum* — consulis] omissum — impulsu] *impulsum* — circo Flaminio] *circulo flammeo* — ei] om. — idem] *eidem* — § 2. μάλ'] om. — § 3. quod hi] *quod ii* — utrum] *verū* — § 4. di] *dei* — ἐνεπερπερευσάμην] *ενεπεριερευσαμην* — *περίοδοι* — ἐνθυμήματα] *περὶ ἐνθυμήματα* et in margine inferiore: *ολοιτι en καρποι si en* — intermortuis] *immortuis* — vilitate] *utilitate* — istinc] *isthinc* — § 5. se res sic] *res sic se* — Catilinae] *catelinae* — idem] *eidem* — pontes] *pontis* — *in* rostra] *rostra* — convicium] *commultitium* bis — Favonii] *avoni* — singillatim] *sigillatim* — ex altera parte facile] *facile ex altera parte* — tribunus tum] *tertium* — de provinciis] additur *consularibus* — § 6. imitator] *mirator* — *in qua*] praep. om. — itaque mirum] *ita quem* — § 7. Τεῦκρις] *τεῦκρος* — Argiletani aedificii] *arguit aclaniae refici* — Pacilianam] *pacillianam* — Lucceio] *luceio* — redii] *redi*, sed una littera in fine erasa — petiturire] *petitur nae*.

Ep. 15 § 1. nuntiarint] *nuntiarunt* — curaque *et*] *et* om. — § 2. nam] om. — Idibus] id.

Ep. 16 § 1. in illa causa] *nulla causa* — di] *dei*, mox *dii* — spectatorem] *inspectatorem* — § 2. *ferret*] omissum — ita fieret] *ita id fieret* — dixi quidquam] *quidquam dixi* — diceret] *decebat* — § 3. uti nunc] *nunc* om. — iam] *tamen* — nudi equites] *nndi milites* — aerarii] *aerari* — fugare] *effugare* — § 4. impetrabat] *impetrarat* — iurare] *iurarent* — circumferrentur] *circumferentur* — § 5. defenderer fractus] *ut factus defenderer* — quacum] *qua quom* — praesidio] *praescio* — Ἔσπετε ἔμπεσε] Spatium vacuum. Infia in margine vocabula graeca, sed partim vitiose descripta sunt, fere ut in M. — illum] bis scriptum — eum] *quom* — gladiatorio ludo] *ludo gladiatorio* — promisit] *permisit* — etiam] *et tam* — certarum] *caeterarum* — commoveret] *commoverit* — § 7. plane] *plena* — § 8. idem] *eidem* — *ab* aliis] *ab* om. — et excitans] *et* om. — habere neque] *habere eandem neque* — § 9. multa dixi] *dixi* — re] *rei* — *accepta patres conscripti*] *p. c. accepta* — ignorando] *in ignorando* — *aut metuendo ignavissimi*] desunt — reservarunt] *servarunt* — virtus non est imminuta] *non est imminuta virtus* — § 10. quid hoc] *quid huic* — dicas in operto] *in operto dicas* — Putes, inquam] *putes quam* — Iuranti] *iurant* — tibi nihil] *tibi vero nihil* — § 11. melius nunc] *nunc* om. — hirudo] *trudo* — comissatores] *cominissatores* — iuvenes] *tuens* — ludis et] *ludet si* — § 12. in quae] *in qua* — deterioris] *ris* in litura — dicitur] omissum — magistratus] *magistratū* — cuius domi] *quoiusmodi* — § 13. Aelia] *alia* — ut legem] *aut legem* — Novi] *non* — tribubus] *tribu* — tribubus] *tribulibus* (C) — fabam mimum] Ita in codice, sed littera *b* e correctione (M 2) — § 14. in ista] *insta* — sim] *sum* — § 15. quae] *qui* — Thyillus] *thyilius* — Lucullis] *lucullus* poëma] *poetam* — § 16. quo darem] *quid darem* — valde] *vale* — venditavi] *vendicavi* — § 17. exspectato plures] *exspectaom ast plures* — § 18. libet] *lubet* — aliquod] *aliquid*.

Ep. 17 § 1. iam ante] *ante* om. — esse eius] *eius* om. — *suspiciones*] *opiniones* — litterae tuae declararunt] *tuae litterae declarant* — § 2. Dyrrhachii] *durachii* — qui ea nosti scribere] *scribere qui ea nosti* — § 3. existimare] *extimare* — § 4. litteris] *litteris tuis* — Thessalonica] *thessalonicam* — ecquid] *et quid* — humanitate] a scriptore codicis omissum alia manus in margine addidit — bonitatis] *bonitati* — inter nostra] *inter nos nostra* — § 5. provincialium] *provinciarum* — ingenuitas] ut M 2. C. Z. A. F. — amore] *more* — § 6. publicane] *publica* — *in* ipsis] sic codex — non publicae] desunt — § 7. aliquanto ante] *aliquando* — discidio] ut M 2 — sunt sanctissime] inverso ordine — § 8. audisse] *audivisse* — diiunctos] *devinctos* — *pecuniam*] deest — § 9. Asiam] ita R. A. F. — conduxerant] *conduxerunt*, ut A. — induceretur] *indicaretur* — auderent] *laudarent* — *sed* summum] *sed* deest — liberalissimo] *liberatissimo* (M 2) — quin erat] *qui erat* — § 10. explicare] *explicari* — parva ostendam tamen] *tamen parva ostendam* — § 11. ridicula] *ridenda*, In margine additur: *at ridicula* — exspectare] *te exspectare*.

Ep. 18 § 1. eum] *meum* — ex animo] desunt — mera] *mea* — anguntque] *angunt* — aures] *auris* — § 2. hi] *ii* — sed tamen] *et tamen* — me deficit] *medicina efficit* (ut Q. et 4 Pal.) — *rei publicae*] *nō* — § 3. constuprato] *construpato* — suspiritu] *suspirio* — Romani] Post h. v. sequitur: *quod erat qui ob rem iudicandam,* quae verba manifesto pertinent ad ep. 17 § 8, ubi in codd. legitur: *qui ob iudicandum* — diiunxit] *disiunxit* — Iuventatis] *iuventutis* — § 4. quidam] *quidem* — fert] *refert* — Clodii] *c* — § 5. dicis causa] *dicit causam* — promulgatum] *promulgatam* — Auli] *anti* — ac] *et* — § 6. *lex*] om. — *οὐδ'*] om. — qui poterat] *qui semel poterat* — hoc te] *te hoc* — togulam illam pictam] *legulam putam* — § 7. reiectum] *relectum* — § 8. perspicis revise] *percipis crevisse* — aestimes] *exstimes* — perfrui] *pervenire* — Vale] om.

Ep. 19 § 1. est tibi] *tibi est* — breves..... facile] *brevis epistola a me mitteretur quod tu soles facere* — scribendo] *scripto* — volo] *solo* — sine] *sino absque* — pervenire] *evenire* — quae sunt] *quae sint* — tibi amore nos] *nos amore tibi* — § 2. Aedui] *hedues* — Sequani] om. — puer] *pueri* — pugnarunt] *impugnarunt* — Helvetii] om. — excursionesque] *excursationes* — delectus] *dilectus* — adirent] *audirent* — Helvetiis] *heleucis* — Clodiani] *clodiae* — § 3. nascantur] *innascantur* — liberabam] liberarā — Arretinos] *arceminos* — locupletium] *locupletum* — *et* Pompeio] *pompeoq.* — solitudinem] *solicitudinem* — nihili] *nihil* — emerit] *est erit* — § 6. ipso non] *ipso* — § 7. huius] *suis* — ut *et*] *ut* — res publica] *in re p.* — § 8. fit] *sit* — malevolorum] *malevolentiam* — tamen istis] *tamen si eis,* idque correctum: *tametsi eis* — *νᾶφε*] *νίφε* — *ἄρθρα*] *ἄνδρα* — *τᾶν*] *τῶν* — § 9. fuisse] *esse* — tu *si* tuis] *tu si tuis* — § 10. Graecum] *gratum* — Panormi] *panhormi* — hominis] *nominis* — soloeca] *solaeta* — *αἰνήσει*] *αἰνέει* — sit] *si* — nobis] *vobis* — nuntiarant] *enunciarant.*

Ep. 20 § 1. Quum *e*] *uum* — Maias] maii — ei nunc] *et nunc* — nihil duco] *nihil enim duco* — § 2. fuit ratio] *fuerit ratio* — § 3. optimatem] *optimatum* (M 2) — Rhinton] *vhinton* — *παρ'*] *γὰρ* — *εἰσι τοῖς*] *εἰσιν οἷς* — reservabo] *reservabimus* — minime me poenitet] *me non poenitet* — § 4. ad te scripsi] *scripsi ad te* (ut A. C. L.) — § 5. otium e Gallia] *otium galliae* — § 6. simul atque hoc nostrum] *simul ac nostrum hoc* — § 7. Ser. Claudius] *servilius claudius* — *labore*] adest vox in M. omissa.

Sequitur subscriptio: M. TULLI CICERONIS EPISTULARUM AD ATTICUM LIBER PRIMUS EXPLICIT. INCIPIT SECUNDUS:

Ut chartae parcam et describendi taedium effugiam, in reliqua parte omittam manifestos errores, nisi forte alicubi ad verum inveniendum vel ad codicis originem detegendam ducere possint.

LIBER II.

Ep. 1 § 1. litteras abs te] *abs te litteras* — § 2. scripsit] *rescripsit* — § 3. quum Catilinam] *qua catilinam* — § 5. se petere dictitasset] *saepe hereditasset* — debuerit] *debuit* — cavillor] *etiam cavillor* — illam odi] *odi illam* — mihi amicos esse] *nihil esse* — § 6. forte] om. — atque [ita] provisum] *atque provisum* — optimati] *optima* — § 7. satis *rei publicae*] *satis* — ut nolint] *ut ii nolint* — § 8. assensit] *et assensit* — ii consules] *consules* — § 9. leviter] *molliter* — § 12. perferantur] *mittantur* — eram locutus] *locutus eram.*

Ep. 2 § 1. cinos *Θειοι*] *ἀπολέσαι* — § 2. et unde] *et eodem* (M 2) — credes] *herodis* — hec] *te haec.*

Ep. 3. dubitet] *dubitaret.*

Ep. 4 § 7. tu censeo] *ut censeo* (A. F.).

Ep. 5 § 1. etiam hercule] sic R. ut A. *et iam hercule* M. — § 2. vides levitatem meam] *videte civitatem meam* — § 3. certius] *recentius* — polliceris] *tu polliceris.*

Ep. 6 § 1. *me* fuisse] Om. *me* — § 2. vivum] *unum* — instinc] *isthuc.*

*

Ep. 7 § 1. ne tibi] om. *tibi* — § 3. domi] *in domo* — § 4. ɪↄↄ] ɪↄↄↄ — § 4. Terentia] *at terentia.*

Ep. 8 § 1. habemus nos] Om. *nos* — § 2. volumus venire] Om. *venire.*

Ep. 9 § 1. perscribere] *perscribe* — quem illa] Om. *illa* — oportuit] *potuit* — § 2. habitatura] *abitura* — tralata] *redacta* — quidnam] *quid etiam* — § 4. Τίτου τὸν] Om. *τόν.*

Ep. 11. *invitem?*] Om. quae sequuntur.

Ep. 12 § 1. est et] *esse* — nullo pacto] *nullo modo* — § 2. commodum] *commode* — § 4. putabam] *putaram.*

Ep. 14 § 2. parem] *partem.*

Ep. 15 § 2. id quidem non] *id quidem omnino non* — sive ruet *sive eriget*] *sive servet.*

Ep. 16 § 1. egomet] *ego* — § 2. *se* — commodare] *commendare* — § 4. in senatu] Om. haec.

Ep. 17 § 1. philologiae nostrae] Om. *nostrae* — § 3. ut soles] Om.

Ep. 19 § 1. motu] *metu* — angunt] *tangunt* — nulla cum molestia] *nulla molestia* — § 2. peraeque] *denique* — putaram] *putarem* — § 3. transiri] *transire* — § 4. nihil mihi turpius] *nihil me turpius* — § 5. certi sumus] *certissimum.*

Ep. 20 § 1. Anicato] *amice cato* — § 5. et Furio] *me furio* — § 6. Archilochio] *cum archilochio.*

Ep. 21. § 2. homines] *omnes* — § 3. ut demissus] *et demissus* — § 4. lapsus quam progressus potius] *lapsus potius quam progressus* — § 4. et politum] *expolitum* — dilexi nimis] *dileximus* — § 6. aut certaturos] *aut certe.*

Ep. 22 § 1. id facturus] *id acturus* — et vim] *vim* — § 2. deferebat] *referebat* — crearetur] *procrearetur* — esset: fidem] *esset sed fidem* — fuisse] Om. — § 4. te urgente] *te etiam urgente* — § 5. sed totum est] *sed tantum est* — § 7. cognovi] Adduntur: *cura mi suavissime ut valeas.*

Ep. 23. in consiliis *et*] Om. — quod*que*] *et quod.*

Ep. 24 § 1. si quid] *si aliquid* — § 2. *se* insinuavit] *in sinu aut* — constitisse] *restitisse* — fuisse] *esse* — § 3. emisisset] *emisset, eum* — aut Brutum] *aut etiam Brutum* — a Curione] *ex curione* — § 4. soleamus] *solebamus* — ea inquam] *eam quam* — tamen in] *tamen etiam in.*

Ep. 25 § 1. ad ipsum] *ad illum* — non quo faceret] Om. — § 2. et tempus] Om. — quid scribam] *plane quid scribam.*

L I B E R III.

Ep. 1. consequerere] *consequare* — quod eo facilius] Om. *quod eo.*

Ep. 2. in fundo] sic R. — si te haberem] *se iter habere* — tanta] *tota.*

Ep. 3. scilicet eo] *sed eo* — te esse] *te omnino esse* — facturum] Add. *cura ut cito advoles.*

Ep. 4. correctum] *confectum* (ut M.) — ut venias] Add. *si me amas.*

Ep. 5. Ego vivo] *Ego enim vivo* — ut eodem] Om. *ut.*

Ep. 6. ut et] *et ut* (ut M.).

Ep. 7 § 1. esset consilium] *sed consilium* — § 2. quam ad finem] *sed ad finem* (ut A. F.) — § 3. nec *quo* modo] *nec modo* (ut M1) — Cura ut valeas] Om. — Brundisii] *Brundisio proficiscens.* Ep. 8. incipit verbo *scripseram.*

Ep. 8 § 2. altera] Om. — Idibus Maiis] Om. — postularetur] *postularet* (ut M.) — ab Ilio] sic R. F. — § 4. Me et] *et* om. — memoria et metus] *memor metus* — in scribendo] Om.

Ep. 9 § 1. decessisset] *discessisset* — aut illum] Om. *illum* — § 2. infirma] *firma* (ut M.) — tempore] *genere* (ut C. M.).

Ep. 10 § 1. vos sperare] *sperare* — § 2. ex amplo statu] *extemplo a statu.*

Ep. 12 § 2. ei iratus] Om. *ei* — § 3. significarim] *significarem.*

Ep. 13 § 1. de nobis in senatu] *in senatu de nobis* — neque me] *meque* — ductum] *deductum*] — *aut* voluntati] Om. *aut* — § 2. *magis*] deest.

Ep. 14 § 1. etsi scio] sic R. ut F. — § 2. non veni] *non ii* (ut M.) — Italiam] *in Italia* — Hinc, nisi] *Hinc si.*

Ep. 15 § 1. obiurgas et rogas] R. ut A. — § 2. ne rescindam] *ne scindam* — ego mihi scripsi] *mihi scribis* — § 4. aut potius] *ac potius* — ignosce] *ignosces* — id abs te] *si abs te* (ut M.) — aut occubuissem honeste] Om. ut M 1. — § 5. quid est firmius] *sic est firmus* — *idem* senatus consulto] *eidem s. c.* (ut M.) — ut erat] *ut est* — agetur] *ageretur* (ut M.) — § 6. in quo ipso] *in quo ipsa* ut A. F. — § 7. et reliqui] Om. — meos ne meis] Om. *meis* — § 8. In fine addit: *Thessalonicae.*

Ep. 16. quod quum laetae sunt] *quam quom latae sunt* — itaque] *idque* ut M 1. — ut putabis] Om. ut M.

Ep. 17 § 1. ex ante diem III Non. Iun.] *et ante diem nonum* — § 3. cave vereare] Om. *vereare*, ut M.

Ep. 19 § 1. sed et *ad* salutem] *sed ut salutem* — miserrimam] *miseram* — § 2. ac tamen] Om. *ac* — agi] *ago* ut M 1.

Ep. 20. Inscribitur: *Fratri Pomponio Attico.* — § 3. excelsior] *excellentior* — tuosque omnes] *omnesque* — ferri] *ferre* ut M.

Ep. 21. casum] *causam* ut M.

Ep. 22 § 2. sperasset] *speraret* ut M. — § 3. quum luctu tum desiderio meorum omnium, qui] *luctu desiderio omnium rerum, quae* — Post *valeas* incipit nova epistola.

Ep. 23 § 1. a novis m.] *a nostris m.* — § 2. illud ipsum abrogatur] Ita A. F. R. In M. *abrogaretur* — quo non eam] *quo modo eam* — § 3. ABROGAVIT — OBROGAVIT] Om. ut M. — § 4. quod id] *quom id* — *uterentur*] Om.

Ep. 24 § 1. se invitis] *eis invitis* — § 2. mea causa] *in ea causa* — Iis] *Iam iis* — scribas] *rescribas.*

Ep. 26. Additur haec subscriptio: VI Kl. Ianuar.

Ep. 27. mei indigebunt] *meis indulgebant* (ut M.) — videbo.] Addit: *plura non scribo; cura ut valeas.*

L I B E R IIII.

Ep. 1 § 1. fuitque cui] *fuit cui* ut M 2 — cognoram] *cognovi* — pro praeterita mea] *propter meam* — observantia] *observantiam* — timoris] *rumoris* — § 3. splendorem...... consecuti sumus] om. — § 4. Tulliola mea] Om. *mea* — gratulatione celebrata est] Om. ut M. — concursu] *consensu* — *decretis*] Om. — § 6. insulso] *in consilio* — *in* meo nomine] *meo nomine in* — *quam* omnes] Om. *quam* — § 7. habebimus] *habemus* — sin aliter...... aestimabunt] Om.

Ep. 2 § 2. dolor et] *doloris* — iuventuti nostrae deberi] *nostros praesertim latere* — § 3. vi defendant] *ut defendant* — illi infimi] *illum infimi* — § 4. qui erat] Om. — senatum esse] Om. *esse* — statuturos....quisque] *statues quisque* — intercessit: de] Om. — vix tandem] *vix tamen* — § 5. de consilii sententia] *de consilii consensu* — illiberaliter] *in te liberaliter* — § 6. quin, si vellem] *quod nisi vellem* — *ut* aut] Om. *ut* — sumpsisse] *suppressisse* — rationes] *rationes utilitates meae* — alienum putavi] *alienorum putabis* — § 7. reficitur] *reficiatur* — nunc] *hinc.*

Ep. 3 § 1. tum a me] *tum ea a me* — sed ut perspicias] *sed velim perspicias* — § 2. demens] *vehemens* — hunc furorem] *hunc vero furorem* — § 3. in vestibulum] *in vestibulo M.* — Ille] Om. — praesens trudi] Om. — eam, quae *est in* Germalo] *meamque ceramio* (ut M.) — acres] *agris*, ut M. — se in interiora] *ex interiore* — Exin senatus] *in senatu* — domi] *domi se* — *ac* virtute] *vitae* — minari: *Milo*] Om. *Milo* — se per] *super* — § 4. media nocte] *ante mediam noctem* — § 5. scribebam] *scripsi* — divina mitto] *mittite* sine

divina — comitia fore] *comitia esse* — si se in turba ei iam] *si se uti turbae iam* ut C. — usurus] *usus* ut M. — § 6. *quam*] Om. — nostris *et*] Om. *et*. — In fine add. *Cura ut valeas.*

Ep. 4a. te amari] *teque amari* — Ep. 4 b. § 1. in librorum meorum bibliotheca] *librorum meorum* — Etiam velim] *et vellem* — § 2. ne tu emisti ludum] *nec tu venisti locum* — gladiatores] *gladiatores enim.*

Ep. 16 *) § 1. epistola] *epistula* — manu] *manus* — quod erant abs te] collocantur post *ubi esses* — Buthroto] *bruto* — crebritate] *celeritate* — Paccius] *pacius* — Paccio] *vactione* — § 2. mentio potuit] *potuit mentio* — Phili et Laelii *et* Manilii] *pilii et petii manilii* — adolescentes] *adulescentes* — duo] *duos* — utor prooemiis] *prohoemiis utor* — § 3. fecit idem] *feci quod* — πολιτείᾳ] *politia* — quum] *quom* — Piraeeum] *Pireum* — habetur] *haberetur* — consonum] *commodum* — magis] *satis* — valetudine] *valitudine* — ea, qua esse] *quam esset* — § 4. Piliae] *filiae* — erit] *erat* — indiciis] *iudicis* — venditabo] *vendicabo* — intelligat curo]. Sequuntur quae nunc sunt in ep. 18 § 2: *amisimus, mi Pomponi* cet.

Ep. 17 § 1. nunc] *non* — mei] *tui me* — quoniam] Om. — Asiam cuiquam] *Asiam neque quoiquam* — sunt eae] *sunt* — epistolae] *epistulae* — § 2. ipse et suus] *ipse suus* — fecissent] *fecisset* — uti ambo HS.] *utinam bona sextertia* — tres] *tris* — quum] *quom* — perscriptionibus] *praescriptionibus* — prolata] *probata* — § 3. invito Calvino] *invito etiam Calvino* — nunc cociace] *in ocio.* Sequuntur, quae W. posuit in ep. 19 § 1 extr. *dictaturam* (*R. dictatura*) *fruere* cet.

Ep. 18 § 2. et speciem pristinae] *ac speciem pristinam* — quae *me*] Om. *me* — igitur] Om. — aliquid posse] *posse aliquid* — maxime est] *est maxime* — ad litteras] *id est literas* — laborem] Om. — delectant] *addelectant* — isti] *ista* — *συμφ.*] *ευφ.* — concalluit] *concaluit* — videbis] Om. — cuius] *quoius* — enim in] Inter haec vocc. lacuna est sex litterarum. § 3. Nobilior] *nobilius* — est; multi] *est et multi* — § 4. etiam] *et tamen* — alii iudices] *aliud* — *e* Sopolidis] *solidis* — libertum atque] Om. *atque* — maiestatis] Quae sequuntur litterae Graecae omittuntur indicata lacuna — a. d.] *ad* — praetores] *praetor* — § 5. accepi a. d.] *coepi ad* — datas...... proximis...... Octobr.] Haec leguntur post *pecunia*, sed *proximo* — nostri] *noster* — Abs te] *et abs te* — a. d.] *ad* — datas] Om.

Ep. 19 § 1 extr. dictaturam] *dictatura* — Seleucianae] *Cecilianae* — § 2. Hiberna legionis] *hibernam legionem* — ad me scribit] *ad me Q. scribit* — ut tu] Om. *tu* — cui] *quoi* — tu, si me amas] Om. *tu.*

LIBER V.

Ep. 1. § 1. meo] *in eo* — § 2. vero te rogo] Om. *vero* — § 3. epistolae tuae] Om. *tuae* — ex quo ego] Om. *ego* — sumptus] *sumpta* ut M. — humanissime] Om. ut M1. — ego accivero] *ego vero adsivero* — ego sum] *ego ipsa sum* — § 4. quaeso] *quasi* ut M.

Ep. 2 § 1. ex P.] *et P.*, ut M1 — mandavi] *mandasti* ut M, — provinciam] *provincias* ut M — § 2. strategemate] *stragem alto* — et tam longe *et*] *etiam longe* ut M1 — post etiam] *post ea iam* — me exiens e sua villa, numquid] *ne expensae suarum villarum quid* — § 3. oderere] *opere*, ut M. in margine. In fine add. *Cura ut valeas.*

Ep. 3 § 1. exiens e] *expensae* — de iis] *de his* — et quando] Om. — § 2. simul] *semel* ut M — P. Licinii] *publi mihi* — § 3. Apud L.] Om. *apud* — *te*] *tuam* — in gratia] *in gratiam* ut M. — egregiam] *e graecia* — deest quod] *desunt quae* — hodie] *hoc de* — faciemus satis] Om. *satis.*

Ep. 4. § 1. eo ipso] *ipse eo* ut M — illud quidem] *illud quod* — non quo sed] *non*

*) Trium ultimarum huius libri epistolarum, quae meo rogatu a Donio accurate ex codice descriptae sunt, integram varietatem dabo.

quod — nostra] *nostris* — tu ais] *tuis* ut M — tu aberis] *tuearis* — mirationem] *admirationem* — Servilia] *servilio* ut M — agendi tamen viam] *agenda tamen alia* — § 2. De Pomptmo] *de pompeano*, fere ut M — § 3 quam statuero] *quod statuero* — ei DCCC] *ei de* DCCC ut M — § 4. ducentas] *ducentos* — *perscribere* velis et] *vellet* ut M.

Ep. 5 § 1. deest] *est* — quod mandem] *quid mandem* — nihil] *nihil est* — § 2. quo dem posthac] *quod est post has* ut M — illud *de*] Om. *de*.

Ep. 6 § 2. iam in scribendo] *in scribendo iam* — iam profectus] Om. *iam* — *te* non] Om. *te*.

Ep. 7. ait se] *ad se* — praefectos vacationes] *profectos delaturus erat in novae vacationis* — XIII] XIIII ut M — tum ut ubi] *tum ubi* ut M.

Ep. 8 § 1. e qua] *qua* — § 2. Sin es] Om. — mancipiis, quae permulta secum habet, spoliaret] *namque cupis permulta secura habeat expoliaret* — § 3 si ille] *sed ille* — si scribit] *et scribit* — sin haec] *sed haec*.

Ep. 10 § 1. a. d. VI] *a. d.* XVI — § 2. aliquid de *me* ipso] *de ipso aliquid* — aut publice aut privatim nec in quemquam comitum] *nec in quemquam comitum aut publice aut privatim* — nihil accipietur lege Iulia, nihil] *accipitur lege iulia nihil* — elaboratur] *laboratur* — laudemus] *laudabimus* — § 3. etsi haec] *sed haec* — fronte et vultu bellissime] *laete fronte, ut puto et volo* — stultitiae] *stulte* — § 4. ac non modo nemo domo] *non modo nemo denunciat* — § 5. et hominum amore] *multi hominum amores* — et in nos quadam] *in nos quaedam* — sed multum ea] *sed vehemens a* — si quidem est in Aristo] *si quid est Aristo* — Tu velim] *vives tu:* — *tempore*] Om.

LIBER IX.

Ep. 2. a te] Om. — IIII] III — λῆψιν] *διάληψιν*.

Ep. 2 *a*. § 1. Certe averruncent] *dicas certe igitur qm annuerunt, inquis* — altero — altero] *alios* — *alios* — Supplicandum igitur? miserum] *supplicare igitur est miserum* — XX viratu] *iratum* — § 2. hoc quidem tempore] Om. — ἀπαρρησίαστον] *ὑπάρρηκτον* — vetant] *cui vita* — constantia] Add. *nihil impenditur?* — § 3. classes] Om. — quid Brundisii] *Brundisii quid plane*, omisso *plane* ante *nesciebamus*.

Ep. 3 § 1. nusquam] *usquam* — Gnaeum] *credo* — quo iter] *quod iter* — et de Domitio] Om. *et* — § 2. Brundisium venisse Caesarem] *venisse Caesarem ad Brundisium* — enim iam] *iam enim* — habeat se] *se habeat* — diutius] *secure*.

Ep. 4 § 1. egeo] *ego* ut M. — epistolarum] Add. *tuarum angor* — ea temporibus] *e temporibus*, ut M2. — excluduntur] *excludentur* — et abducam] Om. *et* — § 2. αἴρηται] *ζώγρηται* — ἢ πολέμῳ] Om. — τὸ ἡσυχάζειν] *δεῖ ἡσυχάζειν* — πόλεμον ἐπακτέον] *πόλεμος ἐπακτέος* — ὅμως] *ὅλως* — ὅλων] *πολλῶν* — ἂν ἐθελοντὴς] *μενεῖ*.

Ep. 6 § 4. quum consilio explicare nihil possem] *quo uti consilio possem*, ut M. in margine — ardeo dolore] *dolore ardeo* — οὐδέ.... ἀλαλύκτημαι] *ουδ᾽ὅτι τι μοι ἔμπεδον, ἀλλὰ ἀλυσθενῶ* — usus *est*] *usus* — timidius] ponit ante *praesertim* et post *committebam* addit: *a via aberrarunt* — § 5 mihi hunc] Om. *hunc* — Quid tu] Om. *tu* — § 6 quum aliquid] *quomodo aliquid* — § 7. compositionis] *compositiones* — qua facta] *quae facta* — vita] *et ea* — liberari] *liberarem*.

A. meo commodo] *me commode* — properarem atque essem] *properabam enim atque eram* — praeterire] Om. — et feci] *feci* — cognosces] Add. *vale mi Cicero*.

Qui codicem scripsit in multis vocabulis formas antiquas servavit, quae recentiori tempore in usum revocatae et partim in hac editione restitutae sunt. Itaque in eo inveniuntur *adulescentes*, *amicicia*, *arthiculus*, *Atthicus* et *Atticus*, *biblyotheca* et *bybliotheca*, *caetera*, *contio*, *delitiae*, *desydero*, *epistula*, *expectare*, *haeres*, *haereditas*, *intellegere*, *laeticia*, *literae*, *loquutus*, *Messala*, *mestus*, *moeror*, *nunciare*, *obicere*, *ocium*, *paulo*, *pene*, *preliari*, *provintia*, *quicquam*, *quicquid*, *quoi*, *quoius*, *quom* (sed *cum* — *tum*), *quor*, *quotiens*, *solicitudo*, *suspitio*, *tanquam*, *valitudo*.

Notationem temporis, quo epistolae scriptae sunt vel scriptae esse videntur, e priore editione non repetendam curavi, quoniam permulta in hac parte mutanda essent, multaque nondum ad liquidum sunt perducta. Libenter didici Lud. Mollii, Th. Schichii, O. E. Schmidtii, E. Ruetii, Guil. Sternkopfii, et aliorum fortasse disquisitionibus perfectum esse, ut in elencho Gruberiano plurima emendari possent. Sed illis laboribus prudenter et caute uti est res magni laboris, quem ego senex suscipere nolui. In adnotationibus nonnunquam quaestiones chronologicas attigi.

Dum relego folia typis descripta, non multa nec gravia vitia inveni. Indicabo in ultima pagina quae me effugerunt vel typothetae culpa relicta sunt. Qui hoc libro utentur, leviora ipsi corrigant velim.

Scr. Amstelodami, I. C. G. Boot.
Kalendis Dec.
CIƆIƆCCCLXXXV.

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLARUM

AD

T. POMPONIUM ATTICUM

LIBRI XVI.

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

LIBER I.

I. (*A. U. C.* 689.)

1. Petitionis nostrae, quam tibi summae curae esse scio, huiusmodi ratio est, quod adhuc coniectura provideri possit. Prensat unus P. Galba; sine fuco ac fallaciis more maiorum negatur. Ut opinio est hominum, non aliena rationi nostrae fuit illius haec praepropera prensatio; nam illi ita negant vulgo, ut mihi se debere dicant. Ita quiddam spero nobis profici, quum hoc percrebrescit plurimos nostros amicos inveniri. Nos autem initium prensandi facere cogitabamus eo ipso tempore, quo tuum puerum cum his litteris proficisci Cincius dicebat, in campo comitiis tribuniciis a. d. XVI. Kalend. Sext. Competitores, qui certi esse videbantur, Galba et Antonius et Q. Cornificius. Puto te in hoc aut risisse aut ingemuisse; ut

§ 1. *Petitionis nostrae.* Quo tempore haec epistola scripta est, nondum petebat Cicero, cf. § 2, sed prensandi initium facere cogitabat.

quod adhuc c. p. possit. Post *eiusmodi* et *huiusmodi* vulgo sequitur *ut*, vel pronomen relativum. Vide Att. I. 16, 9. II. 3, 2. XIII. 9, 1. Fam. V. 8, 1. XVI. 12, 4, in quibus omnibus locis substantivum neutri generis vel praecedit vel intelligitur. Cf. porro Att. II. 20, 5. Fam. VI. 4, 1. Catil. III. 25. Ergo h. l. Cicero scribere potuerat: — *quae c. p. possit. Quod* ita cum coniunctivo positi plura exempla imprimis ex epistolis congessit Madvigius Emend. in Cic. philos. p. 70, et vulgo nota sunt *quod commodo tuo* et *quod sine molestia tua fiat.* Sententia est: Petitio mea sic se habere videtur, quatenus de ea divinare possum.

P. Galba. Q. Cic. petit. cons. 7. *Ac multum etiam novitatem tuam adiuvat, quod eiusmodi nobiles tecum petunt, ut nemo sit qui audeat dicere plus illis nobilitatem, quam tibi virtutem prodesse oportere. Iam P. Galbam et L. Cassium, summo loco natos, quis est qui petere consulatum putet? Vides igitur amplissimis ex familiis homines, quod sine nervis sunt, tibi pares esse non posse.* Cf. Mur. 17.

sine fuco et fallaciis c: aperte et sine dolo. cf. Q. Cic. l.l. 35; *more maiorum*, ut maiores, homines simplices et recti, facere solebant. Qui aliter agunt, vocantur *fucosi suffragatores* a Q. Cic. l. c. Postea *fumum vendere* dicebantur.

praepropera prensatio. Praeproperum dicitur, quod nimis propere fit. Fam. VII. 8, 1. Opponitur *praeposterum*, sive id quod sero et tempore iam praeterlapso agitur. Att. VII. 16, 1. Lael. 85. Plin. Epist. VI. 5. Mox *illi* est dativus, *Galbae.*

Ita quiddam spero nobis profici ɔ: hac ratione spero nostram petitionem quodammodo adiuvari. Similem usum verbi *profici* videbis infra VII. 13, 1 *ad summam profectum aliquid puto.*

Cogitabamus — videbantur — arbitrabamur reposui in locum eorum, quae vulgo hic leguntur: *cogitaramus — videantur — arbitramur.* Cicero poterat scribere *cogitamus — videntur — arbitramur*, aut in genere dicendi epistolari uti imperfectis. Quum Lagomarsinus e libris notaverit *videbantur* et

frontem ferias, sunt, qui etiam Caesonium putent. Aquilium non arbitrabamur, qui denegavit et iuravit morbum et illud suum regnum iudiciale opposuit. Catilina, si iudicatum erit meridie non lucere, certus erit competitor. De Aufidio et de Palicano non puto te exspectare, dum scribam. 2. De iis, qui nunc petunt, Caesar certus putatur; Thermus cum Silano

Med. praebeat *arbitrabamur*, etiam *cogitabamus* scribendum est. cf. Wesenb. Emend. alt. p. 82.

proficisci dicebat pro: profecturum esse. Simillimum exemplum infinitivi praesentis temporis est II. 6, 2 *quando te proficisci istinc putes, fac ut sciam*, et esset in IV. 16, 12, si constaret verum esse, quod prima manus cod. Med. scripsit: *affirmat — illum non triumphare*. De loci, in quo nunc versamur, scriptura dubitari non potest, satisque munitur praesens exemplis, quae I. F. Gronovius et Drakenb. congesserunt ad Liv. II. 5, 1. Cff. quoque Reisigii Scholae de gramm. Lat. § 289 cum adnot. Haasii.

Competitores. Asconius in argum. Orat. in toga candid res exponens ut erant tempore comitiorum consularium, sex enumerat, duos patricios P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam; quatuor plebeios C. Antonium M. F., L. Cassium Longinum, Q. Cornificium, C. Licinium Sacerdotem.

in hoc ɔ: huius respectu. Cf. Kritz ad Sall. Cat. 51, 35, Hand. Turs. III. 269 sq.

aut risisse aut ingemuisse. Illud credo, quod homo novus et cuius nulla erant in rem publicam merita, consulatum petere audebat; hoc, quod vir sobrius ac sanctus, ut Asconius eum appellat, repulsam laturus esset.

ut frontem ferias. Frontis percussio dolorem indicat. Cf. locus ex Cic. orat. p. Q. Gallio in Brut. 278. Apul. Metam. I. 6. p. 32 Oudend. „dextra saeviente frontem replaudens." Dion. Hal. X. 9 παίοντες τὰ μέτωπα.

sunt, qui — putent. Rav. habet indic. *putant*, manifesto errore. Multi de hac formula egerunt, quos enumerat F. Haasius ad Reisigii Scholas obs. 507, quibus adde Orellium ad Orat. 136 ed. min. et Madvigium ad Fin. I. 70, qui recte observant in simplici formula apud Ciceronem coniunctivum esse legitimum.

Caesonium. Is Ciceronis in aedilitate collega fuerat. Act. I in Verr. 29.

Aquilium. C. Aquilius Gallus, clarus Ictus cum Cicerone praetura functus erat. Cluent. 147. Nomen cum simplici *l* scribendum esse monet Orell. ad Topic. 32 ed. min. et qui accurate de nominibus in — *ilius* exeuntibus disputavit Ellendt de Orat. II. p. 431 sq. In Fastis Capitolinis tamen cum duplici *l* legitur.

qui denegavit. In Med. et Rav. *qui denegant*. Verbum *denegandi* aptissimum est. Aquilius rogatus ut peteret, illud se facturum recusavit ɔ: *denegavit*. Quare hoc praefero ei, quod olim conieci *denegans* et coniecturae Wesenbergi *et negavit*.

iuravit morbum ɔ: iuravit morbo se impediri, morbum attulit causam cur non peteret. Cf. Att. XII. 13, 2. Simili ratione dicitur *excusare morbum*, vid. Matth. ad Ligar. 21.

De Aufidio. Sic codd. Orellius de Goveani coni. scripsit *de Auli filio*, ut sermo esset de L. Afranio, qui a. u. 694 cum Q. Caecilio Metello consulatum gessit. *A filio*, infr. II. 3, 1 in *Atilio* facilius abire poterat, quam in *Aufidio*. Codicum scripturam defendit Hagenus, Catil. p. 122. Borghesius putabat indicari T. Aufidium, cuius memoria servatur in Bruto, 179 et p. Flacco, 45. cff. meae Obss. criticae p. 40.

de Palicano. Videtur esse M. Lollius Palicanus, homo loquax magis quam facundus (Sallust. apud Quint. I. O. IV. 2, 2, cf. Brut.. 223), quem a. u. 687 consulatum petentem C. Piso consul negavit se, si creatus esset, renuntiaturum; nondum enim in republica eo indignitatis ventum esse. Val. Max. III. 8. 3. Cf. Madv. de Asc. Ped. p. 116 sq. In Afranium, hominem sui similem, consulem libere convicia effudit, h. l. 18, 5, nisi ibi de alio Palicano sermo sit, ut visum Ellendtio ad Bruti l. l. Equidem omnibus locis eundem hominem dici crediderim.

§ 2. *De iis, qui nunc petunt*. In superioribus Cicero ita loquitur, quasi in sequentem annum consulatum peteret. Sed ex iis, quae hac § leguntur, apparet eum sequenti demum anno petisse. Atque quum natus esset a. d. III Non. Ian. a. 648 per aetatem quo tempore hanc epistolem scripsit, ne licuit quidem ei se candidatum profiteri. Sed aliud est *pren-*

contendere existimatur, qui sic inopes et ab amicis et existimatione sunt, ut mihi videatur non esse ἀδύνατον Curium obducere; sed hoc praeter me nemini videtur. Nostris rationibus maxime conducere videtur Thermum fieri cum Caesare; nemo est enim ex iis, qui nunc petunt, qui si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur, propterea quod curator est viae Flaminiae, quae tum erit absoluta sane facile; eum libenter nunc Caesari consulem accuderim. Petitorum haec est adhuc informata cogitatio. Nos in omni munere candidatorio fungendo summam

sare, quod omni tempore liberum erat, aliud *profiteri.* Accurate de universa petitione disp. Beckerus in Antiq. Rom. II. 2, p. 33 seqq.

Caesar. L. Iulii Caesaris, boni ac fortis viri, mentio frequens fit in his epistolis, vid. IV. 16, 8. XII. 21, 1. XIV. 17, 2 sq., et in Philippicis.

Thermus. Q. Minucius Thermus hoc ipso tempore adoptione in gentem Marciam transiit, nomenque accepit C. Marcii Figuli Minuciani. Sic T. Pomponius Atticus ab avunculo Q. Caecilio testamento adoptatus nomen accepit Q. Caecilii Pomponiani Attici, III. 20 inscr., et M. Iunius Brutus dictus est Q. Caepio Brutus. II. 24, 2 vel plenius Q. Servilius Caepio Iunianus Brutus. Vulgo tamen veteri nomine appellari solebant.

cum Silano. D. Iunius Silanus tunc repulsam tulit, sed factus est cum Murena a. u. 691.

Inopes ab amicis, ɔ: quod attinet ad amicos; de qua vi praepositionis dixit Kritz. ad Sall. Iug. 14, 2 et 48, 3. Conferri possunt ex epist. Att. III. 17, 1, *litteras attulerunt — exploratas a timore,* V. 18. 2, *consedimus copioso a frumento — loco.* VII, 15, 3, *imparati cum a militibus, tum a pecunia.* VIII, 14, 1, *tempus mutum a litteris.* Fam. VIII. 10, 1, *paratus ab exercitu.* X. 15, 3, *ab equitatu firmus.*

et existimatione. Sic Med. et Rav. cf. *inops verbis* in Bruto, 247. In quatuor libris Parisinis additur *ab,* quod olim a me, deinde a BW receptum, merito reiecerunt Meutznerus et Klotzius. cf. huius prooemium p. XLIX.

Curium. Videtur respicere Q. Curium, hominem quaestorium, Catilinae socium, aleae et omnibus flagitiis deditum, quem censores probri causa senatu moverunt. Quum Paris. A et D habeant *Turium* (*thurium* B), idemque sit in margine Med., olim scripsi *Turirium.* Nunc credo me errasse.

obducere est adducere contra aliquem, aemulum opponere, ἀντιπαράγειν. Cf. Gron. Lect. Plaut. p. 238. In Cic. scriptis verbum hac vi non alio loco ponitur. Hoc loco sic scribere maluit, quam *opponere,* quum Curii nomen ei in mentem vocaret locutionem *corium obducere,* cui respondet *obducere scortum* in Argum. Mercatoris Plautinae.

curator est viae Fl. De curatoribus viarum agunt Lipsius in excursu ad Tac. Ann. III. 31 et A. G. Zumptius in disp., quae legitur in Novo Museo Rhenano II. ubi vid. p. 282 sq.

quae tum erit absoluta sane facile. Eum libenter nunc Caesari consulem accuderim. Verba in codd. misere corrupta editores et critici variis modis restituere conati sunt. Alii, ut Schuetzius et Wes. *facile* et *libenter* iungentes, ut saepe fit, velut IX. 7, 5. Verr. L. V. 70, p. Sulla 64, *tum* e cod. Z. (et Rav.) recipiunt et ante *libenter* inserunt *ac,* alii cum Med. scribunt *quae quum erit absoluta* et in *facile* verbum latere statuunt, vel post illud aliquid excidisse. In sequentibus quin e *nunciteri,* ut est in Z. et Rav., recte factum sit *nunc Caesari,* et *consuli,* quod Med. et Rav. praebent, vere mutatum in *consulem* nemo dubitat. *acciderim* in quo Rav. cum M. congruit, varie correctum est. I. F. Gronovius coniecit *addiderim,* (totum locum sic scribens: *Eo libens Thermum Caesari consulem addiderim*), H. A. Kochius *acceperint,* Wes. *accedere viderim,* Tyrrell et Madvigius A. C. III. p. 169 post Bosium *accuderim.* In hoc verbo, quod in Plauti Mercatore v. 432 legitur, acquiescendum puto. Verbis: *cum — accuderim* denuo inculcatur, quod modo scripserat: *Nostris rationibus maxime conducere videtur Thermum fieri cum Caesare.* Talis iteratio ne in oratione quidem insolita, in epistola familiari minime rara est. Cf. I. 19. 5: *Haec sunt in rep. — Haec sunt, ut opinor, in rep. — Facile* est nullo negotio, ut Fam. VII. 26, 2, *me ostreis et muraenis facile abstinebam.*

Petitorum — informata cogitatio. ɔ: habes

adhibebimus diligentiam, et fortasse, quoniam videtur in suffragiis multum posse Gallia, quum Romae a iudiciis forum refrixerit, excurremus mense Septembri legati ad Pisonem, ut Ianuario revertamur. Quum perspexero voluntates nobilium, scribam ad te. Cetera spero prolixa esse his dumtaxat urbanis competitoribus. Illam manum tu mihi cura ut praestes, quoniam propius abes, Pompeii nostri amici; nega me ei iratum fore, si ad mea comitia non venerit. Atque haec huiusmodi sunt; 3. sed est, quod abs te mihi ignosci pervelim. Caecilius, avunculus tuus, a P. Vario quum magna pecunia fraudaretur, agere coepit cum eius fratre A. Canio Satyro

et meam et aliorum de petitoribus opinionem, non certam illam et exploratam, sed dubiam et quatenus coniectura provideri possit.

in — munere candidatorio. „Ernesto futilissimae coni. *candidatorum* occasionem dedit, sed tutissimum est, quia eius formae adiectiva in eodem significatu Ciceroni in deliciis sunt; velut *enumeratio oratoria* Brut. 319 item semel dictum, cum non *collectionem* s. *ἀνακεφαλαίωσιν* sed *enumerationem oratorum* significet; *procuratio quaestoria* Verr. Accus. I. 91, item *ratio* 98; *labor imperatorius* Tusc. II. 62. Cf. Garatonum ad or. p. Balbo p. 205; *stupra sororia* Sext. 16." Ellendt ad Cic. Orat. II. p. 211. Add. *artificium accusatorium.* Rosc. Am. § 47. In I de Or., 130 *oratoriam laudem* retinendam censeo adversus Bakium, qui *laudem imperatoriam* in Verr. L. V. 2 et 11 patienter tulit.

Gallia. Civitas Cispadanis data videtur, quo tempore Transpadanis lege Pompeia concessum est ius Latii, a. u. 685. Vid. viri cel. Savignii disp. in Diar. iurisprud. historicae IX. 3, p. 321 seqq. De opera municipum Gallicorum in consulatu petendo memorabilis locus est Phil. II. 76. Cf. quoque Hirtius de B. G. VIII. 52.

quum — forum refrixerit. In magna causarum multitudine forum *calere* dicitur; iudiciis propter ferias intermissis *refrigescit.* Atque hoc ultimis quatuor anni mensibus fieri solebat. Similiter *lex* dicitur *refrixisse* II. 1, 6, coll. I. 19, 4, quando studia hominum ad eam perferendam nulla sunt. Cf. quoque Q. fr. II. 6, 5. III. 8, 4.

legati ad Pisonem. C. Calpurnius Piso ex consulatu a. 687 Galliam Cisalpinam provinciam obtinuit. Repetundarum accusatus a Cicerone consule defensus est. p. Flacco, 98. De legatione libera, quam Cicero suscipere cogitabat, dicam ad II. 4, 2.

prolixa, ɔ: secunda, benigna. Cf. VII. 4, 2. 14, 2. XVI. 16. C. extr. *animo libenti prolixoque facere.* Fam. VII. 5, 1. *prolixe promittere.* Similiter Terent. Ad. V. 8, 20 *age prolixe,* ubi prior Donati explicatio; id est, *age benigne* vera est. Malaspina opportune laudavit locum ex oratione Catonis apud Gellium N. A. VII. 3, ubi *res secundae, prolixae, prosperae* coniunguntur. Voc. compositum e *pro* et *laxus* proprie dicitur de vestibus et capillis.

his dumtaxat urbanis compet. Plerique interpretes *urbanos* dici putant, qui in urbe sunt. Victorius Var. Lect. XIV. 12 interpr. leves et nugatorios. Neutrum placet. Rectius Gronov. de pec. vet. p. 318 interpr. eos, qui urbanis artibus excellebant, non militaribus. Ita Mur. 19 *urbana militia* Ictorum opponitur studio bellico.

Illam manum. Accipiunt vulgo de nobilibus viris, qui cum Pompeio ad bellum Mithridaticum profecti erant. Ita *manus* et *magna manus* dicitur ad Q. fr. II. 3, 4, p. Flacco, 66, *speciosior manus* in Asconii comm. ad or. in toga cand. p. 84, 10 Kiessl., *manus veteranorum* Att. XVI. 15, 3. Potest tamen quoque indicari opera et auxilium Pompeii. Hac ratione scriptores Graeci utuntur voc. *χείρ.* vid. Herod. IV. 155. VIII. 140. Nec abhorrere a Latini sermonis usu evincit formula *esse in alicuius manu.* Ex iis, quae sequuntur: *Nega — venerit* apparet Ciceronem non exspectasse reditum ipsius Pompeii, sed contentum fore, si illius suffragatione uteretur.

§ 3. *quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret. Mancipio accipere* dicitur is, qui res mancipi emit. cf. Gai. I. 119. *Dolus malus* cernebatur in, eo, quod negotium gerebatur in fraudem creditorum. Edicto praetoris talia revocabantur, unde postea orta est actio Pauliana. Vid. § 6. Inst. de Actionibus cum adnot. Schraderi. — In constructione verbo-

de iis rebus, quas eum dolo malo mancipio accepisse de Vario diceret. Una agebant ceteri creditores, in quibus erat Lucullus et P. Scipio et is, quem putabant magistrum fore, si bona venirent, L. Pontius. Verum hoc ridiculum est de magistro; nunc cognosce rem. Rogavit me Caecilius, ut adessem contra Satyrum. Dies fere nullus est, quin hic Satyrus domum meam ventitet; observat L. Domitium maxime, me habet proximum; fuit et mihi et Q. fratri magno usui in nostris petitionibus. 4. Sane sum perturbatus quum ipsius Satyri familiaritate, tum Domitii, in quo uno maxime ambitio nostra nititur. Demonstravi haec Caecilio; simul et illud ostendi, si ipse unus cum illo uno contenderet, me ei satisfacturum fuisse; nunc in causa universorum creditorum, ho-

rum hoc animadvertendum, Ciceronem usum quadam attractione scripsisse *quas — accepisse — diceret* pro: *quas accepisset, ut dicebat.*

Lucullus. Praenomen male abest. Recte autem observat Manutius esse hunc M. Lucullum, fratrem Lucii, tum maxime in bello Pontico occupati.

magistrum. Postquam bona debitoris obaerati per dies legitimos erant proscripta, praetor iubebat creditores unum pluresve magistros bonis vendendis creare. Vid. Quint. 15. Fam. XII. 30, 5. Gai. III. 79. Cf. Guil. Rein, das röm. Privatrecht, p. 500.

Verum hoc ridiculum est de magistro; nunc cognosce rem. Una littera adiecta et distinctione mutata grave mendum sustulit Madvigius apud Wesenbergium, Emend. p. 69. Nam in vulgata scriptura *Verum hoc ridiculum est de magistro nunc cognoscere* postremum verbum totam corumpit sententiam. Vulgo *putabant* Pontium magistrum fore; sed, quam diu incertum erat, utrum bona Varii venirent necne, de magistro *cognoscebat* nemo. At e Madvigii correctione omnia tam plana, vix ut interprete egeant. In verbis *verum hoc ridiculum est de magistro* haec ultima *de magistro* perspicuitatis causa adduntur post *hoc,* quod non friget, ut visum Ernesto. Wesenbergius l.l. similes appositiones affert ex epist. Fam. VIII, 10, 4 *Illud addo — de agro Campano,* ibid. 11, 3. Att. V. 21, 5. Q. fr. II. 6, 6. Illud autem *nunc cognosce rem,* de qua *abs te mihi ignosci pervelim* ponitur, quia scriptor eo redit, unde discesserat. Comparavit Wesenbergius ex his epist. IV. 15, 4. V. 20, 1. Adde Att. V. 21, 10 *Nunc cognosce de Bruto.* VI. 2, 10 *Cognosce nunc cetera.*

observat L. Domitium maxime. Observare aliquem et colere aliquem nullo discrimine dicuntur. Cf. Planc. 45, quare saepe iunguntur, ut Fam. IV, 3 extr. et VI. 10, 2. *L. Domitius* Ahenobarbus, qui postea *urbanam gratiam* iactabat (Caes. B. C. III. 83), hoc tempore adolescens iam gratia apud populum floruisse videtur.

§ 4. *familiaritate* ɔ: ob familiaritatem; quem usum ablativi Ciceroni recte vindicavit Madv. ad Fin. p. 73. Cf. Reisigii Schol. p. 701.

in quo — nititur. Aliquoties Cicero verbum *niti* cum praepos. *in* coniunxit. Vid. Cael. 25. Mil. 19. Somn. Scip. 2.

ambitio est honesta honoris petitio. Cf. Off. I. 25, ubi *ambitio honorumque contentio* copulantur.

simul et. Ciceronem *et* posuisse pro *etiam* primus negavit Laur. Valla, Eleg. II. 58, quem multi secuti sunt. At Handius in Turs. II. p. 499—524 hunc usum Tullio vindicavit, qui tamen in eo errat quod deteriores saepe lectiones pro veris amplexus est. In epistolis, quae propius absunt a sermone familliari, non est sollicitandum. *Simul et* legitur in his Epistt. V. 21, 4. VIII. 14, 2; Q. fr. I. 1, 34 et 43. III. 4, 4. Cf. Kritz. ad Sall. Iug. 20, 1.

perhiberet, ɔ: daret, in iudicium patronum adduceret. Usus verbi cum obiecto personali insolentior est. Vulgo sic dicitur *adhibere.*

homines belli. Bellus homo mediam quandam viam tenet inter homines nimis faciles et nimis morosos. Idem dici possit *humanus.* Cf. Fin. II. 102. Itali vocant *un galantuomo,* Galli *un homme de bien.* Bellus homo, quem

minum praesertim amplissimorum, qui sine eo, quem Caecilius suo nomine perhiberet, facile causam communem sustinerent, aequum esse eum et officio meo consulere et tempori. Durius accipere hoc mihi visus est, quam vellem et quam homines belli solent, et postea prorsus ab instituta nostra paucorum dierum consuetudine longe refugit. Abs te peto, ut mihi hoc ignoscas et me existimes humanitate esse prohibitum, ne contra amici summam existimationem miserrimo eius tempore venirem, quum is omnia sua studia et officia in me contulisset; quodsi voles in me esse durior, ambitionem putabis mihi obstitisse. Ego autem arbitror, etiamsi id sit, mihi ignoscendum esse: *ἐπεὶ οὐχ ἱερήιον, οὐδὲ βοείην.* Vides enim, in quo cursu simus et quam omnes gratias non modo retinendas, verum etiam acquirendas putemus. Spero tibi me causam probasse, cupio quidem certe. 5. Hermathena tua valde me delectat et posita ita belle est, ut totum gymnasium eius *ἀνάθημα* esse videatur: multum te amamus.

lepide depingit Martialis III. 63, ab hoc longe diversus est.

ne contra amici s. existimationem — venirem. Venire contra aliquem et contra rem dicuntur, qui in iudicio adversarii causam quovis modo tuentur. Cf. Phil. II. 3. *Contra rem suam me venisse questus est.* Alia suppeditat Manutius ad orat. p. Mur. 9.

ἐπεὶ — βοείην. Sunt Homerica ex Iliade X. 159, quibus Cicero proverbialiter utitur ad exprimendum quod Vergilius Aen. XII. 764 dicit: *Neque enim levia aut ludicra petuntur Praemia.*

Vides enim, in quo cursu simus, et quam — putemus. Omnes codd. quos inspexit Lagomarsinus, quibus accedunt quatuor Parisini et Rav., habent *sumus.* Caveamus tamen ne hac codicum conspiratione inducamur, ut Tullio soloecismum obtrudamus. Male Kritzius ad Sall. Iug. 4, 4 indicativum defendere studet; meliora docuerunt Madvigius ad Cic. Fin. p. 581 sq. et O. Keil, quaest. Tull. Spec. II (Lign. 1846). Indicativus recte se haberet, si deesset *et* post *sumus,* ut *in quo cursu sumus* diceretur pro *in eo cursu, in quo sumus.*

omnes gratias. Pluralis eodem modo legitur de lege agrar. II. 3, ubi Cicero dicit se *non excellentibus gratiis paucorum* consulem esse factum, et Mur. 42 *L. Murenae provincia multas bonas gratias cum optima existimatione attulit.* Moneo propter dubitationem Casauboni.

cupio quidem certe. Similis verborum collocatio est Tusc. V. 24 „quam bene, non quaeritur; constanter quidem certe." Cf. Hand. Turs. II. p. 27 sq., et Bakii Schol. Hypomn. III. p. 313. Recte de usu part. *quidem certe* iudicavit Manutius ad Fam. I. 9, 13.

§ 5. *eius ἀνάθημα.* Vulgo editur ἡλίου ἀνάθημα, quod in marg. Crat. scriptum est et fere latinis litteris exaratum legitur in Med. In Rav. scriptum est: *cluiana* θῆμα. Sed sive illa interpretamur *solis donarium* sive *locus soli consecratus,* non erat cur Cicero tam obscure loqueretur. At omnia plana, si *eliu* ex *eius* male descriptum sumas. Hermathena illa ita excellebat inter cetera ornamenta gymnasii, ut hoc eius causa exstructum, ei dedicatum videretur. Cf. Muretus V. L. IX. 10 extr. et Casaubonus ap. Graev. ad h. l., qui *illius ἀ.* defendunt. Cum Klotzio scripsi *eius.* Audacior est coniectura, quam Peerlkampius mihi obtulit: *ut totius gymnasii quasi* Ἠλεῖον ἀνάθημα *esse videatur* ɔ: ut statua illa maximum gymnasii ornamentum, ut erant donaria in templo Iovis Elei, esse videatur. Ἠλεῖον ἀνάθημα Graevio quoque placuerat in Add. p. 305.

multum te amamus ɔ: hoc facto valde me obligasti et tibi gratias ago. cf. ep. 3, 2. *Te multum amamus, quod ea abs te diligenter curata sunt.* VII. 2, 7. *De rauduscuo N. multum te amo.* Apud Plautum et Terentium *amo te* et *merito te amo* hanc vim saepius habent.

II. (*A. U. C.* 689.)

1. L. Iulio Caesare, C. Marcio Figulo consulibus filiolo me auctum scito salva Terentia. Abs te iam diu nihil litterarum. Ego de meis ad te rationibus scripsi antea diligenter. Hoc tempore Catilinam competitorem nostrum defendere cogitamus. Iudices habemus, quos volumus, summa accusatoris voluntate; spero si absolutus erit, coniunctiorem illum nobis fore in ratione petitionis; sin aliter acciderit, humaniter feremus. 2. Tuo adventu nobis opus est maturo; nam prorsus summa hominum

§ 1. *L. Iulio Caesare, C. Marcio Figulo consulibus.* „Non tempus notat, quo illi inierunt, sed quo designati sunt. Voluit enim primis his verbis Atticum duarum rerum fieri certiorem, designationis consulum et diei natalis filii, qui sub tempus comitiorum in lucem editus est." Bosius, prob. Tunstallo, p. 10 sq., qui consules designatos *ἁπλῶς coss.* dici probavit ex Att. VI. 8. Phil. XIV. 3, 8. Atque verum vidisse Bosium apparet cum ex iis, quae Cicero tradit de Catilinae defensione, tum de adventu Attici, qui, teste Cornelio in Att. 4 extr. L. Cotta, L. Torquato consulibus Romam rediit, ita ut Cicero, si haec scripsisset Caesare et Figulo coss., eum Ianuario mense exspectare non potuisset; nam de Ianuario anni 691 cogitare minime licet. Neque mihi probatur opinio Gruberi, qui l. c. p. 2 primam periodum ad consulatum Caesaris et Figuli a. 690, reliquam epistolae partem ad a. 689 refert.

Abs te iam diu nihil litterarum. Pro *iam* in codd. est *etiam.* Editores correxerunt *tam* et verbis interrogandi vel exclamandi signum subiiciunt. Simplicius puto, quod scripsi. Facile post *te* scribi poterat *etiam* pro *iam,* quae et alibi permutantur. In Off. I. 143 pro *iam diu* e cod. Gud. 1 et Bern. d. notatur *etiam diu.* Alia indicavit Wesenbergius in Obss. crit. ad orat. p. Sestio p. 21.

de meis ad te rationibus. ad te quod iungi debet cum *scripsi* mire interponitur ablativis. Sed ideo de sinceritate verborum dubitari non debet, minimeque placet quod Tyrrello in mentem venit: *de meis adspirationibus.* Commoda et incommoda suae petitionis Cicero vocat suas rationes.

Hoc tempore Catilinam — defendere cogitamus. „Catilina, quum redisset ex Africa Torquato et Cotta coss, accusatus est repetundarum a. P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceroni fuit. Defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a Cicerone." Asconius ad orat. in toga cand. p. 76., qui ipse contrariam sententiam acerrime propugnat. Etsi vereor, ut res ad liquidum perduci possit, tamen Asconii sententiam veriorem existimo. Cf. libellus I. Wirzii de consulatus petitione Catilinae et Ciceronis, Turici 1864, p. 9 sq. et C. John in Museo philol. Bonn. XXXI, p. 420.

quos volumus, ut est in Rav. praestat ei, quod cum cod. Med. plerique tenent *voluimus.* Nam non solum *voluit* tales iudices habere, sed tunc ipsum volebat.

Summa accusatoris voluntate. Reiectio iudicum ad arbitrium rei facta praevaricatum esse accusatorem declarat. Eoque nomine infamem fuisse Clodium tradit Asconius, p. 78, et ipse Cicero in Pison. 23.

humaniter feremus ɔ: aequo animo. Plutarchus in consol. ad Apoll. initio hoc dicit ἀνθρωπίνως φέρειν τὸ συμβεβηκός. Discrimen quod Charisius et Diomedes statuunt inter *humane* et *humaniter* totum concidit coll. Tusc. II. 65, *morbos toleranter atque humane ferunt* et Ter. Adelph. I. 2, 65 *vix humane patitur.*

§ 2. Extremis mensibus huius anni Atticus Romam rediit, ut nobis auctor est Corn. Nepos in vita, 4, 5. Postquam ibi aliquot annos fuit, in Graeciam rediit a. 693, ut novimus ex epist. Fam. V, 5, eodemque anno scriptae sunt epistt. 12—17 h. l.

tuos familiares — fore. Difficile dictu est, utrum certos homines significet Attico, ut Crassum, Lucullum, Hortensium, an universe nobiles. Certe si fides Sallustio, Cat. 23 *pleraque nobilitas invidia aestuabat et quasi pollui consulatum credebant, si eum quamvis egregius homo novus adeptus foret.*

Ianuario mense. Fortasse e Rav., in quo est *I. meunte,* scribendum *Ianuario ineunte.* Nam cum hac temporis designatione congruit, quod legimus in ep. seq.: Nos hic te *ad mensem Ianuarium* exspectamus.

est opinio tuos familiares, nobiles homines, adversarios honori nostro fore: ad eorum voluntatem mihi conciliandam maximo te mihi usui fore video; quare Ianuario mense, ut constituisti, cura ut Romae sis.

III. (*A. U. C.* 688).

1. Aviam tuam scito desiderio tui mortuam esse et simul quod verita sit, ne Latinae in officio non manerent et in montem Albanum hostias non adducerent; eius rei consolationem ad te L. Saufeium missurum esse arbitror. 2. Nos hic te ad mensem Ianuarium exspectamus, ex quodam rumore an ex litteris tuis ad alios missis; nam ad me de eo nihil scripsisti. Signa quae nobis curasti, ea sunt ad Caietam exposita. Nos ea non vidimus, neque enim exeundi Roma potestas nobis fuit; misimus qui pro vectura solveret. Te multum amamus, quod ea abs te diligenter parvoque curata sunt. 3. Quod ad me saepe scripsisti de nostro amico placando, feci et expertus sum omnia, sed mirandum

Temporis ordine haec epistola praecedit quartam, quae scripta est a. u. 688 extremo, ut monuit Gruberus, quoniam Cicero praetor de profectione ex urbe cogitabat. Vid. 4, 3. In hac autem negat sibi exeundi Roma potestatem esse, 3, 2. Et ipsa tamen propter ea, quae de feriis Latinis et de mense Ianuario hic dicuntur, ad ultimam anni partem referenda est. Haec moneo, quum videam Orellium sibi non constare in tempore indicando. Modo enim ad a. 687 refert (Onom. Tull. p. 596), modo ad a. 689 (ibid. p. 122 et Opp. III. p. 375 ed. sec.), modo ad a. 690 (l. c. p. 602).

§ 1. *quod verita sit — adducerent.* „Deridet suspiciosae aniculae inanem superstitionem." Man. Aliter, non melius, explicuit I. F. Gronovius, qui anum in postremis per errorem mentis de ea re verba fecisse putabat.

Latinae non sunt mulieres, sed *feriae*, quae ex nota dicendi figura voluntate praeditae producuntur. Eae non *manerent in officio*, si illo anno non celebrarentur. Solent autem non soli poetae, sed scriptores quoque nude appellare *Latinas*. Cf. Cic. ad Q. fr. II. 4, 2 et 6, 4. Liv. V. 17 et 19. XXI. 63 al.

eius rei consolationem cet. Hoc dicit Cicero: Nolo pluribus te consolari de morte aviae, quum non dubitem, quin L. Saufeius, amicus tuus (cf. Corn. Nep. Att. 12), qui nullum locum intactum relinquere solet, homo ferreae assiduitatis in scribendo, vid. II. 8, 1, hanc provinciam sit suscepturus. Optime autem sciebat Cicero neque Atticum valde consolatione egere, neque illam exspectari posse a Saufeio, Epicuri placitis addicto. Iocando igitur re defungitur ad alia transiturus.

§ 2. *ex q. rumore, an ex litteris tuis.* De hoc genere loquendi in re incerta multi monuerunt. Perperam Manutius, quem vide ad. h. l. et ad II. 7, 3 et Peterus ad Cic. Brutum 89. Unice probamus Madvigii sententiam, qui ad Cic. Fin. p. 316 sq. statuit hanc formam non ortam esse e disiunctiva interrogatione (*nescio utrum — an*), sed quum oratio declarative coepta sit (*ex quodam rumore*), subsequentem dubitationem adnecti interrogando (*an ex lit. t*). Belg. *of was het wellicht uit een uwer brieven.* Cf. quoque Ellendt. ad Bruti l. c.

Signa — ea. De abundantia pronominis demonstrativi, nomine in eadem sententia praegresso, vid. Kritz ad Sall. Cat. 37, 4. Ellendt de Orat. vol. II. p. 198 sq.

non vidimus. Pluygersius necessarium putabat *nondum vidimus*, ut est in ep. 4, 3, quem B. et W. secuti sunt. Non videtur opus esse.

abs te, quod in ep. 1, 3 et 2, 1 legimus, in antiquioribus epistolis et orationibus Cicero scribebat, ut Plautus, Terentius, Lucilius fecerant. Postea maluit scribere *a te.* Cf. Ed. Woelflinus in Philologi vol. XXXIV, p. 144.

§ 3. *quibus de suspicionibus.* Debent haec

in modum est animo abalienato; quibus de suspicionibus etsi audisse te arbitror, tamen ex me, quum veneris, cognosces. Sallustium praesentem restituere in eius veterem gratiam non potui. Hoc ad te scripsi, quod is me accusare de te solebat; in se expertus est illum esse minus exorabilem, meum studium † nec tibi defuisse. Tulliolam C. Pisoni L. F. Frugi despondimus.

sic explicari: propter quarum rerum suspiciones a te animo sit alienato. Itaque non opus est eo, quod Pluygersius temptavit (Mnemos. XI. p. 289): *cuius de suspicionibus etsi audisse te arbitror.*

praesentem. Consulto addidit; nam si S. praesentem non potuit in gratiam Lucceii (nam de hoc sermonem esse apparet ex. ep. 11, 1 et 14, 7 h. l.) restituere, quanto minus Atticum absentem.

accusare de te. „Quod te non restituissem in eius gratiam, eo placato tibi. Respicit ea, quae narrantur ep. 11." Ern.

meum studium nec tibi defuisse. Vidit Ern. hoc non posse pendere ab *expertus est* ideoque suspicatur aliquod verbum ut *intellexit* vel *credet* excidisse, et in praecedd. *est* abesse mavult. In ultimis B. et W. receperunt Graevii suspicionem, quae placebat quoque Madvigio ad Fin. p. 806. *meum studium nec tibi nec sibi defuisse.* Mihi potius deleto *est* post *expertus* scribendum videtur: *at* in se expertus illum esse minus exorabilem meum studium *negat* tibi defuisse.

Tulliolam — despondimus. Vix credibile est Ciceronem uxorem duxisse ante iter in Graeciam, unde a. u. 677 revertit. Igitur Tullia summum decem annos nata erat, quo tempore pacta fuit Pisoni. Quod adeo inauditum fuit Tunstallo, ut l. c. p. 12 hoc argumento uteretur, quo Ciceronis nuptias ante factas esse evinceret. Perperam. Nam secundum mores Romanorum vel minor annis XII nubere poterat (Dig. XXIII. tit. 1, l. 9, tit. 2, l. 4 Cf. L. Friedlanderi disp. in opere Darstellungen aus der Sittengesch. Roms, vol. I. p.324) et sponsalia diu ante nuptias celebrari nihil impediebat (ibid. tit. 1, l. 14). Unde Schützius in Memor. vitae Ciceronis (ap. Orell. VI. p. 147) Tulliae nuptias in annum tertium dilatas esse cognoverit nescio.

C. Pisoni L. F. Frugi. Placet sibi Cicero in huius laudibus praedicandis. vid. Vatin. 26. Fam. XIV. 1, 4. Brut. 272 et saepius.

IV. (*A. U. C.* 688.)

1. Crebras exspectationes nobis tui commoves. Nuper quidem, quum iam te adventare arbitraremur, repente abs te in mensem Quintilem reiecti sumus; nunc vero censeo — quod commodo tuo facere poteris — venias ad id tempus, quod scribis; obieris Quinti fratris comitia, nos longo intervallo viseris, Acutilianam controversiam transegeris. Hoc me etiam Peducaeus, ut ad te scriberem, admonuit; putamus enim utile esse te aliquando eam rem transigere; mea intercessio parata et

§ 1. *reiecti sumus* ɔ: adventum tuum distulisti. Similiter *legationes* et *comitia reiici* dicuntur in aliud tempus. Q. fr. II. 3, 1 et 16, 3.

censeo a Lambino restitutum est pro *sentio,* quod verbum Cicero nunquam cum coniunctivo iunxit. cf. adnot. ad II. 4, 7.

obieris — viseris — transegeris, nimirum *si veneris.* Futurum exactum ponitur, ubi res memorantur eodem temporis momento absolvendae. cf. Matthiae disp. in Opusc. p. 71 seqq. et ad Epist. sel. p. 146.

Quinti fratis comitia. „quibus aedilitatem Q. petebat." Man.

longo intervallo. Sic recte dici de spatio temporis apparet ex ep. 7, 1. Fam. I. *Quoniam intervallo locorum et temporum diiuncti sumus*

est et fuit. 2. Nos hic incredibili ac singulari populi voluntate de C. Macro transegimus: cui quum aequi fuissemus, tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione illo damnato cepimus, quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus. 3. Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est. Est ornamentum Academiae proprium meae, quod et Hermes commune omnium et Minerva singulare est insigne eius gymnasii. Quare velim, ut scribis, ceteris

et de Invent. I. 43. *confestim aut ex intervallo.*

Acutilianam controversiam cf. ep. 5. 4.

te aliquando eam rem transigere. Scripsi cum Hervagio. *Aliquando* est idem quod *tandem aliquando*, pro quo non est verisimile hoc uno loco dictum fuisse *aliquando iam*, ut vulgo e codd. editur. Cf. Handii Turs. I. p. 250 sq.

§ 2. *De C. Macro transegimus. De* h. l. est *quod attinet ad*, ut in loco simillimo Livii XXXII. 28, 2. *Prius de praetoribus transacta res. Transigere* est iudicium ad finem perducere, sententia lata. Erat autem C. Licinius Macer historicus et orator, repetundarum reus, Plut. in Cic. 9. Val. Max. IX. 12, 7; quam quaestionem Ciceroni praetori obtigisse novimus ex orat. p. Rabir. Post. 9. Cluent. 147 sq., Corn. I. 1. De Macri exitu diversa traduntur aqud Plutarchum et Valerium ll. ll.

cui quum aequi fuissemus, ɔ: ut recte expl. Tunstallus, p. 132 „*cui quum parcere et favere potuissemus*," sive quum in eius gratiam maiorem aequitatis (ἐπιεικείας), quam iuris rationem habere potuissemus. Apte vertit Abekenus Cicero in seinen Briefen p. 28: Ich hätte mit ihm durch die Finger sehen können, aber u. s. w. Male Manutius aequum cum iure confundit, recte ideiro notatus a Casaubono, qui tamen male *fuissemus* interpretatur, quasi esset *fuimus*. Idem error Wielandii in interpr. Germ. epist. Ciceronis I. p. 136.

ex populi existimatione nim. de integritate Ciceronis. Hoc est, quod dicit Plut. in Cicer. 11 τὰς κρίσεις ἔδοξε καθαρῶς καὶ καλῶς βραβεῦσαι.

§ 3. *per mihi gratum est. Est ornam.* Ita scripsi de coniectura Wesenbergii Emend. p. 18. Inepte vulgo — *per mihi gratum est, et ornam.* in quo saltem cum Faerno *et* erat delendum, et interpunctione mutata scribendum: — *per mihi gratum. Est ornam.* Tmesis, quae cadit in *per* praefixum et *cunque* suffixum, exempla e Cicerone collegit Ellendt de Orat. II. p. 304. Cf. h. l. 20, 7 *per mihi, per, inquam, gratum* V. 10, 4 *per mihi gratum erit.*

Academiae meae. Gymnasium in Ciceronis Tusculano appellatum fuisse Academiam ex epistt. 9, 2. 10, 3 et 11, 3 facile demonstratur. Paulo post *insigne*, quod a Med. abest, e Rav. restitui, etsi salva sententia omitti potest. Cicero eo substantivo utitur numero singulari Verr. II. I, 152, p. Sest. 58 aliisque locis.

Hermes. Nulla causa est cur scribatur Ἑρμῆς contra codices. Cf. ep. 8, 2 et 9, 2. *Hermae.* Corn. Alcib. 3. *Andocidis Hermes.* Nisi forte Ciceronis erat *Mercurius*, ut deinde *Minerva.*

Caietanum — ornabo. Quum Cicero non de oppido, sed de praedio suo prope Caietam ornando cogitaverit, *caietam*, quod libii scripti dant, in *caietanum* cum B. et W. mutavi. Codex Rav. sic habere videtur.

Libros tuos conserva. Wes. putans desiderari *mihi* vel *nobis*, coll. ep. 7 *quemadmodum bibliothecam nobis conficere possis*, 11, 3. *nobis eos — conserva*, lacunae indicium addidit. Ego nihil hic desidero.

supero Crassum divitiis. M. Licinius Crassus, qui in expeditione Parthica periit, divitiis abundabat. vid. Fin. III. 75. Off. I. 25, et cum patre P. Crasso, qui a. u. 667 in dominatione L. Cinnae perierat, *Divitis* cognomen gessit, Att. II. 13, 2. 24, 4, quod proavus qui a. 549 consul fuit primus acceperat. — Sine causa Wassenberghius *Croesum* h. l. volebat, ut alii in fragmento Varronis e Satira, p. 97 Oehleri: *Non demunt animis curas ac religiones Persarum montes, non atria diviti' Crassi.*

vicos. — lucos Augustini suspicio inutilis. *Vici* sunt praedia urbana, *prata* vero rustica, ut recte Manutius. Noli *vicos* hic interpretari *villas*, quam vim habet in Horat. Epist. II. 2, 177. *Prata* et *areae* ob securitatem maximi aestimabantur. Parad. VI. 3.

quoque rebus quam plurimis eum locum ornes. Quae mihi antea signa misisti, ea nondum vidi: in Formiano sunt, quo ego nunc proficisci cogitabam. Illa omnia in Tusculanum deportabo. Caietanum, si quando abundare coepero, ornabo. Libros tuos conserva et noli desperare eos me meos facere posse; quod si assequor, supero Crassum divitiis atque omnium vicos et prata contemno.

V. (*A. U. C.* 686.)

1. Quantum dolorem acceperim et quanto fructu sim privatus et forensi et domestico Lucii fratris nostri morte, in primis pro nostra consuetudine tu existimare potes; nam mihi omnia, quae iucunda ex humanitate alterius et moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant. Quare non dubito, quin tibi quoque id molestum sit, quum et meo dolore moveare et ipse omni virtute officioque ornatissimum tuique et sua sponte et meo sermone amantem affinem amicumque amiseris. 2. Quod ad me scribis de sorore tua, testis erit tibi ipsa quantae mihi curae fuerit, ut Quinti fratris animus in eam esset is, qui esse deberet: quem quum esse offensiorem arbitrarer, eas litteras ad eum misi, quibus et placarem ut fratrem et monerem ut minorem et obiurgarem ut errantem. Itaque ex iis, quae postea saepe ab eo ad me scripta sunt, confido ita esse omnia, ut et oporteat et velimus. 3. De litterarum missione sine

§ 1. *fructu et forensi et domestico* i. e. commodis et voluptate in rebus tam publicis quam privatis. L. Cicero cum Marco Siciliam peragraverat colligendis litteris in Verrem et denunciandis testimoniis, ut vere tradit is, qui sub Asconii nomine in Verrinas commentatus est, p. 125 Or. cf. Verr. IV. 25, 137, 145.

Lucii fratris nostri. Idem Fin. V. 1, dicitur „frater, cognatione patruelis, amore germanus." Saepe *patrueles* vocantur *fratres*, quem morem ignorantes librarii interdum de suo illud vocab. addiderunt, ut in orat. p. Caelio, 60 factum esse notavit Madv. O. A. p. 403, 2.

existimare. ɔ: iudicare, statuere. Est haec propria vis vocabuli, quum simplex *aestimare* sit rei pretium constituere. vid. Kritz. ad Sall. Cat. 8, 2, et praeter auctores ab illo laud. Madv. ad Cic. Fin. III. 6 et intt. ad Tac. Ann. XIII. 17.

accidere dici de quavis re fortuita bona et mala multis exemplis docuit Ellendt ad II. de Orat. 49.

affinem. Latius nunc sumitur haec appellatio. Proprie enim ex omnibus Tulliis unus Q. Cicero erat Attici affinis per nuptias sororis. vid. Dig. l. 4, § 3 de gradibus.

§ 2. Pomponia Attici soror cum marito non coniunctissime vivebat. Mulieris mores paullo asperiores describit Cicero Att. V. 1.

minorem sc. natu quod non semper additur. cf. ad Q. fr. I. 3, 3. Annus natalis Q. Ciceronis definiri nequit. Sed quum a. 688 aedilitatem petierit (Att. I. 4, 1), si eam suo anno petiit, natus est a. u. 651 vel 652, et fratre Marco fere quatuor annis minor fuisse videtur.

§ 3. *De litterarum missione — accusor* i. e. negligentiam meam in litteris mittendis immerito reprehendis. cf. ep. 6 in. Non opus est coniect. Bembi *de lit. intermissione.* Nam negatio in talibus saepe omittitur. vid. Matth. ad orat. p. Deiot. 9. Eadem ratione legimus apud Homerum Il. A. 65. ἔιτ ἄρ' ὅγ' εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται, εἴθ' ἑκατόμβης. E. 178. ἱρῶν μηνίσας. Simillimum est in ep. 16, IV. § 1. *De epistolarum frequentia te nihil accuso.* cf. Schaef. ad Eurip. Med. 963 ed. Pors.

causa abs te accusor; nunquam enim a Pomponia nostra certior sum factus esse, cui dare literas possem; porro autem neque mihi accidit, ut haberem, qui in Epirum proficisceretur, nequedum te Athenis esse audiebamus. 4. De Acutiliano autem negotio quod mihi mandaras, ut primum a tuo digressu Romam veni, confeceram; sed accidit, ut et contentione † nihil opus esset et ut ego, qui in te satis consilii statuerim esse, mallem Peducaeum tibi consilium per litteras quam me dare: etenim quum multos dies aures meas Acutilio dedissem — cuius sermonis genus tibi notum esse arbitror —, non mihi grave duxi scribere ad te de illius querimoniis, quum eas audire, quod erat subodiosum, leve putassem. Sed abs te ipso, qui me accusas, unas mihi scito litteras redditas esse, quum et otii ad scribendum plus et facultatem dandi maiorem habueris. 5. Quod scribis, etiam si cuius animus in te esset offensior,

nequedum pro *et nondum, necdum*. Legitur rursus infra XIV. 10, 4. Tusc. III. 68. Cluent. 73. Q. fr. III. 8, 1. fragm. de Leg. V in Macrobii Sat. VI. 4, 8.

§ 4. *De Acutiliano negotio*. Cum Acutilio quodam Atticus controversiam agebat, quae post biennium nondum erat finita. cf. h. l. 8, 1 et 4, 1.

confeceram: sed accidit, ɔ: conficere volueram et confecissem adeo, nisi accidisset, cet. Multa saepe de consilio sunt intelligenda; sic I. 14, 5 *nullum SCtum facienti* est n. SCt. facere volenti, I. 18, 4, *traducit* i. e. traducere conatur. cf. ad VII. 23, 2.

ut et contentione nihil opus esset. Si negotium sine contentione confici poterat, cur Cicero non confecit? aut cur tam diu illud amico nuntiare neglexit? Videtur potius uti hac excusatione se non scripsisse, quoniam negotium erat difficile. *Nihil* est vitiosum. Pluygersius (Mnemos. XI. p. 288) correxit *nonnihil*; ego potius *nihil* e *mihi* depravatum puto.

etenim quum — dedissem, non — duxi —, quum — putassem. Observanda est orationis forma, in qua enuntiatio primaria interponitur duabus enunciationibus causalibus, quarum posterior quod in priore levius indicatum est, disertius proponit. Copiose de hoc genere egit Madv. ad Cic. Fin. p. 17, huius loci non immemor. Quum Malaspina pro *duxi*, quod est in Med., correxisset *duxissem*, Bosius se hoc in Y vidisse mentitus est. Non opus mutatione. *Non mihi grave duxi scribere* etiam ab eo dici potest, qui non scripsit, quia melius hoc ab alio fieri putabat. Cicero voluit de eo negotio scribere, sed non scripsit, quum Peducaeus se hoc facturum dixisset. Non omisit ille scribendi officium vitandi laboris causa. cf. Meutznerus in Diar. Antiq a 1837, p. 431.

quum — aures meas A. dedissem, ɔ: quum Acut. patienter audivissem cf. Burman. ad Ovid. Metam. V. 334. Dicitur quoque *aures dedere* alicui II. 14, 2 et p. Archia, 26.

subodiosum. I. F. Gronovius in dictatis ad h. l. monet Ciceronem ludere hoc nomine, quod *sub* interdum auget, interdum minuit. Illud negandum est. Nomina sic composita semper minorem gradum, quam simplicia indicant.

§ 5. Agitur de Lucceio cf. ad ep. 3, 3. Sed nomine aegre caremus. Scribendum puto: *Luccei animus* aut *Lucceius animo*.

in te — offensior ɔ: iratior. Plerumque additur dativus. vid. Torrent. ad Suet. Caes. 19.

teneo quid dicas. Veteres intt. dicunt *quid dicas*, quae verba sola in codd. inveniuntur, esse loquendi genus comicum, p. *scio* vel *video, quid dicas*. Sed recte Ernestus monet durum hoc esse et contra consuetudinem Ciceronis. Quod Orellius supplet *teneo* facile excidere potuit, et est aptissimum.

affectus. *Afficere* verbum proprium est de animi perturbationibus; *affectus* est animatus, διατεθείς. Cf. XII. 32, 1.

quid a. contendendum esset i. e. quanta autem contentione agendum esset, ut apparet ex ep. 10, 2, ubi eodem verbo utitur. Minus recte Graev. et Ern. probant e cod. ψ con-

a me recolligi oportere, (teneo) quid dicas, neque id neglexi, sed est miro quodam modo affectus. Ego autem, quae dicenda fuerunt de te, non praeterii; quid autem contendendum esset, ex tua putabam voluntate (me) statuere oportere, quam si ad me perscripseris, intelliges me neque diligentiorem esse voluisse, quam tu esses, neque negligentiorem fore, quam tu velis. 6. De Tadiana re, mecum Tadius locutus est te ita scripsisse, nihil esse iam, quod laboraretur, quoniam hereditas usucapta esset. Id mirabamur te ignorare, de tutela legitima, in qua dicitur esse puella, nihil usucapi posse. 7. Epiroticam emptionem gaudeo tibi placere. Quae tibi mandavi et quae tu intelliges convenire nostro Tusculano, velim, ut scribis, cures, quod sine molestia tua facere poteris; nam nos ex omnibus molestiis et laboribus uno illo in loco conquiescimus. 8. Q. fratrem quotidie exspectamus. Terentia magnos articulorum dolores habet, [et] te et sororem tuam et matrem maxime diligit salutemque tibi plurimam adscribit et Tulliola, deliciae nostrae. Cura ut valeas et nos ames et tibi persuadeas te a me fraterne amari.

cedendum, quod aut negligentiae aut malae sedulitati librarii debetur.

§ 6. „Tadius bona hereditaria cuiusdam puellae tanto tempore possederat, quanto opus esset ad inducendam usucapionem: ideo putabat Atticus illa bona ad Tadium optimo iure pertinere neque ab alio vindicari posse. Sed cum puella esset in agnatorum tutela, eius tutores bona repetebant, quoniam iure cautum est de re pupilli pupillaeve nihil usucapi posse; quod Atticum ignorasse Cicero mirabatur." Popma. Et sic fere Bosius et Casaubonus, qui recte Malaspinae sententiam de hoc negotio improbavit.

de tutela legitima — nihil usucapi posse. p. Flacco 84. „Nihil — potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate diminui." Gai. Inst. II. 47 id iam lege XII tabularum cautum esse tradit, sed tantum ad res mancipi pertinere.

§ 7. *Epiroticam emptionem* cet. Atticus illo tempore praedia comparaverat in Epiro prope Buthrotum, quorum saepe mentio fit in his epistolis.

Quae tibi mandavi, np. ornamenta gymnasii, quod in Tusculano exstruxerat. Frequens mentio huius negotii in prioribus his epistolis.

quod — poteris i. e. quatenus id — facere poteris. Simil. 4, 1. *quod commodo tuo facere poteris.* Quod in his similibusque locis Baiterus in edit. Orell. altera corrigendum putabat *quoad*, id in sua editione recte omisit.

laboribus. Labores proprie dicuntur in militia et fere cum periculis coniunguntur. Sed, ut multa alia vocabula apud utriusque linguae scriptores a re militari ad forensem transferuntur, sic etiam *pericula et labores.* Vid. Beier. ad Off. II. 366 et intt. ad Aesch. in Ctes. 1.

§ 8. *articulorum dolores.* Cicero in Bruto, 217 dolorem artuum, medici arthritidem vocant.

habet [et] te. Coniunctio h. l. melius abest, — nam non bene iunguntur *dolores habere* et *diligere* — sed quum in omnibus libris scriptis inveniri videatur, delere nolui. Fortasse scr. *habet. Ea te* cet. cf. Wes. Em. Alt. p. 83.

tibi persuadeas te a me fraterne amari. Non est haec clausula otiosa, sed videtur Atticus in illa epistola, cui nunc respondet Cicero, questus esse de negligentia Tullii in rebus suis curandis. Quid egerit pro eo docuit Cicero eumque nunc rogat, ut de amore suo non amplius dubitare velit.

VI. (*A. U. C.* 686.)

1. Non committam posthac ut me accusare de epistolarum negligentia possis: tu modo videto in tanto otio ut par mihi sis. Domum Rabirianam Neapoli, quam tu iam dimensam et exaedificatam animo habebas, M. Fontius emit HS. ccciↃↃↃ $\overline{\text{xxx}}$. Id te scire volui, si quid forte ea res ad cogitationes tuas pertineret. 2. Q. frater, ut mihi videtur, quo volumus animo est in Pomponiam et cum ea nunc in Arpinatibus praediis erat et secum habebat hominem χρηστομαθῆ D. Turranium. Pater nobis decessit a. d. IIII. Kal. Decembres. Haec habebam fere, quae te scire vellem. Tu, velim, si qua ornamenta γυμνασιώδη reperire poteris, quae loci sint eius, quem tu non ignoras,

§ 1. *tu modo videto — sis.* Rav. sic habet: *Tu modo vide cum tanto otio ut par in hoc mihi sis.* In ed. Iuntina *in hoc* additum est.

animo habebas Ↄ: conceperas, decreveras. Docte hanc locutionem illustravit I. F. Gronovius ad Liv. XLIV. 25, 1.

M. Fontius. Med. et Rav. *M. Fontinus* Torn. *M. Fonteius* Urs. Quum de homine ignoto agatur, quid ex his verum sit nescimus.

HS. ccciↃↃↃxxx, Ↄ: centum triginta milibus sestertium, quae respondent fere tredecim milibus florenorum. Summa sane exigua si cogitamus immensa magnarum aedium pretia, de qua re dicam ad Ep 13, 6 h. l.; sed teneamus domum fuisse Neapoli, in qua urbe Atticus non solebat residere, tum ad perfectionem eius domus multa defuisse. In ep. 5, lib. X dicitur Vettienus deversorium HS. $\overline{\text{xxx}}$ (flor. 3000) emisse. — Ceterum monendi sunt lectores me, ubicunque in his epistolis eae notae numerales inveniuntur, quae manifesto non de singulis nummis, sed de millenis capiundae essent, id indicasse linea transversa numeris imposita.

§ 2. χρηστομαθῆ, qui utilia didicit, eleganter eruditum.

D. Turranium. Idem cum Cicerone in Cilicia fuisse videtur et paulo ante eum Romam rediisse. Vid. VI. 9. Fortasse est ille Turranius Niger, ad quem Varro secundum librum de re rustica misit. Vid. praef. libr. II et III.

Pater nobis decessit a. d. IIII Kal. Dec. Si his verbis patris obitus amico nuntiatur, miramur vel potius indignamur eundem hominem, quem servi morte graviter commotum videbimus in ep. 12, 4, parentis *optimi ac prudentissimi viri* (de Or. II. 1) mortem his paucis verbis nuntiasse. Quum praeterea Asconius in argum. orat. in toga candida tradat Ciceronem in petitione consulatus patrem amisisse, id est quadriennio post hanc epistolam scriptam, olim assensus sum Madvigio hic de discessu patris agi existimanti scribendumque putavi: *Pater a nobis discessit.* Ita ediderunt B. et W. Sed patris amissi mentio in Asconii narratione perquam inepta est. Itaque illi argumento nihil tribuens nihil h. l. mutandum censeo. In epistola deperdita Cicero patris obitum amico pluribus verbis nuntiarat. Atticus amicum consolatus est et ut dies mortis sibi accurate indicaretur rogavit. Respondet Cicero his verbis, in quibus dativus *nobis* indicat hunc casum ad se et ad fratrem pertinere. cf. Klotz. in prooemio p. IV. et Tyrrell ad h. l.

tum denique. Hanc formulam ab Handio, Turs. II. p. 275 sq., cum altera *tum demum* male confusam, Bakius ad Cic. Leg. p. 479 recte poni negat, nisi ubi in conclusione *denique* ponatur pro *postremo*, ut fit V. 20, 8. Igitur ex illius opinione h. l. scribendum erat *tum demum.* Sed *tum denique* recte h. l. legitur et infra XVI. 5 extr., nec sollicitandum puto in verbis de Orat. I. 142, ubi praecedunt *primum— deinde.* Neque obstat, quod ibi verbis *tum denique* subiiciunter *post — ad extremum.* Nam tres priores eloquentiae partes inventio, dispositio, elocutio ita cohaerent, ut a duabus reliquis memoria et actione facile seiungi possint.

Quid agas omnibus de rebus, cet. Observa abundantiam quandam orationis, qua duae locutiones in unam conflatae sunt. Brevius dicere poterat: quid agas et quid acturus sis, fac nos — certiores, vel, de rebus tuis omnibus fac nos — certiores.

ne praetermittas; nos Tusculano ita delectamur, ut nobismet ipsis tum denique, quum illo venimus, placeamus. Quid agas omnibus de rebus et quid acturus sis, fac nos quam diligentissime certiores.

VII. (*A. U. C.* 686.)

Apud matrem recte est eaque nobis curae est. L. Cincio HS. $\overline{\text{XX}}$CD. constitui me curaturum Idibus Februariis. Tu velim ea, quae nobis emisse et parasse scribis, des operam ut quam primum habeamus et velim cogites, id quod mihi pollicitus es, quemadmodum bibliothecam nobis conficere possis: omnem spem delectationis nostrae, quam, quum in otium venerimus, habere volumus, in tua humanitate positam habemus.

recte est ɔ: omnia recte se habent. Cf. Q. fr. III. 1, 1 *Apud Herum recte erat.* III. 9, 2. *Cetera recte sunt.* Brut. 330 *si recte esset.* Ita in occurendo quaerebant: *Rectene omnia?* Quint. I. O. VI. 3, 84. Graeci dicunt γιγνεσθαι καλῶς, ὀρθῶς εἶναι et similia.

L. Cincio HS $\overline{\text{XX}}$CD *constitui me curaturum.* Ictis *constitutum* est pactum, quo pecuniam debitam in certam diem solutum iri spondemus. Multis exemplis vocabuli vim explicuit Gronov. Obs. I. 1, p. 12 sq. Cf. Rein, das Röm. Privatrecht, p. 340 et Ellendt ad Cic. de Orat. I. 265. — *Curare* in re pecuniaria dici pro *solvendum curare, solvere* notum est. Ex 8, 2, ubi de eodem negotio agitur, constat numeros h. l. non esse depravatos.

nobis conficere ɔ: colligere, parare. Cf. XII. 37, 2. *Hortos mihi conficias necesse est.* XIII. 18, 1 *Nos vero conficiamus hortos.* Planc. 45, *conficere necessariis suis suam tribum.* Fam. XI. 16, 3. *is nobis eas centurias conficiat.* Quum Atticus hanc amici cupiditatem cognovisset, videtur cogitasse de bibliotheca sua vendenda, ut suspicamur ex iis quae ep. 10, 4. et 11, 3 leguntur.

VIII. (*A. U. C.* 687.)

1. Apud te est, ut volumus. Mater tua et soror a me Quintoque fratre diligitur. Cum Acutilio sum locutus: is sibi negat a suo procuratore quicquam scriptum esse et miratur istam controversiam fuisse, quod ille recusaret satisdare amplius abs te non peti. Quod te de Tadiano negotio decidisse scribis, id ego Tadio et gratum esse intellexi

§ 1. *miratur istam controversiam fuisse, quod ille recusaret* ɔ: miratur ea de re controversiam inter vos fuisse, quod procurator recusaret satisdare. Moneo, ne quis cum Malasp. verba *quod — recusaret* a verbo *miratur* pendere statuat.

amplius abs te non peti. Similes satisdationum formulas ex epist. Fam. XIII. 28, 2. Brut. 18. Rosc. Com. 35 Manutius ad h. l. excitavit. Tyrrell recte observat in formula fuisse *amplius non peti*, sed addito subiecti accusativo scribi *amplius neminem petiturum.*

decidisse, ɔ: transegisse, quod fiebat extra iudicium. Cf. Rosc. Amer. 114. Verr. I. 125 et alios locos, quos collegit Gron. Obs. II. 6, p. 198 sq. Transegit autem Atticus cum tutoribus puellae, ut apparet ex epist. 5, 6.

et gratum — et iucundum. Casaubonus ad h.

et magno opere iucundum. Ille noster amicus, vir mehercule optimus et mihi amicissimus, sane tibi iratus est: hoc si quanti tu aestimes sciam, tum quid mihi elaborandum sit scire possim. 2. L. Cincio HS. CCIƆƆ CCIƆƆ CCCC pro signis Megaricis, ut tu ad me scripseras, curavi. Hermae tui Pentelici cum capitibus aeneis, de quibus ad me scripsisti, iam nunc me admodum delectant, quare velim et eos et signa et cetera, quae tibi eius loci ** et nostri studii et tuae elegantiae esse videbuntur, quam plurima quam primumque mittas et maxime, quae tibi gymnasii xystique videbuntur esse; nam in eo genere sic studio efferimur, ut abs te adiuvandi, ab aliis prope reprehendendi simus. Si Lentuli navis non erit, quo tibi placebit, imponito. 3. Tulliola, deliciolae nostrae, tuum munusculum flagitat et me ut sponsorem appellat. Mihi autem abiurare certius est quam dependere.

1. notavit de discrimine horum vocabulorum. Gratum est, ob quod gratiae debentur; iucundum, quod iuvat et voluptatem affert. Hinc intelligitur non omne quod gratum est, etiam iucundum dici posse, probantque loci a Casaubono allati Att. III. 24 extr. Fam. IV. 6, 1, quibus addi possunt Fam. V. 15, 1. XIII. 18. Att. I. 17, 6. Q. fr. III. 1, 12.

noster amicus, Lucceius. Cf. ep. 5, 5. 10, 2. 11, 1. 3, 3. h. l.

§ 2. *Pentelici* ɔ: e marmore Pentelico.

iam nunc ɔ: quum eos nondum vidi. Discrimen inter *iam nunc* et *nunc iam* recte constituit F. Haase in Diar. Antiq. Zimmermanni V. 3, p. 269—274. *Iam nunc* ponitur, ubi exspectatio rem praecurrit, Belg. *reeds nu; nunc iam* opponitur rei praeteritae. B. *nu eerst*. Cf. Handii Turs. III. p. 153 sq.

et signa et cetera. Ita recte in codd. Signa sunt marmorea, quod in Hermas cum capitibus aeneis non convenit. Hinc etiam ep. 10, 3 signa ab Hermeraclis distinguit. *Cetera* sunt quaevis alia ornamenta.

eius loci. Cum W. apposui lacunae indicium. Ex ep. 6, 2 et 10, 3 ubi de eadem re agitur, facile quod deest suppletur. Ipsum nomen Academiae adest ep. 9, 2 et 4, 3.

gymnasii. De gymnasii forma usque agit Beckerus in Charicle I. p. 328 sqq., qui fatetur descriptionem Vitruvii multis difficultatibus premi. Adiecit idem in tab. II ichnographiam gymnasii ex mente Newtoni.

xystique. Xystus (italice *sesto*) Romanis erat ambulatio sub divo, quae Graecis παραδρόμις vocabatur (Vitruv. V. 11, 4 et VI. 7, 5) floribus ornata nonnunquam. Cf. Gierig ad Plin. Epp. II. 17, 17.

§ 3. *Tulliola — appellat*. Videtur Atticus in Graeciam profecturus munusculum Tulliae promisisse, eique promissioni non vere, sed ut fit per iocum velut sponsor accessisse pater. Quum Atticus in munere mittendo segnior esset, Tullia cogitabat de appellando sponsore sive de agendo ex sponsu, quod per leges ipsi licebat. Nam beneficium ordinis s. necessitas adeundi debitorem principalem prius quam sponsores appellantur ab Imp. Iustiniano demum est constitutum in Nov. IV. c. 1.

abiurare, ɔ: iureiurando negare me sponsorem esse. Cf. Gron. Lect. Plaut. p. 305. Scripsi autem *mihi* h. l. et saepius contra cod. Med. auctoritatem, quum paene certum sit Ciceronem forma contracta abstinuisse, nisi forte in locutionibus e sermone familiari desumptis, ut XIII. 40, 2. Orellius in altera editione Epistt. codicem Med. hac in re sequi maluit. I. F. Gronovius ad XII, 42, 1 adnotavit: „In veteribus libris plerumque *m̄i* scribitur pro *mihi* ut *n̄i* pro *nisi*. Inde non colligendum Ciceronem scripsisse *mi*." cf. Ritschelii Proleg. ad Plautum p. CCXCII.

dependere. ɔ: pro te solvere. Verbum in hac re proprium. Cf. Fam. I. 9, 9 *nisi cum Marco diligenter egeris, dependendum tibi est, quod mihi pro illo spopondisti*. Att. XIV. 16, 4. Gron. ad Plaut. Trin. II. 4, 25. Hinc quoque ex lege Publilia sponsori in creditorem erat *actio depensi*. Gai. III. 127.

IX. (*A. U. C.* 687.)

1. Nimium raro nobis abs te litterae afferuntur, quum et multo tu facilius reperias, qui Romam proficiscantur, quam ego, qui Athenas, et certius tibi sit me esse Romae quam mihi te Athenis. Itaque propter hanc dubitationem meam brevior haec ipsa epistola est, quod, quum incertus essem ubi esses, nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus devenire. 2. Signa Megarica et Hermas, de quibus ad me scripsisti, vehementer exspecto. Quicquid eiusdem generis habebis, dignum Academia tibi quod videbitur, ne dubitaris mittere, et arcae nostrae confidito. Genus hoc est voluptatis meae; quae *γυμνασιώδη* maxime sunt, ea quaero. Lentulus naves suas pollicetur. Peto abs te ut haec cures diligenter. Thyillus te rogat, et ego eius rogatu, ***Εὐμολπιδῶν πάτρια.***

§ 1. *devenire* i. e. non pervenire in tuas manus, sed casu incidere in alienas. Similis usus verbi in Bruto, 157. — *consideranti, ad quos ista non translata sint, sed nescio quo pacto devenerint.*

§ 2. *Signa Megarica* sunt e lapide, qui Megaris caedebatur, elaborata. Erat colore candido, mollis et conchis marinis repletus, unde λίθος κογχίτης dictus est. Paus. I. 44, 9.

arcae nostrae confidito, ɔ: pecuniae, opibus nostris. Cf. Q. fr. II. 12, 5 *arcae nostrae fiducia,* et illud Iuvenalis, Sat. III. 143. *Quantum quisque sua nummorum habet in arca, Tantum habet et fidei. Ex arca solvere* est pecuniam praesentem numerare.

Genus hoc est voluptatis meae ɔ: hoc unum est ex iis, quae me delectant maxime.

Thyillus. Poeta, qui Ciceronis consulatum carmine celebrare voluit. Vid. ep. 16, 15. Nominatur tertium in ep. 12, 2. Sed nomen ubique incertum est. H. l. e Med. et Rav. affertur *Chiyllus,* ex marg. *thiullus,* e cod. Hisp. *tyullus,* ep. 12 Med. *thyrlius,* Rav. *thiylius.* In ep. 16 de Mediceo non satis constat, in Hisp. est *thlylius,* in Rav. *thyilius,* in Helmst. Graevii *Tylius.* Corradus de C. Helvio aut de Tullio Laurea cogitabat. Ego Graeci hominis nomen desidero, et scripsi cum B. W. *Thyillus,* quod nomen M. Hauptius in Hermae vol. III, 205 seqq. eo defendit, quod in Anthologia aliquot eius carmina inveniuntur.

Εὐμολπιδῶν πάτρια. Erant Eumolpidae sacerdotes Cereris Eleusiniae, quorum ritus patrii et instituta nominantur quoque in Plut. Alcib. c. 22. De illis agunt C. O. Mullerus, Proleg. zu einer wiss. Mythol. p. 250 sq. C. F. Hermannus, gottesd. Alterth. d. Griechen, § 55, adn. 25. Coniecturam Gronovii Eumolpidas hic dici pro Atheniensibus et verum libri titulum fuisse Ἀθηναίων πάτρια non probamus.

X. (*A. U. C.* 687.)

1. Quum essem in Tusculano — erit hoc tibi pro illo tuo: »Quum essem in Ceramico" —, verumtamen quum ibi essem, Roma puer a

§ 1. *erit hoc tibi,* ɔ: restituetur reponeturque tibi *pro illo tuo.* Malaspina.

in Ceramico, sc. exteriore, quod Thucyd. II. 34 appellat τὸ κάλλιστον προαστεῖον τῆς πόλεως. Cf. Harpocration in voce. Nomen rectius derivatur a figulis (κεραμεύς), qui ibi olim habitarunt, quam a ficto heroe Ceramo, quem citat Paus. I. 3, 1. Atticus videtur ibi suburbanum habuisse, in quo non displicet *illa antiqua domus,* cuius mentionem fecit Cicero Leg. I. 3. Nam quod Bakius ad e. l. offensus antiquitate seu humilitate illius

a sorore tua missus epistolam mihi abs te allatam dedit nuntiavitque eo ipso die post meridiem iturum eum, qui ad te proficisceretur: eo factum est, ut epistolae tuae rescriberem aliquid, brevitate temporis tam pauca cogerer scribere. 2. Primum tibi de nostro amico placando aut etiam plane restituendo polliceor; quod ego, etsi mea sponte ante faciebam, eo nunc tamen et agam studiosius et contendam ab illo vehementius, quod tantam ex epistola voluntatem eius rei tuam perspicere videor. Hoc te intelligere volo pergraviter illum esse offensum; sed quia nullam video gravem subesse causam, magno opere confido illum fore in officio et in nostra potestate. 3. Signa nostra et Hermeraclas,

domus coniecit *antiqua* mutandum in *Attica*, mihi non probatur, quoniam in eadem sententia praecedit *Athenis*. Atticum in ipsa urbe maiorem lautioremque domum habuisse per se intelligitur.

verumtamen inservire orationi post parenthesin instaurandae vel tironibus notum est. Exempla e Cicerone collegit Ern. in Clavi. Romani scriptores eodem modo frequenter utuntur particulis *sed* et *igitur;* raro simplici *tamen*, ut in Brut. 101.

iturum. Recte sic emendatur, quum in Med. et Rav. scriptum sit *missurum*, ex quo facile fit *missuram* sc. sororem. Sed hoc si verum esset, non adderetur *eum*.

§ 2. Cf. ad ep. 3, 3.

fore in officio ɔ: illum fore qualem oportet, aut potius illum amicitiae officio satis facturum. cf. Fam. XIV. 1, 5. 4, 4. Q. fr. II. 2, 2 et Schneider. ad Caes. B. G. V. 3, 3.

et in nostra potestate ɔ: et nobis facile obtemperaturum esse. Fam. V. 4. Q. fr. II. 9, 2. Caes. B. G. V. 3, 7. In primis magistratus dicuntur *esse in senatus potestate*, minores magistratus in potestate maiorum. cf. Fam. XI. 2, 1.

§ 3. *Hermeraclas*. Hermeraclae sunt Hermae cum capite Herculis, quorum ex antiquitate plures supersunt. Imagines vide in Musée des Antiques dessiné par Bouillon. III. 17, 3, 4. Clarac. tab. 347. Sed etiam statuae bifrontes. cf. Winckelmanni Op. VII. p. 135. Mülleri Archaeol. § 345 adn. 2.

quo c. poteris, velim imponas scripsi cum Corrado et Wes., pro *quum c. p.*, ut in ep. 8, 2. legimus: *Si Lentuli navis non erit, quo tibi placebit, imponito.* Negari tamen non potest *imponere* et *exponere* absolute dici posse. cf. Verr. L. IV. 23 *quae volebat, clam imponenda curabat.* Divin. II. 84 *Quum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret* et supra

3 2. *signa — sunt ad Caietam exposita.* — Cum. Wes. scripsi quoque *si quid aliud*, quum antea retinuissem *quod*. cff. Wesenbergii Em. epistt. I. p. 51—57.

palaestra recte separatur a gymnasio, a quo differt ut species a genere. Palaestra enim luctationi erat destinata, gymnasium omnibus corporis exercitiis patebat. vid. Beckeri Charicles I. p. 311.

typos. Winckelmannus (S. W. VI. 186) de h. l. scribit: „Cicero überschikte dem Atticus sogar Zeichnungen der Gedanken von den Verzierungen, die er suchte. So glaube ich müsse das Wort *typos* verstanden werden — man könnte es auch zugleich von dem Maasze der Stücke, die er anzubringen gesuchte, verstehen." Videtur celeberrimus archaeologus deceptus esse voc. *mandare*, quod Italico sermone *mittendi* notionem habet. Sed hic est emendos iubeo, ut Fam. VII. 23, 2: *nominatim tibi signa mihi nota mandassem, si probassem.* Recte *typos* expl. P. Manutius parva signa, quae non tota sed dimidia tantum exstent, quae Itali figuras dimidiae eminentiae (Reliefs, half verheven beeldwerk) vocant. In eo tamen fallitur, quod in marmorea tabula insculpta putat, quum essent argilla (terra cotta) expressa. Plin. H. N. XXXV. § 151. cf. Mulleri Archaeologia § 305, 3. *Tectorium* dicitur, quo parietes teguntur sive muniuntur. Varr. R. R. III. 8, 1. Vitruv. VII. 3. Ital. *stucco*, Belg. *pleisterwerk*. — *Atriolum* memoratur quoque Q. fr. III. 1, 1 ibique distinguitur ab *atrio maiore*. cf. Rein. in Beckeri Gallo II p. 176.

putealia sigillata. „Puteorum opercula, parvis signis exornata." Man. In Dig. XIX. 1, l. 13, § 31 et l. 14, inter res immobiles recensetur *puteal, id est, quo puteum operitur.* cf. ibid. l. 17, § 8. Graece dic. περιστόμιον.

ut scribis, quo commodissime poteris, velim imponas, et si quid aliud *οἰκεῖον* eius loci, quem non ignoras, reperies et maxime, quae tibi palaestrae gymnasiique videbuntur esse —; etenim ibi sedens haec ad te scribebam, ut me locus ipse admoneret — praeterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere, et putealia sigillata duo. 4. Bibliothecam tuam cave cuiquam despondeas, quamvis acrem amatorem inveneris; nam ego omnes meas vindemiolas eo reservo, ut illud subsidium senectuti parem. 5. De fratre confido ita esse, ut semper volui et elaboravi: multa signa sunt eius rei, non minimum, quod soror praegnans est. 6. De comitiis meis et tibi me permisisse memini et ego iampridem hoc communibus amicis, qui te exspectant, praedico te non modo non arcessi a me, sed prohiberi, quod intelligam multo magis interesse tua te agere, quod agendum † esset hoc tempore, quam mea te adesse comitiis. Proinde eo animo te velim esse,

§ 4. *despondeas*, tanquam pater qui filiam amanti despondet.

acrem amatorem ɔ: eum, qui tanto amore bibliothecae tuae tenetur, ut eam quovis pretio suam facere studeat. Languet *emptorem*, ut Faernus scribi volebat.

§ 6. *De comitiis meis.* Cicero tunc petebat praeturam. In sequentibus verbis probamus scripturam e marg. Crat. vulgo receptam, ita ut verba *te non modo non arcessi a me, sed prohiberi* pendeant ab *hoc — praedico*, sed simul intelligatur ad praecc. *tibi me permisisse memini* cogitatione supplendum esse *ut abesses*. Fr. Hofmannus, qui in libello de apparatu critico epist. ad Att. p. 45. Med. (et Rav.) scripturam *non modo non arcessam, sed prohibebo* retineri iussit, non docuit quid ergo Cicero permiserit Attico et quid sit *hoc*, quod amicis praedicet. Nemo, opinor, Meutznero concedet hunc locum graviter esse interpolatum, et *te non modo non arcessi a me, sed prohiberi — quod agendum esset hoc tempore — te adesse comitiis* esse tollenda.

quod agendum esset cum libris notis, in quibus quoque Z. Lambini. In *esset* puto latere *istic sit*. Vulgo editur *quod agendum est*, male omissa loci indicatione et male indicativo posito post coniunctivum obliquae orationis *intelligam*.

Proinde ɔ: ex ea rei ratione, quod nos dicimus *dientengevolge*. *missus sis* pro *esses* de Wesenbergii coni. edidi.

si quae parta erunt — parta sint. Ita Med. et Rav. In aliis codd. *parata* inventum est. Saepissime *parere* et *parare*, *partus* et *paratus* confunduntur. cf. Drak. ad Liv. V. 6, 1 et XLII. 11, 9. Difficile est diiudicare, utrum in singulis locis verum sit, si a codicibus recedimus. Nam utriusque verbi vim esse similem exempla haud dubia ostendunt, velut Sall. Iug. 10, 4: *amicos non auro parare queas: officio et fide pariuntur*. Ibid. 31, 17, *maius dedecus est parta amittere, quam omnino non paravisse.* Hoc concedi debet librarios proniores fuisse ad scribendum *partus* pro *paratus*, quam contra.

T. tibi diem dat, sponsorem (me) appellat. cf. ep. 8, 3. *Diem dare* h. l. est certum diem constituere, quo debitum munusculum esset solvendum. In alia re idem legitur de N. D. III. 94. Ultima quum in Med. scripta essent *sponsorem appellat*, is qui codicem correxit interposuit *non*, quod idem est in cod. Bessar., Rav. Palatinis Gruteri, Ambros. placuitque Manutio et Orellio in edit. alt. Hi statuunt Tulliam post priores illas litteras datas sententiam mutasse. Negationem recte abesse defendunt Bosius, Casaubonus, Ernestus, quibus accessit Wesenbergius, Obss. crit. in Sestianam p. 29, qui multa exempla negationum a librariis in verba scriptorum illatarum excitavit. Nobis quoque Tullia diem dans Attico non videtur abiecisse consilium appellandi sponsoris. cf. ad XVI. 15, 2. Ut oppositio inter Atticum et Ciceronem magis eluceret cum Klotzio *me* adieci.

quasi mei negotii causa in ista loca missus sis; me autem eum et offendes erga te et audies, quasi mihi, si quae parta erunt, non modo te praesente sed per te parta sint. Tulliola tibi diem dat, sponsorem (me) appellat.

XI. (A. U. C. 687).

1. Et mea sponte faciebam antea et post duabus epistolis tuis perdiligenter in eandem rationem scriptis magno opere sum commotus et accedebat hortator assiduus Sallustius, ut agerem quam diligentissime cum Lucceio de vestra vetere gratia reconcilianda; sed, quum omnia fecissem, non modo eam voluntatem eius, quae fuerat erga te, recuperare non potui, verum ne causam quidem elicere immutatae voluntatis. Tametsi iactat ille quidem illud tuum arbitrium et ea, quae iam tum, quum aderas, offendere eius animum intelligebam, tamen habet quiddam profecto, quod magis in animo eius insederit, quod neque episto-

§ 1. *faciebam* carebat obiecto. Id restituit Buchelerus in Mus. Rhen. XI. p. 529 scribens *et accedebat* pro *Eo accedebat*. Cicero utitur oratione trimembri: *Et — faciebam antea, et — sum commotus, et accedebat.* — Ad singula membra referenda sunt vv. *ut agerem* cet.

in eandem rationem scriptis ɔ: ita scriptis, ut me idem rogares, vel ut Gron. interpretatur, eodem argumento.

Sallustius. Cn. Sallustii frequens mentio fit in epistolis. Male Ernestus ex uno homine fecit duos, alterum Ciceronis amicum, alterum eiusdem libertum, qui nec fuit nec ita nominari poterat. Melius Orellius in Onom. Tull. Ciceronis clientem fuisse suspicatur. In cod. Med. supra ep. 3, 3, hoc aliisque locis nomen cum duplici *l* exaratum est, quod Kritzius in nomine historici scribendo secutus est. Vid. eum in praef. p. XX seqq. et Corssenus in Op. de pronunciatione serm. Lat. I. p. 81 seqq.

Tametsi-tamen. A. Matthiae ad Cic. Mur. 16 multos locos collegit, ubi hae voces se excipiunt. Addo Att. V. 12, 2. Verr. II. 108. V. 82. Septies haec redeunt in or. p. Rosc. Am.

iactat. Iactare pro identidem commemorare illustr. Gron. ad Liv. XXXVIII. 25, 5. cf. quae notabo ad II. 7. 4.

illud suum arbitrium quod vulgo editur, est arbitrium, quod is semper in ore habet. Scripsi tamen cum Herv. *tuum.* Nam Atticus arbiter in aliquo negotio adversus Lucceium pronuntiasse videtur.

in animo eius insederit, tanquam telum, quod vix evellitur. cf. adnot. mea ad I. 17, 1.

allegatio. Allegare sic differt a *legare,* ut illud sit mittere ad aliquem de negotiis privatis, hoc de publicis. cff. intt. ad Phil. V. 14. Similiter allegatio distinguitur a legatione in Verr. I. 44 et 136. II. 1. in codd. est *legatio.* Malaspina recte duabus litteris geminatis scripsit: *allegatio.*

si modo tanti putabis; id quod — certe putabis. In his verbis interpungendis secutus sum Meutznerum, l. cit. ad ep. 5, 4. et Wesenbergium, qui in Emend. alt. p. 84 recte pro *tanti putaris* restituit, quod sententia postulat, *tanti putabis.*

idem. De usu pron. *idem* in opponendis, quae inter se contraria videntur, dixit Matth. ad Cic. p. Arch., 15. cf. N. D. I. 121: *Epicurus quum — praestantissimam naturam Dei dicat esse, negat idem esse in Deo gratiam.* Hic *eidem* in codd. vel e scribendi errore profectum vel ad v. *diffidere* accommodatum est. Sed nominativus multo elegantior.

obfirmatior. Praecedens *obstinatior* hunc participii comparativum commendat prae altero *affirmatior,* quem N. Heinsius ad Silii It. XII. 668 alienis exemplis munivit. *Ob* in hoc verbo eandem vim habet atque in *obducere, opponere, oppugnare.* I. F. Gronovius observat *obfirmare* esse Plautinum.

lae tuae neque nostra allegatio tam potest facile delere, quam tu praesens non modo oratione sed tuo vultu illo familiari tolles, si modo tanti putabis; id quod, si me audies et si humanitati tuae constare voles, certe putabis. Ac ne illud mirere cur, quum ego antea significarim tibi per litteras me sperare illum in nostra potestate fore, nunc idem videar diffidere, incredibile est, quanto mihi videatur illius voluntas obstinatior et in hac iracundia obfirmatior; sed haec aut sanabuntur, quum veneris, aut ei molesta erunt, in utro culpa erit. 2. Quod in epistola tua scriptum erat me iam arbitrari designatum esse, scito nihil tam exercitum esse nunc Romae quam candidatos omnibus iniquitatibus nec, quando futura sint comitia, sciri; verum haec audies de Philadelpho. 3. Tu, velim, quae Academiae nostrae parasti, quam primum mittas. Mire quam illius loci non modo usus sed etiam cogitatio delectat. Libros vero tuos cave cuiquam tradas. Nobis eos, quemadmodum scribis, conserva. Summum me eorum studium tenet, sicut odium iam ceterarum rerum, quas tu, incredibile est, quam brevi tempore quanto deteriores offensurus sis, quam reliquisti.

§ 2. *me iam arbitrari designatum esse.* C. T. Zumptius ad Verr. V. 106 haec citavit, ut doceret v. *arbitrari* a Cicerone passive dictum fuisse. Qua in re a patruo recte discessit A. G. Zumptius ad or. p. Mur. § 34 subiectum infinitivi (*te*) hic omissum putans. Hoc non minus ex usu Ciceronis est, quam scribere plenius: *te iam arbitrari designatum me esse.*
exercitum esse ɔ: vexatum esse. cff. Kuhner. ad Tusc. V. 3. Kritz. ad Sall. Cat. 11, 1.
audies de Philadelpho ɔ: ex eo homine, qui tibi has litteras reddet. *a Phil.* esset per eum, eius interventu. cf. Handii Turs. I. 17, II. 191.
§ 3. *Mire quam.* Usitatius est *mirum quantum, mirum in modum, mirum quam* (Att. XIII 40, 2), neque tamen erat, quod Handius in Turs. III. 626 dubitaret de integritate huius loci. Comparatione formularum *sane quam* et *valde quam* et Gr. θαυμαστῶς ὡς satis munitur. Post *quam* periisse *me* Or. et W. sine causa affirmarunt. cf. adnot. mea ad IV. 16, 1.
Libros vero tuos cet. cf. ep. 10. 4 et 4. 3.

XII. (*A. U. C.* 693.)

1. ***Τεῦκρις*** illa lentum sane negotium, neque Cornelius ad Terentiam postea rediit; opinor, ad Considium, Axium, Selicium confugien-

§ 1. Τεῦκρις. Plerique interpretes ficto hoc nomine, quod redit ep. 13, 6 et 14, 7, C. Antonium, Ciceronis in consulatu collegam, Macedoniae proconsulem designari censent, in nominis ratione aperienda non sine causa laborantes. Schützii argumenta adversa bene refutavit Abeken, in libro cit. p. 48. Schuetzio et Sauppio Onom. Tull. III. p. 100 potius mulier designari videbatur, Antonii fortasse necessaria. Ego in re incerta nihil affirmo.
lentum sane negotium. βραδύ τι χρῆμα, lentior est in solvendo. Eiusmodi homines infra V. 18, 4 nominat *negotia et lenta et inania*, quemadmodum Callisthenes appellatur *vulgare et notum negotium* Q. fr. II, 13, 4 Negotium de homine cum contemptu dicitur Ad *lentum* vid. Mureti V. L. III. 18.
Cornelius. Non male Corradus suspicatur hunc esse Q. illum Cornelium, P. Sestii affinem, cuius mentio fit Fam. V. 6, 1. Absentis Sestii, qui cum Antonio pro quaestore

dum est; nam a Caecilio propinqui minore centesimis nummum movere non possunt. Sed, ut ad prima illa redeam, nihil ego illa impudentius, astutius, lentius vidi: »libertum mitto; Tito mandavi:" σκήψεις atque ἀναβολαί: sed nescio an ταὐτόματον ἡμῶν· nam mihi Pompeiani prodomi nuntiant aperte Pompeium acturum Antonio succedi oportere eodemque tempore aget praetor ad populum. Res eiusmodi est, ut ego nec per bonorum nec per popularem existimationem honeste possim hominem defendere, nec mihi libeat, quod vel maximum est; etenim accidit hoc, quod totum cuiusmodi sit mando tibi, ut perspicias. 2. Libertum ego habeo, sane nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinato-

in Macedonia erat, p. Sest. 13, negotia fortasse curabat, eiusque iussu de illa re Ciceronis uxorem convenerat.

ad Considium, Axium cet. Sunt foeneratores aliunde quoque noti. Debebat autem Cicero eo tempore mercedem solvere aedium, quas superiore anno de M. Crasso emerat. cf. Fam. V. 6, 2 et quae notabo ad ep. seq. § 6.

a Caecilio. De hoc agitur in ep. 1, 3. Hunc locum respiciebat Seneca in epist. 118 inter ea, quae Ciceronis epistolas implent, memorans: *Quam durus sit foenerator Caecilius, a quo minoris centesimis propinqui nummum movere non possint.* Neque tamen Senecae tantum tribuendum est, ut in hoc loco *minoris* restituatur pro *minore.* Omittitur foenore v. usura, ut in ablativo comparationis *centesimis.* cf. Gronovius de pec. vet. p. 227.

minore centesimis. Usurae quovis mense pendebantur, ita ut pro centum nummis hac lege foenore datis, debitor integro anno duodecim solveret. Belg. diceres *twaalf pro cent rente.* Gravis erat usura illo praesertim tempore, quum *semissibus magna copia erat* (Fam. V. 6, 2) i. e. quum tanta erat nummorum abundantia, ut bona nomina facile pecuniam *semissi usura* (6 pro cent) acciperent. Atque *centesimae* usurae graviores erant *unciario foenore,* quod per annum cyclicum effecisse duodecimam sortis partem (8,5 pr. c.), itaque anno civili *decem centesimas* aequasse, acute demonstravit Niebuhrius, Hist. Rom. III. p. 61 seqq.

movere. cf. Flacc. 45, Font. 1, ubi *commoveri* eodem modo de nummis dicitur. Nos dicimus *losmaken.*

ut ad prima illa redeam. cf. Fam. VII. 28, 3 *quare ad prima redeo.*

an ταυτόματον ἡμῶν. Nempe καλλίω βουλεύεται. Versiculus legitur inter Menandri γνώμας μονοστίχους in Fragm. Comic. Gr. IV p. 361. Mein. — Videbat Cicero Antonium de repetundis accusatum iri et posse se honeste defensionem illius declinare, si rumor de eius calumnia, quem seq. § tangit, confirmaretur.

Pompeiani prodromi. „De M. imprimis Pisone, Pompeii legato, ad comitia videlicet praemisso, capiendum videtur". Martyni Laguna ad Epist. Fam. p. 230.

Antonio succedi oportere. Is erat tum altero anno in provincia. *Aperte* iungi debet cum seq. *acturum.* cf. I. 16, 4 et 7. Fam. V. 6, 2.

aget. De revocando Antonio. Quis praetor intelligatur, incertum.

honeste possim hominem defendere. Cicero anno superiore Antonium in senatu gravissime ac diligentissime defenderat, Fam. V. 6, 3. Post reditum anno 695 ineunte ille in iudicium vocatus est et condemnatus. vid. Vatin. 28. Cael. 74. Flacc. 95. Quod vero dicunt illum tunc quoque a Cicerone defensum fuisse, nititur hoc suspecta fide orat. pro domo, 41.

§ 2. Eandem rem verbo tangit Cicero in epistola ad ipsum Antonium missa, Fam. V. 5, 2.

Libertum ego habeo — clientem tuum. Poterant igitur libertini praeter dominum manumissorem alium patronum sibi adsciscere. Res confirmatur alio exemplo ex orat. p. Rosc. Am. 19, ubi Mallius Glaucia libertinus, cliens T. Roscii vocatur. Nostro loco usus est Casaubonus ad explicandum Suet. Caes. 2, ubi opportune provocavit ad simile institutum iuris Attici. *Ratiocinator* est qui dispensat rationes rei familiaris.

Valerius interpres. Iterum nominatur infra XVI. 11, 7. Munus interpretum in urbe erat

rem et clientem tuum; de eo mihi Valerius interpres nuntiat Thyillusque se audisse scribit haec: esse hominem cum Antonio; Antonium porro in cogendis pecuniis dictitare partem mihi quaeri et a me custodem communis quaestus libertum esse missum. Non sum mediocriter commotus, neque tamen credidi; sed certe aliquid sermonis fuit. Totum investiga, cognosce, perspice et nebulonem illum, si quo pacto potes, ex istis locis amove. Huius sermonis Valerius auctorem Cn. Plancium nominabat. Mando tibi plane totum ut videas cuiusmodi sit. 3. Pompeium nobis amicissimum constat esse. Divortium Muciae vehementer probatur. P. Clodium Appii F. credo te audisse cum veste muliebri deprehensum domi C. Caesaris, quum pro populo fieret, eumque per manus servulae servatum et eductum; rem esse insigni infamia: quod te moleste ferre certo scio. 4. Quod praeterea ad te scribam non habeo,

orationum a legatis aliarum gentium peregrino sermone in senatu habitarum interpretatio. Cf. Divin. II. 134.

Thyillus. Vid. supra ad ep. 9, 2.

partem mihi quaeri i. e. mihi parari, id agi ut ego consequar. Cf. Kritz ad Sall. Iug. 3, 3. Similem usum verbi animadvertas licet h. l. 19, 4. *Pompeio — potentiam quaeri,* ibid. 6. *mihi — praesidia esse quaerenda.*

§ 3. *Pompeium n. a. c. esse.* Qui diligenter legerit epistolam superiore anno ad Pompeium datam (Fam. V. 7), mirabitur fortasse, unde tanta illa voluntatis immutatio tam subito orta sit. Sed sciat ille virorum civilium amicitias raro veras esse, plerumque ad tempus compositas. Cur Pompeius res gestas Ciceronis redux celebraverit, intelligitur ex epist. 14, 1—4. Cf. Mart. Lag. p. 229.

Divortium Muciae. Hanc Metellorum Celeris et Nepotis sororem (Fam. V. 2, 6), non germanam, sed vel uterinam vel consobrinam (vid. Manut. ad e. l.), uxorem dimisit Cn. Pompeius, quia cum C. Caesare rem habuisse dicebatur. Cf. Suet. Caes. 50. Duxit postea M. Aemilius Scaurus, ut nobis auctor est Asc. Ped. in argum. Scaurianae, E talibus cognoscuntur mores illius aetatis corrupti.

quum pro populo fieret. Facere et *fieri* in re sacra pro *sacra facere* et *peragi* centies dicuntur; ut recte editores voc. *sacrificium,* quod in libris scriptis, ut videtur, omnibus hic additur, eiecisse videantur. Praeiverant Graeci, quorum similis usus in verbis ἔρδειν et ῥέζειν vulgo notus est. — P. Clodii autem incestus commissus est in sacris Bonae Deae, a solis mulieribus domi Pontificis Maximi celebrari solitis.

servulae. Mira est Med. scriptura *seprule,* in qua nomen proprium mulieris latere nonnullis visum est. Sed quum in orat. de harusp. resp. 44 legamus Clodium *ancillarum beneficio* emissum esse et a Plutarcho in Cic. 27 et in Schol. Bob. in orat. in Clod. p. 339. Or. narretur in cellam ancillae confugisse, de correctionis antiquae veritate vix dubitari posse credimus.

§ 4. *Quod — scribam non habeo.* Multi post Malespinam ad h. l. de discrimine inter *non habeo, quid* et *non (nihil) habeo, quod scribam* egerunt; cf. Haase ad Reisigium, adn. 502. Optima videtur illorum ratio, qui dicunt *quid* sequi, ubi *habere* et *non habere* ponatur sciendi et nesciendi potestate (cf. Seyffert ad Cic. Lael. p. 46 et 518); ubi vero propria vis illi verbo sit, ut *non habeo* sit *mihi deest,* pron. relativo opus esse. Ubi mens scribentis dubia est, optimi codd. audiendi sunt, quamvis in eiusmodi rebus exigua sit vel optimorum auctoritas. Multos locos ex epistt. Tullianis ad hanc normam exegit Wesenbergius, Emend. p. 54 seqq.

anagnostes. cf. Fam. V. 9, 2. Nep. Att. 14. Erat servus, qui inter coenam aliove tempore domino aliquid legebat. Latine vocatur *lector.* vid. Plin. Ep. III. 5, 12.

quod in buccam venerit. Locutio e sermone familiari, qua saepius utitur Cicero in his epistolis. vid. VII. 10 extr. XII. 1 extr. XIV. 7 extr. Respicit hunc locum Seneca, Epist. 118 in.

et mehercule eram in scribendo conturbatior; nam puer festivus, anagnostes noster, Sositheus decesserat meque plus, quam servi mors debere videbatur, commoverat. Tu velim saepe ad nos scribas: si rem nullam habebis, quod in buccam venerit, scribito. Kal. Ianuar. M. Messalla, M. Pisone coss.

M. Messalla, M. Pisone coss. Eodem ordine hi consules citantur in subscriptione epist. seq. et apud Caes. B. G. I. 2. In Fastis tamen Pisonis nomen praecedit, quod recte factum defendit Schneiderus ad Caes. l. c. cf. Plin H. N. VII. § 98. Similiter Cic. de Sen. 14 consules a. 585 appellat Caepionem et Philippum iterum, quos fasti Capitolini inverso ordine laudant et in lapide prope Mutinam reperto C. Antoni, M. Tuli consulatus memoratur, etsi Tullium ante Antonium fuisse designatum certum est. Verum ordinem servat tessera gladiatoria edita ab Henzenio in Ephem. epigr. III. p. 204 M. TVL. C. ANT.

In elogio anno 1875 Romae reperto et illustrato a Th. Mommseno in Ephem. epigr. III. p. 1—4 huius M. VALERII M. F. M. N. MESSALLAE cognomen iam duplici l scribitur, ut in M. et Rav.

XIII. A. U. C. 693.)

1. Accepi tuas tres iam epistolas: unam a M. Cornelio, quam a Tribus tabernis, ut opinor, ei dedisti, alteram, quam mihi Canusinus tuus hospes reddidit, tertiam, quam, ut scribis, ancora soluta de phaselo dedisti; quae fuerunt omnes † rhetorum pure loquuntur, quum huma-

§ 1. *Accepi tuas — epistolas.* Post longiorem commorationem in urbe Atticus anno 692 exeunte (cf. subscriptio epist. praec.) discesserat et mense Ianuario in Graeciam rediit. Brundisio, quum mare traiecturus erat, *de phaselo* epistolam Ciceroni misit et bis in itinere dederat. Non adscripserat his nomina locorum, sed Cicero suspicabatur scriptam esse primam *Tribus tabernis*, quae erat statio in via Appia inter Ariciam et forum Appii, nota e narratione itineris Paulini, Act. Apost. 28, 15 et ex Itinerario Antonini; alteram *Canusii* in Apulia, ubi Horatium poetam quoque devertisse scimus e festiva illa itineris Brundisini descriptione, Sat. I. 5, 91. Praep. *a* nomini praeposui e cod. Rav. Cratander et Lambinus quoque e libris scriptis deprompsisse videntur.

ancora soluta de phaselo. Cicero verbis *ut scribis* indicat esse haec Attici. Sed vix poterat homo Romanus, etiam festinanter scribens, adeo errare ut pro *ancora sublata* scriberet *soluta* (in Lucilii enim fragmento apud Nonium p. 536 pro *anchora soluta'st* aliud nomen requiri et interpretatio grammatici et metrum docet. De Iunii coniectura ibi scribendum: *Funis enim praecisu' cito atque* ANQUINA *soluta'st.*), nec Cicero tam inhumanus erat, ut apertum calami lapsum amico suo obiiceret. Peerlkampius pulcre vidit scribendum esse *ancora sublata, ora soluta*, mediaque omissa esse a librario. *Oram solvere* in sermone nautico dicebant pro solvere funem, quo navis alligatur orae. Cf. Quinct. praef. § 3 *permittamus vela ventis et oram solventibus bene precemur* et IV. 2, 41: *conscendi, sublatae sunt ancorae, solvimus oram, profecti sumus.* Phaselum fuisse navigium Aegyptiorum vulgo notum est. Sed Nonius interpr. *navigium Campanum* et affert e Sallustii et Sisennae Historiis testimonia, p. 534.

quae fuerunt omnes † rhetorum pure loquuntur, cet. Locum corruptum alii aliter restituere conati sunt. Ante Orellium ferebant: *quae fuerunt omnes rhetorum. Pure loquuntur* cet. Sed nec *fuerunt rhetorum*, nec *pure loquuntur* epistolae in Cicerone ferendum est. Mitto coniecturas a me olim propositas in Misc. Philol. Amstel. III. p. 108, ut Peerlkampianam memorem: *quae fuerunt omnes ɔ:* praeter illas tres nullas accepi. *Rhetorum more loquuntur.* Amor Ciceronis reddiderat Atticum

nitatis sparsae sale, tum insignes amoris notis. Quibus epistolis sum equidem abs te lacessitus ad rescribendum, sed idcirco sum tardior, quod non invenio fidelem tabellarium. Quotus enim quisque est, qui epistolam paullo graviorem ferre possit, nisi eam pellectione relevarit? Accedit eo, quod mihi non **, ut quisque in Epirum proficiscitur. Ego enim te arbitror caesis apud Amaltheam tuam victimis statim esse ad Sicyonem oppugnandam profectum, neque tamen id ipsum certum habeo, quando ad Antonium proficiscare aut quid in Epiro temporis ponas: ita neque Achaicis hominibus neque Epiroticis paullo liberiores litteras committere audeo. 2. Sunt autem post discessum a

φιλορήτορα. Magis nunc tamen placet Madvigii correctio in Schneidewini Philol. II. 1, p. 142 proposita: *Quae fuerunt omnes, ut rhetorum pueri loquuntur*, in quibus *rhetorum pueri* tamen invecti sunt ab indocto librario. Cicero Graece scripserat: ῥητόρων παῖδες. cf. B. ten Brink in Philol. VII. p. 589.

sed idcirco sum tardior, cet. De eadem re queritur Fam. I. 7, 1, (ubi inter *committere* — *quoties* intercidisse videtur *cuivis* s. *quoivis*.) IV. 4, 1. Att. XV. 4, 4. De *equidem* — *sed* in his epistolis frequenter usurpato vid. Jordan Krit. beitr. p. 317 seqq.

Quotus enim quisque — relevarit? Iocatur in verbis *graviorem ferre* et *relevarit*. Similia ex Aristophane et Luciano collegit Fritzschius ad Aristoph. Thesmoph. p. 588. — *Pellectionem*, ut *pellego* pro *perlego*, quod fortasse ferendum apud Plautum Pers. IV. 3, certe *pellucendi* analogia defenditur, de plebe hominibus ut tabellariis in ore fuisse suspicor. Ciceronem hoc vocabulo nunc usum esse, non vero scribendum esse *per lectionem* et optimi libri Mss. et observatio consuetudinis Tullianae arguunt.

*accedit eo, quod mihi non *, ut quisque — proficiscitur.* Ita est in libro Med. et Rav., in codd. Malespinae et cod. Hispano. Manifestum est aliquid excidisse. Quod vett. editt. habent: — *quod mihi non est notum, ut — proficiscatur*, a Ciceronis mente alienum est minimeque cohaeret cum sententia sequenti, qua haec explicantur. Non minus errat Orellius putans hoc dicere scriptorem, *non perinde sibi esse*, qui proficiscatur, utrum homo fidelis an perfidus ac levis. Nam de eo satis dixerat; nunc aliud addit, quo suam in scribendo tarditatem excuset. Nesciebat enim, ubi Atticus moraretur, in Epiro an apud Antonium an Sicyone. Cf. ep. 16, 16. Poterat scribi: — *quod mihi non bonus est, ut quisque in E. proficiscitur* ɔ: quoties aliquis in E. proficiscitur, mihi non utilis est. De hoc usu v. *bonus* cf. Kritz. ad Sall. Iug. 17, 5 et 82, 2. Alii malent: *non prodest* aut *non ex usu est*, quod in mentem venit Bernardo ten Brink, l. c.

caesis apud Amaltheam tuam victimis. Diis faciebant imperatores ad bellum profecturi. Lepide hoc transfert in Atticum, qui constituerat Sicyonem oppugnare ɔ: Sicyonem petere, ut nummos a debitoribus exigeret. Cf. ep. 19, 9 h. l. — *Amaltheum* (ep. 16, 15 et 18 h. l. Leg. II. 3, 7) erat nomen praedii Epirotici ad flumen Thyamin, sic dicti ab antiquo sacello Amaltheae Nymphae (cf. II. 20, 2), quod Atticus epigrammatis Graecis et anaglyphis mythicis exornavit. Cf. Orell. Onom. Tull. p. 33.

ad Sicyonem oppugnandam. Ita scripsi cum Lambino. Male ceteri editores propagarunt errorem codd. *oppugnandum*. Deberet saltem esse *ad oppugnandum Sicyonem;* quamquam ne hoc quidem Tullianum esse demonstravit Madvigius Op. Acad. I. p. 380 seqq. cff. quoque Reisigii Schol. § 441. Nam de nominis genere nulla dubitatio est. Ut Graeci constanter τὴν Σικυῶνα vocant, sic feminini generis adiectivum addunt Ovidius in Ibide 319, Iuvenalis Sat. III. 69, Statius Theb. IV. 50.

§ 2. *Primum* cet. Saepe scriptores in enumerando post primum membrum orationis formam mutant, ut a multis est observatum, e quibus unum laudo Madvigium ad. Cic. Fin. p. 37, cuius animadversiones l. c. p. 9, 86, 460 cavebunt, ne repetitio eiusdem vocabuli (*primum — primum*), praesertim diversa vi positi, quemquam offendat. De quo loco

me tuum res dignae litteris nostris, sed non committendae eiusmodi periculo, ut aut interire aut aperiri aut intercipi possint. Primum igitur scito primum me non esse rogatum sententiam praepositumque esse nobis pacificatorem Allobrogum, idque admurmurante senatu neque me invito esse factum; sum enim et ab observando homine perverso liber et ad dignitatem in re publica retinendam contra illius voluntatem solutus, et ille secundus in dicendo locus habet auctoritatem paene principis et voluntatem non nimis devinctam beneficio consulis. Tertius est Catulus, quartus, si etiam hoc quaeris, Hortensius. Consul autem ipse parvo animo et pravo tamen, cavillator genere illo moroso, quod

etiam consulendus I. F. Reitzius in Apologia libro de Ambiguis, mediis et contrariis praemissa, p. 18 sq.

primum me non esse rogatum sententiam. Loquitur de eo, quod factum est in senatu a M. Pisone, qui Kal. Ianuariis cum M. Messalla consulatum inierat. Recte Casaubonus hinc suspicatur superiore anno, qui erat post ipsius consulatum primus, Ciceronem primum sententiam dixisse. De ordine, quo consul sententias rogabat, praecipue legendi sunt Cicero Att. XII. 21, 1. Phil. V. 35 et Gellius N. A. IV. 10. E recentioribus cf. Beckeri Antiq. Rom. II. 2, p. 425 seqq.

pacificatorem Allobrogum. C. Pisonem dicit, de quo diximus ad ep. 1, 2. Non sine acerbitate hunc, qui in Gallia aliquem motum composuerat, *pacificatorem Allobrogum* nominat, quasi ob tantum de re publica meritum non indignus esset, qui sibi patriae conservatori praeponeretur. Nam quamquam Cicero dolorem iniuriae acceptae dissimulat, facile tamen apparet animo eum commoto fuisse, quum haec scriberet.

admurmurante senatu ɔ: improbante senatu suumque iudicium rumore indicante. *Admurmurare* plerumque in malam partem ponitur, *acclamare* in bonam; sed etiam contrarium obtinet, ut Q. fr. II. 1, 2 et 3, ubi infesta *acclamatio* opponitur *secundis admurmurationibus.* Conferri potest v. ἐπιρροθεῖν, quod de clamoribus tam adversis quam secundis dicitur.

neque me invito ɔ: et tamen me non invito. Cf. de hoc usu particulae *neque* Att. I. 19, 4. II. 1, 4. 24, 2. VI. 9, 1. VII. 21, 3. X. 2, 1. Ochsnerus ad Cic. Ecl. p. 58. Brem. ad Corn. Ages. 1, 4.

liber et — solutus. Si vinctus fuisset beneficio consulis, ei gratum animum ostendere debuisset. Nunc nihil ei acceptum referens plane erat liber.

parvo animo et pravo tamen. Sequor cod. Medicei scripturam. Nam qui parvo animo sunt, saepe sunt homines boni; Piso vero coniungebat cum μικροψυχίᾳ animi perversitatem eratque, quod in tali homine non exspectares, cavillator. Nullius libri certa fide plerique minore distinctione post *pravo* posita scripserunt *tantum cavillator* cet. Si e codice Ms. esset, fortasse probarem.

cavillator genere illo moroso. Cavillatio est genus quoddam festivitatis, aequabiliter per totum sermonem fusum, diversum a *dicacitate,* quae cernitur in dictis brevibus et peracutis, in iaciendo mittendoque ridiculo. Vid. Orat. II. 218. Orat. 26 cum Goelleri adnot. Cicero h. l. tribuit M. Pisoni — nam de eo agit — cavillationem, sed minus urbanam, difficilem et stomachosam, denique ex illo genere, quod improbatur Orat. II. 251. Similiter fere de eo iudicat in Bruto 236: (M. Piso) *habuit a natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limaverat, quod erat in reprehendendis verbis versutum et sollers, sed saepe stomachosum, nonnunquam frigidum, interdum etiam facetum;* ubi *tamen* pro *etiam* cum Bakio (Mnemos. VI. p. 432) scribendum videtur. — *Mocosum,* quod Salmasius a Gr. μῶκος, *sannio,* derivatum (cf. Franc. *moqueur*) Ciceroni h. l. et Quinctiliano I. O. XI. 3, 183 obtrudere volebat, Latinis inauditum est.

nihil agens cum republica. Insolentia huius dicti offendit interpretes. Igitur Malaspina malebat *in re p.,* quod etiam in libris scriptis invenitur; Muretus *cum populo;* Peerlkampius illud idem sic enuntiatum putat: *nihil agens, cum a populo, tum seiunctus ab optimatibus.*

etiam sine dicacitate ridetur, facie magis quam facetiis ridiculus, nihil agens cum re publica, seiunctus ab optimatibus, a quo nihil speres boni rei publicae, quia non vult, nihil mali, quia non audet. Eius autem collega et in me perhonorificus et partium studiosus ac defensor bonarum. Qui nunc (non) leviter inter se dissident et vereor ne hoc, quod infectum est, serpat longius. 3. Credo enim te audisse, quum apud Caesarem pro populo fieret, venisse eo muliebri vestitu virum, idque sacrificium quum virgines instaurassent, mentionem a Q. Cornificio in senatu factam — is fuit princeps, ne tu forte aliquem nostrum putes —, postea rem ex senatus consulto ad pontifices relatam idque

Neque dubito, quin recte dicatur *nihil agere e re p.* Sed bene observat Matthiae ad Cic. Cat. III. 14, qui a consiliis de rep. se ipse removeat, dici nihil agentem cum rep., ut res publica per προςωποποιεῖν ipsa consilia inire fingatur.

nihil mali. Abieci his interpositum in plerisque codd. *speres.* Verbum cogitatione repetendum male repetierunt librarii; quod sententiae convenit *metuas,* adiecerunt primi editores et scriptor cod. Ravennatis. *Sperare* est exspectare.

in me perhonorificus ɔ: qui plurimum mihi honoris tribuit. Similiter II. 18, 1 *consalutatio forensis perhonorifica* Curioni impertitur.

qui nunc. Med. a prima manu habebat *quinymo* ɔ: *quin immo.* quod non Tullianum esse, sed serioris aetatis, quae delectaretur similium verborum coacervatione observat Handius Turs. III. p. 233. Atque h. l. ne *quin nunc* quidem ferri posse, quum in his verbis nulla gradatio sit, monuit Wesenbergius Emend. p. 123. Falso autem consules *leviter* inter se dissidere dicuntur. Quare non dubitavi locum dare praeclarae emendationi Peerlkampii mei, qui e scriptura cod. Med. eruit *qui nunc non,* deinde *sed* mutavit. Si maior esset auctoritas cod. Hispani, ex eo posset scribi: *qui nec leviter* cet.

et vereor ne hoc, quod infectum est, serpat longius. Perperam haec vulgo referuntur ad sacra Bonae Deae violata. Immo opponuntur iis, quae praecedunt neque ab iis divelli possunt. Cicero itaque dicit se vereri, ne discidium illud vel dissensio inter consules causa Clodiana ingravescat. Verebatur autem propterea quod exitum illius certaminis reipublicae perniciosum animo prospiciebat, id quod mox plane declarat. Locutionem *infectum serpit* explicuit I. F. Gron. ad Liv. XXVII, 20, 12.

§ 3. *apud Caesarem.* Vix recte abest praenomen *C.*, quod sane facile a librariis omitti potuit.

idque sacrificium quum virgines instaurassent. Quum sacra polluta essent, denuo erant facienda; qua in re *instaurare* est verbum legitimum. Cf. Q. fr. II. 6, 4. Liv. V. 19 in. *Virgines* autem sunt *Vestales,* quae aliquoties ἁπλῶς ita vocantur. Cf. Cic. Cat. III. 9. Brut. 236. Suet. Dom. 8.

mentionem — factam. — Mentionem alicuius rei in senatu facere omnibus senatoribus licebat; *referre ad senatum* ei tantum magistratui, qui senatum habebat. — Q. Cornificius, qui in annum 691 consulatum petierat (vid. ep. 1, 1), videtur fuisse praetorius, ut Cicero *aliquem nostrum* dicat aliquem e consularibus.

ne tu — putes ɔ: hoc propterea dico, ne tu — putes. De quo elliptico dicendi genere monuit Madv. ad Cic. Fin. II. 77.

ad pontifices. Collegium pontificum iudicabat de omnibus causis, quae ad sacra et religionem pertinebant. Ineptum additamentum cod. Z et Med. *ad virgines atque pontifices,* a Malaspina aliisque reiectum, infirmo argumento frustra defendit Meutznerus in Diar. Antiq. anni 1837, p. 433.

rogationem promulgasse „ut iudicium [extraordinarium] de pollutis sacris constitueretur. Cf. ep. seq." *Corradus.*

uxori Caesarem nuntium remisisse. Cf. ep. 12, 3. Plutarch. in Cic. 28, in Caes. 10.

boni viri et *optimus quisque* saepe dicuntur optimates, publicae salutis studiosi et populari levitati adversantes, οἱ ἄριστοι. Cf. Beierus ad Cic. Off. II. 43.

ab iis nefas esse decretum; deinde ex senatus consulto consules rogationem promulgasse, uxori Caesarem nuntium remisisse. In hac causa Piso amicitia P. Clodii ductus operam dat, ut ea rogatio, quam ipse fert et fert ex senatus consulto de religione, antiquetur, Messalla vehementer adhuc agit severe; boni viri precibus Clodii removentur a causa, operae comparantur, nosmet ipsi, qui Lycurgei a principio fuissemus, quotidie demitigamur, instat et urget Cato. Quid multa? vereor ne haec neglecta a bonis, defensa ab improbis, magnorum rei publicae malorum causa sit. 4. Tuus autem ille amicus — scin quem dicam? de quo tu ad me scripsisti, posteaquam non auderet reprehendere, laudare coepisse — nos ut ostendit admodum diligit, amplectitur, amat, aperte laudat, occulte, sed ita ut perspicuum sit, invidet: nihil come, nihil simplex, ἐν τοῖς πολιτικοῖς nihil illustre, nihil honestum, nihil forte, nihil liberum. Sed haec ad te scribam alias subtilius; nam neque adhuc mihi satis nota sunt et huic terrae filio nescio cui com-

Lycurgei ɔ: in oppugnando homine improbo acres, qualis fuit Lycurgus, orator Atticus, quem Cicero in Bruto 130 invidiosius *accusationem factitasse* scribit, Diodorus autem XVI. 88 πικρότατον κατήγορον appellat. Cf. praeter Dion. Halic. et Plutarchum (p. 841 D), quos citavit Bosius, Ammianum XXII. 9. XXX. 8. — In verbis *qui — fuissemus* cogitatione addas: *si Clodius statim reus factus esset* aut aliquid eiusmodi.

vereor, ne haec — causa sit. Plerique *sint* ex antiqua correctione. *Sit*, non tantum in Med. et Rav., sed a Lamb. in Z repertum, defendit Wesenbergius, Emend. p. 75 numeri quadam attractione ad proximum praedicatum. Sed potius haec explicanda sunt e quodam acumine. Quum posset scribere: *Vereor, ne haec causa neglecta — malorum causa sit*, semel posuit *causa* in extrema sententiae parte.

§ 4. *Tuus — ille amicus* cet. Quum superiores interpretes his verbis Cn. Pompeium indicari arbitrarentur, exstitit Tunstallus, qui in Epist. ad Middlet. p. 36 seqq. speciosis argumentis haec ad Hortensium spectare contenderet, et in suam sententiam perduxit Ernestum et Garatonium ad Plancianam, 85. Sed Hortensium egregie liberavit ab hac calumnia L. C. Luzacius in disp. docta de Q. Hortensio orat. p. 44—50, post quem Orellius in Onom. Tull. p. 471 et Abekenus op. 1, p. 51 ad Pompeium redierunt.

de quo tu scripsisti laudare coepisse pro *quem tu* cet. rarior constructio est, sed non sine exemplo etiam apud Ciceronem. cf. Kuhner. ad Tusc. V, 57. Haase ad Reisigii scholas adn. 375.

reprehendere res a Cicerone consule gestas, ut apparet ex epist. seq. § 1—3. Nullus liber Ms. favet Faerno ante hoc verbum *nos* scribenti.

aperte laudat, occulte — invidet. Hoc erat Pompeii. *Solet enim*, ita M. Caelius in Fam. VIII. 1, 3 de eo scribit, *aliud sentire et loqui, neque tantum valere ingenio, ut non appareat, quid cupiat.* Cf. Att. IV. 15, 7. Plut. Pomp. 30.

nihil illustre ɔ: nulla elatio, nulla altitudo. Mongaltius recte interpretatur: *ni élévation.* Wielandus errat vertens: *Kein Zug von Offenheit.* Quum vulgo edatur: *nihil* ἐν τοῖς πολιτικοῖς *honestum, nihil illustre* cum optimis codd. Z Ms. Rav. *illustre* ante *honestum* posui et cum Vahleno in Mus. Rhen. XIII. p. 297 *nihil* post vocabula graeca collocavi.

subtilius ɔ: accuratius, distinctius. Cf. II. 21, 1. *De rep. quid ego tibi subtiliter.* Oratores in probando et docendo utebantur *subtili* dicendi genere. Cf. Or. 69.

neque adhuc mihi satis nota sunt. Pompeius enim vixdum ex Asia in urbem redierat, neque de eo, quod acturus erat, certum affirmari poterat.

terrae filio. Sic appellantur homines obscuri. Cf. Cic. Fam. VII. 9, 3. Pers. Sat. VI. 56 seqq. Interpretis vicem praestat Tertullianus

mittere epistolam tantis de rebus non audeo. 5. Provincias praetores nondum sortiti sunt: res eodem est loci, quo reliquisti. *Τοποθεσίαν*, quam postulas, Miseni et Puteolorum includam orationi meae. »A. d. III Non. Decembr." mendose fuisse animadverteram. Quae laudas ex orationibus, mihi crede, valde mihi placebant, sed non audebam antea dicere; nunc vero, quod a te probata sunt, multo mihi *ἀττικώτερα* videntur. In illam orationem Metellinam addidi quaedam: liber tibi mittetur, quoniam te amor nostri *φιλορήτορα* reddidit. 6. Novi tibi

Apolog. 10: *terrae filios vulgus vocat, quorum genus incertum est,* unde profecit Minucius Felix in Octavio, 22, ubi scribit: *ignobiles et ignotos terrae filios nominamus.*

§ 5. *res eodem est loci.* Adverbia *eo* et *eodem* semper motum indicant, ut contra Handium docuit F. Haase in Diar. Antiq. 1838, p. 268. Sed *eo loci* (Cic. Sest. 68) et *eodem loci* ponitur de eo, quod est in loco. Vid. Handii Turs. II. p. 410 et 421, Haasii adnot. 534 ad Reisigii Scholas. Draegeri Hist. Synt. I. p. 414. Ceterum huius rei mentio fit ob Q. Ciceronem, qui superiore anno praetor fuerat. Idibus Martiis Asiam ei obtigisse Attico nuntiat h. l. 15, 1.

orationi meae. Quam dicat orationem, non liquet; in iis, quae supersunt, frustra quaeras. *Includere* solet iungi cum *in* et abl. vel acc. cf. ad IV. 16, 2. Raro cum dativo construitur, ut in Aen. II. 19.

A. d. III Non. Dec. — animadverteram c: Errorem in tempore constituendo a me in quadam oratione commissum ipse animadverteram, antequam tu de eo monueras.

In illam orationem M. addidi quaedam. Orationem habuerat mense Ianuario superioris anni contra concionem Q. Metelli Nepotis trib. pl., a quo consulatu abiens pro more verba ad populum facere fuerat prohibitus. Eius orationis fragmenta sunt in edit. Orell. alt. IV. p. 946 sq. — Forma *Metellina* immerito displicebat Spaldingio. Eam defendunt Reisigius in Scholis, p. 166 sq. et C. F. Hermannus in Epim. Vindic. Brutinarum, p. 25. — Similis constructionis exemplum dabit Cicero in ep. 53, lib. XII ad Att. *Eas in eundem fasciculum velim addas.* Cff. intt. ad. Liv. IV. 25, 13 et Kritzius ad Sall. Cat. 51, 21.

§ 6. *Novi tibi quidnam scribam? quid? etiam.* Formulam sermonis familiaris exemplis Tullianis illustravit Manutius, Att. II. 6 extr. II. 19, 5. VII. 3, 12. Q. fr. III. 1, 24. Sed nusquam ponitur *quidnam,* quod Ernestus hic stare posse negat, quoniam *etiam,* quod affirmantis est, illi interrogationi non conveniat. Propterea Orellius h. l. adscripsit: „Fort. *quid iam.*" Sed non opus est correctione, modo teneas *quidnam* non esse Gr. τί γάρ, sed τί; quo utuntur, qui paullo intentius quaerunt. Cf. Handii Turs. IV. p. 18 et II. p. 568, ubi haec verba sic explicat: „Novi tibi quidnam scribam? estne aliquid? Est vero."

HS. CXXXXIIII. Codd. scripti in hoc numero turbant. Vid. adnot. Orellii in edit. priore. E codd. Hispanis alter habet CXXXIIV, alter CXXXXIIII, Rav. CXXXIII. Retinui numeros cod. Med., etsi falsos puto cum Casaubono, qui recte iudicat Ciceronem, qui superiore anno domum Palatinam, quam M. Livius Drusus aedificaverat (Vell. Paterc. II. 14), de Crasso emerat HS. XXXV (vid. Fam. V. 6, 2) ɔ: tricies quinquies sestertio, suum factum defendere Messallae emptione, itaque requiri aut similem aut maiorem etiam summam. At HS. CXXXIV si explicamus *sestertium centies tricies quater,* pretium aedium omnem fidem superat; sin de milibus dictum volumus, adeo exigua summa cum Ciceronis emptione minime comparari poterit. Non male ille XXXVII ɔ: tricies septies hic legendum esse suspicatur.

bene emisse qui iusto pretio emunt, qui nimium magno emunt, *male emere* dicuntur. Cf. Att. II. 4, 1. Q. fr. I. 1, 33.

amicorum facultatibus. Erant qui dicerent Ciceronem, ut aedium pretium solveret, HS. vicies mutuum sumpsisse a P. Sulla, quem illo tempore defendere cogitabat. Gell. N. A. XII. 12. Fuerit falsum; amicorum certe facultatibus se adiutum esse non negat. Atque emptionem illam non caruisse invidorum reprehensione apparet ex ep. 16, 10 h. l.

Τεῦκρις *illa lentum negotium est.* Cf. quae diximus ad ep. 12, 1.

quidnam scribam? quid? etiam. Messalla consul Autronianam domum emit HS. cxxxiiii. Quid id ad me? inquies. Tantum, quod ea emptione et nos bene emisse iudicati sumus et homines intelligere coeperunt licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam pervenire. *Τεῦκρις* illa lentum negotium est, sed tamen est in spe: tu ista confice. A nobis liberiorem epistolam exspecta. VI Kalend. Febr. M. Messalla, M. Pisone coss.

est in spe. Esse in spe, in exspectatione, in timore dicitur, de quo aliquid speratur, exspectatur, timetur. Vid. Oudend. Scholia, p. 264 sq. Sed etiam active is, qui sperat cet. Cf. Handii Turs. III. p. 256 sq.

tu ista confice. Schutzius recepit Casauboni suspicionem: *Tu insta, confice.* Nihil muto, quum codd. lectio non inepta sit. Cicero vel in animo habebat illa *mandata*, de quibus iterum scribit ep. 14, 7, vel ipse debebat Attico et hoc modo significat se soluturum esse, si Teucris solvisset. Ita Atticus rogatur ut *ista* conficiat.

M. Messalla, M. Pisone coss. Vide quae notavi ad subscriptionem epistolae praecedentis.

XIV. (*A. U. C.* 693.)

1. Vereor ne putidum sit scribere ad te, quam sim occupatus, sed (ita) tamen distinebar, ut vix huic tantulae epistolae tempus habuerim atque id ereptum e summis occupationibus. Prima contio Pompeii qualis fuisset scripsi ad te antea, non iucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non gravis; itaque frigebat. Tum Pisonis consulis impulsu levissimus tribunus pl. Fufius in contionem produxit Pompeium — res agebatur in circo Flaminio et erat in eo ipso loco illo die nundinarum *πανήγυρις* —: quaesivit ex eo, placeretne iudices

§ 1. *putidum.* Vocabulum proprie dicitur de iis, quae gravi foetore molesta sunt et translate de iis, quae nimia diligentia peccant. Vid. Manut. ad Cic. Fam. VII. 5 extr. Zumptius ad I. Off. c. 37 recte observat sic dici quodcunque affectationis speciem habeat, quod nos dicimus *pedant.*

sed (ita) *tamen distinebar, ut.* Cod. Ambrosianus et Rav. *tamen ita*, ut legitur in nonnullis editt. antiquis. Orellius particulam potius ante v. *tamen* excidisse suspicatur, quod probo. Abesse certe non potest. In seqq. verbis *vix* quod vulgo ponitur post *huic*, cum cod. Rav. ei praeposui, ut infra XIII. 52, 1 *ita — ut vix*, IV. 16, 3. *ut vix satis.* Ubi maiorem vim adverbio tribuit, Cicero scripsit *vix ut.* Vid. Brut. 82 et 173.

ereptum. Lamb. *dereptum*, negans *eripere* huic loco convenire. Immo nihil aptius est.

scripsi ad te antea. Fortasse in liberiore illa epistola, quam in extrema ep. praec. promittit et quam Atticus ipsius rogatu discidisse videtur, ne in alienas manus deveniret.

beatis. Beati opponuntur *miseris.* Est in hoc nomine divitum aliqua invidia, ut recte monet Beierus ad or. p. Tull., 19.

frigebat. Verbum proprium de oratore, qui auditores magna exspectantes destituit, cuius oratione homines non delectantur. Pari ratione de tibicine ponitur in Bruto, 187.

in contionem produxit. Nemini ius agendi cum populo erat, nisi annuente magistratu, qui contionem habebat, qui eum *producit.* Exempla collegit Ellendt ad Brut. 217. Ipsi consules saepe in comitiis tributis a tribuno pl. producti dicuntur. vid. Matth. ad Sest. 33. Sed indignatur Cicero, quod Pompeius a *levissimo* homine produci se passus erat.

a praetore legi, quo consilio idem [praetor] uteretur. Id autem erat de Clodiana religione ab senatu constitutum. 2. Tum Pompeius μαλ' ἀριστοκρατικῶς locutus est, senatusque auctoritatem sibi omnibus in rebus maximam videri semperque visam esse respondit et id multis verbis. Postea Messalla consul in senatu de Pompeio quaesivit quid de religione et de promulgata rogatione sentiret. Locutus ita est in senatu, ut omnia illius ordinis consulta γενικῶς laudaret mihique, ut assedit, dixit se putare satis ab se etiam de istis rebus esse responsum. 3. Crassus posteaquam vidit illum excepisse laudem ex eo, quod sus-

res agebatur — *πανήγυρις.* Recte monet Casaubonus hanc loci et temporis notationem non esse otiosam. Contio habita est *in circo Flaminio* extra portam Carmentalem (Ascon. p. 81 K.), quia Pompeius triumphum exspectans ad urbem erat. Habita autem *nundinis*, quo maior esset populi frequentia. Nam quod Casaubonus putat Fufii levitatem in eo quoque cerni, quod nundinarum die concionem cogere ausus sit, tempora non satis distinguit. Olim nundinae fuerunt dies nefasti, Festus p. 173, Iul. Caesar apud Macrob. Sat. I. 16, 29, sed quum lege Hortensia a. u. 466 lata dies fasti facti fuerint, nemo iam dubitabat, quin recte illis et contio advocari potuerit et comitia haberi. Cf. Niebuhr, H. R. II. p. 242 seqq.

placeretne. Quod additur *ei* Med. in margine habet, Rav. omittit. Delevi ut non necessarium. *Placere* saepe absolute poni lexica docent.

iudices a praetore legi cet. Vulgo praetor e iudicibus selectis sortiebatur certum numerum ad singula iudicia; sed in causis gravioribus, quando metuendum erat, ne reus iudices corrumperet, praetor legebat iudices fiebatque iudicium extra ordinem. Simile quid factum est in iudicio Milonis, ubi hoc singulare accessit, quod iudices a Pompeio consule dati sunt. p. Mil. 21. Aliud exemplum quod affert Tunstallus p. 29 ex Epp. ad Q. fr. II. 1, huc non pertinet. Ceterum de quaestionibus extra ordinem habitis cf. Geibii historia iud. crimin. apud Rom. p. 219—225.

§ 2. *in senatu.* Habitus est tum extra urbem, fortasse in aede Bellonae; aliter Pompeius interesse non potuisset.

ab se. Recte emendatum est, quod in Med. Hisp. aliisque est *abs te.* Ante voces littera sibilante incipientes *ab* frequens est. Vid. Osann. ad Cic. de Repb. p. 81, et quos laudabo ad IV. 18,5.

de istis rebus. Pompeius, qui neminem offendere volebat, non aperte ad quaestionem consulis respondit, sed in universum SCta se absente facta laudavit, eoque ipso satis etiam de rebus a Cicerone gestis dixisse sibi videbatur. Haec igitur non pertinent ad religionem et rogationem promulgatam; nam tum Cicero scripsisset *de illis rebus* neque addidisset particulam *etiam.* Sed quum scribere potuisset *de meis rebus*, ut correxit Corradus, retinuit ipsius Pompeii verba non nimis honorifica: „*satis a me etiam de istis* (ɔ: *de tuis*) *rebus responsum puto*". Hanc esse verborum sententiam ex iis, quae de Crasso adduntur, apparet. cf Meutzner in Diar. Antiq. anni 1837, p. 436 sq. Ex eo, quod in marg. Crat. scriptum est *demptis rebus*, Tunstallus p. 35 eruit *de mei ipsius rebus*, quod optimum visum Martynio Cic. Ep. p. 229, cui non adsentior.

§ 3. *excepisse laudem* Cicero videtur scripsisse, quum vellet dicere eum consecutum esse laudem forte sibi oblatam. Usitatius esset *cepisse laudem*, quod Pluygers (Mnem. N. S. IX. p. 122) reposuit.

Locutus est ut ita diceret. Cicero aut scripsit: *locutus est ita, ut diceret*, aut quod Wesenbergio magis placebat: *locutus est, quum ita diceret.*

acceptum referre et *expensum ferre* sunt locutiones desumptae ab argentariorum tabulis. cf. Div. in Caec. 17, Verr. act. sec. II. 170, quae saepe ad alia transferuntur. cf. XI. 1, 2. XV. 19, 1.

pingere ɔ: luminibus orationis ornare Eodem spectant ληκύϑοι, quo nomine proprie dicuntur vasa, in quibus pigmenta servantur; quod transfertur ad orationis ornatum. *Pigmenta* dixit Att. II. 1, 1, Brut. 298, *ampullas* Horatius A. P. 97, unde natum Franc. —*style ampoulé*, quemadmodum oratio tumida et quasi calamistris inusta appellatur. cf. Weichert, poet. latin. vitae et carm. p. 387

picarentur homines ei consulatum meum placere, surrexit ornatissimeque de meo consulatu locutus est ut ita diceret se, quod esset senator, quod civis, quod liber, quod viveret, mihi acceptum referre; quotiens coniugem, quotiens domum, quotiens patriam videret, totiens se beneficium meum videre. Quid multa? totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere, de flamma, de ferro — nosti illas ληκύθους —, valde graviter pertexuit. Proximus Pompeio sedebam. Intellexi hominem moveri, utrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse praetermisisset, an esse tantas res nostras, quae tam libenti senatu laudarentur, ab eo praesertim, qui mihi laudem illam eo minus deberet, quod meis omnibus litteris in Pompeiana laude perstrictus esset. 4. Hic dies me valde Crasso adiunxit et tamen ab illo aperte tecte quicquid est datum, libenter accepi. Ego autem ipse, dii boni! quo modo ἐνεπερπερευσάμην novo

sq. — Magni momenti est hic locus, quem Plinius Ep. I. 2, 4 respexit, ad ingenium eloquentiae Tullianae cognoscendum, de quo prudenter et acute disp. Bakius in Schol. hypomnematis, I.

pertexuit, ɔ: explicuit et quasi telam absolvit.

Proximus Pompeio sedebam e cod. Mediceo et Rav. restitui, quum codicum in quibus fuisse dicitur: *proxime Pompeium sedebam* dubia sit auctoritas nec Diomedis tanta, ut scribendum sit: *Proximus Pompeium sedebam.*

moveri utrum Crassum inire — an esse tantas res nostras. Insolentior constructio pro: utrum eo quod Crassus iniret — an quod tantae essent res nostrae cet. De constructione acc. cum infin. post interrogandi particulas egit G. T. A. Krugerus, Unters. aus dem Gebiete der lat. Sprachlehre, fasc. I. p. 10 seqq. In hac forma orationis *utrum — an* non ponitur, sed solum *an.* cf Madvigii gramm. lat. § 221 adn. 3 meae interpr. Ergo quod in Med. initio scriptum erat et in Rav. legitur *verum* non correctum est in margine adscripto *utrum,* sed videtur scribendum: *moveri, incertum utrum* cet. cf. Wes. emend. alt. p. 84.

meis omnibus litteris. „Exquisite pro scriptis libris, orationibus imprimis". Ern. Tyrrell recepit post *meis* ex ed. Ro. *orationibus* et *omnibus litteris* interpretatur *in every letter* ɔ: sine ulla exceptione. Ego codicum scripturam retineo. *Litteras* pro scriptis libris posuit Cic. Fam. VII. 19. de Div. II. 5. De re vide prae ceteris de imp. Cn. Pomp. 28. cf. Sall. Cat. 48.

in Pompeiana laude ɔ: dum Pompeius a me laudatur. cf. Handii Turs. III. p. 258.

§ 4. *ab illo* ɔ: a Pompeio.

quicquid est datum, lib. accepi. Fin. II. 82 *accipio, quod dant,* Fam. I. 1, 2. *Quod dat accipimus,* ad quae verba Rostius in Obs. Crit. Spec. I. p. VI observat esse locutionem proverbialem, qua indicatur contentum esse aliquem eo, quod alter pro arbitrio suo praestare velit.

aperte tecte. Casaubonus, Gronovius aliique *aperte* trahunt ad *accepi;* perperam hoc quidem. Recte Matth. explicat: *sive aperte, sive tecte,* de quo dicendi genere vid. Reisigii Schol. § 455.

ἐνεπερπερευσάμην. *venditavi me et iactavi.* Est ἅπαξ λεγόμενον. Verbo simplici utitur Paulus in epist. ad Corinth. I. 13, 4, ἡ ἀγάπη οὐ περπερεύεται, quo spectat glossa Hesychii περπερεύεται, κατεπαίρεται. Optime de hac voce disp. Gatakerus ad Marcum Anton. V. 5, qui e reduplicato περί ortam suspicatur. E Graeco πέρπερος i. e. κομψός, ἀλαζών fluxit Lat. *perperus,* quod Nonius p. 150 Merc. expl. *indoctos, stultos, rudes, et insulsos, mendaces.* Posterior interpretatio vera.

περίοδοι, καμπαί, ἐνθυμήματα, κατασκευαί Multus est in explicandis his vocabulis I. C. T. Ernestus in Lex. Technol. Gr. Rhet., qui duo priora ad elocutionem, posteriora ad confirmandi amplificandique

auditori Pompeio! Si unquam mihi *περίοδοι*, si *καμπαί*, si *ἐνθυμήματα*, si *κατασκευαί* suppeditaverunt, illo tempore. Quid multa? clamores. Etenim haec erat *ὑπόθεσις* de gravitate ordinis, de equestri concordia, de consensione Italiae, de intermortuis reliquiis coniurationis, de vilitate, de otio. Nosti iam in hac materia sonitus nostros: tanti fuerunt, ut ego eo brevior sim, quod eos usque istim exauditos putem. 5. Romanae autem se res sic habent: senatus *Ἄρειος πάγος*· nihil constantius, nihil severius, nihil fortius; nam quum dies venisset rogationi ex senatus consulto ferendae, concursabant barbatuli iuvenes, totus ille grex Catilinae, duce filiola Curionis, et populum ut anti-

studium refert. Latine dixeris circuitus, conversiones, conclusiones ex contrariis, confirmationes. Enthymematis vim eleganter exposuit Wielandus in adn. ad h. ep. I. p. 287 seqq.

suppeditaverunt ɔ: praesto fuerunt, abundarunt. *Suppeditare* et *superare*, plane ut Gr. εὐπορεῖν modo active modo intransitive poni ad satietatem usque monuerunt editores, Beier. ad Off. I. 44. Forbiger ad Lucr. de R. N. I. 548, Kritz. ad Sall. Cat. 20, 11. Lobeck ad Phryn. p. 595. Male negat Ellendt. ad Brut. 105.

clamores np. excitavi. Clamores saepe dicuntur de plausu. Vid. loci ab Ellendtio citati ad I. de Orat. 152. — Distinctio a Lambino proposita *clamores (etenim... nostros) tanti fuerunt* dura est et adversatur consuetudini Tullianae, qui et post illa *quid multa? quid quaeris?* breviter concludere solet et post longiorem parenthesin sententiam instaurare particulis *igitur, sed, verumtamen,* similibus.

de intermortuis reliquiis coniurationis ɔ: de coniuratione fracta et oppressa, non penitus exstincta. Cf. imprimis Garat. ad Milon. § 12.— Lambini coniectura, ita scribentis pro *immortuis*, confirmatur corruptela codicis Hispani *deinde in mortuis*.

de vilitate np. annonae, quod omittitur quoque Verr. III. 216 *Biennium provinciam obtinuit, quum alter annus in vilitate, alter in summa caritate fuerit.* Quae res ne cui tantis rebus interiecta levior videatur, cf. ea, quae leguntur in orat. de imp. Cn. Pomp. 44. Alibi quoque librarii *vilitati* substituerunt *utilitatem*, ut de Off. III. 52, quo loco in omnibus fere codd. legitur *tritici utilitas*, sed sententia postulat, ut recipiatur e duobus libris Bern. *tritici vilitas*. Alia collegi exempla in meis Obss. crit. p. 41. Etiam in Verr. L. III. 215 in optimo cod. Lagom. *utilitate* scriptum erat pro *vilitate*.

sonitus, verba grandisona, ψόφους. Cf. Ernesti Lex. Technol. Lat. Rhet. p. 364. Ellendt Orat. II. p. 39 vocabulum a vi et fragore torrentis sumptum suspicatur.

usque istim. Hand. in Turs. III. 463 haec male interpretatur „usque ab eo loco, ubi tu es i. e. ultra eum locum, longius etiam". Nihil aliud dicit, quam usque ad eum locum, ubi tu es. Sic Livius XXX. 30, 8. Hannibalem dicentem facit: *nos ab Carthagine fremitum castrorum Romanorum exaudimus* et XXVI. 13, 13, *liberi, quorum ploratus hinc prope exaudiebatur,* ubi *hinc* est *a senatu.* In his *ab Carthagine* et *hinc* indicant locum, ex quo ab iis, qui ibi erant, fremitus et ploratus auditus sit. Formas *istim* et *illim,* quae in optimis codd. aliquoties leguntur, ex analogiae legibus defendit Wesenberg, Emend. Epistt. p. 124 sq. Cf. Lachm. ad Lucr. p. 189. Hand. Turs. III. 212 et 463, imprimis Ritschl. in Nov. Mus. Rhen. VII. 472 seqq. In Med. est *istinc.* Verbum *exaudire* illustr. Garatonius ad Milon. c. 25 in.

§ 5. *barbatuli iuvenes.* In sociis Catilinae ultimo loco recenset „quos pexo capillo nitidos, aut imberbes aut bene barbatos" videbant, Cat. II. 22. Cf. p. Coel. 33. ubi horridae antiquorum barbae opponitur *barbula.* Hanc qui gerebant h. l. et ep. 16, 11 *barbatuli iuvenes* appellantur, illi *barbati* erant.

filiola Curionis. Acerbe sic vocatur C. Scribonius Curio *suae alienaeque pudicitiae prodigus,* ut dicitur a Vell. Pat. II. 48, 3. Fortasse tum erat in potestate P. Clodii, ut postea M. Antonius eius libidini inserviit. cf. Phil. II. 44. seq. Pari irrisione *Fufidius* vocatur *ancilla turpis* in orat. Lepidi in Sall Hist. I., et saepius feminarum nomina viris

quaret rogabant: Piso autem consul, lator rogationis, idem erat dissuasor; operae Clodianae pontes occuparant; tabellae ministrabantur ita, ut nulla daretur VTI ROGAS. Hic tibi (in) rostra Cato advolat, convicium Pisoni consuli mirificum facit, si id est convicium, vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis: accedit eodem etiam noster Hortensius, multi praeterea boni; insignis vero opera Favonii fuit. Hoc concursu optimatium comitia dimittuntur, senatus vocatur. Quum decerneretur frequenti senatu, contra pugnante Pisone, ad pedes omnium singillatim accidente Clodio, ut consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam, homines ad xv. Curioni nullum senatus consultum facienti assenserunt; ex altera parte facile cccc. fuerunt. Acta res est. Fufius † tertium concessit; Clodius contiones miseras habebat, in quibus Lucullum, Hortensium, C. Pisonem,

imponuntur. Cf. Heindorf ad Hor. Sat. I. 8, 39.

Hic tibi rostra C. advolat. Phil. VIII. 11, *Hic mihi etiam Q. Fufius — commemorat.* Fam. V. 15, 4, *Hic tu me ab ea abesse urbe miraris.* VIII. 2, 4. *Hic tibi strepitus.* In talibus locis *hic* recte a Cortio ad Sall. Cat. 52, 11 explicatur *rebus ita comparatis.* Dativus pronominum *mihi, tibi* effectui loquentis declarando inservit, ideoque *ethicus* vocatur, nomine a Buttmanno ad Dem. in Mid. primum reperto. Hoc loco indignationem exprimit; nunquam otiose ponitur. Vid. Kritz. ad Sall. l.l. et Ochsnerus ad Cic. Ecl. p. 107 et 312, ubi copia exemplorum laudatur.

rostra advolat. „Durior est omissio praepositionis, sed non sine exemplo, saltem apud poetas". Ern. Ciceronis est *in rostra C. advolat.* cf. II. 13. *advola in Formianum.* Mur. 85 *in agros suburbanos repente advolabit.*

convicium — facit, ɔ: perstringit. Cf. XVI. 8, 2. *Convicium* proprie est, quum in unum plures voces conferuntur, ut ait Ulpianus in l. 15, § 4. Dig. de iniuriis; sed indicat quoque unius admonitionem cum contumelia fere coniunctam.

optimatium. Haec genitivi forma et analogia (cf. Wesenb. ad Tusc. V. 74) et bonorum librorum auctoritate nititur. Formam contractam *optimatum* in II de Invent. 52 dubiam vocat Haase ad Reisigii Schol. n. 82; infra IX. 1. 2 potius librarii cod. Med. errori, quam Ciceroni tribuenda videtur. Cf. Exc. XV Osanni ad Cic. de Repb.

comitia dimittuntur. Placet ingeniosa Mureti coniectura *dirimuntur,* ut est in Ascens.

singillatim. Codices fere variant, praeter hanc formam saepe *singulatim* praebentes. Cf. Schneider. ad Caes. B. G. III. 2, 3. Zumpt. ad Verr. p. 36. Th. Bergk, kleine philol. Schr. I p. 638. In libris de Inventione optimi libri quater *singillatim* dant idque habet cod. Erfurt. in or. Balb. 19. Gud. opt. Tusc. V. 94.

Curioni. De patre intelligendum esse, filio tum nondum in senatum admisso, vidit Corradus, argumentum petens ex epist. 24, lib. II.

nullum SCtum facienti ɔ: ut recte interpretatur Drak. ad Liv. XXVII. 25, 3. *Sctum non faciendum censenti.* cf. Fam. VIII. 9, 5. Livius III. 40. Pro eo Cicero ad Q. fr. II. 12, 3 scripsit *nihil decernendum censere.* Curio cur ita censeret hanc causam poterat afferre, quod senatus habebatur die comitiali.

Acta res est. „Mire Cicero narrationem rei actae plenam sic concludit, ut actam dicat. Scribendum: *Accepta res est,* hoc est, comprobata et senatus consulto confirmata". Madv. A. C. III. p. 166.

Fufius † tertium concessit. Errorem librarii oscitantis egregie sustulit Graevius in Add. p. 305 corrigens: *territus concessit* ɔ: SCtum non impediit. Nam, quae de intercessione Fufii, quam verebatur Hortensius, ep. seq. narrantur, adeo non obstant his verbis, ut potius gravissime confirment in senatu nunc *concessisse* Fufium, sed se reservasse comitiis legi ferendae.

me — comperisse omnia. Ciceronem arguebant adversarii in causa Catilinaria hoc verbo usum esse pro argumento. Cf. Fam. V. 5, 2. Acad. IV. 62.

Messallam consulem contumeliose laedebat, me tantum comperisse omnia criminabatur. Senatus et de provinciis praetorum et de legationibus et de ceteris rebus decernebat, ut ante, quam rogatio lata esset, ne quid ageretur. 6. Habes res Romanas; sed tamen etiam illud, quod non speraram, audi. Messalla consul est egregius, fortis, constans, diligens, nostri laudator, amator, imitator. Ille alter uno vitio minus vitiosus, quod iners, quod somni plenus, quod imperitus, quod ἀπρακτότατος, sed voluntate ita καχέκτης, ut Pompeium post illam contionem, in qua ab eo senatus laudatus est, odisse coeperit. Itaque mirum in modum omnes a se bonos alienavit neque id magis amicitia Clodii adductus fecit quam studio perditarum rerum atque partium; sed habet sui similem in magistratibus praeter Fufium neminem. Bonis utimur tribunis pl., Cornuto vero Pseudocatone. Quid quaris? 7. Nunc ut ad privata redeam, Τεῦκρις promissa patravit. Tu mandata effice, quae

de legationibus. Legatis exterarum nationum audiendis vacare solebat senatus mense Februario, nisi aliae res impedirent. Cf. ep. 18, 7. Fam. I. 4, 1. Q. fr. II. 13, 3. Wunderus ad Planc. 33.

§ 6. *uno vitio minus vitiosus.* Dicit Cicero Pisonem plenum vitiorum fuisse, uno tarditatis vitio excepto, quod ipsum in alio fere reprehendendum, in homine perverso virtus quaedam est, certe aliorum vitiorum impedimentum. cf. Ovid. Metam. XII. 554. *Bis sex Herculeis ceciderunt, me minus uno, Viribus,* et qui multis exemplis hanc constructionem illustravit I. F. Gronovius Obs. II. 1, p. 170.

ἀπρακτότατος. cf. ep. 13, 2 *nihil agens cum re publica.*

Quid quaeris? Casaubonus observat post hanc quaestionem aliquid excidisse, quum sic nude nunquam ponatur. Cui ita assentior, ut verba transpositione sananda putem hoc modo: *Bonis utimur tribunis plebis, Cornuto vero — quid quaeris? — Pseudocatone.* cf. ep. 16, 4 *triumphabat — quid quaeris? — Hortensius.* — Cornutus ille postea praetor Ciceronis reditum adiuvit. Or. ad sen. post red. 22. E nummo constat eum fuisse *C. Caecilium Cornutum.* cf. Borghesi Oeuvres I. p. 463, seq.

§ 7. Τεῦκρις. cf. ad ep. 12, 1. *Promissa patravit.* Cave putes aliquid obsceni vel mali in v. *patrare* inesse, quod Casaubono visum fuisse miror. cf. Kritz. ad Sall. Iug. 21, 2. Ob antiquitatis colorem posuit Cicero in verbis legis Leg. II. 8, 19. *operibus patratis* ɔ: perfectis, consummatis.

Argiletani aedificii. Argiletum (Att. XII. 32, 2), erat pars urbis post templum Pacis in Foro Romano usque ad Suburam sita. Vid. Beckeri Antiq. Rom. I. p. 253—261 et in libello de topogr. urbis ad Urlichsium p. 17 seqq. De nominis origine varia commenta protulit Servius ad Aen. VIII. 345. Probabilis eorum opinio, qui ab argilla dictum putabant, apud Varr. de L. L. V. 157.

reliquum dodrantem. Quadrantem iam habebat ex hereditate; quae deerant emit a coheredibus.

venditat ɔ: venale proponit, proscribit. Similis potestas v. *captare, adventare, dormitare,* ut recte observat Corradus in Quaest. p. 376 sq. ed. Ernest.

Cum L. in gratiam redii, scripsi de Madvigii coni. Vulgo *redi.* „Scilicet Cicero, qui tum una cum Lucceio Romae erat, absentem Atticum non hortatur, ut cum eo gratiam reconciliet, sed *se* cum eo in gratiam *redisse* certiorem facit, additque se propterea petiturienti operam navaturum." Wesenb. Emend. alt. p. 85. In cod. Rav. post *redi* littera est erasa.

hominem sine ullo contemptu ponit loco pronominis *illum,* ut § 3 de Pompeio. Vid. interpretes laud. a Kritzio ad Sall. Iug. 70, 5.

petiturire ɔ: gestire se candidatum profiteri. Rem confirmat locus ex ep. 17, 11. *Lucceium scito consulatum habere in animo statim petere.*

recepisti. Quintus frater, qui Argiletani aedificii reliquum dodrantem emit HS. DCCXXV., Tusculanum venditat, ut si possit emat Pacilianam domum. Cum Lucceio in gratiam redii: video hominem valde petiturire; navabo operam. Tu quid agas, ubi sis, cuiusmodi istae res sint, fac me quam diligentissime certiorem. Idibus Febr.

XV. (*A. U. C.* 693.)

1. Asiam Quinto, suavissimo fratri, obtigisse audisti; non enim dubito, quin celerius tibi hoc rumor quam ullius nostrum litterae nuntiarint. Nunc, quoniam et laudis avidissimi semper fuimus et praeter ceteros φιλέλληνες et sumus et habemur et multorum odia atque inimicitias rei publicae causa suscepimus, παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο curaque et effice, ut ab omnibus et laudemur et amemur 2. His de rebus plura ad te in ea epistola scribam, quam ipsi Quinto dabo. Tu me velim certiorem facias, quid de meis mandatis egeris, atque etiam, quid de tuo negotio; nam, ut Brundisio profectus es, nullae mihi abs te sunt redditae litterae. Valde aveo scire quid agas. Id. Martiis.

§ 1. *Asiam Quinto — obtigisse audisti.* In sortitione provinciarum inter praetores facta. Senatus igitur a superiore sententia (ep. 14, 5) recesserat, non inconstantia quadam, sed temporibus cedens aliaque ratione Clodium facilius damnatum iri credens.

non enim dubito cet. Simile fere est exordium epist. I. 1 ad Q. fr.

παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο, ex Iliad. XXII. 268. Sperabat Cicero, fore ut Atticus in Asiam cum Quinto iret. Ep. seq. 14. Corn. Nepos in Att. 6. „Sed etiamsi non iret, Atticus tamen monendo et praecipiendo poterat efficere, ut provincia Quinto et propter eum Marco quoque laudem afferret et hominum amorem.

ab omnibus, de solis Asianis et Graecis accipiendum esse, recte monet Wielandus.

§ 2. *ut Brundisio profectus es. Ut* temporale = ex quo saepius in Ciceronis scriptis legitur. cf. V. 10, I. VII. 15, 1. Brut. 19. 305.

XVI. (*A. U. C.* 693.)

1. Quaeris ex me quid acciderit de iudicio, quod tam praeter opinionem omnium factum sit, et simul vis scire quo modo ego minus, quam soleam, proeliatus sim: respondebo tibi ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς. Ego enim, quam diu senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter et vehementer proeliatus sum, ut clamor concursusque maxima cum mea laude fierent; quodsi tibi unquam sum visus in re publica fortis, certe

§ 1. ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς. Si ita scripsit Cicero, et illud Ὁμηρικῶς non alia manu additum est, haec scripsit e mente Aristotelis, perverse ita de Homeri carminibus iudicantis.

proeliatus sum ɔ: contendi. Utitur Cicero vocabulo ex Attici epistola desumpto, in eaque metaphora egregie permanet.

senatus auctoritas est id, quod senatus paulo ante decrevit, ut populus ad rogationem de Clodio accipiendam excitaretur. Cf. ep. 14, 5.

me in illa causa admiratus esses. Quum enim ille ad contiones confugisset in iisque meo nomine ad invidiam uteretur, dii immortales! quas ego pugnas et quantas strages edidi! quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum feci! quo modo sum insectatus levitatem senum, libidinem iuventutis! Saepe, ita me dii iuvent! te non solum auctorem consiliorum meorum, verum etiam spectatorem pugnarum mirificarum desideravi. 2. Postea vero quam Hortensius excogitavit, ut legem de religione Fufius tribunus pl. ferret, in qua nihil aliud a consulari rogatione differebat nisi iudicum genus — in eo autem erant omnia —, pugnavitque ut ita fieret, quod et sibi et aliis persuaserat nullis illum iudicibus effugere posse, contraxi vela perspiciens inopiam iudicum, neque dixi quicquam pro testimonio, nisi quod erat ita notum atque testatum, ut non possem praeterire. Itaque, si causam quaeris absolutionis — ut iam πρὸς τὸ πρότερον revertar —, egestas iudicum fuit et turpitudo. Id autem ut accideret, commissum est Hortensii consilio, qui dum veritus est ne Fufius ei legi intercederet, quae ex senatus consulto ferebatur, non vidit illud satius esse illum in infamia relinqui ac sordibus quam infirmo iudicio committi; sed ductus odio properavit rem deducere in iudicium, quum illum plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret. 3. Sed iudicium si quaeris quale fuerit, incredibili exitu sic, uti nunc ex eventu ab aliis, a me iam ex ipso initio consilium Hortensii reprehendatur. Nam ut reiectio facta est clamoribus maximis, quum accusator tamquam censor bonus homines nequissimos reiiceret, reus tamquam clemens lanista frugalissimum

§ 2. *de religione* sc. violata, de pollutis sacris.

pugnavitque, ut ita fieret. Non solum summa ope contendit, ut lex Fufia perferretur, sed id asseeutus est. Itaque cum Pluygersio scribendum videtur *expugnavitque.*

contraxi vela ɔ: coepi me reprimere, minus contendi. Saepe locutiones nauticae *vela dare* et *vela contrahere* a poetis et scriptoribus ad alia transferuntur.

dixi pro testimonio ɔ: testis dixi. Cf. Verr. L. I. 126. II. 16.

dum veritus est — non vidit ɔ: qui ipso metu impeditus est, quominus videret. Est hic locus unus ex paucis, ubi Cicero *dum* temporale cum perfecto iunxit, de qua re vid. Reisig. Schol. p. 496 cum adnot. editoris.

in infamia relinqui et sordibus ɔ: reum manere, sed non in iudicium deduci.

plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret, ɔ: ut supra scripsit, nullis illum iudicibus effugere posse. *plumbeus* pro obtuso, hebeti ponitur, ut de homine in Ter. Heaut. V. 1, 4 et Cic. Tusc. I. 71. Notanda vis particulae *tamen* elliptica, de qua dixit Beierus ad Orat. p. Tullio p. 54, minus recte illud post solos ablativos inveniri iudicans. Diligentius quaestionem tractavit et exemplis illustravit Ellendt ad Orat. II. p. 208 sq.

§ 3. *incredibili exitu sic* ɔ: iudicium propter exitum insperatum sic fuit, tale fuit. *Sic est* = hoc modo se habet. Cf. Rosc. Am. 84: *Sic vita hominum est.*

a me iam ex ipso initio. Codd. *tamen.* Madvigius correxit *a me iam* cet, quod merito probavit Wesenb. ad Tusc. IV. 7. *ex initio* respondet praecedenti *ex eventu.* Vulgo dicitur *ab initio.*

quemque secerneret, ut primum iudices consederunt, valde diffidere boni coeperunt; non enim unquam turpior in ludo talario consessus fuit: maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam aerati, quam, ut appellantur, aerarii. Pauci tamen boni inerant, quos reiectione fugare ille non potuerat, qui maesti inter sui dissimiles et maerentes sedebant et contagione turpitudinis vehementer permovebantur 4. Hic, ut quaeque res ad consilium primis postulationibus referebatur, incredibilis erat severitas nulla varietate sententiarum, nihil impetrabat reus, plus accusatori dabatur quam postulabat, triumphabat — quid

reiectio. Ex iudicibus sorte datis et accusator et reus nonnullos reiicere poterant. Numerus pro iudicii natura erat diversus. Cf. Geibii op. laud. p. 307 seq.

accusator. εἷς τῶν δημάρχων, ut refert Plut. in Caes. 10 et quidem L. Lentulus, qui a 705 cum C. Marcello consul fuit, subscribentibus duobus aliis Lentulis. Vid. Schol. Ambros. ad Orat. in Clod. et Curion. V. 3, p. 336 Or. coll. de Harusp. Resp. 37 et Val. Max. IV. 2, 5. Inter subscriptores memoratur quoque C. Fannius, infra II. 24, 3.

clemens lanista. Lanistae non omnes servos coemptos in ludum dabant, sed homines frugi seponebant, plerumque non clementia, sed maioris lucri spe moti. Sic Clodius in hoc iudicio empto iudices integerrimos reiecerat, quasi lanistae partes ageret. cf. Gron. Observ. I. 8.

in ludo talario. Ludus talarius, qui nominatur etiam de Off. I. 150, non est, ut vulgo dicunt locus, quo aleatores conveniunt, sed idem qui in Quintiliani I. O. XI. 3, 58 app. ludus *talaris*, ludus, in quo citharoedi vel histriones stola ad talos demissa induti prodibant, ut homines de plebe delectarent. Cff. meae Obss. crit. p. 41.

maculosi senatores. Maculosi sunt vitae sordibus insignes, avaritia et libidine foedi, infamiae maculis conspersi. cf. Tacit. Ann. XIII. 33. Hist. I. 7. II. 30. III. 38; minime vero, ut Gronovio, Beiero et Matthiae placuit, *a censoribus notati.* Quis enim credat, tales homines a praetore in album fuisse relatos?

nudi equites sunt inopes. Ita vocab. accipiendum est p. Flacco, 51. *Quem tu — semper nudum esse voluisti,* et Clodius ex iudicio tanquam e naufragio *nudus* emersisse dicitur apud Cic. in Clod. I. 6.

tribuni non tam aerati, quam ut appellantur aerarii. Tribuni aerarii erant homines de plebe, ex censu ad iudicia vocati, quos suspicari licet plerumque fuisse *aeratos* i. e. aere opertos, bene nummatos, locupletes. Illi ex lege Aurelia una cum senatoribus et equitibus iudicia exercebant; sed in hoc iudicio erant vere *aerarii* homines, digni qui tribu moverentur et inter aerarios referrentur. Suspicio G. Meutzneri voc. *aerati* corruptum esse ex *aerari* vel propterea reiicienda videtur, quod *tribuni* illi nomen non habebant ab *aerario*, sed ab aere. vid. Madvigii Opusc. Acad. II. p. 242 seqq.

maesti — et maerentes. Hoc plus est quam illud. Maestitia vultu, maeror verbis et fletu ostenditur. Sic in Orat. 74 post tristem Calchantem *maestior* Ulixes, *maerens* Menelaus inducitur et Fam. IV. 6, 2 post *maestum* sequitur *maerens.* Quod Madvigius A. C. III. p. 166 coniecit *mirantes* reiicio.

contagione turpitudinis. „Quod timebant, ne ipsi absoluto Clodio in infamiam corruptionis venirent.” Ern.

§ 4. *primis postulationibus.* Postulare proprie dicitur is, qui praetorem rogat, ut liceat sibi alicuius nomen deferre; sed hic latius patet et hoc nomine continentur quaecunque et accusator et reus in iudicio sibi concedi postulabant.

impetrabat. Scripsi pro *impetrarat* de necessaria Lambini correctione. cf. Wesenb. Emend. p. 29.

triumphabat ɔ: valde laetabatur. cf. Caesar in epist. infra IX. 16. Cic. p. Cluent. 14. Gronovius recte monuit esse verbum Terentianum, et exempla posuit in adnot. ad Eun. III. 1, 3. Sed huc non debet referri locus ex ep. 12, lib. II. ad Fam. § 3, ubi Caelio dicenti Ciceronem e provincia *spem triumphi* esse consecutum, hic respondet: *Satis gloriose triumpharem, si non essem equidem tamdiu in desiderio rerum mihi carissimarum* ɔ: celer

quaeris? — Hortensius se vidisse tantum, nemo erat, qui illum reum ac non milies condemnatum arbitraretur. Me vero teste producto credo te ex acclamatione Clodii advocatorum audisse quae consurrectio iudicum facta sit, ut me circumsteterint, ut aperte iugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. Quae mihi res multo honorificentior visa est quam aut illa, quum iurare tui cives Xenocratem testimonium dicentem prohibuerunt, aut quum tabulas Metelli Numidici, quum eae, ut mos est, circumferrentur, nostri iudices adspicere noluerunt; multo haec, inquam, nostra res maior. 5. Itaque iudicum vocibus, quum ego sic ab iis, ut salus patriae, defenderer, fractus reus et una patroni omnes conciderunt; ad me autem eadem frequentia postridie convenit, quacum abiens consulatu sum domum reductus. Clamare praeclari Ariopagitae se non esse venturos nisi praesidio constituto. Refertur ad consilium; una sola sententia praesidium non desideravit. Defertur res ad senatum; gravissime ornatissimeque decernitur, laudantur iudices, datur negotium magistratibus, responsurum hominem nemo arbitrabatur. **Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι, ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε.** Nosti Calvum † ex Nanneianis, illum laudatorem meum, de cuius oratione

reditus in urbem esset mihi triumphus satis gloriosus. Ita enim ille locus scribendus et explicandus est.

se vidisse tantum ɔ: tam acute vidisse, tam bonum consilium invenisse, ut interpr. I. F. Gronovius in Diatr. Stat. c. 29.

ac non ɔ: ac non potius. Vid. de hac corrigendi formula Matth. ad orat. p. Rosc. Am. 92. Hand. Turs. I, 473.

ex acclamatione Cl. adv. Ernestus ad. h. l. monet haec verba non pendere a v. *audisse,* sed cum sequentibus cohaerere. Iudices consurgebant propter ipsum clamorem, quo Clodiani Ciceronis testimonium impedire volebant. Non opus est audaci correctione Pluygersii, qui post *ex* nomen proprium desiderabat eius, ex quo Atticus audierit, *acclamationes* scribebat et *quaeque consurrectio.*

quum iurare — prohibuerunt. Diog. Laert. IV. 7. Cicero idem narrat p. Balbo 12, suppresso Xenocratis nomine, ne coram iudicibus eruditionem ostentare videatur. Similem honorem sibi a Io. Colonna datum esse scribit Franc. Petrarca in Epistt. de rebus fam. V. 2, huius loci mentione facta.

quum eae — circumferrentur. Pluygers haec proscripsit, monuitque Cobetus petita esse ex or. p. Balbo, 11 ,ubi in narratione de Metell overba: *quum ipsius tabulae circumferrentur inspiciendi nominis causa* recte adduntur. Omitti posse concedo, debere nondum mihi persuasum est.

§ 5 *quacum — sum domum reductus.* Eodem modo in Verr. I. 18. *Hortensius domum reducebatur e campo* CUM *maxima frequentia ac multitudine.*

refertur ad consilium i. e. iudicum petitio refertur ad consilium praetoris, quod de eo iudicaret.

hominem cum contemptu dicit Clodium. Similiter Graeci ἄνθρωπον ponunt sine articulo.

Ἔσπετε κ. τ. λ. „Rem admirabilem expositurus opem Musarum invocat. Eodem hoc versu ex Il. π. 112 similiter usum esse Platonem, VIII de Repb. p. 545 extr. observavit P. Victorius." Beier.

Nosti Calvum ex Nanneianis, illum laudatorem meum, cet. Hic non agi de Licinio quodam Calvo, sed de M. Crasso, praeter Corradum omnes interpretes viderunt. Vere vidisse non negabit, qui extrema verba: *de cuius oratione erga me honorifica ad te scripseram* contulerit cum iis, quae leguntur ep. 14, 3. Neque abhorruisse tantam turpitudinem a Crassi

erga me honorifica ad te scripseram: biduo per unum servum, et eum ex gladiatorio ludo, confecit totum negotium, arcessivit ad se, promisit, intercessit, dedit: iam vero — o dii boni rem perditam! — etiam noctes certarum mulierum atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. Ita summo discessu bonorum, pleno foro servorum, XXV. iudices ita fortes tamen fuerunt, ut summo proposito periculo vel perire maluerint quam perdere omnia: XXXI. fuerunt, quos fames magis quam fama commoverit. Quorum Catulus quum vidisset quendam: »Quid vos, inquit, praesidium a nobis postulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis?" 6. Habes, ut brevissime potui, genus iudicii et causam absolutionis. Quaeris deinceps qui nunc sit status rerum et qui meus. Rei publicae statum illum, quem tu meo consilio, ego divino confirmatum putabam, qui bonorum omnium coniunctione et auctoritate

moribus constat quum testimonio Ciceronis, qui eum (Off. I. 109) scribit fuisse ex iis hominibus, qui cuivis deserviant, dum quod volunt consequantur, tum Sallustii his verbis Cat. 48 *ne Crassus more suo suscepto malorum patrocinio rem publicam conturbaret.* Minus expedita sunt, quae adduntur ad hominem designandum. *Calvum* tamen appellari arbitror a calvitio, quum parum veri similis videatur eorum opinio, qui statuant M. Licinium Crassum bona proscriptorum emisse sub falso Licinii Calvi nomine. Magis etiam incerta sunt, quae de verbis *ex Nanneianis* argute sane excogitavit P. Manutius, quem reliqui sequuntur. Namque quum constet M. Crassum opes sibi parasse e proscriptione Sullana (Plut. in Crasso c. 2 et 6. Cic. Parad. VI. 2) interque proscriptos Nannii vel Nanneii memorentur apud Q. Cic. de petit. cons. 6, hinc colligitur *Nanneianos* dici *sectores bonorum Nanneiorum.* Sed non diffiteor haec mihi non satisfacere et *Nanneianos* omnino removendos videri. Suspicor enim hoc fluxisse e vocabulo Graeco, velut sic: *Nosti Calvum, ἐξαπιναῖον illum laudatorem meum.* Incertum hoc sane, sed Adr. Turnebi (Advers. IX. 1) coniectura *ex Naevianis* ducta e versu Naevii Fam. XV. 6, 1, certo falsa est. — *illum* codd. bis praebent. Cum W. alterum delevi.

intercessit, ɔ: daturum se promisit stipulatione interposita, pro Clodio praes factus est. Cf. infra VI. 1, 5 *intercessisse se pro iis magnam pecuniam* et Phil. II. 45, *sestertium sexagies se pro te intercessisse dicebat,* quos locos Manutius citavit. *Intercessiones pecuniarum in coitionibus candidatorum* memorantur Parad. VI. 2. In eadem re dixit *se interponere* Mil. 25.

noctes e: amplexus, concubitum. Cf. ep. II. 24, 3. Hor. Epod. 15, 13. Iuven. Sat. I. 37. Hinc iudicium Clodianum *emptum constupratumque* vocatur ep. 18, 3. Cf. Val. Max. IX. 1, 7.

introductiones ɔ: stupra. Vocabulum firmatur auctoritate Senecae, qui epist. 97 haec verba citavit, et usu Graecorum, qui εἰσάγειν de eadem re ponunt, ut in versu Machonis apud Athen. VIII. p. 346 B. Non minus usitata sunt *perducere* et *deducere.*

XXV. Qui h. l. et § 10 scripserunt XX, ut iudices essent LI, quot erant in causa Milonis, refelluntur testimonio Plutarchi in Cic. 27, ubi Catuli dictum quoque narratur. — E Cicerone Seneca l.l. haec non integre repetit, sed *petebatis* scripsit pro *postulabatis* et *timebatis* omisit, quod verbum sine sententiae damno abesse poterat, sed non recte a Cobeto deletum est, quod Plutarchus in interpretatione huius dicti tuetur. Ad hoc Catuli dictum respicitur in orat. de har. resp., 36.

§ 6. *elapsum de manibus. Nihil unquam vidi, quod tam e manibus elaberetur, quam mihi tum est elapsa illa causa.* de Orat. II. 202. Uno illo iudicio hoc effectum esse Cicero affirmat, quoniam *omnia sunt incerta, quum a iure discessum est,* Fam. IX. 16, 3. Absoluto Clodio malis metus, securitas bonis est adempta.

populi Romani. Immerito haec verba sus-

consulatus mei fixus et fundatus videbatur, nisi quis nos deus respexerit, elapsum scito esse de manibus uno hoc iudicio; si iudicium est, triginta homines populi Romani levissimos ac nequissimos nummulis acceptis ius ac fas omne delere et, quod omnes non modo homines verum etiam pecudes factum esse sciant, id Talnam et Plautum et Spongiam et ceteras huiusmodi quisquilias statuere nunquam esse factum. 7. Sed tamen, ut te de re publica consoler, non ita, ut sperarant mali tanto imposito rei publicae vulnere, alacris exsultat improbitas in victoria. Nam plane ita putaverant, quum religio, quum pudicitia, quum iudiciorum fides, quum senatus auctoritas concidisset, fore ut aperte victrix nequitia ac libido poenas ab optimo quoque peteret sui doloris, quem improbissimo cuique inusserat severitas consulatus mei. 8. Idem ego ille — non enim mihi videor insolenter gloriari, quum de me apud te loquor, in ea praesertim epistola, quam nolo aliis legi — idem, inquam, ego recreavi afflictos animos bonorum unumquemque confirmans, excitans; insectandis vero exagitandisque nummariis iudicibus omnem omnibus studiosis ac fautoribus illius victoriae παρρησίαν eripui, Pisonem consulem nulla in re consistere unquam sum passus, desponsam homini iam Syriam ademi, senatum

pecta fuerunt Ernesto. Pendent a seqq. superlativis indicantque *universam civitatem*, quum *populus* solus saepe inferiores tantum cives s. plebem indicet. Cf. Kritz. ad Sall. Iug. 85, 10. Orell. ad Brut. 321 ed. min. Fam. I. 4, 2.

quisquilias. Similiter in Sest. 94 Numerium, Serranum, Aelium *quisquilias* seditionis Clodianae nuncupat, et homines nullius pretii dicit *meras nugas* Att. VI. 3, 5. Q. fr. I. 2, 4. Att. VI. 3, 2 *nugarum aliquid relinquere.*

§ 7. *tanto imposito rei p. vulnere.* Casaubonus contulit de Fin. IV. 66. *Quae hic rei p. vulnera imponebat, ille sanabat* et infra V. 17, 6. *Satis habeo negotii in sanandis vulneribus, quae sunt imposita provinciae.* Alia metaphora orator usus est p. Planc. 70 *gravem rei p. infligere securim.* In Sestiana, 17 vehementius *vulnera inusta reipb.* dixit. — *Sperarant* et *putaverant* pro perfectis Ciceroni reddidi auctore Wesenbergio, Em. alt. p. 85.

exsultat —in victoria. Non minus recte dicitur *exsultare victoria*, quod legitur p. Rosc. Am. 16.

quum religio — concidisset ɔ: cum sacra polluerentur et matronae attrectarentur impune, cum iudices immemores iurisiurandi pecunia accepta palam noxios absolverent, cum senatus severa decreta tam facile irrita fierent." I. F. Gron.

sui doloris. Malim *eius* vel *summi doloris.*

inusserat. Usus est eodem loquendi genere Verr. I. 113 *cur hunc dolorem cineri eius atque ossibus inussisti.* Mil. 99 *nullum mihi tantum dolorem inuretis.* Phil. XI. 38 *tertio generi — cupio quam acerbissimum dolorum inurere.* Catil. II. 20. *Illorum temporum dolor inustus est civitati.* Verbum ductum a poena servorum. Quomodo autem a notione propria ad figuratam perventum sit, intelligitur hoc exemplo: *Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est?* Cat. I. 13. Sull. 88. Cff. Gron. et Drak. ad Livii IX. 3, 13.

§ 8. *Aliis legi.* Non est *ab aliis legi*, sed *aliis recitari.* Cf. XVI. 13, 1. Fam. IX. 1, 1. Tusc. V. 113, et Haasii adn. 551 ad Reisigii Scholas. Madvigius ad Fin. p. 29 dubitat, utrum hanc interpretationem probet an scribi iubeat *ab aliis*, quod Klotzio solum placuit et a Wesenbergio editum est.

consistere proprium esse eorum, qui immoti impetum hostis exspectant, saepe iam observatum est. Vid. Goeller. ad Cic. Orat. p. 220. Ellendt. de Orat. II. p. 266.

ad pristinam suam severitatem revocavi atque abiectum excitavi, Clodium praesentem fregi in senatu quum oratione perpetua plenissima gravitatis, tum altercatione eiusmodi, ex qua licet pauca degustes; nam cetera non possunt habere neque vim neque venustatem remoto illo studio contentionis, quem *ἀγῶνα* vos appellatis. 9. Nam, ut Idib. Maiis in senatum convenimus, rogatus ego sententiam multa dixi de summa re publica, atque ille locus inductus a me est divinitus, ne una plaga accepta patres conscripti conciderent, ne deficerent; vulnus esse eiusmodi, quod mihi nec dissimulandum nec pertimescendum videretur, ne aut ignorando stultissimi (aut metuendo ignavissimi) iudicaremur; bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam, hunc tertium iam esse a iudicibus in rem publicam immissum. »Erras, Clodi, non te iudices urbi, sed carceri reservarunt, neque te retinere in civitate sed exsilio privare voluerunt. Quamobrem, patres conscripti, erigite animos, retinete vestram dignitatem. Manet illa in re publica bonorum consensio; dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta; nihil est damni factum novi, sed, quod erat, inventum est: in unius hominis perditi iudicio plures similes reperti sunt." 10. Sed quid ago? paene

desponsam — *ademi* „ↄ: et sua et omnium opinione destinatam provinciam ut ei negaret senatus, effeci. de prov. cons. 37: *qui consul Kal. Ian. habere provinciam debet, is ut eam desponsam, non decretam habere videatur*". I. F. Gron.

oratio perpetua saepe opponitur *altercationi*. Vid. Drakenb. ad Liv. IV. 6, 1. — Fragmenta autem huius orationis et altercationis e Quintiliani I. O., et Palimpsestis Ambrosiano et Taurinensi collecta, explicavit Car. Beierus in Fragm. Orat. p. 71—120. Cf. Cic. Opp. ed. Orell. IV. 947—950 et Halmii Symb. ad emend. fragm. p. 15 seqq.

ἀγῶνα ↄ: certamen forense. Cf. Ernesti lexic. technol. Latin. rhet. p. 89.

§ 9. *de summa repb.* Semper in hac formula voc. *summa* est adiectivum et genetivus *reipb.* ubique mutandus; de quo dubitabat Beierus ad Cic. p. Tull. § 8, recte monuit Zumptius ad Verr. L. II. 28. Indicat autem ipsam rempublicam et summam eius salutem, non aliquam reipb. partem.

divinitus proprie quidem est *a Deo, numine auctore;* sed Cicero saepe posuit pro divine s. praeclare. Vid. Orat. I. 227. II. 7. III. 4. Similiter scripsit II. 21, 6: *Pompeius loquitur divinitus.*

Bis absolutum esse Lentulum. P. Cornelius Lentulus Sura inter principes coniurationis Catilinariae, homo pessimus et a censoribus senatu motus, iterum reus, incertum quo crimine, iudices pecunia corrupit, ut tradit Plut. in Cic. 17.

bis Catilinam. Primum a. 689 quum reus esset de repetundis, iterum a. 690 a L. Lucceio accusatus inter sicarios. cf. Ascon. p. 81. Cic. in Pis. 95.

immissum. Proprie venatores canes in feras immittunt; hinc significat nocendi animo mittere. Verbo *subornare* Cicero non utitur nisi de accusatoribus et testibus. Cf. Sest. 78. *Gladiatores tu — in forum immittas.* Cat. I. 27, *immissus in urbem.* Verr. A. II. I. 78. *Immittentur homines? expugnabuntur domus?*

exsilio privare. Condemnatus enim in exsilium abire potuisset, nunc *ad aliquod severius iudicium ac maius supplicium reservari* videbatur. Cf. fragm. orat. in toga cand. IV. p. 942 Orell. *Exsilium* h. l. pro beneficio ponitur. Sed *privare* re mala exemplis Tullianis munivit A. G. Zumptius ad or. de leg. agr. I. 13.

dolor accessit bonis viris ↄ: boni viri indignatione repleti sunt. In Verr. IV. 135 pro *accidere,* quod de dolore dictum minus placet, vel *accedere* vel *accipere* scribendum est.

§ 10. *Surgit.* Verbum solemne de iis, qui

orationem in epistolam inclusi. Redeo ad altercationem. Surgit pulchellus puer, obiicit mihi me ad Baias fuisse. — Falsum; sed tamen quid hoc? Simile est, inquam, quasi dicas in operto fuisse? — Quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis? — Narra, inquam, patrono tuo, qui Arpinatis aquas concupivit — nosti enim Marianas. — Quousque, inquit, hunc regem feremus? — Regem appellas, inquam, quum Rex tui mentionem nullam fecerit? — ille autem Regis here-

verba facturi sunt. Respondet Gr. ἀνίστασθαι. Cf. Krugerus apud Schaefer. App. ad Demosth. V. p. 762 sq.

pulchellus puer. Ironice dictum, quo et illiberali facie Clodium fuisse indicat et maiorum suorum cognomine indignum. Utrumque apparet e fragmento orat. in Clod. et Curion. p. 110 Beieri. *Sed, credo, postquam speculum tibi allatum est, longe te a pulchris abesse sensisti,* ad q. l. consuli possunt adnot. Scholiastae Bobiensis et Ang. Maii.

me ad Baias fuisse.. Distinctius haec tractantur in Orat. laud. p. 99 sqq. B.: *Primum homo durus ac priscus invectus est in eos, qui mense Aprili apud Baias essent et aquis calidis uterentur. Quid cum hoc homine nobis tam tristi et severo? Non possunt hi mores ferre hunc tam austerum et tam vehementen magistrum, per quem hominibus maioribus natu ne in suis quidem praediis impune tunc, quum Romae nihil agitur, liceat esse valetudinique servire. Verumtamen ceteris possit ignoscere; ei vero qui villam habeat in illo loco, nullo modo.* (Quae diductis litteris descripta sunt, ea supplevit Beierus. Pro *possit* melius est, quod supplevit Francken: *se dixit.* Reliqua sic potius suppleo: *at vero Arpinati fuisse in illo loco* cet.) *Quid homini, inquit, Arpinati cum Baiis, agresti ac rustico?* (Hic quoque aliquid intercidisse videtur. In promptu est, quod suppleas: — *Arpinati cum Baiis? agresti ac rustico cum aquis calidis?*). *Quo loco ita fuit caecus, ut facile appareret vidisse eum quod fas non fuisset. Nec enim respexit illum ipsum patronum libidinis suae non modo apud Baias esse, verum eas ipsas aquas habere, quae gustu tamen* (Haec vitiosa. Fort. *rustici atque*) *Arpinatis fuissent. Sed videte metuendam inimici et hostis bilem et licentiam* (Melius, opinor, sic scribo: *Et videte metuendam inimici et hostilem licentiam*). *Is* (Fr. *ibi*) *me dixit aedificare, ubi nihil habeo, ibi fuisse, quo adire nemini non licitumst. O impotentem adversarium, qui id obiiciat, quod vel honeste confiteri vel manifesto redarguere possis.* (In his recepi, quae Halmius non minus feliciter quam modeste temptavit l. c.).

Falsum: sed tamen quid hoc? ɔ: quod mihi tanquam crimen obiicit, falsum est; sed fac verum esse, quale esset illud crimen? Nonne si Baiis fuissem, honeste possem confiteri? Haec non a Cicerone in illa altercatione dicta esse, sed nunc obiter ad Atticum scribi vidit Firnhaber in Philol. Schneidewini VII. 2, p. 365 sq. Sed a Cicerone ne scripta quidem videntur, quae nec necessaria et vix vera erant. Quare Meutznero in Ann. Philol. vol. 89, p. 163 sq. haec glossatori tribuenti assentior. Clodio vero respondet: „Simile est, quasi dicas in operto fuisse." ɔ: Num forte putas nefas esse, quasi dicas in arcano Bonae Deae fuisse? — Cf. Parad. IV. 32: *si in opertum Bonae Deae accessisses.*

patrono tuo ɔ: C. Curioni, qui villam, quae olim C. Marii Arpinatis fuerat, e proscriptione Sullana acquisivit. Sic verba supra adscripta expedivit Schol. Bob., quo nondum reperto Tunstallus idem acute invenerat. Quae huic dicto adhaerent verba *nosti enim marinas* male in edit. priore seclusi. Ut ad dictum illud, quod sequitur: *Regem — fecerit?* Cicero Attici causa adscripsit: *ille — devorarat,* sic ad explicandas *Arpinatis aquas* adiecit: *nosti enim Marianas.* Sic enim plures recte emendarunt errorem librariorum *marinas.*

Regem i. e. tyrannum. Odioso nomine in Ciceronem utitur ad invidiam faciendam, ut Torquatus, qui negabat se Ciceronis *regnum* ferre posse. p. Sull. 21. cf. Kritz. ad Sall. Iug. 64, 5.

Rex. Q. Marcius Rex, maritus Terentiae Clodii sororis, huic testamento nihil legaverat; quod Romanis turpe videbatur.

spe devoraverat. cf. Verr. L. I. 135: *iste, qui iam spe atque opinione praedam illam devorasset.* Non concedo Meutznero verba *ille autem — devorarat* additamentum esse, quo Atticus minime egebat.

Domum-emisti. Vid. ad ep. 13, 6.

ditatem spe devorarat. — Domum, inquit, emisti. — Putes, inquam, dicere, iudices emisti. — Iuranti, inquit, tibi non crediderunt. — Mihi vero, inquam, XXV. iudices crediderunt; XXXI., quoniam nummos ante acceperunt, tibi nihil crediderunt. Magnis clamoribus afflictus conticuit et concidit. 11. Noster autem status est hic: apud bonos iidem sumus, quos reliquisti, apud sordem urbis et faecem multo melius nunc, quam reliquisti. Nam et illud nobis non obest videri nostrum testimonium non valuisse: missus est sanguis invidiae sine dolore; atque etiam hoc magis, quod omnes illi fautores illius flagitii rem manifestam illam redemptam esse a iudicibus confitentur; accedit illud, quod illa contionalis hirudo aerarii, misera ac ieiuna plebecula, me ab hoc Magno unice diligi putat; et hercule multa et iucunda

Putes-dicere, iudices emisti. Coniunctivi vim non perspexit Beierus, interpretans *facile quispiam putet,* tum enim sequi deberet *te dicere.* Immo *putes dicere* idem valet atque illud: *simile est, quasi dicas.*

iuranti — tibi non crediderunt ɔ: tibi testi iurato iudices non crediderunt: aliter enim me non absolvissent. Dicto usus est Plut. in Cic. 29. Pro *iuranti* usus postulat ut scribatur *iurato,* ut recte vidit Pluygers (Mnemos. N. S. IX p. 122).

tibi nihil crediderunt ɔ: nullam plane fidem tibi habuerunt. cf. II. 22, 2 *ei nihil crederemus.* VI. 2, 3 *quin ei crederemus.* His exemplis utor ad defendendum, quod legitur Tusc. V. 58 (Dionysius) *credebat eorum nemini,* ubi Erasmus perperam hunc usum verbi Tullio denegans inserebat *se* ante *eorum.*

§ 11. *quam reliquisti.* Buchelerus in Mus. Rhen. XI. p. 518 orationem soloecismo liberare se putavit addito *quom,* quod post *quam* a librariis neglectum sit. Non opus videtur. Cogitatione addi potest *nos.* cf. II. 21, 1. *De republiva — hoc est miserior, quam reliquisti,* ubi omittitur *eam.*

Nam et illud nobis non obest. Sequi debebat *et illud nobis prodest, quod illa contionalis* cet. Sed post plura verba interposita sententiam aliter continuare maluit: *Accedit* cet. cf. Matth. ad orat. de imp. Pomp. 17.

missus est sanguis invidiae sine dolore. Quid sit *invidiae sanguinem mittere* vel *dare* optime explicuit I. Lipsius ad Senec. Cons. ad Marciam, 13. Ex veterum enim opinione invidiam et fascinum rebus laetis insidiari et plurimum intervenire. Ad avertendum iacturam aliquam aut casum ultro subeundum, exemplo eorum, qui in bona valetudine sanguinem sibi detrahant ad malam valetudinem vitandam. Laudant intt. Appii verba apud Liv. III. 54. *Dandus invidiae est sanguis.* Metaphoram oratoribus frequentem dicit Quint. I. O. VIII. 6, 51. Proprie loquitur Cicero p. Sest. 82. *Sensit — suum sanguinem quaeri ad restinguendam invidiam facinoris Clodiani.* Quod vero additur h. l. *sine dolore* indicat, Ciceronem e testimonio spreto nullum sensisse damnum.

rem manifestam illam redemptam esse a iudicibus confitentur. Latere aliquid mendi in his verbis Nodellio in Act. Societ. Traiect. I. p. 151 concedimus; sed non est, cur verba *illam redemptam esse a iudicibus* interpretis, non ipsius Ciceronis esse statuamus. At vereor, ut Ciceronis sit *rem redimere a iudicibus,* quem video de eodem hoc Clodio in Miloniana, 87 dixisse: *Pecunia se a iudicibus palam redemerat.* Qui locus fecit, ut hic *reum manifestum illum redemptum esse* scribendum censerem. Facilius etiam Buchelerus in Mus. philol. Rhen. XXXIV p. 355 correxit: *rem manifestam, illum redemptum esse a iudicibus, confitentur.*

accedit illud, quod. Temere Ern. delevit *illud,* quod non sine vi additur.

contionalis hirudo aerarii infima plebs vocatur, quae contionibus intererat spe largitionum e publico faciundarum.

comissatores coniurationis. Turnebus Advers. IX. 1 duplicem proposuit interpretationem huius appellationis, ut sint reliqui et seri coniurati, ut qui post coenam comissatum veniunt, vel potius coniurati non tam ad pugnandum, quam ad comissandum apti.

consuetudine coniuncti inter nos sumus, usque eo, ut nostri isti comissatores coniurationis, barbatuli iuvenes, illum in sermonibus Cnaeum Ciceronem appellent. Itaque et ludis et gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας sine ulla pastoricia fistula auferebamus. 12. Nunc est exspectatio comitiorum, in quae omnibus invitis trudit noster Magnus Auli filium, atque in eo neque auctoritate neque gratia pugnat, sed quibus Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus onustus auro posset ascendere. Consul autem ille, † deterioris histrionis similis suscepisse negotium dicitur et domi divisores habere; quod ego non credo. Sed senatus consulta duo iam facta sunt odiosa quod in consulem facta putantur, Catone et Domitio postulante: unum, ut apud magistratus inquiri liceret, alterum, cuius domi divisores habi-

Hoc verum vel potius, ut Gron. interpretatur, qui inter vinum de coniuratione egerunt. Illud si voluisset Cicero, neglexisset praeceptum, quod ipse dat de Orat. III. 164. cf. Catil. II. 22 sq. et quae verba adduxit Gronovius e Curt. VII. 4 (15): *Bessus circumferri merum largius iussit, debellaturus super mensam Alexandrum.*

barbatuli iuvenes. cf. supra 14. 5.

ludis et gladiatoribus ɔ: tempore ludorum scaenicorum et gladiatoriorum. cf. intt. ad Liv. II. 36. Conferri potest τραγῳδοῖς καινοῖς et similes locutiones, de quibus monent Hemsterh. ad Lucian. I. p. 166 sq. Pierson. ad Moerid. p. 351 sq.

ἐπισημασίας et ἐπισημαίνεσθαι in utramque partem usurpari docent Gatakerus ad M. Antonin. VI. § 20, p. 182, Wesselingius ad Diod. Sic. IV. 8.

sine ulla pastoricia fistula ɔ: sine ullo sibilo, cui fistula inserviebat. Cf. II. 19, 3. Similiter Plato de Leg. III, scripsit οὐ σύριγξ ἦν οὐδέ τινες ἄμουσοι βοαὶ πλήθους, quae verba ad explicandum Ciceronis locum citavit Muretus Var. Lect. I. 19.

§ 12. *Nunc est exspectatio comitiorum* ɔ: nunc exspectantur comitia. Quod in Med. post v. *exspectatio* additur *in* debetur librario ad sequens *in* aberranti, recteque in Rav. omittitur.

Auli filium. Vid. ad ep. II. 3, 1.

quibus int. armis, quod e verbis *pugnare* et *expugnare* sponte se offert. De Philippo magis auro et artibus quam armis vincente nota omnia; de qua re disputavit Valckenaerius ad orat. de Philippi Maced. indole p. 254 sqq. Quae adduntur *in quae — ascendere* olim uncis inclusi, secutus iudicium Geelii in comm. ad Dion. Chrysost. p. 446. Meliora me docuit Klotzius in prooem. edit. alt. p. LIV, non dixisse Philippum omnia omnino castella auro posse expugnari, sed tantum ea, in quae maius pretium asportari posset. De nummis tum a Pompeio tributim divisis vid. Plut. in Cat. min. 30 et in Pomp. 44.

deterioris histrionis similis. Cum Wes. retinui Medicei scripturam, etsi falsam esse puto. Neque enim Piso consul, qui Pompeii rogatu agebat, cum malo, multo minus cum deteriore histrione comparari poterat. Bosii coniectura Doterionis a graeco Δωτηρίωνος, nomine ficto alicuius qui nummos dare solebat, minorem habet probabilitatem, quam quod Maur. Seyffertus in Diario Berol. rei gymn. aliquando coniecit δευτερεύοντος. Piso in hac re secundas agebat.

divisores sunt, qui tribubus candidatorum nomine pecuniam distribuebant, suffragiorum corruptores. v. Cic. Verr. Act. I. 22. Planc. 48. Q. Cic. de Pet. Cons. 14. Ellendt ad de Orat. II. p. 294. Tribus habuisse etiam legitimos divisores defendit Mommsenus de collegiis p. 51 sq.

alterum. Male obtemperavi Ernesto hanc vocem tollendam censenti eiusque loco inserenti *et*, merito propterea reprehensus a Meutznero. cff. meae Obss. crit. p. 42. Quum propter maiestatem consulum aedes illorum non solebant perquiri, uno Scto id nunc facere permissum est; altero sanctum est ut si divisores celarent, contra remp. fecisse viderentur. cf. A. W. Zumpt, das Criminalrecht d. röm. Repb. II. 2. p. 266.

tarent, adversus rem publicam. 13. Lurco autem tribunus pl., qui magistratum † insimul cum lege alia iniit, solutus est et Aelia et Fufia, ut legem de ambitu ferret, quam ille bono auspicio claudus homo promulgavit: ita comitia in ante diem VI. Kal. Sext. dilata sunt. Novi est in lege hoc, ut qui nummos in tribu pronuntiarit, si non dederit, impune sit; sin dederit, ut quoad vivat singulis tribubus HS. CIↃ CIↃ CIↃ debeat. Dixi hanc legem P. Clodium iam ante servasse; pronuntiare enim solitum esse et non dare. Sed heus tu! videsne consulatum illum nostrum, quem Curio antea ἀποθέωσιν vocabat, si hic factus erit, † fabam mimum futurum? Quare, ut opinor, φιλοσοφητέον,

uius domi debetur Lambino, quum in codd. sit *cuiusmodi*. *Habitarent* invenitur in omnibus Mss., de quibus constat et aptiorem sententiam praebet quam *haberent*, quod multas editiones occupavit. Cum verbis *adversus remp.* cf. II. 24, 3 *contra remp. esse facturum*. Contra magistratus nocentes nihil aliud decerni poterat.

§ 13. *qui magistratum insimul cum lege alia iniit.* Dedi verba, ut in Med. scripta sunt. In Rav. est *simul — alia.* Vulgo corrigunt: *qui m. simul cum lege Aelia iniit*, quod Langius in disp. de lege Aelia et Fufia, Lips. 1861 edita, p. 34 ita interpretatur, ut tribunus pl. magistratum augurio coelesti auspicatus esse dicatur, cuius augurii ius ex lege Aelia habuerit. Ego verba corrupta ingeniose et feliciter ab Hofmanno in ed. Sel. epist. tertia correcta esse puto: *qui magistratum ipse nullum lege salva iniit* ɔ: qui nullum ipse magistratum sine ambitu cepit. — Ad h. l. Casaubonus opportune monuit, hoc SCtum bono consilio, sed pessimo exemplo factum, Clodio, Vatinio et aliis tribunis plebis viam aperuisse, qua improbas leges nullo impediente ferrent. Ciceronem autem, qui in orationibus toties invehitur in eos, a quibus leges Aelia et Fufia, *propugnacula murique tranquillitatis atque otii* (Pis. 9), *quae saepenumero tribunicios furores debilitarunt et represserunt* (Vatin. 18) eversae sunt, huius peccati non fuisse participem, ex toto hoc loco manifesto apparet. De legibus Aelia et Fufia olim multi disputarunt; quorum errores dissipavit Lud. Langius in comm. laud. Is demonstravit fuisse leges circa a u. 600 latas de iure et tempore legum rogandarum et magistratuum creandorum. Eae impediebant, quominus comitiorum magistratibus rogandis tempore legem ferret tribunus. Itaque ut legem ferret, et illis legibus solvi et comitia in aliud tempus differri debebant.

bono auspicio claudus homo. „Malum auspicium erat, quod legem claudus ferret." Ern. At *bono auspicio* legem promulgavit, quia nemo ei obnuntiavit. Lex tamen non est perlata, ep. 18, 3.

pronuntiarit ɔ: promiserit, quos postquam creatus esset, solveret. Planc. 45. Q. fr. II. 15 b. 4, Suet. Caes. 19. — *in tribu* cum libris scriptis retinui et dictum puto de aliqua tribu, ut sit idem atque inter tribules. Vulgo editur *in tribus*, quod sine exemplo est. W. correxit *in tribubus*, conferens ad Q. fr. II. 14, 4 *HS centies in praerogativa pronuntiare* et Suet. Caes. 19 *nummos — per centurias pronuntiare.*

quoad vivat ɔ: quamdiu vivit quotannis.

consulatum illum nostrum. „Curio dictitare solebat, videri sibi eos, qui consulatum essent adepti, paene Deos esse factos et Diis pares." Casaubonus.

† *fabam mimum futurum.* Retinui hanc scripturam, quae munitur auctoritate cod. Z., teste Lambino, et Rav. Veram tamen non puto, etiamsi satis ingeniose Corradus, Lambinus, Ger. Vossius suspicati sunt *Fabam* esse nomen *mimi* illo tempore notissimi. Neque in undecim coniecturis, quas descripsi ex editionibus Graevii et Orellii, ulla est, quam palmariam dicere ausim. Sed veri inveniendi viam monstravit Bosius, quum defenderet legendum esse *fabam imum.* Falso; nam neque *imum* pro *imorum* Tullianum est neque *imos* posuisset pro *inferis.* At recte vidit haec verba opponi τῇ ἀποθέωσει. Et hoc obtinebis levissima hac correctione *fabam manium.* Firmant hanc coniecturam, quae de fabae usu

id quod tu facis, et istos consulatus non flocci facteon. 14. Quod ad me scribis te in Asiam statuisse non ire, equidem mallem ut ires, ac vereor, ne quid in ista re minus commode fiat; sed tamen non possum reprehendere consilium tuum, praesertim quum egomet in provinciam non sim profectus. 15. Epigrammatis tuis, quae in Amaltheo posuisti, contenti erimus, praesertim quum et Thyillus nos reliquerit et Archias nihil de me scripserit, ac vereor, ne, Lucullis quoniam Graecum poëma condidit, nunc ad Caecilianam fabulam spectet. 16. Antonio tuo nomine gratias egi eamque epistolam Mallio dedi. Ad te ideo antea rarius scripsi, quod non habebam idoneum, cui darem, nec satis sciebam, quo darem. † Vale. te venditavi. 17. Cincius si quid ad me

in parentando manibus leguntur apud Ovidium, Fast. V. 435 seqq. Plinium H. N. XVIII. 118, in Pauli Exc. Fest. p. 87. et e Varrone de vita po. Ro. apud Nonium p. 135. Aliter autem iudico de verbis Senecae in ludo de morte Claudii c. 9, quae ad h. l. citavit Casaubonus. Ea Fickertus male ita dedit: *Olim, inquit* (Ianus), *magna res erat deum fieri: iam, fama, mimum fecisti.* In optimis libris scribitur: *iam famam mimum* vel *nimium fecisti,* quod prava literarum repetitione, ut multa alia apud Senecam, inquinatum videtur. Corrigo: *iam minimam fecisti.* Nec sententiam mutavi lectis quae Buchelerus scripsit ad defendendum utroque loco *fabam mimum.*

non flocci facteon. Sic in margine Crat. et in Rav. legitur. Videtur Cicero novum vocabulum finxisse, quod opponeret praecedenti φιλοσοφητεον, nisi potius scripsit *non flocci* φροντιστέον· *Non flocci facio* legitur infra XIII. 50, 3.

§ 15. *Epigrammatis tuis — contenti erimus.* (Atticus) *attigit quoque poeticen: — Nam de viris, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros populi Romani praestiterunt, exposuit ita, ut sub singulornm imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisve versibus descripserit: quod vix credendum est tantas res tam breviter potuisse declarari.* Corn. Nep. in Att. 18. Casaubonus putat Ciceronem epigrammata quaesivisse ad exornandam bibliothecam suam; quod mihi secus videtur. Quum neque Thyillus neque Archias res eius gestas carmine celebravissent, Attico scribit se contentum fore epigrammatis, quibus ille eas erat persecutus.

Thyillus. V. ad ep. 9 extr. *Archiam* tradit Cicero in oratione, quam a. 692 pro eo habuit, § 28, res in consulatu suo gestas attigisse versibus atque inchoasse.

Lucullis quoniam Gr. poëma condidit. Archias in gratiam L. et M. Lucullorum Mithridaticum bellum ab illo gestum a. u. 680—688 versibus expressit p. Arch. 21, et quoniam iucundus fuerat Q. Metello Numidico (ibid. 6) et familiaris erat eius filii Pii, qui vehementer de rebus suis scribi cupiebat, (ibid. 26) Cicero metuebat, ne *Caeciliorum* Metellorum patris et filii res potius quam suas versibus celebraret.

§ 16. *Mallio* e Med. Vulgo *Manlio.* Ea nomina perpetuo confunduntur. Hic ubi sermo est de homine ignoto, utrum verius sit ambiguum est. Pro *eamque* Rinkes scribi malebat *tuamque.*

idoneum si abesset, nemo requireret. Quum adsit, servetur.

† *Vale. te venditavi. Vale* aliquoties nova sententia excipitur, sed tum ea, quae sequuntur appendicis formam habent. Vid. ad V. 19, 2. Hic autem illa *Te venditavi* inepte addi intellexit Ernestus et ante eum Casaubonus, qui audacius coniecit *Vale. Calendis Apr.* Non magis placet id quod recepit Orellius *Valde te venditavi,* quod ne Atticus quidem intellexisset, opinor, cum illa Antonii mentione coniungendum esse, unde interposita sententia divellitur, nisi haec verba cum Schützio post *dedi* collocabis aut cum Wes. distingues: *Mallio dedi — ad te.... quo darem —: valde te venditavi.* Ut opinor, latet in *Vale.* nomen eius, cui Cicero amicum commendarat, nec dubito quin sit scribendi compendium pro *Valerio,* etsi nescio, quem dicat. *Venditare se* vel *alterum alicui* usu tritum est. vid. IV. 16, 4. VIII. 16, 1. Gronovius coniecit *Belle te vindicavi,* idque

tui negotii detulerit, suscipiam. Sed nunc magis in suo est occupatus, in quo ego ei non desum. Tu si uno in loco es futurus, crebras a nobis litteras exspectato, plures etiam ipse mittito. 18. Velim ad me scribas cuiusmodi sit *Ἀμαλθεῖον* tuum, quo ornatu, qua *τοποθεσίᾳ*, et quae poëmata quasque historias de *Ἀμαλθείᾳ* habes, ad me mittas: libet mihi facere in Arpinati. Ego tibi aliquid de meis scriptis mittam: nihil erat absoluti.

refert ad raritatem et tenuitatem epistolarum et ad longam hanc epistolam. Non placebat hoc Schutzio, nec mihi.

§ 17. *Exspectato, plures — mittito.* Levem maculam, quae haec verba deformat, egregie sustulit Muretus, haec ita scribens. — Male multi cum libris scriptis edunt: *exspecta, ast plures.* De voce *ast* cf. adn. ad III. 15, 6.

§ 18. Ἀμαλθεῖον. Vid. ad ep. 13, 1.

libet mihi facere in Arpinati. ɔ: libet mihi simile sacellum in Arpinati faciendum curare. Cf. II. 1, 11. *Amalthea mea te exspectat et indiget tui.* Fuere tamen, qui explicatione tam facili non contenti, nescio quid in his verbis sibi detegisse visi sunt. Winckelmannus Opp. VI. p. 187 post infelicem explicationem, de qua dixi ad ep. 10, 3, ita pergit: Eben so verlangete Cicero von seinem Freunde die Anzeige der Gemälde seines Landhauses in Epirus, um dieselben in seinem Landhause Arpinum gleichfalls malen zu lassen, und er versprach wiederum jenem ein Verzeichnisz der Gemälde seines Landhauses zu schicken. Non minus errat I. A. C. Heusdius in disp. de M. Tullio Cic. φιλοπλάτωνι, Trai. 1836, p. 52, quum dicat ex his verbis patere Ciceronem de villa Arpinati versibus celebranda cogitasse.

mittam ɔ: pro illis tuis ego tibi meorum aliquid mittam, quando perfecero; sed nondum erat aliquid absolutum.

XVII. (*A. U. C.* 693.)

1. Magna mihi varietas voluntatis et dissimilitudo opinionis ac iudicii Quinti fratris mei demonstrata est ex litteris tuis, in quibus ad me epistolarum illius exempla misisti: qua ex re et molestia sum tanta affectus, quantam mihi meus amor summus erga utrumque vestrum afferre debuit, et admiratione quidnam accidisset, quod afferret Quinto fratri meo aut offensionem tam gravem aut commutationem tantam voluntatis. Atque illud a me iam ante intelligebatur, quod te quoque ipsum discedentem a nobis suspicari videbam, subesse nescio quid opinionis incommodae sauciumque esse eius animum et insedisse quasdam

§ 1. *quod afferret Quinto fratri meo.* Quum praecedat *Quinti fratris mei* mentio, h. l. et in § 2 *Quinti* nomen melius omittitur.

sauciumque esse eius animum et insedisse. In plerisque libris scriptis intercidit *eius*, in Med. contra *esse* deest. Utrumque recte coniunxit Lambinus. Ad v. *insedisse* revocandum est *animum.* Nam *insidēre*, quod est *occupare*, plerumque quidem construitur cum dativo vel cum praep. *in* cum ablativo. v. Matth. ad Milon. 68; sed accusativus recte quoque huic verbo additur. Sic Liv. XXVI, 44, *arcem insedit.* XXXV, 11 *fauces exercitus insedit.* Omitto locos, in quibus dubium est, an potius cogitandum sit de v. *insidēre*, ɔ: *occupatum tenere*, ut supra I. 11, 1.

quantum litterae tuae declarant. Perperam Orell. e Med. recepit *declararant.* Neque enim antea de ea re scripsisse Atticum ex iis, quae nunc scribit Cicero, apparet. Prop-

odiosas suspiciones, quibus ego mederi quum cuperem et antea saepe et vehementius etiam post sortitionem provinciae, nec tantum intelligebam ei esse offensionis, quantum litterae tuae declarant, nec tantum proficiebam, quantum volebam; 2. sed tamen hoc me ipse consolabar, quod non dubitabam, quin te ille aut Dyrrhachii aut in istis locis uspiam visurus esset, quod quum accidisset, confidebam ac mihi persuaseram fore, ut omnia placarentur inter vos non modo sermone ac disputatione, sed conspectu ipso congressuque vestro. Nam, quanta sit in Quinto fratre meo comitas, quanta iucunditas, quam mollis animus et ad accipiendam et ad deponendam offensionem, nihil attinet me ad te, qui ea nosti, scribere; sed accidit perincommode, quod eum nusquam vidisti. Valuit enim plus, quod erat illi nonnullorum artificiis inculcatum, quam aut officium aut necessitudo aut amor vester ille pristinus, qui plurimum valere debuit. 3. Atque huius incommodi culpa ubi resideat, facilius possum existimare quam scribere; vereor enim ne, dum defendam meos, non parcam tuis. Nam sic intelligo, ut nihil a domesticis vulneris factum sit, illud quidem, quod erat, eos certe sanare potuisse. Sed huiusce rei totius vitium, quod aliquanto etiam latius patet, quam videtur, praesenti tibi commodius exponam. 4. De iis litteris, quas ad te Thessalonica misit, et de sermonibus, quos ab illo et Romae apud amicos tuos et in itinere habitos putas, ecquid tantum causae sit ignoro; sed omnis in tua posita est humanitate mihi spes huius levandae molestiae. Nam, si ita statueris, et irritabiles animos esse optimorum saepe hominum et eosdem placabiles, et esse hanc agilitatem, ut ita dicam, mollitiamque naturae plerumque bonitatis, et, id quod caput est, nobis inter nos nostra sive incommoda sive vitia sive iniurias esse tolerandas, facile haec, quemadmodum spero, mitigabuntur; quod ego, ut facias, te oro; nam ad me, qui te unice diligo, maxime pertinet neminem esse meorum, qui aut te non amet

terea e cod. Rav. et ex antiquis editt. *declarant* retinere malo, quam cum Wes. scribere *declararunt.*

§ 2. *mollis animus* est, qui facile in utramque partem movetur, animus tener, flexibilis, agilis. In § 4 vocat *agilitatem mollitiamque naturae*, et III. 9, 1, Quintum appellat *mollissimo animo.*

nihil attinet me — scribere ɔ: non necesse est me scribere. Sic Fam. IV. 7, 3. *de quo quid sentiam, nihil attinet dicere.*

§ 3. *dum defendam.* Ciceronis est *dum defendo,* ut Lambinus correxit, vel *quum defendam.*

§ 4. *ecquid tantum causae sit ignoro* ɔ: „quae in iis literis tanta causa insit, cur tu illi tantopere succenseas" Orell., qua interpretatione redarguitur Ernestus, qui *tandem* pro *tantum* scribi volebat.

ad me — pertinet ɔ: mea interest. cf. VIII. 14, 3. Cum iis, quae praecedunt, cf. quae Horatius Epist. I. 20, 25 de se narrat: *Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.*

aut sbs te non ametur. 5. Illa pars epistolae tuae minime fuit necessaria, in qua exponis, quas facultates aut provincialium aut urbanorum commodorum et aliis temporibus et me ipso consule praetermiseris. Mihi enim perspecta est ingenuitas et magnitudo animi tui, neque ego inter me atque te quidquam interesse unquam duxi praeter voluntatem institutae vitae, quod me ambitio quaedam ad honorum studium, te autem alia minime reprehendenda ratio ad honestum otium duxit: vera quidem laude probitatis, diligentiae, religionis neque me tibi neque quemquam antepono, amoris vero erga me, quum a fraterno amore domesticoque discessi, tibi primas defero. 6. Vidi enim, vidi penitusque perspexi in meis variis temporibus et sollicitudines et laetitias tuas: fuit mihi saepe et laudis nostrae gratulatio tua iucunda et timoris consolatio grata: quin mihi nunc te absente non solum consilium, quo tu excellis, sed etiam sermonis communicatio, quae mihi suavissima tecum solet esse, maxime deest: — quid dicam? in publica re? quo in genere mihi negligenti esse non licet, an in forensi labore? quem antea propter ambitionem sustinebam, nunc, ut dignitatem tueri gratia possim; an in ipsis domesticis negotiis? in quibus ego quum antea, tum vero post discessum fratris, te sermonesque nostros desidero. Postremo non labor meus non requies, non negotium non otium, non forenses res non domesticae, (non publicae) non privatae carere diutius tuo suavissimo atque amantissimo consilio ac sermone possunt. 7. Atque harum rerum commemorationem verecundia saepe impedivit utriusque nostrum; nunc autem ea fuit necessaria propter eam partem epistolae tuae, per quam te ac mores tuos mihi purgatos ac probatos esse voluisti. Atque in ista incommoditate alienati illius animi et offensi

§ 5. *facultates — commodorum* dicit occasiones augendae vel dignitatis vel rei familiaris.

voluntatem institutae viae. Recte comparant Gr. προαίρεσιν. Cf. Krügeri Index in Dionysii Historiographica p. 515. Dicit autem vitae genus [quod elegimus vel id quod secuti sumus in legendo vitae genere, ut Gronovius interpretatur. Ut hic *inst. vita,* sic *instituta adolescentia* memoratur in or. p. Flacco, 2.

quum — discessi ɔ: si excipio. Gronovius comp. Fam. I. 9, 18. VI. 12, 2. *Caesaris familiares — quum ab illo discesserint, me habent proximum.*

§ 6. *laudis gratulatio* non est *cum laude coniuncta,* ut explicat Matth., sed in mea laude vel ob meam laudem. v. eius adnot. ad Catil. IV. 20. *Timoris consolatio* spectat ad difficilia negotia, quum Atticus Ciceroni timido animum et fiduciam addidit. De adiectivis *iucunda* et *grata* dixi ad ep. 8, 1.

(*non publicae*) Necessarium supplementum. Absunt in codd. notis et editt. antiquissimis. Paulo ante cum Med et Rav. *in publica re?* scribere, quam dubia auctoritate rogandi particulam non necessariam addere malui.

voluntas omittendae provinciae ɔ: te noluisse ire in provinciam Quinto legatum.

§ 7. *Discidio.* Ita scripsi e Med. cor. et Rav. Nam *dissidium* ne Latinum quidem esse demonstravit Madvigius in Exc. II ad Cic. Fin.

illud inest tamen commodi, quod et mihi et ceteris amicis tuis nota fuit et abs te aliquando testificata tua voluntas omittendae provinciae; ut, quod una non estis, non dissensione ac discidio vestro sed voluntate ac iudicio tuo factum esse videatur: quare et illa, quae violata, expiabuntur, et haec nostra, quae sunt sanctissime conservata, suam religionem obtinebunt. 8. Nos hic in re publica infirma, misera commutabilique versamur. Credo enim te audivisse nostros equites paene a senatu esse diiunctos; qui primum illud valde graviter tulerunt, promulgatum ex senatus consulto fuisse, ut de eis, qui ob (rem) iudicandam accepissent, quaereretur; qua in re decernenda quum ego casu non affuissem sensissemque id equestrem ordinem ferre moleste neque aperte dicere, obiurgavi senatum, ut mihi visus sum, summa cum auctoritate et in causa non verecunda admodum gravis et copiosus fui. 9. Ecce aliae deliciae equitum vix ferendae, quas ego non solum tuli, sed etiam ornavi. Asiam qui de censoribus conduxerunt, questi sunt in senatu se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse, ut induceretur locatio, postulaverunt: ego princeps in adiutoribus atque adeo secundus. Nam, ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit. Invidiosa res, turpis postulatio et confessio temeritatis; (sed) summum erat peri-

§ 8. *graviter tulerunt — quaereretur.* Qui ob rem iudicandam pecuniam accepisse convicti erant, ex lege XII tabularum capite poenas luebant. Gell. N. A. XX. 1. Postea vero haec quaestio confusa est cum iudicio de repetundis. Cic. Verr. Act. I. 38. Cluent. 103. Sed equites negabant illud caput legis de repetundis ad suum ordinem pertinere; credo quod senatores olim soli iudices fuerant. Quaestio autem haec sine dubio iudicium Clodianum spectabat. Ceterum quum legitima formula esset *ob rem iudicandam pecuniam accipere* (vid. Cic. Att. II. 1, 8. Verr. II. 78. de N. D. III. 74. Fin. II. 54. Tac. Ann. IV. 31. Quint. I. O. V. 10, 87. Gell. l. c. ubi male scribi *ob rem dicendam* certum est), h. l. non magis probandum est *ob iudicandum*, quam apud Quint. l. c. *ob dicendum*, quum esse debeat *ob ius dicendum*. Cf. Cic. Verr. II. 119.

accepissent. Sic omnes codd omisso *pecuniam*, quod non magis additur in loco cit. Cluentianae nec Att. V. 21, 5. In lege Iulia praeceptum erat, *ne quis — aliquid acciperet.* Vid. l. 7 pr. D. de l. Iulia repetund. (48, 11).

neque ɔ: neque tamen. V. ad I. 13, 2.

in causa non verecunda. Per litoten dicit equitum querelam sane impudentem. Wielandus, plerumque in Ciceronem iniquior iudex, Ciceronis hac in re agendi rationem merito defendit. Nam in re publica saepe talia accidunt, in quibus summam honestatis rationem habere civitati perniciosum esset. Vid. interpretationis Germ. V. I. p. 308 seqq.

§ 9. *deliciae* „sunt eorum, quibus non facile satisfieri potest, qui omnia fere fastidiunt, quibus non fere nisi quae exquisita et splendida sunt in victu et cultu placent, qui etiam *morosi* vocantur. — Schuetzius accepit de arroganti et iniqua postulatione. Nos dicimus *Praetensionen.*" Matth. cf. p. Coel. 70 *mulieris libidinosae deliciae.*

Asiam qui — conduxerunt. Hoc in libro Antoniano a se repertum sprevit Malaspina. Necessario tamen ita scripsit Cicero, non quod in aliis libris circumfertur: *Asiani, qui* cet. Nam *Asiani* sunt homines in ipsa Asia nati, ut Romani, Hispani, Africani. *Asiatici* contra sunt omnes, qui aliquid cum Asia commercii habent, de quo discrimine docta est adnotatio Ellendtii ad ll. de Orat. II. p. 372. Igitur *equites Asiani* apud Iuven. Sat. VII. 13 sunt servi ex Asia oriundi, qui manumissi ordini equestri adscripti sunt. Hic vero ubi

culum, ne, si nihil impetrassent, plane alienarentur a senatu. Huic quoque rei subventum est maxime a nobis perfectumque, ut frequentissimo senatu et liberalissimo uterentur, multaque a me de ordinum dignitate et concordia dicta sunt Kal. Decembr. et postridie. Neque adhuc res confecta est, sed voluntas senatus perspecta: unus enim contra dixerat Metellus consul designatus, quin erat dicturus, ad quem propter diei brevitatem perventum non est, heros ille noster Cato. 10. Sic ego conservans rationem institutionemque nostram tueor, ut possum, illam a me conglutinatam concordiam, sed tamen, quoniam ista sunt tam infirma, munitur quaedam nobis ad retinendas opes nostras tuta, ut spero, via, quam tibi litteris satis explicare non possum, significatione tamen parva ostendam: utor Pompeio familiarissime. Video, quid dicas: cavebo, quae sunt cavenda, ac scribam alias ad te de meis consiliis capessendae rei publicae plura. 11. Lucceium scito [consulatum] habere in animo statim petere; duo enim soli dicuntur

agitur de equitibus Romanis, qui provinciae Asiae vectigalia redemerant, Asianos stare non posse vidit Malaspina, neque tamen ex uno Maffei codice *Asiatici* recipere ausus est. Rav. confirmat *Asiam* et *conduxerunt*. Similem errorem deprehendi in Plinii H. N. VII. 86, ubi editur: *Castoresque Romani, qui Persicam victoriam ipso die quo contigit nuntiavere*, Scribendum est: Castoresque, *Romam* qui — nuntiavere. — Censoria illa locatio Asiae constituta est lege Sempronia Cic. Verr. III. 12.

ut induceretur locatio, postulaverunt. Actum hoc a. 693. Sed frustra: publicanis enim resistebat Cato, et remissionem illis negabat. vid. ep. 18, 7, II. 1, 8, de Off. III. 88. Anno deinde tertio Caesar consul tertiam locationis partem illis remisit. Suet. Caes. 20. Appian. B. C. II. 13. Dio 38, 7, quo respicit Cicero Att. II. 16, 2 his verbis: *de publicanis, voluisse illi ordini commodare* et Planc. 35 ad q. l. cf. Garatonius. Pro *induceretur* in Rav. vitiose scriptum est *indicaretur*.

princeps — atque adeo secundus ɔ: princeps vel potius secundus. Hanc notionem partic. *atque adeo* diligenter illustravit Hand in Turs. I. p. 503 sq.

ut senatu — liberalissimo uterentur. Klotzius rediit ad scripturam cod. Med. *libentissimo*, comparavitque verba ex ep. 14, 3. Illud quod in marg. Crat. adscriptum est, aptius h. l. videtur.

quin erat dicturus. Cogitatione supplendum *contra*. *Quin* locum habet, ubi adscensus fit ad maiora. Magis autem auctoritate valebat Cato, quam Metellus. Dubito tamen, an *quin* h. l. ferendum sit. In Med. et Rav. est *qui*. Suspicor scribendum: *atque erat dicturus* vel transpositis vocibus *eratque dicturus*.

heros, nim. ex illo genere, quod describit in Sestiana 139, qui aliis otium quaerunt, non sibi, pro re publica tempestates subeunt, audacium consiliis resistunt.

§ 10. *illam a me conglutinatam concordiam*. Hoc se in consulatu effecisse saepe gloriatur Cicero v. c. in illustri loco Pisonianae, 7. *Ita est a me consulatus peractus — ut multitudinem cum principibus, equestrem ordinem cum senatu coniunxerim*.

significatione tamen parva ostendam. Vulgo *sign. p. o. tamen*. Ego transposui *tamen* auctoritate libri Rav.

Video quid dicas. Scil. cavendum mihi esse, ne nimis Pompeio confidam hominique totum me tradam.

§ 11. *consulatum — petere*. Consulatus vocabulum librariis potius, quam Ciceroni debetur. Omitti posse omnes concedent, atque h. l. omissum fuisse a scriptore mira eius collocatio suadet. Mecum facit Cobetus Mnemos. N. S. VII. p. 280.

Caesar cum eo coire per Arrium cogitat. Suetonius: *E duobus consulatus competitoribus, L. Lucceio M. que Bibulo, Lucceium sibi adiunxit, pactus ut is, quoniam inferior gratia esset*

petituri: Caesar cum eo coire per Arrium cogitat, et Bibulus cum hoc se putat per C. Pisonem posse coniungi. Rides: non sunt haec ridicula, mihi crede. Quid aliud scribam ad te? quid? Multa sunt, sed in aliud tempus. **exspectari velis, cures ut sciam. Iam illud modeste rogo, quod maxime cupio, ut quam primum venias. Nonis Decembribus.

pecuniaque polleret, nummos de suo communi nomine per centurias pronuntiaret. Qua re cognita optimates, quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo magistratu concordi ac consentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi: ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionem e re publica fieri. in Caes. 19. De coitione dicam ad IV. 15, 7. De Q. Arrio egregie disp. B. Borghesi in disp. *della gente Arria*, Oeuvres I p. 64—74.

cum hoc ɔ: cum eodem hoc Lucceio. Nam quominus de Caesare dictum accipiatur, obstat mentio C. Pisonis, qui iam tum graves cum Caesare inimicitias exercebat. Sall. Cat. 49.

cures ut sciam. Raro nec nisi in sermone familiari secunda pers. coniunctivi pro imperativo ponitur, ubi oratio ad personam certam convertitur. Cf. Att. IV. 4*a* et 19 extr. V. 15, 3. Fam. IX. 26, 1 *vivas in litteris.* XIV. 4, 3 *si est spes nostri reditus, eam confirmes et re adiuves.* Defendi igitur potest orationis forma a Manutio profecta, *te si exspectari velis,* etsi pro *velis* potius exspectes *vis.* Sed quum in Med. nihil scriptum sit nisi: *in aliud tempus exspectare velis cures ut sciam,* multo melius lacunam explevit Wes. coniiciens post *tempus* (scil. differo) Ciceronem scripsisse: *Oro te ut* vel *Tu fac ut* vel *Tu velim ut, quando te exspectari velis, cures ut sciam.*

modeste. Retinui, quod dant omnes libri scripti, quoniam videtur aptissimum. Nam qui maxime cupit, ut amicus quam primum veniat, is sane *modeste* rogat, si nullis precibus eum urget, neque certum adventus diem indicat. Orellius cum aliis scripsit *moleste,* quod ad Atticum referendum et explicandum *cum molestia tua.* Non magis placet, quam coni. Fr. Schmidt: μόλις *te rogo.*

XVIII. (*A. U. C.* 694.)

1. Nihil mihi nunc scito tam deesse quam hominem [eum], quicum omnia, quae me cura aliqua afficiunt, [una] communicem, qui me amet, qui sapiat, quicum ego † etiam loquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam. Abest enim frater ἀφελέστατος et amantissimus.

§ 1. *quicum.* Deleto *eum* ita scribendum, non *quocum,* ut mox *quicum — loquar. Quicum* refertur ad obiectum generale, minus definitum: cf. Seyffert. ad Cic. Lael. p. 133; contra *quocum* ubi de certa persona sermo est. Sic optimi libri illud habent Fam. IV. 1, 1, *nemo est omnium, quicum potius mihi quam tecum communicandum putem,* XII. 18, 2. *Nihil mihi tam deesse scito, quam quicum haec — rideam.* Lael. 22. *Quid enim dulcius, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum?* p. Rosc. Am. 53. Off. III. 49 et 77. *Quocum* vero, ut legitur infra IV. 10, 1. Lael. 2 ubi cf. Beierus, ita restituendum puto in X. 8, 3. XI. 3, 3.

una communicem. Una non temere Ernesto suspectum fuit. Cum W. seclusi.

qui me amet, qui sapiat, quicum ego † etiam loquar. Haec sic referunt metrum trochaicum, ut non minus quam quae sequuntur ex antiquo poeta petita esse videantur. Si pro inepto *etiam* cum Peerlkampio, quem de h. l. consului, id quod sententia postulat *ut mecum* reposueris, habebis tetrametrum trochaicum in fine mutilum. Ad illa *quicum ego ut mecum loquar* explicanda Cicero addit *nihil — obtegam.* B. W. de Kochii coniectura ediderunt: *quicum ego ex animo loquar.* Magis placet, quod Klotzius restituit: *quicum ego ita loquar, ut nihil fingam* ...

† Metellus non homo, sed litus atque aër et solitudo mera; tu autem, qui saepissime curam et angorem animi mei sermone et consilio levasti tuo, qui mihi et in publica re socius et in privatis omnibus consors et omnium meorum sermonum et consiliorum particeps esse soles, ubinam es? Ita sum ab omnibus destitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore et filiola et mellito Cicerone * consumitur. Nam illae ambitiosae nostrae fucosaeque amicitiae sunt in quodam splendore forensi, fructum domesticum non habent; itaque, quum bene completa domus est tempore matutino, quum ad forum stipati gregibus amicorum descendimus, reperire ex magna turba neminem possumus, quicum aut iocari libere aut suspirare familiariter possimus. Quare te exspectamus, te desideramus, te iam etiam arcessimus; multa sunt enim, quae me sollicitant anguntque, quae mihi videor aures nactus tuas

† *Metellus.* Metello hic nullum locum esse inter Q. fratris amicitiam et Attici, quivis intelligit latiusque demonstravit Malaspina, qui pro eo *mei* reposuit et seqq. *non homo sed — mera* ad Q. fratrem refert, qui dicatur tam fidus in secretis servandis, ut ipsae solitudines, quae voces reddere nequeant. Placuit hoc Lambino, sed vere Wielandio durum et Q. fratris moribus alienum visum est. Hoc potius dicit Cicero post fratris discessum neminem esse, quicum amice loquatur seque eo redactum esse, ut curas sua rebus inanimatis communicet. Firnhaber Philol. VI. 2. 368 corrigens — *amantissimus mei. Ellum! non homo — mera* locum non sanasse videtur. Magis placet speciosa Schutzii emendatio: *Abest enim frater — amantissimus mei, et illius nunc domus est* LITUS ATQUE AER ET SOLITUDO MERA. Peerlkampius hic videbat disiecti membra poetae, quae sic in ordinem cogi possent: *Non homo est, sed litus et aër, solitudo hic est mera.* Ineptum *Metellus* conflatum putabat e verbis: *mei. Solus sum.* Male Wes. probavit Chamfordii correctionem: *Me tellus* (sc. devoret)! *non homo est, sed litus atque aer Et solitudo mera.* Madvigius A. C. III p. 166 seq.: *amantissimus mei*, et in reliqua parte nominis suspicatur latere *Tullius*, idque referri posse ad M. Tullium illum, quem Cicero in VIII. 11 B, 4 appellat *meum necessarium.* — *Non homo, sed litus* dictum est ut in Catulli carm. CXV. 8 *non homo, sed vero mentula magna minax* et in Petronii Sat. 44 *piper, non homo.* — Versum ex Attii Philocteta desumptum esse plures coniecerunt.

Consors. Codd. et editt. *conscius.* Sed quum *conscius in aliqua re* non sit Tullianum, neque eo possit defendi quod Minucius Felix in Octavii prooemio scripsit: *solus in amoribus conscius, ipse socius in erroribus*, correxi. *Socium et consortem gloriosi laboris* Cic. in Brut. 2 vocat Hortensium, *consors in lucris atque furtis* prodit apud eundem Verr. Act. sec. III. 155. In Caeliana 23 omnes codd. praeter unum habent: *qui autem dictus est adiutor et conscius fuisse.* Sed quum *conscius* minus sit quam *adiutor* e cod. Erfurtensi scribendum *adiutor et socius*, coll. Att. IX. 10, 5. p. Flacco 1.

consumitur. Vere observat Wes. *temporis* vel *otii* excidisse, nam *requiem consumere* non posse dici. Cicero dicere debuit: ut tamdiu requescam, quamdiu tempus vel otium consumo cum meis.

ambitiosae amicitiae sunt tales, quae magis ad favorem et gratiam captandam sunt comparatae, quam verae. Cf. Kritz. ad Sall. Iug. 64, 5. Q. Cic. de pet. cons. 26 brevem et suffragatoriam firmae et perpetuae amicitiae opponit.

fucosae. Interpres Ambros. ad Planc. 22 observat hoc vocabulum inter ea, quae apud veteres rariora sunt, esse referendum. Legitur praeterea in orat. p. Rab. Post. 40.

sunt in quodam splendore forensi, ɔ: habent quendam splendorem forensem. Eodem modo dicitur *esse in spe* (Fam. XIII. 19, 1), *in timore* (vid. ad. V. 14, 2) alia.

unius ambulationis sermone exhaurire posse. 2. Ac domesticarum quidem sollicitudinum aculeos omnes et scrupulos occultabo, neque ego huic epistolae atque ignoto tabellario committam. Atque hi — nolo enim te permoveri — non sunt permolesti, sed tamen insident et urgent et nullius amantis consilio aut sermone requiescunt: in re publica vero quamquam animus est praesens, tamen voluntas † etiam atque etiam ipsa medicina efficit. Nam, ut ea breviter, quae post tuum discessum acta sunt, colligam, iam exclames necesse est res Romanas diutius stare non posse. Etenim post profectionem tuam primus, ut opinor, introitus fuit in causam fabulae Clodianae, in qua ego nactus, ut mihi videbar, locum resecandae libidinis et coercendae iuventutis vehemens fui et omnes profudi vires animi atque ingenii mei, non odio adductus alicuius sed spe corrigendae et sanandae civitatis. 3. Afflicta res publica est empto constupratoque iudicio. Vide, quae sint postea consecuta: consul est impositus is nobis, quem nemo praeter nos philosophos adspicere sine suspiritu posset. Quantum hoc vulnus! facto senatus consulto de ambitu, de iudiciis, nulla lex perlata, exagitatus senatus, alienati equites Romani. Sic ille annus duo firmamenta rei publicae per me unum constituta evertit; nam et senatus auctori-

quum bene completa domus est tempore matutino. Prima salutantes atque altera continet hora, Mart. IV. 8. De salutandi tempore plura testimonia collegit Corte ad Sall. Cat. 28, 1. Cf. quoque Beckeri Gallus II. p. 133 sq. ed. alt.

suspirare ɔ: querelas effundere.

exhaurire, tanquam sentinam aliquam. Cf. ep. 19, 4.

§ 2. *neque ego — committam.* Pro otioso *ego* malim cum Ursino *eos.*

animus praesens dicitur animus intrepidus, promptus ad agendum, fortis, ut Off. I. 80. Orat. II. 84. *voluntas* est benevolentia. Sententiam vitiose nobis servatam plures variis coniecturis corrigere studuerunt, de quibus quid sentirem enuntiavi in Obss. criticis p. 43. Ego hoc propono: — *tamen voluntas civium atque etiam ipsa me medicina deficit,* ut hoc dicat: In rep. est mihi satis animi, sed desunt quibus eam sanare possim.

Introitus fuit in causam fabulae Clodianae. „Exspectabas potius *in scenam.*" Orell.; quod verum iudico. Genetivus *fabulae Clodianae* pendet ab *introitus.* Fabula autem est tragoedia s. drama, ut nunc loquimur. Paulo post retinui *vehemens fui* ɔ: oratione vehementi usus sum, neque obtemperavi Klotzio, qui e margine Crat. recepit *v. flavi,* quo verbo Cicero nunquam sic usus est. Deinde delevi *rei publicae,* quod Bosius intrusit post *spe* quum in cod. Z. *spere* vel *spero* scriptum esset. In Rav. est *spe nō c.* In Med. haec desunt, cum maiore parte huius epistolae et ep. 19 tota.

§ 3. *empto constupratoque iudicio.* Cf. I. 16, 5.

sine suspiritu. Hanc formam nominis tuentur intt. ad Liv. XXX. 15, 3 et Appul. Metam. I. 5, p. 32 Oud. *Suspiratu,* quod dedit Bosius et exemplo Ovidiano munivit, a supino verbi *suspirandi* recte formatur, sed altero exemplo Tulliano non confirmatur. Utroque melius videtur: *sine suspirio,* ut est Tusc. IV. 72, et h. l. in Rav.

facto SC. de ambitu, de iudiciis. Indicantur duo SCta, unum de ambitu, alterum de iudiciis. De SCto de ambitu dixit ep. 16, 12; de altero in eos, qui ob rem iudicandam pecuniam accepissent ep. 17, 8.

nam et senatus — diiunxit. Rinkesius meus haec interpolatori deberi putabat; non enim esse, quod Cicero Atticum suum doceret, quae

tatem abiecit et ordinum concordiam diiunxit. Instat hic nunc annus egregius. Eius initium eiusmodi fuit, ut anniversaria sacra Iuventatis non committerentur: nam M. Luculli uxorem Memmius suis sacris initiavit, Menelaus aegre id passus divortium fecit; quamquam ille pastor Idaeus Menelaum solum contempserat, hic noster Paris tam Menelaum quam Agamemnomen liberum non putavit. 4. Est autem C. Herennius quidam tribunus pl., quem tu fortasse ne nosti quidem — tametsi potes nosse; tribulis enim tuus est et Sextus, pater eius, nummos vobis dividere solebat —: is ad plebem P. Clodium traducit idemque fert, ut universus populus in campo Martio suffragium de re Clodii ferat. Hunc ego accepi in senatu, ut soleo: sed nihil est illo homine lentius. 5. Metellus est consul egregius et nos amat, sed im-

essent illa firmamenta rei publicae. Sed non omnia, quae si abessent, Atticus minime desideraret, interpolatori tribui debent.

hic nunc ille annus. Duo haec pronomina non posse ad unum obiectum referri bene monet Reisigius l.l. § 217. Cum Schuetzio delevi *ille*, quod deest in Rav. Klotzius in *item* mutavit. In Taciti Ann. XIV. 22 *hunc illum numine deum destinari credebant* fortasse verum est, si *illum* posuit pro *talem*. Sed hic propter additum *egregius* eadem interpretatio non potest admitti.

anniversaria sacra Iuventatis. Iuventatis aedem vovit M. Livius Salinator a. 547, locavit idem censor a. 550, dedicavit C. Licinius Lucullus a. 563 et tunc primum ludi facti sunt. Liv. XXXVI. 36. Ex quo loco non temere coniicias commissionem illorum ludorum et sacrorum propriam fuisse Lucullorum familiae, hoc autem anno intermissam ob labem domesticam, a Memmio Lucullis illatam. Hoc nisi admittas, rationem intermissionis ludorum a Cicerone allatam non intelligere me fateor.

Memmius. De hoc homine egit P. Manutius ad Fam. XIII. 1. Aedilis curulis Cerealia fecit, quo respiciens Cicero scribit Memmium M. Luculli uxorem *suis sacris* initiasse, quum vellet *corrupisse.* Similiter Livius XXII, 34 translate scripsit *plebeios nobiles iam eisdem initiatos esse sacris.*

Agamemnonem vocat L. Lucullum, M. fratrem, quem ex bello Mithridatico redeuntem ille tribunus pl. aliquamdiu triumphare prohibuit, teste Plut. in Lucullo, 37.

liberum non putavit. „Eius uxorem pariter stupravit" ait Ernestus. Immo triumphare prohibuit, magnaque contumelia affecit. Manutius comparavit e Verr. I. 123 haec verba: *Superbia qua fuerit quis ignorat? quemadmodum is tenuissimum quemque contempserit, despexerit, liberum esse nunquam duxerit?* Cf. quoque Fam. VII. 27, 2: *Me propter quem ceteri liberi sunt, tibi liberum non visum demiror.*

§ 4. Cf. ep. seq. § 5. — P. Clodius patricius ad plebem transire cupiebat, ut tribunus pl. fieri et rem publicam impune vexare posset. Propterea plebeio cuidam, qui in orat. pro domo, 34. P. Fonteius appellatur, arrogandum se dedit, Caesare annitente, Suet. Caes. 20.

nummos vobis dividere solebat. Fuerat igitur *divisor*, de quo hominum genere dixi supra ad ep. 16, 12.

ut universus — ferat. Non agitur de arrogatione, quae fiebat per legem curiatam, sed de transitione hominis patricii ad plebem, ad quam opus erat lege centuriata, quoniam statum civitatis mutabat. cf. Mommsen, röm. Forsch. I. p. 190.

Hunc ego accepi — ut soleo ɔ: hominem severe castigavi, ut soleo eiusmodi homines. *Accipere* eadem vi ponitur in dicto Archytae ad vilicum Tusc. IV. 78. *Quo te modo accepissem, nisi iratus essem.*

nihil est illo homine lentius. Lentus dicitur is, qui non movetur conviciis, non facile exardescit, patienter obiurgationem et maledicta fert. Orat. II. 190. *Neque enim facile est perficere, ut irascatur ei cui tu velis iudex, si tu ipse id lente ferre videare.* Fragm. Hortens. 76 Or. *qui quum publicas iniurias lente tulisset, suam non tulit.* Q. fr. I. 1, 38. omnino non irasci *lentitudinis* esse dicitur.

minuit auctoritatem suam, quod habet dicis causa promulgatum illud [idem] de Clodio. Auli autum filius, o dii immortales! quam ignavus ac sine animo miles! quam dignus, qui Palicano, sicut facit, os ad male audiendum quotidie praebeat! 6. Agraria autem promulgata est a Flavio sane levis, eadem fere, quae fuit Plotia. Sed interea πολιτικὸς ἀνὴρ οὐδ' ὄναρ quisquam inveniri potest; qui poterat, familiaris noster — sic est enim, volo te hoc scire — Pompeius, togulam illam pictam silentio tuetur suam; Crassus verbum nullum contra gratiam; ceteros iam nosti, qui ita sunt stulti, ut amissa re pnblica

§ 5. *quod habet — de Clodio.* Egregie hanc lectionem vindicavit Orellius in adnot. crit. ad h. l. Formula *dicis causa,* quae praeter h. l. est apud Ciceronem Verr. IV. 53, apud Varr. de L. L. VI. 61 et 95, illustratur a multis, quos Schottus et Ernstius laudant ad Corn. Att. 8. Respondet Gr. λόγου ἕνεκα ap. Plat. Theaet. p. 191 C., Criton. p. 46 D., et ὁσίας ἕνεκα in fragm. comicorum ap. Athen. VII. p. 311 D. et VIII. p. 359 A., nostro *voor de leus,* diciturque de eo, quod non fit ex animi sententia, sed quando aliter agere vix licet. In orat. p. Mur. 26 et in Plin. H. N. XXVII. I, 27, ubi eandem formulam nonnulli codd. et editt. |ant. exhibent, nunc aliud recte restitutum est. — *Habet promulgatum* non eo modo dictum est, quo in Vat. 16 de tribunis: *habuerunt leges promulgatas,* et *habeo cognitum,* multaque similia — nam Metellus non promulgarat eam rogationem, verum C. Herennius — sed *habet* est *iudicat,* νομίζει, ut Fam. V. 20, 2 *in provincia relictas rationes pro relatis habere.* Quoniam autem iudicium Metelli, nisi verbis enuntiatum esset, eius auctoritatem imminuere non poterat, pro *habet* scribendum puto *ait.* Deinde Cicero non poterat scribere *illud idem de Clodio,* quum vellet illam rogationem C. Herennii. Quare *idem* e dittographia ortum seclusi.

sine animo miles. Afranium, qui cum Pompeio in Asia militaverat, teste Plut. in Pomp. 34, *militem* vocat, quo magis eius ignaviam notet. Nihil enim in milite turpius. Hac explicatione P. Manutii satis defenditur omnium librorum scriptura adversus ingeniosam Bandinelli suspicionem, legentis: *quam ignavus ac sine animo miliesque dignus,* cet.

Palicano. De hoc homine dixi ad ep. I. 1, 1. Palicanus aegre ferebat Afranium sibi praelatum esse.

os ad male audiendum q. praebeat. Proprie os praebet alteri, qui patienter colaphos accipit. Vid. interpr. ad Ter. Adelph. II. 2, 7. Translate utitur Cicero in Verr. III. 41 et usi sunt Livius IV. 35, *praebere ad contumeliam os* et Tacitus Hist. III. 31, *praeberi ora contumeliis.* Quod vero Wernsdorfius in Quaest. Crit. Numb. 1823, p. 29 corrupta verba in orat. p. Rosc. Amer. 144 *anulumque dedit os suum tibi tradidit* ex hac locutione defendi posse putat, fallitur. Neque enim dixerunt veteres *os suum tradere alicui,* et si vel maxime dixissent, illo tamen loco sententiam corrumperet. Praeclare correxit Lambinus: *anulumque de digito suum tibi tradidit.*

§ 6. *Agraria promulgata est a Flavio.* Cf. ep. seq., 4 et Dio Cass. XXXVII. 50, unde patet perlatam non esse.

Plotia, anni incerti, lata vel ab A. Plautio Silvano trib. pl. a. 655 vel a M. Plautio Silvano trib. pl. a. 664." Schuetz.

πολιτικὸς ἀνὴρ οὐδ' ὄναρ, qui remp. curet ne per somnium quidem.

Pompeius togulam — suam. „*Absente Cn. Pompeio T. Ampius et T. Labienus tribuni plebis* (a. 690) *legem tulerunt, ut is ludis Circensibus corona laurea et omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem praetexta coronaque laurea. Id ille non plus quam semel, et hoc sane nimium fuit, usurpare sustinuit.*" Vell. Pat. II. 40. Cf. Dio Cass. XXXVII. 21.

piscinas suas. Piscinarios hos tangit ep. 19, 6. 20, 3. II. 1, 7 et de Leg. II. 1, 2. Cf. Macrob. Sat. III. 15. Dicit autem L. Lucullum, Q. Hortensium, alios.

§ 7. *curet.* Absolute dicitur pro *rei p. curam suscipiat.* Tac. Ann. XI. 22. *Dein duo* (quaestores) *additi, qui Romae curarent.* De simili usu in re militari dixit Kritz. ad Sall. Cat. 59. 3.

legationes reiectum iri puto. Vid. ad ep. 14, 5.

§ 8. *si ex iis, quae scripsimus tanta, etiam a me non scripta perspicis.* Haec multarum

piscinas suas fore salvas sperare videantur. 7. Unus est, qui curet constantia magis et integritate, quam, ut mihi videtur, consilio aut ingenio, Cato, qui miseros publicanos, quos habuit amantissimos sui, tertium iam mensem vexat neque iis a senatu responsum dari patitur. Ita nos cogimur reliquis de rebus nihil decernere ante, quam publicanis responsum sit; quare etiam legationes reiectum iri puto. 8. Nunc vides, quibus fluctibus iactemur, et, si ex iis, quae scripsimus tanta, etiam a me non scripta perspicis, revise nos aliquando et, quamquam sunt haec fugienda, quo te voco, tamen fac, ut amorem nostrum tanti aestimes, ut eo vel cum his molestiis perfrui velis. Nam, ne absens censeare, curabo edicendum et proponendum locis omnibus. Sub lustrum autem censeri germani negotiatoris est. Quare cura, ut te quam primum videamus. Vale. XI. Kal. Febr. Q. Metello, L. Afranio coss.

editt. scriptura confirmatur cod. Hispano et Rav., in quo pro *perspicis* scriptum est *percipis*. Repudiavit in alt. edit. Orellius foedam interpolationem edit. Rom. *tanta es perspicacitate*, sed quum incidisset post *scripsimus*, crucem praefixit voc. *tanta*, pro quo coniecit *cuncta*. Sed omnia sana sunt. *Ex iis, quae scripsimus tanta* recte est pro *ex tantis iis rebus, quas scripsimus*. Attractionis plurima exempla ex epistolis congessit Wesenbergius Emend. p. 8, initium faciens a simillimo, quod est Att. XIII 37, 4, *de ceteris, quae scribis ἀνεμοφόρητα*.

Perfrui. Hoc verbum, quod aptissimum est sententiae, sola Bosii fide nititur. Male B. et Kl. e libris notis, quibus addo Rav., pro eo scripserunt *pervenire*.

ne absens censeare. In oratione, quam P. Scipio Africanus censor a. 612 ad populum habuit, illud quoque reprehendit, quod contra maiorum instituta *absentes censeri iuberentur, ut ad censum nemini necesse esset venire*. Gell. N. A. V. 19 extr. Postea vero civibus Romanis per omnes terras dispersis, non omnes ad censum convenisse, res ipsa loquitur. Quomodo census civium Romanorum in municipiis, coloniis, praefecturis actus sit, novimus e lege Iulia municipali apud Zellium, in Del. inscript. Rom. p. 275, cap. XI, quae lex aliquot annis recentior est hac epistola. Dubium manet, utrum hoc tempore absentes iam per magistratus municipales censeri potuerint, ut contendit Huschke, über den Census der früh. Kaiserzeit, p. 14, an per procuratorem agere debuerint, in qua sententia erat Beckerus in Enchir. Antiq. II. 2, p. 205 et seq.

Sub lustrum autem censeri germani negotiatoris est. Negotiatores, ne plus minusve, quam haberent, in censu profiterentur, quod aut rei suae aut fidei noceret, sub lustrum demum censorem adibant. Atqui turpe erat Attico equiti Romano, negotiatoris morem sequi. Utitur igitur Cicero hoc argumento, quo Attico persuadeat, ut mox Romam veniat. In his verbis explicandis rectius versatur Beckerus l. c., quam Huschkius l. c. in adn. 433.

XIX. (*A. U. C.* 694.)

1. Non modo si mihi tantum esset otii, quantum est tibi, verum etiam si tam breves epistolas vellem mittere, quam tu soles, facile te

§ 1. *vellem* restituit Ernestus pro *velim*, quod libri scripti dant. Recte; nam hoc soloecum est. Eodem modo a librariis saepius peccatum esse ostendit Wesenbergius in Obs. crit. ad Sestianam p. 42.

Quam tu soles, facile te superarem. Egregie Manutius ita correxit, quod in libro Poggiano et Rav. est: *quod tu soles facere, te superarem*. Post *tam* sequitur *quam* non *quod* et *quod tu soles facere* contra usum Ciceronis

superarem et in scribendo multo essem crebrior qnam tu; sed ad summas atque incredibiles occupationes meas accedit, quod nullam a me volo epistolam ad te sine argumento ac sententia pervenire. Et primum tibi, ut aequum est civi amanti patriam, quae sunt in re publica, exponam; deinde, quoniam tibi amore nos proximi sumus, scribemus etiam de nobis ea, quae scire te non nolle arbitramur. 2. Atque in re publica nunc quidem maxime Gallici versantur metus. Nam Aedui, fratres nostri, pugnam nuper malam pugnarunt et (Helvetii) sine dubio

ponitur praecedente alio verbo. cf. ep. seq., 7 *si in hoc tam diligens fueris, quam soles.* de Or. I. 75 *quae — irrisit ille quidem, ut solebat.* cf. Kritzius ad Sall. Catil. 29, 2, ubi post *solet* vel ante illud verbum in deterioribus libris *fieri* additum est.

in scribendo. Hoffm. cum libris *in scripto.* Sed, quicquid dicit Peterus ad Cic. Brut. 207, h. l. Muretus recte gerundium reposuisse videtur, et illo loco Lambinus bene correxit: *his enim scribendis.* Nam qui interfuit, quum orationes scriberentur, non potest dici interfuisse *scriptis.* Vitium ortum e scribendi compendiis *scribdo* et *scribdis.*

crebrior. Qui aliquid brevi intervallo saepius facit, dicitur *creber* esse in eo. Cf. Planc. 83 *hoc frequenter in me congessisti saneque in eo creber fuisti.*

quod nullam a me volo epistolam ad te sine argumento — pervenire. In codice. Pogg. *sine argumento* quum initio scriptum esset, *sine* mutatum est in *sino,* eique subscriptum *absque.* Editores plures receperunt utrumque *sino absque argumento,* et voc. *solo* quod in codice sequitur post *a me* delerunt. Recte Baiterus emendavit *volo. Absque* non esse Tullianum monuit Oudendorpius aliique post eum. Cff. Reisigius et Haasius in scholis cit. p. 216. Neque ex eo, quod in Quintiliani I. O. VII. 2, 44 legimus *absque sententia* efficere licet eam fuisse formulam in foro usitatam. cf. Iordan, krit. beitr. p. 309 seq. At Wölfflin in Mus. Rhen. philol. XXXVII p. 96 seqq. *absque* h. l. retinendum censet.

sine argumento ac sententia „id est, in qua non aliqua res tractetur gravior." Ern. Omnis ad scribendum destinata materia appellatur *argumentum,* ut scribit Quint. I. O. V. 10, 10. *Sententia* est animi et cogitationis nostrae declaratio.

§ 2. *Gallici versantur metus.* Ita cod. Poggii. *Metus* plur. num. sunt variae metuendi causae: *metus Gallici* res metuendae, quae e Gallia nuntiantur. Non possum eundem pluralem alio loco Tulliano munire, sed similia sunt *iracundiae* Fin. I. 27, *fortitudines* Off. I. 68, *cupiditates et insaniae* Verr. II. 35 alia. Itaque neque antiqua correctione *Gallici belli versatur metus* opus est, nec necessarium, quod Meutznerus in Ann Philol. vol. 89, p. 164 proposuit: *Gallici versantur motus.* Pro *nunc quidem maxime* Alanus in Emendd. libello a. 1854 edito, proposuit *nunc quum maxime.* Nescio cur vulgatum non retineri possit.

Aedui fratres nostri. Aedui, populus Galliae Lugdunensis, semper cum Romanis coniuncti, honoris causa a senatu appellati sunt *fratres.* Cf. Fam. VII. 10 extr., Caes. B. G. I. 11 33, 42 sq. Tac. Ann. XI. 25. Eumenius in Grat. act. ad Const. c. 2.

pugnam nuper malam pugnarunt. Multo minus hoc discedit a scriptura codicum, quam quod vulgo legitur. Mommsenus e cod. Poggii notavit: *pugnant pueri in alam pugnarunt,* Lambinus in cod. Turn. vidit *puer malam,* mihi e cod. Hisp. affertur *pugnant pueri in ala mihi pugnarunt,* quod prodit conatum librarii sententiae e vocabulis non intellectis eliciendae. Vides nullam inesse *Sequanorum* mentionem, quos aliquis vetus editor huc intulit, memor eos de principatu Galliae multos annos cum Aeduis contendisse. Cf. Caes. B. G. VI. 12. Sed ea prius facta sunt neque e Caesaris commentariis quicquam de pugna Aeduorum et Sequanorum a. u. 694 commissa discimus. Cicero hic videtur rumores potius quam veritatem nuntiasse. Itaque brevi post scripsit e Gallia otium nuntiari. Ep. 20, 4. II. 1, 11. Sed redeamus ad verba. Diversitas temporum *pugnant — pugnarunt,* sive utriusque verbi idem est subiectum (*Aedui*), sive alterius subiectum in corruptela

sunt in armis excursionesque in provinciam faciunt. Senatus decrevit, ut consules duas Gallias sortirentur, dilectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliae civitates darentque operam, ne eae se cum Helvetiis coniungerent. Legati sunt Q. Metellus Creticus et L. Flaccus et τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον Lentulus Clodiani filius. 3. Atque hoc loco non queo praeterire, quod, quum de consularibus mea prima sors exisset, una voce senatus frequens retinendum me in urbe censuit; hoc idem post me Pompeio accidit; ut nos duo quasi pignora rei publicae retineri videremur. Quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα exspectem, quum haec domi nascantur? 4. Urbanae autem res sic se habent. Agraria lex a Flavio tribuno pl. vehementer agitabatur auctore Pompeio, quae nihil populare habebat praeter auctorem. Ex hac ego lege secunda contionis voluntate omnia illa tollebam, quae ad privatorum incommodum pertinebant, liberabam agrum eum, qui P. Mucio, L. Calpurnio con-

scripturae latet, mira est et incredibilis. *Permale* e coniectura est. *Permalam* minus a codd. recedit, sed rationem non habet. Itaque iam olim emendaveram *pugnam* — *malam pugnarunt.* Emendationem perfecisse mihi videtur Alanus pro *puer* coniiciens *nuper.*

(*Helvetii*). Nomen in Mss. omissum probabili emendatione Lambinus addidit. Quae sequuntur rem probant. Etsi Helvetiorum bellum confectum est a. u. 693. M. Messalla et M. Pisone coss. (vid. Caes. B. G. I.), poterant tamen illi rursus arma capere aut rumor talis in urbe spargi. Madvigius, A. C. III p. 167 deleto *et* coniecit *Carnutes sine dubio* cet., sed ipse fatetur sedes eorum longius a provincia abfuisse.

in provinciam ɔ: in Galliam Narbonensem, quam Romani saepe nude *provinciam* vocabant. Cf. Caes. B. G. I. 7. Hinc tractus Galliae meridionalis inter Rhodanum et Varum app. *la Provence.*

ut consules duas Gallias sortirentur pro iis, quae superiore anno iis iam decretae erant. *dilectus* pro *delectus* e Rav. recepi. cf. quae dicturus sum ad X. 12, 2.

vacationes ne valerent. Aliter receptum, ut in bello vacationes valerent, in tumultu non valerent. Cf. Phil. VIII. 3.

legati cum auctoritate, qui res ex arbitrio componere poterant, diversi sunt a legatis, qui mittuntur *cum mandatis.*

τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, lenti infusum unguentum, quod Graecis erat proverbium de re pretiosa in re vili consumpta, velut h. l. de tam gravi legatione homini indigno commissa. Docte hoc illustravit Sauppius in ind. Gr. Lat. Orell. p. 102. Cicero autem ipso nomine Lentuli ad hoc proverbium usurpandum ductus est. Utrum autem hic Lentulus sic designetur, quia nondum honoribus functus nec ulla re gesta clarus erat, an propter aliquam maculam vitae, non liquet.

§ 3. *quum haec domi nascantur* ɔ: quum haec mihi praesto sint non quaerenti. Cf. Fam. IX. 3 extr. *Sed quid ego nunc haec ad te, cuius domi nascuntur?* Dictum, quod proverbii speciem refert, illustrarunt interpretes ad Plauti Mil. II. 2, 28 et ad Petron. Sat. 38. *domi innascantur* in cod. Pogg. et Rav. ex mala iteratione litterarum *i* et *n* ortum videtur.

§ 4. *Agraria lex* cet. Cf. ep. 18, 6. Verbo *agitabatur* summum indicatur Flavii studium in lege suadenda. Cf. Cluent. 4. Quod additur *auctore Pompeio* accipiendum de Pompeio, qui ut militibus suis agros daret suam legi auctoritatem praestabat. Cff. Gron. et Drak. ad Liv. II. 56, 6. Temere Pluygers l. c. p. 123 ea tolli iussit.

liberabam — fuisset ɔ: agrum Campanum qui ante a. 621 publicus fuerat, et lege Sempronia Ti. Gracchi exceptus est, eximebam ex divisione et suis possessoribus relinqui

sulibus publicus fuisset, Sullanorum hominum possessiones confirmabam, Volaterranos et Arretinos, quorum agrum Sulla publicarat neque diviserat, in sua possessione retinebam, unam rationem non reiiciebam, ut ager hac adventicia pecunia emeretur, quae ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur. Huic toti rationi agrariae senatus adversabatur suspicans Pompeio novam quandam potentiam quaeri; Pompeius vero ad voluntatem perferendae legis incubuerat. Ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium privatorum possessiones — is enim est noster exercitus hominum, ut tute scis, locupletium —; populo autem et Pompeio — nam id quoque volebam — satisfaciebam emptione, qua constituta diligenter et sentinam urbis exhauriri et Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar. Sed haec tota res interpellata bello refrixerat. Metellus est consul sane bonus et nos admodum diligit; ille alter nihili ita est, ut plane, quid emerit, nesciat. 5. Haec sunt in re publica; nisi etiam illud ad rem publicam putas pertinere Herennium quendam tribunum pl., tribulem tuum, sane hominem nequam atque egentem, saepe iam de P. Clodio ad plebem

volebam. Postea Cicero Sp. Thorium ob simile factum laudavit in Bruto, 136.

Volaterranos — retinebam. Sulla iis civitatem et agros ademerat, quia in bello civili Marii partes secuti fuerant. Cicero consul eorum iura defendit, quum oppugnaret legem Rulli agrariam, omnique eos periculo Caesar in primo suo consultatu (a. 695) liberavit. Fam. XIII. 4. Memorantur tamen coloni Arretini p. Mur. 49.

neque diviserat ɔ: et tamen non diviserat. Cf. ad ep. 13, 2.

unam rationem ɔ: unum legis caput, een maatregel. Ita mox legem Flaviam appellat *rationem agrariam.*

ex novis vectigalibus, quae Pompeii victoria Mithridatica parta erant.

incubuerat. Fam. VIII. 11, 3. *In quam causam adhuc incubuisse cum senatu Pompeius videtur.* Cf. de hoc verbo Ellendt. ad Orat. II. 187.

cum agrariorum gratia. Agrarii vocantur, qui agros ex lege dividendos sibi cupiunt. cf. Cat. IV. 4. Phil. VII. 18.

sentinam urbis exhauriri. Proprie *sentina* sunt sordes, quae resident in ima navi. cf. Kritz. ad Sall. Cat. 37, 5. Ea purgatur exhauriendo. Itaque quum Rullus dixisset: *urbanam plebem nimium in repb. posse, exhauriendam esse* Cicero eum insectatus est dicens: *hoc enim est usus, quasi de aliqua sentina loqueretur,* de leg. agr. II. 70. Idem in Cat. I. 12 Catilinae comites appellat *sentinam rei publicae.*

Italiae solitudinem, quae facta erat bello Marsico et Sullano. Pulchre Lucanus I. 24—32 depinxit *civilis vulnera dextrae,* quem locum hic laudavit I. F. Gronovius.

bello ɔ: rumore belli in Gallia moti.

nihili ita est. Vulgo *ita nihil est* ɔ: nihil potest. cf. ad IV. 2, 2. Sed in marg. Crat. inverso ordine scriptum est *nihil ita est,* unde Gruberus fecit *nihili est* ɔ: nullius pretii est, ineptus est. cf. Wesenberg. ad Tusc. III. 18.

ut plane, quid emerit, nesciat. Terent. Eun. IV. 4, 23. *Eo rediges me, ut, quid emerim, egomet nesciam.* Afranius autem, de quo hic agitur, emerat consulatum. Cf. ep. 16, 12.

§ 5. *frequenter.* Recte monet Graevius hoc esse *a multis (tribunis),* quemadmodum usurpavit Livius I. 11. *Romam inde frequenter migratum est* et IX. 28. *frequenter ibi habitabatur.* At in D. Bruti epistola Fam. XI. 13, 3 in verbis: *succlamatum est, et frequenter a militibus* de eo, quod saepius factum est, dictum videtur.

traducendo agere coepisse; huic frequenter interceditur. Haec sunt, ut opinor, in re publica. 6. Ego autem, ut semel Nonarum illarum Decembrium, iunctam invidia ac multorum inimicitiis, eximiam quandam atque immortalem gloriam consecutus sum, non destiti eadem animi magnitudine in re publica versari et illam institutam ac susceptam dignitatem tueri, sed, posteaquam primum Clodii absolutione levitatem infirmitatemque iudiciorum perspexi, deinde vidi nostros publicanos facile a senatu diiungi, quamquam a me ipso non divellerentur, tum autem beatos homines — hos piscinarios dico, amicos tuos — non obscure nobis invidere, putavi mihi maiores quasdam opes et firmiora praesidia esse quaerenda. 7. Itaque primum eum, qui nimium diu de rebus nostris tacuerat, Pompeium, adduxi in eam voluntatem, ut in senatu non semel sed saepe multisque verbis huius mihi salutem imperii atque orbis terrarum adiudicarit; quod non tam interfuit mea — neque enim illae res aut ita sunt obscurae, ut testimonium, aut ita dubiae, ut laudationem desiderent — quam rei publicae; quod erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio ex rerum illarum dissensione arbitrarentur, cum hoc ego me tanta familiaritate coniunxi, ut uterque nostrum in sua ratione munitior et

Haec sunt, ut opinor, in republica. Haec verba Ernestus uncis inclusit, delerunt Schützius et Matthiae. Quae omissa nemo desideraret non solent a grammaticis addi.

§ 6. *ut semel — gloriam consecutus sum,* ita ut eam nunquam amittere possem. Hanc vim adverbii *semel* multis exemplis demonstravit Bentleius ad Hor. Serm. II. 8. 24. Tullianis addatur p. Deiot. 9. *Quum facile exorari, Caesar, tum semel exorari soles.* Florus II. 12, 2 addidit *in perpetuum,* ut nos dicimus *eens voor al.*

Non. illarum Dec. Saepe instaurat memoriam illius diei, quo supplicium sumpsit de coniuratis. Vid. Flacc. 102. Planc. 90. Att. X. 1, 1. Fam. I. 9, 12.

iunctam invidia. Iunctus et *coniunctus* saepe cum ablativo inveniuntur. V. Brut. 162. Att. IX. 10, 4. Leg. III. 47. Orat. III. 55, quae indicavit Ellendt ad III. de Orat. 58. Sed valet hoc in solo participio. Cicero semper dixit: *iungere rem cum re* vel *ad rem,* non *re,* nec *rei.*

hos piscinarios. Cf. ad ep. 18, 6.

§ 7. *saepe multisque verbis.* Cf. II. 1, 6. Off. I. 78 *mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompeius multis audientibus hoc tribuit, ut diceret frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in rem publicam beneficio, ubi triumpharet, esset habiturus.*

adiudicarit. De usu perfecti in sententia, quae part. *ut* pendet a praeterito (*adduxi*), dixit Madvigius ad Cic. Fin. p. 250 et in Gramm. Lat. § 407, 1 interpr. meae. Hic verba *non semel sed saepe* imperfectum plane excludunt. Salutem imperii M. Tullio adiudicare est affirmare imperium po. Ro. ab eo esse conservatum.

ex rerum illarum dissensione ɔ: e dissensione de illis rebus. cf. Madv. ad Fin. p. 730, qui comparavit e III de Fin., 44 *rerum dissensio* et p. Sest. 72 *ex reipublicae dissensione.* Pompeius minus probabat res a Cicerone consule gestas. cf. Fam. V. 7, 2.

in sua ratione munitior ɔ: suo in re p. statu tutior. Non recte sequitur in codice P. et Rav. *et in re p. firmior.* Nam sic bis idem dicitur. Cum W. recepi Gronovii emendationem *et res publica firmior.*

respublica firmior hac coniunctione esse possit. 8. Odia autem illa libidinosae et delicatae iuventutis, quae erant in me incitata, sic mitigata sunt comitate quadam mea, me unum ut omnes illi colant; nihil enim denique a me asperum in quemquam fit, nec tamen quicquam populare ac dissolutum, sed ita temperata tota ratio est, ut rei publicae constantiam praestem, privatis rebus meis propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malevolorum, odium in me improborum adhibeam quandam cautionem et diligentiam, atque ita, tametsi his novis amicitiis implicati sumus, ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret cantilenam illam sùam:

Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν.

Ac nostrae quidem rationis ac vitae quasi quandam formam, ut opinor, vides. 9. De tuo autem negotio saepe ad me scribis, cui mederi nunc non possumus; est enim illud senatus consultum summa pedariorum

§ 8. *me unum ut omnes illi colant.* Unus opp. omnibus, et si omnes unum colunt, est hoc signum eximii honoris vel caritatis. Cf. Bentl. ad Hor. ep. ad Pis., 32.

nihil enim denique — fit. Hoffm. restituit *enim* e cod. Poggii, pro quo nescio unde irrepsit *iam.* Particula causalis est aptissima; nam his verbis explicatur *comitas,* quam modo memoravit. Sed *denique* mihi suspectum est. Ortum puto e *deinde.*

populare ac dissolutum. Quodcunque ad captandam populi gratiam male comparatum est, dicitur *populare. Dissolutum* vero, quod negligentius agitur in rebus, ubi summa diligentia opus est. Cf. intt. ad I. Off. 99.

his novis amicitiis implicati. Ablativi sunt, ut Verr. II. 44. Pis. 70. Fam. I. 9, 18. VI. 12, 2. Off. I. 117.

atque ita, tametsi his n. am. implicati sumus, ut cet. Sine causa I. F. Gronovius delevit *atque,* quod in adnectenda sententia explicativa recte ponitur, ut Fam. I. 8, 1 *sunt in amicorum nostrorum potestate, atque ita, ut* cet. Deinde e cod. Poggiano scr. *tametsi his n. am.* non ut vulgo fit *tamen his,* nec ut W. edidit *tamen istis.* cf. C. Schirmer in Philologo XL p. 382 sq.

vafer ille Siculus. Ut Siculi universe dicebantur *gens acuta,* Brut. 46, ita Epicharmus origine Cous, sed qui maiorem vitae partem in Sicilia peregerat, Tusc. I. 15 dicitur *acutus nec insulsus homo, ut Siculus.* — *Vafer* de eo dicitur, qui ingenii acumine cum quadam malitia valet, quo modo Chrysippus *Stoicorum somniorum vaferrimus interpres* appellatur N. D. I. 39 et *vafer Flaccus* e persii Sat. I. 116 omnibus notus est. — *Epicharmus* a librario alieno loco additum delevi.

Νᾶφε κ. τ. λ. Q. Cic. de petit. cons. 39. *Quamobrem* Ἐπιχάρμειον *illud teneto: nervos atque artus esse sapientiae non temere credere.* cf. Excerpta Polybii XVIII. 23.

§ 9. *De tuo — negotio.* Eius mentio fit ep. seq., 4. II. 1, 10, 21 extr., eodemque pertinet, quod h. l. 13, 1 de Sicyone oppugnanda scribit. Quatenus ex his locis coniicere licet, res haec erat: Attico Sicyoniorum civitas pecuniam debebat incertum quo nomine. Quamquam Burmannus de vectig. pop. Rom. c. 9, p. 164 satis probabiliter statuit Atticum, qui teste Nepote, 6, nullius rei neque praes, neque manceps factus est i. e. nunquam vectigalia conduxit, neque pro redemptoribus fidem suam interposuit, fuisse in illis equitibus Romanis, qui societatem cum publicanis inirent iisque opes et pecuniam suppeditarent. Sicyonii igitur, quorum civitas inter liberos populos erat relata, negabant licere magistratui Ro. de illa re ius dicere nec cogi potuisse videntur. Cf. de prov. cons. 6 et 7, in Pison. 37. Quem exitum causa habuerit, non constat. De populis et civitatibus liberis multa disputavit Dirksenus, in Periculis crit. et exeget. fontium iuris Rom. p. 144 seqq. Cf. Marquardus in operis Beckeriani continuatione Vol. III. p. 249 seqq.

voluntate, nullius nostrum auctoritate factum. Nam quod me † esse ad scribendum vides, ex ipso senatus consulto intelligere potes aliam rem tum relatam, hoc autem de populis liberis sine causa additum, et ita factum esse a P. Servilio filio, qui in postremis sententiam dixit; sed immutari hoc tempore non potest: itaque conventus, qui initio celebrabantur, iam diu fieri desierunt. Tu si tuis blanditiis tamen a Sicyoniis nummulorum aliquid expresseris, velim me facias certiorem. 10. Commentarium consulatus mei Graece compositum misi ad te, in quo si quid erit, quod homini Attico minus Graecum eruditumque videatur, non dicam, quod tibi, ut opinor, Panormi Lucullus de suis historiis dixerat se, quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et *σόλοικα* dispersisse; apud me si quid erit eiusmodi, me imprudente erit et invito. Latinum si perfecero, ad te mittam. Tertium poëma exspectato, ne quod genus a me ipso laudis meae praetermittatur. Hic tu, cave, dicas, *τίς πατέρ' αἰνήσει*; si est enim apud homines quicquam, quod potius sit, laudetur; nos vituperemur, qui non potius alia laudemus; quamquam non *ἐγκωμιαστικά*

pedariorum. Diversas sententias de pedariis senatoribus recenset Gellius N. A. III. 18, sed quaestionem non absolvit verisque falsa immiscuit. Cf. Beckeri Antiq. Rom. II. 2, p. 431 seqq. Ex hoc loco Ciceronis, ubi pedarii aperte opponuntur consularibus (*nullius nostrum auctoritate*), atque e simili mentione apud Tac. Ann. III. 65 apparet Gavium Bassum, quamvis in nomine explicando erraverit, vere dixisse *senatores nondum maioribus honoribus functos pedarios nominatos.* Servilius ipse, qui a 706 consul fuit, hoc tempore tantum *quaestorius* erat.

Me esse ad scribendum. Moris erat SCtis praeponere nomina eorum, qui *scribendo affuerant*, quae solemnis formula legitur in SCtis apud Zellium, in del. inscript. Rom. n. 1688, 1689, 1691 et in auctoritatibus apud Cic. Fam. VIII. 8, 5 et 6. Quare fuere qui h. l. emendarent *me adfuisse* vel *adesse scribendo;* sed quum libri Fam. IX. 15, 4. consentiant in lectione *ponor ad scribendum* et ibid. XII. 29, 2. *Nunquam fuit ad scribendum*, ubi ipsum illud *scribendo adfuisse* proxime praecedit, in scriptura vulgari acquiesci posset, nisi tempus verbi rem dubiam faceret. Cicero aut scripsit, quod Wes. ei reddidit *me fuisse ad scribendum*, aut quod mihi in mentem venit *me esse adscriptum.*

additum, et ita factum esse a P. Servilio filio. Scripsi *esse* pro *est*, quoniam hoc quoque ex ipso SCto apparebat. Madvigius, A. C. III p. 168 ingeniose coniecit: *hoc autem de populis liberis in eam causam additum et infartum esse a P. Servilio.* Erat autem Servilius ille aemulator Catonis, II. 1, 10, patre Isaurico dignus filius.

conventus „senatorum deliberantium, quomodo illud SCtum aboleri posset." Matth. Immo aliorum hominum, quorum commodis illud SCtum obstare videbatur. Sall. Iug. 30, 1. *Romae per omnes locos et conventus de facto consulis agitari.* Vides Romanos etiam habuisse, quod nomine Anglico nunc *meetings* vocare solemus.

Tu si tuis blanditiis cet. In cod. Poggii *si* deest, sed in Rav. legitur. Otiosum *tu* e prava geminatione si ortum est, sic potius scribendum: *Tuis blanditiis si tamen* cet.

§ 10. *Commentarium consulatus Graece compositum.* Cf. Plut. in Caes. 8 in Crasso 13. Eum Attico misit per L. Cossinium. Ep. 20, 6. II. 1, 1.

de suis historiis ɔ: de libro de bello Marsico, cuius mentio fit apud Plutarch. in Luc. 1.

dispersisse ɔ: passim inspersisse.

Latinum si perfecero. Aut non perfecit, aut fuit haec illa epistola, quam ad Cn. Pompeium de suis rebus gestis et de summa re publica misit, p. Sulla 67, et quae voluminis instar

sunt haec, sed ἱστορικά, quae scribimus. 11. Quintus frater purgat se mihi per litteras et affirmat nihil a se cuiquam de te secus esse dictum. Verum haec nobis coram summa cura et diligentia sunt agenda; tu modo nos revise aliquando. Cossinius hic, cui dedi litteras, valde mihi bonus homo et non levis et amans tui visus est et talis, qualem esse eum tuae mihi litterae nuntiarant. Idibus Martiis.

fuisse traditur in Schol. Bob. ad Planc. p. 271 Or.

Tertium poëma exspectato. Pauca fragmenta supersunt, quae Cicero operi de Divin. I. 11—13 et Att. II. 3, 4 inseruit.

τίς πατέρ' αἰνήσει; Plutarchus in Arato, 1 memorat vetus proverbium τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί; dictum in eos, qui nullis ipsi virtutibus insignes in parentum laudibus celebrandis multi sunt. Cf. Diogenian. Cent. VIII. 46. Quod ita ab Attico in Ciceronem converti potuisse censent, ut reprehenderet illas scriptiones de consulatu ipsius, quasi nunc nihil laudabile faceret. Nihil vidi magis quaesitum. Minus offensionis est in Mongaltii interpretatione, quam Schuetzius suam fecit: Si patrem suum laudare non decet, multo minus decet se ipsum laudare. Sed nisi proverbium illud obstaret, difficultatem tollerem scribendo: τί ποτε σ' αἰνήσεις; *cur tandem te laudabis?*

si est enim — laudemus. Non male Tyrrell deleto *sit* (Mss. *si*) edidit: *si est enim apud homines quicquam, quod potius laudetur, nos vituperemur*, cet.

§ 11. *nihil — secus esse dictum. Secus* per euphemismum quendam dicitur pro aliter ac fieri debuerat, ɔ: male. Cf. III. 20, 3. IX. 9, 1 et quos laudant Kritzius ad Sall. Iug. 20, 5 et Liebmannus ad Oudend. Scholia p. 326 sq.

Cossinius. Familiaris Attici (Fam. XIII, 23, 1) et Varronis (de re rust. II, 1, 1), quem Cicero mortuum dolet Att. XIII, 46, 3.

XX. (*A. U. C.* 694.)

1. Quum e Pompeiano me Romam recepissem a. d. IIII. Idus Maias, Cincius noster eam mihi abs te epistolam reddidit, quam tu Idib. Febr. dederas: ei nunc epistolae litteris his respondebo. Ac primum tibi perspectum esse iudicium de te meum laetor; deinde te in iis rebus, quae mihi asperius a nobis atque nostris et iniucundius actae videbantur, moderatissimum fuisse vehementissime gaudeo idque neque amoris mediocris et ingenii summi ac sapientiae iudico. Qua de re

§ 1. *Cincius noster.* Hunc hominem, saepius in superioribus epistolis nominatum et ad Q. fr. II. 2, 1. III. 1, 6. non diversum esse ab eo, qui de Fastis, de verbis priscis aliaque opera grammatica scripsit, non temere suspicatur M. Hertz, de L. Cinciis, p. 84 seqq.

ei nunc epistolae. Qua Atticus responderat ad eam, quae nobis est 17 huius libri.

A nobis atque nostris. At nihil asperius fecerat M. Tullius; nihil certe significat in epistola illa. Itaque Schutzius *nobis atque* insititia iudicat. Ego malim *a vobis atque a nostris.* Quamquam fieri potest, ut Cicero quum fratrem suum et fratris uxorem cogitans scripsisset *a nobis*, ut distinctius mentem suam explicaret, addiderit *atque a nostris.* Cf. Hand. Turs. I. p. 466 sq.

officiose, humaniter. Copula *et* recte omittitur in edit. Ascens. et Crat. Nunquam enim Cicero tria vel plura vocabula ita iunxit, ut inter duo postrema copulam collocaret; qua de re copiose disseruit Madvigius Op. Acad. p. 333 seqq. et ad ll. de Fin. p. 562 sq. Contrarium affirmatEllendtius ad Cic. de Orat. II.

quum ad me ita suaviter, diligenter, officiose, humaniter scripseris, ut non modo te hortari amplius non debeam, sed ne exspectare quidem abs te aut ab ullo homine tantum facilitatis ac mansuetudinis potuerim, nihil duco esse commodius, quam de his rebus nihil [iam] amplius scribere; quum erimus congressi, tum, si quid res feret, coram inter nos conferemus. 2. Quod ad me de re publica scribis, disputas tu quidem et amanter et prudenter, et a meis consiliis ratio tua non abhorret — nam neque de statu nobis nostrae dignitatis est recedendum neque sine nostris copiis intra alterius praesidia veniendum, et is, de quo scribis, nihil habet amplum, nihil excelsum, nihil non summissum atque populare —; verumtamen fuit ratio mihi fortasse ad tranquillitatem meorum temporum non inutilis, et mehercule rei publicae multo etiam utilior quam mihi, civium improborum impetus in me reprimi, quum hominis amplissima fortuna, auctoritate, gratia fluctuantem sententiam confirmassem et a spe malorum ad mearum rerum laudem convertissem; quod si cum aliqua levitate mihi faciendum fuisset, nullam rem tanti aestimassem; sed [tamen] a me ita sunt acta omnia, non ut ego illi assentiens levior, sed ut ille me probans

p. 238; perperam. Nam e locis, quos attulit primum seponendi sunt omnes, in quibus ultimo vocabulo *que* additur, tum reliquorum primus Verr. Act. I. 12 *vastavit, vexavit ac perdidit* iam mendo liberatus est a Madvigio; alter Orat. II. 159 *genus dicendi — exile, aridum, concisum ac minutum* et tertius Tusc. V. 42 *tutum, inexpugnabilem, saeptum atque munitum* male huc referuntur, quum illa *concisum ac minutum, saeptum atque munitum* unam notionem prioribus adiungant. Cf. Madv. l. c. p. 338 et Seyffert. ad Lael. p. 61 sq.

duco esse quod multi Latinum esse negarunt, Tullio vindicarunt Matth. ad orat. de imp. Pomp. 17, Orell. ad Cael. 78 ed. min. et ad Brut. 298 ed. min. Cf. Madv. ad ll. de Fin. p. 132.

nihil iam amplius. Iam quod non suaviter redundare visum est Ernesto, ego seclusi. Saepe illud debetur librariis. Nec me poenitet quod in orat. in Cat. I. § 6, 13, 24 expunxi.

coram inter nos conferemus. Conferre et *sermonem conferre* ita differt a *conserere,* ut hoc dicatur nulla personarum ratione habita, illa non nisi addita formula *cum aliquo, inter se,* sim.

§ 2. *de statu — nostrae dignitatis,* ɔ: de illa dignitate, quam obtinui. Cf. Q. fr. III. 8, 1. Discrimen, quod Kritzius ad Sall. Cat. 35, 3 statuit inter *statum* et *gradum dignitatis* speciosum esse, non verum patebit cogitanti locutiones *gradu depellere, de gradu deiicere* et sim. Quare in illo Sallustii loco nihil mutandum est.

intra alterius praesidia veniendum. Cf. VIII. 11 D., 4 *qui — intra praesidia atque intra arma aliena venissent.* Discrimen, quod Gronovius ad Liv. XXXV. 11, 10 indicavit magis quam declaravit praepositionum *inter* et *intra* in eo positum est, ut hoc indicet aliquid ab omni parte saeptum esse, illud vero medium esse in aliqua re vel progredi per illam. Cf. Reisig. Schol. § 410. Hand. Turs. III. 439 sq. et Schneideri adn. crit. ad Caes. B. G. I. 36, 7.

et is — populare ɔ: et Pompeius non se praestat bonum virum et optimatium fautorem, sed populari gratia potentiam quaerit.

et mehercule. Scripsi pro *sed mehercule;* hoc enim ut gravius superioribus adiungitur, minime vero illis opponitur.

cum aliqua levitate ɔ: ita ut discederem ab institutis meis, ut mihi non constarem in dictis et factis.

gravior videretur. 3. Reliqua sic a me aguntur et agentur, ut non committamus, ut ea, quae gessimus, fortuito gessisse videamur. Meos bonos viros, illos quos significas, et eam, quam mihi dicis obtigisse, *Σπάρταν* non modo nunquam deseram, sed etiam, si ego ab illa deserar, tamen in mea pristina sententia permanebo. Illud tamen velim existimes me hanc viam optimatem post Catuli mortem nec praesidio ullo nec comitatu tenere; nam, ut ait Rhinton, ut opinor,

Οἱ μὲν παρ' οὐδέν εἰσι, τοῖς δ' οὐδὲν μέλει.

Mihi vero ut invideant piscinarii nostri, aut scribam ad te alias aut in congressum nostrum reservabo. A curia autem nulla me res divellet, vel quod ita rectum est, vel quod rebus meis maxime consentaneum, vel quod a senatu quanti fiam minime me poenitet. 4. De Sicyoniis, ut ad te scripsi antea, non multum spei est in senatu: nemo est enim iam, qui queratur; quare, si id exspectas, longum est: alia via, si qua potes, pugna. Quum est actum, neque animadversum est ad quos pertineret, et raptim in eam sententiam pedarii cucurrerunt. Inducendi senatus consulti maturitas nondum est, quod neque

sed tamen. Ultimam vocem praeeunte Faerno a Schuetzio deletam uncis inclusi. Fortasse Cicero scripsit *tum.* Cf. de confusione harum particularum Kellerus, Semestrium lib. II. p. 451 et 538.

§ 3. *Meos bonos viros.* De bonis viris notavi ad ep. 13, 3. Eos appellat *meos* ɔ : mihi deditos.

Σπάρταν. Respicit ad versum ex Euripidis Telepho, qui fere proverbii vim obtinuit: *Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει.* quae ab Agamemnone ad fratrem dicta esse videntur. Cf. Sauppius in Ind. Graeco, et Leutschius ad Diogen. Cent. VIII. 16. A vera significatione ita paulatim versus deflexit, ut *Σπάρτα* pro quavis provincia, quibuscunque partibus diceretur.

hanc viam optimatem. Sic recte in margine Med. correctum puto, quamvis non minus recte *optimam* scribi posset. Cf. adnot. ad II. 1, 6. Illo adiectivo usum esse Ciceronem in II de Rep. novimus e Nonio v. *modicum.*

post Catuli mortem. Q. Lutatius Catulus propugnator optimatium, quem Cicero summis laudibus ornare solet v. c. in Sestiana, 101, hoc ipso anno obiisse videtur.

Rhinton. De Rhintone Tarentino Phlyacographo s. Hilarotragoediae auctore locus classicus est apud I. Laurentium Lydum de Magistr. Rom. I. 41, in quo explicando versatur Reuvensius in Collect. Liter. L. B. 1815. p. 69 seqq.

Οἱ μὲν — μέλει ɔ: *alii nihili sunt, alii nihil curant.* Quae quum aptissimam sententiam efficiant, non debebat illa suis coniecturis temptare Theod. Bergk in Diar. Antiq. 1841, p. 86 et p. 336. Nam quamvis Schol. ad Aristoph. Ran. 72 ex Euripidis Oeneo hunc versum servaverit: *οἱ μὲν γὰρ οὐκέτ' εἰσίν, οἱ δ' ὄντες κακοί*, Rhinton pro suo consilio Euripidis versum mutare potuit. Neque assentior Fritzschio ad Arist. Ranas p. 31 ex verbis *post Catuli mortem* necessario hic *γὰρ οὐκέτ* scribendum statuenti. *παρ' οὐδὲν εἶναι* dicuntur, qui reipublicae prodesse quum maxime velint non possunt; *οὐδὲν μέλει* pertinet ad piscinarios illos.

a senatu quanti fiam minime me poenitet ɔ: quod apud senatum tantum valeam, mihi pergratum est. Cf. infra XII. 28, 2, *non poenitet me quantum profecerim.* Off. I. 2, *tamdiu autem (discere) velle debebis, quoad te quantum proficias non poenitebit.* — De simili usu pronom. *οἷος* et *ὅσος* pro *ὅτι τοιοῦτος, ὅτι τοσοῦτος* vid. Matthiae in Gram. Gr. § 480, p. 899.

§ 4. *ut ad te scripsi antea.* ep. 19, 4.

raptim — cucurrerunt. „Lepide ad expri-

sunt qui querantur, et multi partim malevolentia, partim opinione aequitatis delectantur. 5. Metellus tuus est egregius consul; unum reprehendo, quod otium nuntiari e Gallia non magno opere gaudet; cupit, credo, triumphare: hoc vellem mediocrius; cetera egregia. Auli filius vero ita se gerit, ut eius consulatus non consulatus sit, sed Magni nostri *ὑπώπιον*. 6. De meis scriptis misi ad te Graece perfectum consulatum meum; eum librum L. Cossinio dedi. Puto te Latinis meis delectari, huic autem Graeco Graecum invidere. Alii si scripserint, mittemus ad te; sed, mihi crede, simul atque hoc nostrum legerunt, nescio quo pacto retardantur. 7. Nunc ut ad rem meam redeam, L. Papirius Paetus, vir bonus amatorque noster, mihi libros eos, quos Ser. Claudius reliquit, donavit; quum mihi per legem Cinciam licere capere Cincius amicus tuus diceret, libenter dixi me accepturum, si attulisset. Nunc si me amas, si te a me amari scis, enitere per amicos, clientes, hospites, libertos denique ac servos tuos, ut scida ne qua depereat; nam et Graecis his libris, quos suspicor, et Latinis, quos scio illum reliquisse, mihi vehementer opus est. Ego autem quotidie magis, quod mihi de forensi labore temporis datur, in his studiis

mendam levitatem et praecipitantiam, pro solemni *ierunt.*" Ern.

inducendi SCti maturitas nondum est ɔ: SCtum recens nondum aboleri potest. Similiter I. 17, 9 *induci locatio* dicitur.

§ 5. *cetera egregia* sc. in eo sunt. Sed fortasse de Wesenbergii coni. scribendum *egregie*, quod melius respondet praecedenti *mediocrius*.

Magni nostri ὑπώπιον ɔ: Pompeii, qui consulatum Afranio mandaverat, macula vel opprobium. Ὑπώπιον sequens aetas reddidit per *suggillationem*, quod, ut illud ex ὑπό et ὤψ, ita ex *sub* et *cilium* compositum videtur.

§ 6. *huic Graeco Graecum invidere* ɔ: te hominem in Graecia viventem aegre ferre, quod ego Romanus Graece scribere ausus sum.

§ 7. *L. Papirius Paetus.* Ad eum missae sunt epist. 15—26, L. IX ad Famil. *Amator noster* ɔ: semper amans nostri: nam ut ipse Cicero Tusc. IV. 27 monuit „aliud est amatorem esse, aliud amantem." Saepius *amator* turpem significatum habet, non semper. Alias Cicero neque scripsisset in Bruto, 66: *Amatores Catoni desunt*, neque in ep. ad Paetum Fam. IX. 15, 4 Caesarem appellasset *amatorem tuum*, neque in Timaeo c. 14 verba Platonis τὸν νοῦ καὶ ἐπιστήμης ἐραστήν interpretatus esset: *Illum, qui intelligentiae sapientiaeque se amatorem profitetur.* — *Servius Claudius* eius frater dicitur ep. seq. 12. Fam. IX. 16, 4, quod de affinitate intelligendum esse recte observat I. A. C. Heusdius in disq. de L. Aelio Stilone, ubi de Servii Claudii vita et scriptis agitur p. 45 sq. et 81 seqq. Eiusdem hominis fuisse ἔλεγχον χρόνων, quem citat Plutarchus in Numa c. s, non inepte suspicatur C. F. Hermannus in Relatt. Gott. a. 1849, p. 1460.

per legem Cinciam. Huius legis, quae a. 550 lata donationes ultra certum modum vetabat, per iocum meminit Cicero, quum nomen Cincii procuratoris Attici sponte eum in cognominis legis memoriam revocaret. De lege Cincia multi disputarunt, quos laudat Rudorfius, röm. Rechtsg. I. § 22.

scida. Sic habet quoque Med. in Fam. XV. 16, 1, itaque vocabulum derivandum a *scindo*. Serius demum Graeci σχέδην pro charta dicere coeperunt. In Martial. Epigr. IV. 89, 4 libri scripti diversas formas praebent.

de quibus tibi ille agit maximas gratias ɔ: „in quibus ille ad me scribit se mirifice a te iuvari." I. F. Gronovius.

conquiesco. Per mihi, per, inquam, gratum feceris, si in hoc tam diligens fueris, quam soles in iis rebus, quas me valde velle arbitraris, ipsiusque Paeti tibi negotia commendo, de quibus tibi ille agit maximas gratias; et ut iam invisas nos non solum rogo, sed etiam suadeo.

LIBER II.

I. (*A. U. C.* 694.)

1. Kal. Iuniis eunti mihi Antium et gladiatores M. Metelli cupide relinquenti venit obviam tuus puer. Is mihi litteras abs te et commentarium consulatus mei Graece scriptum reddidit, in quo laetatus sum me aliquanto ante de iisdem rebus Graece item scriptum librum L. Cossinio ad te perferendum dedisse; nam, si ego tuum ante legissem, furatum me abs te esse diceres. Quamquam tua illa — legi enim libenter — horridula mihi atque incompta visa sunt, sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant et, ut mulieres ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur; meus autem liber totum Isocrati μυροθήκιον atque omnes eius discipulorum arculas ac nonnihil etiam

§ 1. *M. Metelli.* Marcus praenomen erat fratri Q. Metelli Cretici, qui cur hoc tempore gladiatores dederit, ignoratur. Non probo tamen Goveanum, qui ut de consule Q. Metello Celere cogitari posset, praenomen sustulit. *Cupide* se illos ludos relinquere Cicero dicit, quod illa delectatione non alliciebatur, ut videre licet ex epist. ad Fam. VII. 1. Coniectura Tyrrelli *cupido relinquendi* dura est minimeque necessaria.

commentarium cons. mei. Corn. Att. 18 extr. *Est etiam unus liber Graece confectus de consulatu Ciceronis.* Eius libri ne unum quidem verbum superest.

legi enim libenter. Male Schellerus, Obss. p. 185 *enim* in *tamen* mutavit. Illa particula solet poni ad affirmandum, de quo dubitari posset et saepe locum habet in parenthesi, ut monet Handius in Turs. II. p. 376. Quum autem Cicero horridula atque incompta non potuerit *libenter* legere, laudo Wesenbergii coniecturam: *legi enim diligenter.*

ut mulieres cet. Scapha in Plauti Mostell. I. 3, 116: *ecastor mulier recte olet, ubi nihil olet.* Mart. VI. 55. *Malo, quam bene olere, nil olere.* Non multum dissimile est, quod legimus in Orat. 78. *Nam ut mulieres esse dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipsum deceat,* cet. et plane ex eodem genere sunt haec Varronis e Satira, p. 172 Oehl. *Bellaria ea maxime sunt mellita, quae mellita non sunt,* quae servavit Gellius N. A. XIII. 11. Partem horum P. Manutius occupavit.

Isocrati. Haec forma genitivi nominum propriorum in *es* exeuntium ex Aeolica dialecto repetenda, quae Prisciani auctoritate nititur et apud Ciceronem bonis codicibus confirmatur, diu explosa a recentissimis criticis reduci coepta est. Vid. Reisig. Schol. p. 111 cum adnot. Haasii. Add. Madvig. ad Cic. de Fin. p. 32 et 622, Ellendt ad Cic. Orat. II. p. 55 sq. et qui diligentissime haec tractavit Otto in Exc. XIII ad Cic. de rep. p. 473 Osanni.

Aristotelia. Ellendt op. l. p. 67 seqq. recenset multa nomina Graece in ειος exeuntia,

Aristotelia pigmenta consumpsit; quem tu Corcyrae, ut mihi aliis litteris significas, strictim attigisti, post autem, ut arbitror, a Cossinio accepisti; quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lente ac fastidiose probavissem. 2. Quamquam ad me rescripsit iam Rhodo Posidonius se, nostrum illud ὑπόμνημα quum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iisdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum sed etiam plane deterritum. Quid quaeris? conturbavi Graecam nationem: ita vulgo qui instabant, ut darem sibi, quod ornarent, iam exhibere mihi molestiam destiterunt. Tu, si tibi placuerit liber, curabis ut et Athenis sit et in ceteris oppidis Graeciae; videtur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre. 3. Oratiunculas autem et quas postulas et plures etiam mittam, quoniam quidem ea, quae nos scribimus adolescentulorum studiis excitati, te etiam delec-

quae modo in *eus* modo in *ius* terminantur. Optimi libri in his variant, neque grammatici inter se conveniunt. Cf. Exc. XI ad Cic. de rep. Osanni.

pigmenta, χρώματα, *colores*. Or. II. 188 laudatur oratio *sine pigmentis fucoque puerili*, et in Bruto 298 Catonis Censorii orationem nondum multis ornamentis et luminibus distinctam quum indicare velit, scribit *illius lineamentis eorum pigmentorum, quae inventa nondum erant, florem et colorem defuisse.*

strictim ɔ: obiter, cursim. p. Cluent. 29 iunguntur *breviter strictimque*, p. Cael. 15 *titubanter et strictim.* Altera forma *stricte* apud bonos scriptores non invenitur.

post autem. Qui pro his *postquam* dederunt, eo maxime ducti videntur, quod parum probabile videretur istum librum prius ad alios missum fuisse, quam ad Atticum. Sed recte observat Manutius e proximis apparere, Posidonium quoque eum iam ante legisse. Atque si *postquam — accepisti* legimus, perquam inepta est clausula sententiae.

§ 2. *deterritum* Lambinus recte edidit pro eo, quod codices dant *perterritum.* cf. Brut. 262 (Caesar suis commentariis) *sanos homines a scribendo deterruit.* Orat. 5 *nec vero Aristotelem deterruit a scribendo amplitudo Platonis.*

Quid quaeris? = ne multa dicam, denique. Saepissime Cicero utitur hac formula summae rei breviter comprehendendae. Cff. exempla in Ind. Graeviano Epp. ad Att.

§ 3. Postquam Cludius, Ahrensius, alii de fide trium postremarum orationum in Catilinam dubitare coeperant, adeoque negabant plures una orationes in Catilinam habitas esse, mentio quatuor orationum in Cat., quae hoc loco continetur, incommoda erat. Quare Orellius acerrimus hostis illarum orationum, rem conficere cupiens in edit. orat. XV select. Turici 1836, affirmavit et illas orationes et hanc epistolae partem confictas esse a Tirone. Eam suspicionem ut vanam et ineptam reiecit Madvigius in Praefat. sec. edit. oratt. sel. XII. Hauniae 1841, p. XXXV sq., pronuntians ea, quae Orellius sibi videretur in hoc loco deprehendisse indicia orationis non Ciceronianae eiusmodi esse, vix ut refutari deberent. Adversus Orellium nonnulla quoque disputavit scriptor anonymus in Auctario diarii liter. Halensis 1837, p. 278 seqq. Ille tamen mansit in sua sententia, ut prodit haec adnotatio in edit. alt. Opp. Cic. III. p. 400: „Totus hic locus mihi perquam suspectus est de νοθείᾳ" et nactus est socium non contemnendum S. H. Rinkesium, qui de h. l. egit in disp. de Catilinaria prima p. XX seqq. I. Bakius eodem inclinare videtur in Schol. Hypomn. V. p. 3 sq. Ego etsi reprehendi video, quae excusari possunt, tamen fateor tot et tanta in hoc loco interpolationis indicia inveniri, ut mihi quoque *perquam suspectus* et antea fuerit et nunc sit.

oratiunculas scriptor *orationes* a se consule habitas modeste appellat. Aliquid eum scripsisse de oratiunculis mittendis manifestum est ex iis, quae legimus in extrema epist. § 11: *Prognostica mea cum oratiunculis propediem exspecta.* Itaque haec retinenda putavi.

et plures etiam. Cortius ad Fam. XIII. 7, 7

tant. [Fuit enim mihi commodum, quod in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes, et quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat, ut σεμνότερός τις καὶ πολιτικώτερος videretur, curare ut meae quoque essent orationes, quae consulares nominarentur: quarum una est in senatu Kal. Ian., altera ad populum de lege agraria, tertia de Othone, quarta pro Rabirio, quinta de proscriptorum filiis, sexta, quum provinciam in

plures locos congessit, in quibus Cicero particulas *et etiam* coniunxit. Cf. Hand. Turs. II. p. 523. Sed a reliquis separandi sunt illi loci, in quibus *etiam* cum comparativo copulandum est, ut hic ipse.

nos scribimus. Bakius recte *nos* molestum vocat scribendumque censet: *conscribimus.*

adolesc. studiis excitati. Negat Or. in adolescentium gratiam scripsisse potius, quam familiarium et amicorum. Audio: sed modeste id sibi fuisse orationum edendarum consilium affirmat. Cf. IV. 2, 2 *itaque oratio iuventuti nostrae deberi non potest.*

Fuit — mihi commodum ɔ: libuit mihi. Cf. Verr. II. 33, ad q. l. Pseudo-Asconius recte laudavit versum ex Adelphis Terentii I. 2, 38 et Orat. III. 87.

Demosthenes. Nemo ignorat quoties nimia librariorum sedulitas nomina propria intruserit. Id hoc loco factum esse manifestum est. Neque enim Philippicarum mentione facta de alio cive suo, quam de Demosthene Atticus cogitare poterat. Non minus inepte infra ep. 9, 3 verbis *per istum tuum sodalem* sciolus adscripsit *Publium.*

se ab hoc refractariolo iudiciali dic. genere abiunxerat. Madvigius reprehendit Orellium, „quod in deminutiva forma *refractariolus* semel hic in familiari sermone posita haereat, quasi non quarta saltem pars omnium deminutivorum Latinorum uno tantum loco legatur, quia in scribendo extra epistolas familiares rara eorum ponendorum occasio erat." Sed hoc modo quaestio non absolvitur. Nec deminutivum aptum esse, nec genus dicendi, quo utuntur in iudiciis, solum versari in refringendis adversarii argumentis, Rinkesius l. c. p. XXII recte monuit. Tum Madvigius eundem Orellium reprehendit „quod hanc locutionem *ab iudiciali dicendi genere se abiungere* miretur nec meminerit Fam. I. 9, 23 prorsus eodem modo dici: *ab orationibus diiungo me fere.*" Sed illo loco hunc non defendi eidem concedo Rinkesio. Nam aliud est *abiungo,* quo verbo Cicero nusquam usus est, aliud *diiungo,* quod in scriptis Tullianis frequenter legitur.

consulares. Non definio utrum sint a consule habitae, an consule rebusque in consulatu gestis dignae. Cf. hac ep. § 5 *non consulare dictum,* IX. 9, 3 *sententia consularis.* De singulis illis orationibus non dicemus. Cff. cum hoc loco Pison. 4, sq. et Plin. H. N. VII. 116, laudati a Manutio.

quum provinciam — deposui. Solemnis formula de iis, qui provinciam praetermittunt, in provinciam ire recusant. Vid. Fam. V. 2, 3.

quum Catilinam emisi. Orellius ἄκυρον vocat non additis *ex urbe,* quae verba adduntur p. Sull. 17, Mur. 6 (*Catilinam — ex urbe expulisse*), Pis. 5 (*egredi ex urbe iussi*). Sed Atticus sane non desiderabat mentionem loci, unde Catilina eiectus esset. Ne librarii quidem desiderarunt. — Ne quis verbum *emittere* in hac re lenius putet, inspiciat Cat. I. 27, II. 1, aut qui his uti non vult locum cit. p. Sulla. — Cum Orellio pro *qua* scripsi *quum,* quo ducit lectio cod. Med. *quo.*

invocarunt in Med. est vitiosum. Corrigendum puto *indicarunt.* Nam quod vulgo scribitur *involgarunt* debetur Bosio, qui meminerat illud *patefaciendi* notione legi in Gellii N. A. cff. intt. ad Gell. III. 11. Falso tamen id obtruditur Ciceroni et eximendum est e numero τῶν ἅπαξ εἰρημένων apud Ellendtium ad ll. de Orat. II. p. 213, quia ut Rinkesius p. XXIII demonstravit non poterat dici de Allobrogum indicio in curia facto.

σῶμα, ut *corpus* de opere in partes digesto usurpatur. Cf. Fam. V. 12, 4. Q. fr. II. 13, 4. Liv. III. 34. Sed orationes variis in causis habitae, si uno volumine eduntur, non efficiunt σῶμα. Poterant hoc nomine designari orationes habitae in M. Antonium, non debent orationes a Cicerone consule habitae. Male quoque omittuntur orationes pro C. Pisone (Flacc. 98) et pro L. Murena, omnium fere praestantissima.

contione deposui, septima, quum Catilinam emisi, octava, quam habui ad populum postridie, quam Catilina profugit, nona in contione, quo die Allobroges † invocarunt, decima in senatu Nonis Decembr. Sunt praeterea duae breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae. Hoc totum σῶμα curabo ut habeas, et, quoniam te quum scripta, tum res meae delectant, iisdem ex libris perspicies et quae gesserim et quae dixerim: aut ne poposcisses; ego enim tibi me non offerebam]. 4. Quod quaeris quid sit quod te arcessam, ac simul impeditum te negotiis esse significas neque recusas, quin non modo si opus sit, sed etiam si velim, accurras, nihil sane est necesse; verumtamen videbare mihi tempora peregrinationis commodius posse discribere: nimis abes diu, praesertim quum sis in propinquis locis; neque nos te fruimur et tu nobis cares. Ac nunc quidem otium est, sed, si paullo plus furor Pulchelli progredi posset, valde ego te istim excitarem; verum praeclare Metellus impedit et impediet. Quid quaeris? est consul φιλόπατρις et, ut semper iudicavi, natura bonus. 5. Ille autem non simulat, sed plane tribunus pl. fieri cupit: qua de re quum in senatu ageretur, fregi hominem et inconstantiam eius reprehendi, qui Romae tribunatum pl. peteret, quum in Sicilia † Herae aedilitatem se petere dictitasset, neque magno opere

et quoniam — delectant. Nisi plura in hac § vitiosa essent, recepissem necessariam Bakii correctionem *tam — quam* pro iis, quae codd. dant *quum — tum.*

iisdem ex libris ɔ: e commentario consulatus mei et ex illis orationibus. *Perspicies quae gesserim* merito ut inepta notantur. Vid Rinkes p. XXV. Bakius p. 4. Atticus, qui illo tempore Romae fuerat, quique ipse de illis rebus scripserat, triennio post non erat docendus, quae Cicero consul gessisset.

aut ne poposcisses; ego enim tibi me non offerebam. Quamobrem haec verba Orellio parum humana atque adeo subrustica visa sint, non intelligo. In epistola familiari talia non offendunt. *Ne poposcisses* est non debueras poscere. Wesenbergius in Obss. crit. ad Sest. p. 3 comparavit locum a se emendatum in Verr. II. § 57 al. Similem orationis formam invenies infra XVI. 11, 7. *Publice scripsi, si uti vellet eis Valerius: aut mihi nomina mitteret.* ad Q. fr. III. 4. 3: *Alterutrum defendisses idque Pompeio contendenti dedisses.* Ceterum ipsa in sequentibus verborum collocatio prohibet, quominus *tibi* cum vi dictum sit, quod non nemini placere video. Neque *tibi me non offerebam* hic quicquam offensionis habet. Cf. p. Rosc. Am. 112 *cur mihi te offers?*

§ 4. *discribere.* Quod in nonnullis codd. legitur *distribuere* est germani verbi interpretatio, quod e Torn. Lambini restituimus. Vulgo *describere.* De utriusque verbi discrimine vid. Buechelerus in Nov. Mus. Rhen. XIII. p. 598 seqq.

progredi posset. Non poterat impediente Metello.

Metellus impedit, np. resistendo rogationi Herennianae, de qua vid. I. 18, 4. Cf. Cael. 60. Dio Cass. XXVII. 50.

§ 5. *Ille — non simulat.* Interpretes explicant, quasi scriptum esset *dissimulat.* Perperam. Clodius non simulabat se tribunum fieri velle, sed plane volebat.

in Sicilia † Herae aedilitatem se petere dictitasset. Sic post Bosium h. l. scribunt. Orellio suspecta sunt verba *in Sicilia;* me gravissimae causae moverunt, ut illis servatis *Herae* falsum esse significarem. Docet Stephanus de Urb. p. 724 Hyblam minorem aliquando appellatam esse Heram, sed quo tempore hoc nomen in usu esse coeperit, non

dixi esse nobis laborandum, quod nihilo magis ei liciturum esset plebeio rem publicam perdere, quam similibus eius me consule patriciis esset licitum. Iam, quum se ille septimo die venisse a freto neque sibi obviam quemquam prodire potuisse et noctu se introisse dixisset in eoque se in contione iactasset, nihil ei novi dixi accidisse: ex Sicilia septimo die Romam, at tribus horis Roma Interamnam: noctu introisse item ante: non esse itum obviam ne tum quidem, quum iri maxime debuit. Quid quaeris? hominem petulantem modestum reddo non solum perpetuae gravitate orationis, sed etiam hoc genere dictorum. Itaque iam familiariter cum ipso cavillor ac iocor; † quin etiam quum candidatum deduceremus, quaerit ex me, num consuessem Siculis locum gladiatoribus dare: negavi. »At ego, inquit, novus patronus instituam; sed soror, quae tantum habeat consularis loci, unum mihi

constat. Fac iam obtinuisse Ciceronis aetate; dicemusne Clodium nusquam in Sicilia nisi in illo oppidulo *dictitasse* se Romae aedilitatem petere? Hoc vix minus ineptum, quam si verba ita interpretamur, ut Clodium tum Herae aedilem fieri voluisse dicamus, quod merito explosit Ev. Otto, de aedil. colon. p. 98 seqq. In Med. quum scriptum esset *hereditatem,* id in *aedilitatem* alia manus mutavit. Ego in tribus literis *her* vestigium deprehendo vocis *nuper,* cuius initium in codice archetypo fortasse evanuerat. Temporis aliqua significatio paene necessaria est, ut Iunius viderat. Sed quod commendat *here* vel *heri,* de tempore praeterito apud solos poetas invenitur. Cf. Hand. Turs. III. p. 63.

neque m. o. dixi. Delevi ante haec verba part. *sed,* quae molesta est in eiusdem sententiae continuatione. Recte omisit, qui cod. Mediceum exaravit. Cf. Madv. de Fin. p. 805 et Wesenb. Emend. Epistt. p. 97.

a freto. „quo Sicilia ab Italia separatur." Schol. Ambros. ad orat. in Clod. p. 333 Or. Cf. Duker. ad Flor. I. 26 extr. et Liv. XXI. 49. Ex hoc loco discimus eum, qui septimo die e Sicilia Romam perveniret, mira celeritate iter fecisse.

tribus horis Roma Interamnam. Spectant haec ad causam incesti, in qua Clodius hac ratione se defenderat, quod diceret se illo tempore non Romae fuisse, sed Interamnae, p. Mil. 46. Quint. I. O. IV. 2, 88.

non esse itum obviam sc. honoris causa. Cicero autem verborum ambiguitate ludens talia dicenti respondit, ne tum quidem quum maxime ei resistere debuissent, hoc factum esse. *Obviam ire* pro resistere legitur inf. IV. 16, 12 (mihi 18, 4). Suet. Caes. 69 *Non cessit unquam tumultuantibus, etiam obviam semper iit.* — Pro *debuit* cum Orellio *debuerit* scribendum videtur.

perpetuae gravitate orationis scribendum esse pro *perpetua* vidit Rinkesius meus, comparatis iis, quae leguntur I. 16, 8.

cum ipso cavillor. Recte Or. in altera editione omisit *etiam,* quod ante *cavillor* inferri solet, secutus codicis Medicei auctoritatem. In seqq. Wesenbergius merito vituperavit *quin etiam,* quod gradatio nulla est, et praesens *quaerit,* quum non sequatur *nego,* sed *negavi.* Ex emendationibus ab eo prolatis Em. alt. p. 88 maxime placet haec: *cui etiam — quaerenti ex me — negavi.*

quum candidatum deduceremus. Id honoris causa fiebat. Q. Cic. de pet. cons. 36; neque in candidatis solis, sed etiam in aliis, Mur. 70.

novus patronus. Ita de Guidonis Lollii coniectura scripsit Malaspina, probante Lambino. Hic igitur in cod. Z. quoque invenerat, quod e Med. Rav. et Oxonn. affertur *novos patronos.* Quae forma fortasse vera est, quum, ut ingeniose suspicantur Malaspina et Bosius, Cicero ita scribendo indicare potuerit Clodium in pronuntiando Sicilissitasse sive ore deducto litteram u protulisse.

sed soror — dat. Queritur Clodius de sorore Clodia Q. Metelli consulis uxore, quod ea quamvis multum loci habeat in amphitheatro, sibi tamen non ultra unius pedis spatium concedere voluerit. Qui voc.

solum pedem dat." »Noli, inquam, de uno pede sororis queri; licet etiam alterum tollas." Non consulare, inquies, dictum; fateor, sed ego illam odi male consularem. Ea est enim seditiosa, ea cum viro bellum gerit, neque solum cum Metello, sed etiam cum Fabio, quod eos in hoc esse moleste fert. 6. Quod de agraria lege quaeris, sane iam videtur refrixisse. Quod me quodam modo molli brachio de Pompeii familiaritate obiurgas, nolim ita existimes me mei praesidii causa cum illo coniunctum esse, sed ita res erat instituta, ut, si inter nos esset aliqua forte dissensio, maximas in re publica discordias versari esset necesse; quod a me ita praecautum atque provisum est, non ut ego

consularis substantive dictum accipiunt de consulis uxore, falluntur.

licet etiam alterum tollas. Acerbe et petulanter dictum in Clodium, „*qui non pluris fecerat Bonam Deam, quam tres sorores*" (Fam. I. 9, 15), quemque cum sorore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus iuratus se dixit comperisse. Mil. 73. Similiter Graeci αἴρειν τὰ σκέλη in re Veneria usurpant. Vid. Astius ad Theophr. Charact. p. 243 sq. Cff. quoque P. Syri fragm. v. 11 apud Petron. 55 et Mart. X. 81, 4. XI. 71, 8.

male consularem ↄ: consule plane indignam. Malaspinae interpretationi, qui coniunxit *male odi illam consularem*, obstat praeter verborum ordinem id, quod modo dixi de usu v. *consularis* apud Ciceronem.

ea est enim seditiosa, ea cum viro bellum gerit. Quum antea Schuetzium secutus edidissem: *Est enim seditiosa et cum viro bellum gerit*, sententiam mutavi lectis, quae Franc. Buechelerus in Coniectaneis Gryphisw. a. 1868 editis p. 18 seq. de h. l. disputavit. Coniecit enim senarium esse alicuius comici: *Ea est seditiosa, ea cum viro bellum gerit*, quem Cicero inserta part. *enim* in usum suum converterit. — *Seditionem* et *bellum* de discordia domestica inter coniuges exemplis probavit G. Cuperus, Obs. III. 18. *Virum* pro marito non soli poetae dixerunt, quorum locos laudavit Sillig. ad Cat. 61, 171, sed scriptores quoque. Cf. Fam. VIII. 7, 2. Verr. A. II. 1. 64. Tusc. V. 78. Q. Cic. de pet. cons. 9. Liv. I. 58.

cum Fabio. De hoc homine nihil constat. Buechelerus l. c. e Dionis narratione XXXVII. 50 suspicatur h. l. nominatum fuisse L. Flavium, trib. pl. legis agrariae latorem. cf. I. 18, 6. 19, 4.

quod eos esse in hoc esse moleste fert. Sic. Med. quod correctum est *eos nihil mihi esse. R. eos nihil esse. In hoc esse* est *hoc agere*, operam dare, ut vel ne aliquid fiat. Quod quo spectet, quum dubium sit veteres editores correxerunt: *quod eos mihi esse amicos moleste fert*, quod miror Ernesto aliisque placuisse. Potius assentirer Buechelero coniicienti: *quod eos inimicos esse moleste fert.* Clodia irata erat coniugi suo eiusque adversario, quod sibi Ciceronis ulciscendi cupiditate ardenti utile erat eos non inter se litigare. Madvigius A. C. III p. 168 correxit: *quod eos esse innocentes moleste fert.*

§ 6. *de agraria lege.* Cf. I. 18, 6. 19, 4. Pro *sane iam* I. F. Gronovius malebat *sanequam*, comparans Fam. IV. 5, 1. VIII. 10, 1 (add. VIII. 14, 1), quae sunt Servii Sulpicii et Caelii. Aptius contulisset ad Q. fr. II. 6, 5 *quod de Pompeio Caninius agit, sanequam refrixit.* Sed utrumque recte dicitur.

quodam modo molli brachio. Molli brachio et *levi brachio* IV. 16, 6, sunt locutiones familiares pro leniter, leviter, εὐχερῶς. Conferri potest *molli articulo tractare aliquem* apud Quint. I. O. XI. 1, 70 et *remedia, quae natura sunt aspera, molli manu lenire*, ibid. II. 4, 12. *Quodammodo*, quod Ernestus a glossatore adscriptum iudicabat, ab ipso scriptore additum puto, quod *molli brachio* aliquanto audacius cum verbo *obiurgas* coniungitur.

ita res erat instituta ↄ: ita res se habebat. Cf. Fam. V. 17, 2.

praecautum atque — provisum. Solent haec verba ita coniungi, ut *providere*, quod proprie in cogitando versatur, praecedat. Vid. exempla, quae collegit I. F. Gronovius ad Liv. XXXVI. 17, 12. Sed quum providendi notio

de optima illa mea ratione decederem, sed ut ille esset melior et aliquid de populari levitate deponeret; quem de meis rebus, in quas eum multi incitarant, multo scito gloriosius quam de suis praedicare; sibi enim bene gestae, mihi conservatae rei publicae dat testimonium. Hoc facere illum mihi quam prosit nescio; rei publicae certe prodest. Quid, si etiam Caesarem, cuius nunc venti valde sunt secundi, reddo meliorem, num tantum obsum rei publicae? 7. Quin etiam, si mihi nemo invideret, si omnes, ut erat aequum, faverent, tamen non minus esset probanda medicina, quae sanaret vitiosas partes rei publicae, quam quae exsecaret; nunc vero, quum equitatus ille, quem ego in clivo Capitolino te signifero ac principe collocaram, senatum deseruerit, nostri autem principes digito se caelum putent attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant, alia autem negligant, nonne tibi satis prodesse videor, si perficio ut nolint obesse, qui possunt? 8. Nam Catonem nostrum non tu amas plus quam ego, sed tamen ille optimo animo utens et summa fide nocet interdum rei publicae: dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in

etiam ad actiones extendatur, inversio nihil offensionis habet. Cf. Liv. XXIII. 43, 7 *omnia — cauta provisaque fuerunt.*

de optima illa mea ratione. Temere Orellius probat, quod Lamb. dederat *optimati.* Immo quod dicit se Pompeium reddere *meliorem* evincit nihil mutandum esse, quumque *optimates* aliquoties *optimi* appellentur v. c. de Leg. III. 37, quidni eorum ratio dicatur *optima?* Cf. *causa optima* ep. 16, 4 h. l., *civis in rebus optimis constantissimus.* Brut. 95.

de meis rebus — praedicare. cf. p. Arch. 26 *praedicari de se volunt.* Phil. XI. 33 *quae de illo viro — praedicaverunt.*

cuius nunc venti valde sunt secundi ɔ: cui nunc fortunae aura adspirat. Sed quum Latine dicatur *ventos habeo secundos* et *ventus est mihi secundus* non dubito, quin pro *cuius* scribendum sit *cui.* In proximis redii ad Med. et Rav. scripturam *tantum* ɔ: tanto opere. W. recepit Schuetzii coniecturam *tandem.*

§ 7. *equitatus.* „Sic dicit insolentius ordinem equestrem, opinor quia de equitum opera militari sibi navata loquitur." Ern. Inde quoque repetendae sunt appellationes *signiferi ac principis.*

senatum deseruerit. Causas discordiae exposuit I. 17, 8 sq.

satis prodesse. Sic codd. omnes. Sententia requirit ut cum W. inseras *rei publicae,* quod per compendium *r. p.* scriptum facile ante litteras *pr* omitti potuit.

§ 8. *tu amas plus quam ego.* Non raro *plus* dicitur pro *magis.* vid. VI. 8, 5 *Pedem porta non plus extulit quam domo sua,* et hoc ipsum *plus amare* XIII. 21. 7. ad Q. fr. III. 1, 7. et cff. Madv. ad Cic. Fin. p. 15 et Haase ad Reisigii Scholas, p. 398. — Cum hoc loco comparanda sunt haec verba e III. Off. 88. *Ego etiam cum Catone meo saepe dissensi. Nimis mihi praefracte videbatur aerarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis; quum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, ut cum colonis nostris solemus, eoque magis, quod illa ordinum coniunctio ad salutem rei p. pertinebat.*

optimo animo utens. Cf. XV. 4, 2 *animis usi sumus virilibus.* Simile est in Bruto, 93 *prudentia nunquam deficit oratorem, qua ille utens* cet. ibid. 204 *doctoris intelligentis est — ea duce utentem sic instituere* cet.

in Romuli faece ɔ: in plebe Romae. cf. Fam. VII. 32, 2 *quoniam tanta faex est in urbe.* Plutarchus respexit haec verba in vita Phocionis c. 3, ubi scribit: ὁ μὲν Κικέρων φησὶν αὐτὸν (τὸν Κάτωνα), ὥσπερ ἐν τῇ Πλάτωνος πολιτείᾳ καὶ οὐκ ἐν τῇ

Romuli faece, sententiam. Quid verius quam in iudicium venire, qui ob rem iudicandam pecuniam acceperit? Censuit hoc Cato, assensit senatus: equites curiae bellum, non mihi; nam ego dissensi. Quid impudentius publicanis renuntiantibus? Fuit tamen retinendi ordinis causa facienda iactura: restitit et pervicit Cato. Itaque nunc consule in carcere incluso, saepe item seditione commota, adspiravit nemo eorum, quorum ego concursu itemque ii consules, qui post me fuerunt, rem publicam defendere solebant. Quid ergo? istos, inquies, mercede conductos habebimus? Quid faciemus, si aliter non possumus? an libertinis atque etiam servis serviamus? Sed, ut tu ais, ἅλις σπουδῆς.
9. Favonius meam tribum tulit honestius quam suam, Lucceii perdidit. Accusavit Nasicam inhoneste ac modeste tamen; dixit ita, ut Rhodi videretur molis potius quam Moloni operam dedisse. Mihi, quod de-

Ρωμύλου πολιτευόμενον ὑποστάθμῃ τῆς ὑπατείας ἐκπεσεῖν.

Quid verius. Verum dici pro iusto et aequo pervulgatum est; de qua vi vocabuli optime dixit Bakius ad Cic. de Leg. p. 480 sq. Sed proprie esse *verum,* quod *rei conveniens* sit, et ex hac primaria notione reliquas derivari docuit Schneiderus ad Caes. B. G. IV. 8. 2.

renuntiantibus sc. conductionem. Cf. I. 17, 9.

Itaque nunc — adspiravit. In argumentando, ubi ex iis, quae praemissa sunt, aliquod deducitur, *nunc* est *hoc rerum statu.* Vid. Kritz. ad Sall. Iug. 85, 13. Moneo, ne quis *tunc* scribendum putet, de quo recte praecepit Zumpt, Gramm. § 732.

consule in carcere incluso. Metellus a L. Flavio trib. pl. in carcere inclusus fuerat, quia legi agrariae resistebat. Rem accurate narrat Dio XXXVII. 50. — De constructione hoc unum dicam *includere in carcere, in carcerem, carcere* et *carceri* recte dici, sed minime diversarum constructionum eandem esse rationem.

adspiravit. Sententia est: equites, qui ad rem publicam defendendam antea *concurrere* solebant, tunc ne levissimum quidem auxilium ferebant. *Adspirare alicui* proprie dicitur ventus secundus. Absolute ut h. l. ponitur ad Herenn. IV. 34, 45: *Magno se praedicat auxilio fuisse, quia paululum in rebus difficillimis adspiravit.*

istos mercede conductos habebimus? ɔ: num equites nobis conciliabimus largiendo et pecunias, quas debent, non repetendo?

ἅλις σπουδῆς „*Sat studii,* subaudi, positum est a nobis in tuenda ordinum concordia. Nunc, ut dies postulat, vivamus, quando iam officio satis superque fecimus." Manutius. At simplicior Gronovii ratio: „satis de seriis et gravibus negotiis."

§ 9. *Favonius.* Hic saepe in epistolis nominatur. Aequales eum M. Catonis simium appellabant, quem studiose aemulabatur. Vid. Dio XXXVIII. 7 cum adn. Reimari. Videtur illo tempore in praeturae petitione repulsam tulisse iratusque competitorem P. Scipionem Nasicam ambitus reum fecisse.

meam tribum tulit. Qui magistratum petentes alicuius tribus suffragiis creabantur, eam *ferre* dicebantur; cui alius praeripiebat suffragiorum maiorem partem, is tribum *perdebat.* Cf. Cic. Vatin. 36. Sest. 114. Ciceronis tribus erat *Cornelia,* in qua Arpinates suffragium ferebant. Liv. XXXVIII. 36.

Lucceii perdidit. „Nec mirum, — quum Lucceius Caesaris, Favonius Catonis familiarissimus esset." Manut.

Nasicam. Non potest esse alius, quam is, qui e gente Cornelia adoptione in Caeciliam transiit, unde modo P. Scipio Nasica, modo Q. Metellus Scipio appellatur. A. 703 cum genero suo Cn. Pompeio consul fuit.

ac modeste tamen. Particulae *ac tamen* indicant aliquid dici, quod superioribus contrarium sit. Cf. Madv. ad Cic. Fin. p. 286. Et sane ubi accusatio est inhonesta, in accusando modum tenere laudem meretur, idque in Pericle Cimonis accusatore laudatur a Plutarcho Per. 10. Cim. 14.

molis potius quam Moloni. Ludit in verbis

fendissem, leviter suscensuit. Nunc tamen petit iterum rei publicae causa. Lucceius quid agat scribam ad te, quum Caesarem videro, qui aderit biduo. 10. Quod Sicyonii te laedunt, Catoni et eius aemulatori attribuis Servilio. Quid? ea plaga nonne ad multos bonos viros pertinet? Sed st, ita placuit: laudemus, deinde in dissensionlbus soli relinquamur. 11. Amalthea mea te exspectat et indiget tui. Tusculanum et Pompeianum valde me delectant, nisi quod me illum ipsum vindicem aeris alieni, aere non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt. In Gallia speramus esse otium. Prognostica mea cum orati-

eiusdem soni. Molis operam dare est opus servile, ingenuo homine indignum.

leviter. In R. est *molliter*, quod minus aptum puto.

petit iterum. A praetura reiectus Favonius tribunatum petiisse videtur, quasi res publica sine eius opera salva esse non posset.

Lucceius quid agat. Ex iis, quae legimus I. 17, 11, apparet de consulatus petitione h. l. cogitandum esse.

10. *Quod Sicyonii* cet. Cf. adnot. ad I. 19, 9.

Sed st, ita placuit: laudemus, deinde in dissensionibus soli relinquamur. Una lineola addita haec verba integritati restituisse mihi videor. Vulgo enim cum codd. scriptis edunt: *Sed, si ita placuit, laudemus,* quod nemini displicuisse miror, sed magis mirarer, nisi usu didicissem, quanta levitate errores propagari solerent, Quid enim? illane verba licet interpretari ea ratione, ut particulae *si* vim causalem tribuas, quod omnes fecisse videntur, alii apertius, ut Wielandus (*Aber* DA *es nun einmahl so beliebt hat*), alii magis tecte verba sic explicantes: *Age probemus SCtum.* Sed neque hic, neque apud ullum bonum Latinitatis auctorem *si* poni pro *quoniam* statuo adversus Reisigium in Schol. § 264 et Drakenborchium, quem citat, ad Liv. VII. 13, 6; sed quum neuter Ciceronis exemplum attulerit, non est, quod pluribus hoc persequar. Certo scribendum: *Sed st!* ut est Fam. XVI. 24, 2, ubi in cod. Med. rursus *si* scriptum est. Sic in Plauti Pseudulo v. 600 et 952 pro *St. tace* in optimis libris exaratum est *si tace,* in Mil. Glor. 985 *ast tace,* in Casin. II. 5, 43 *S. tace parum* dat codex Pal. pro *St. tace parumper.* In dicto Catonis, quod laudatur de Or. II. 256 *si tu et adversus et aversus impudicus es* pariter *si* e *st* ortum videtur. — Sequuntur: *ita placuit* ɔ: ita senatus decrevit. Cf. Fam. I. 2, 1. Tum non adiecit: *feramus* vel *probemus,* sed, quasi hoc parum sit, ponit *laudemus,* nec minus acerbe addit: *deinde — relinquamur* ɔ: laudemus SCtum, quod multos laesit et senatui infestos reddidit, quodque hunc fructum feret, ut, quando dissensiones in re publica orientur, illo auxilio destituti soli relinquamur. Neque opus est *ne* post *deinde* inserto, neque futuro *relinquemur.*

§ 11. *Amalthea mea.* Cf. I. 16, 18 et quae notavi ad I. 13, 1.

nisi quod me — obruerunt. Cff. quae biennio ante ad P. Sestium scripsit, postquam Crassi domum emerat, Fam. V. 6, 2: *Nunc me scito tantum habere aeris alieni, ut cuperem coniurare, si quisquam recipiat; sed partim odio inducti me excludunt et aperte vindicem coniurationis oderunt, partim non credunt et a me insidias metuunt, nec putant ei nummos deesse posse qui ex obsidione foeneratores exemerit.* Eodem pertinent, quae scripsit ad Q. fr. I. 1, 6 *cives locupletes nostri consulatus beneficio se incolumes fortunas habere arbitrantur.* — *Nisi quod* ponitur, ubi exceptio additur iis, quae in universum affirmantur. Cf. X. 5, 2. XI. 6, 6. Fam. XIII. 1, 2. Orat. 67. Kritz. ad Sall. Iug. 95, 3. Wex. in Proleg. ad Taciti Agric. p. 121 sq. Hoc loco plene dicendum erat: Tusculano et Pompeiano valde delector, *nisi* hoc unum haberent incommodi, *quod* me — obruerunt.

aere non Corinthio, sed circumforaneo. De aere Corinthio, ex quo pretiosissima vasa fiebant, vid. Dukerus ad Flor. II. 16, 6. Mullerus, Archaeol. § 306, 1. *Aes circumforaneum* dicit pecuniam, quam mutuam sumpserat ab argentariis, qui mensas habebant ad Ianos in foro.

Prognostica. Nobbius ap. Orellium in Cicer. Opp. IV. 2, p. 555 suspicatur Tullium Arati Διοσημεῖα, a se adolescentulo in Latinum sermonem conversa hoc tempore recensuisse.

unculis propediem exspecta, et tamen, quid cogites de adventu tuo, scribe ad nos; nam mihi Pomponia nuntiari iussit te mense Quintili Romae fore. Id a tuis litteris, quas ad me de censu tuo miseras, discrepabat. 12. Paetus, ut antea ad te scripsi, omnes libros, quos frater suus reliquisset, mihi donavit. Hoc illius munus in tua diligentia positum est: si me amas, cura ut conserventur; hoc mihi nihil potest esse gratius, et quum Graecos, tum vero diligenter Latinos ut conserves velim: tuum esse hoc munusculum putabo. Ad Octavium dedi litteras — cum ipso nihil eram locutus: neque enim ista tua negotia provincialia esse putabam, neque te in tocullionibus habebam — sed scripsi, ut debui, diligenter.

Verba Ciceronis non firmant eam suspicionem; ostendunt potius Prognostica anno demum 694 fuisse scripta. Cf. Mureti Var. Lect. I. 20.

et tamen — *scribe ad nos*. Particulae *tamen* hic non esse locum vidit P. Starker in Symb. crit. p. 34 et correxit *tandem*, quod verum puto.

de censu tuo. Cod. Rav. confirmat, quod scripserunt Lamb. et Or. cum cod. Z., neque aliud latet in *accensu* (Med.). Sine dubio enim Atticus responderat Ciceronis epistolae XI Kal. Febr. datae (I. 18), in qua extrema admonitus fuerat, ut mature *ad censum* veniret. Non recte iudicant, qui hic *accessu, decessu, recessu* emendant.

§ 12. *Paetus*, cet. Cf. I. 20, 7.

Ad Octavium. Post C. Antonium in Macedoniam propraetore missus est C. Octavius, eamque provinciam summa laude obtinuit. Q. fr. I. 2, 7. Suet. Aug. 3. Huic per litteras commendavit negotia, quae Atticus in illa provincia habebat.

in tocullionibus. *Tocullio* nomen a Cicerone per iocum fictum e Graeco τόκος, ut vidit Turnebus Adv. III. 21, designat *minutum foeneratorem*. Casaubonus ad Theophr. Charact. c. 6. comparavit, quos Graeci dicunt ἡμεροδανειστάς et τοκογλύφους. Sed quis credat Atticum vere comparari cum hominibus, qui parvam pecuniae summam in paucos dies turpi foenore credebant? Noluit amicum appellare *foeneratorem*: blandius appellat *tocullionem*.

II. (*A. U. C.* 694.)

1. Cura, amabo te, Ciceronem nostrum, cui nos *συννοσεῖν* videmur. 2. *Πελληναίων* in manibus tenebam et hercule magnum acervum Dicaearchi mihi ante pedes exstruxeram. O magnum hominem! † et eo multo plura didiceris quam de Procilio. *Κορινθίων* et *Ἀθηναίων*

§ 1. *Ciceronem nostrum*. Q. fratris filium, quem sorore sua Pomponia natum Atticus apud se aegrotare Ciceroni nuntiaverat. — *cui nos συννοσεῖν* est emendatio Mureti, Var. Lect. XIV. 8, facta ad cod. Sirleti, in quo erat CINOS CYNOCTIN. Codicis M. scripturae magis favent Wesenbergio verba *cui nos* vel *ei nos*, quae facile intelliguntur, omittenti.

§ 2. Πελληναίων, Κορινθίων et Ἀθηναίων πολιτείας non fuisse partes maioris operis, quo Dicaearchus instituta moresque diversorum Graeciae populorum est persecutus, quod Βίον Ἑλλάδος inscripsit adversus Naekium in Museo Phil. Rhen. I. p. 51 seqq. recte defendit Max. Fuhr in op. de Dicaearchi reliquiis p. 87 seqq.

† *et eo*. Sic habet Med. Quod vulgo editur *et a quo* displicet maxime propterea, quod sequitur *de Procilio*, quamvis illud per se recte dicatur. Codices in h. l. omnes corrupti sunt. R. *et eodem*, ut M². Quod Lamb. scripsit *et unde* imprimis Tullianum videtur, (cf. II, 9,

puto me Romae habere. Mihi credes † leges haec doceo mirabilis vir est. Ἡρώδης, si homo esset, eum potius legeret, quam unam litteram scriberet; qui me epistola petivit, ad te, ut video, comminus accessit. Coniurasse mallem quam restitisse coniurationi, si illum mihi audiendum putassem. 3. De Lollio, sanus non es; de Vinio, laudo. Sed heus tu, ecquid vides Kal. venire, Antonium non venire? iudices cogi? Nam ita ad me mittunt Nigidium minari in contione se iudicem, qui non affuerit, compellaturum. Velim tamen, si quid est de Antonii adventu quod audieris, scribas ad me et, quoniam huc non venis, coenes apud nos utique pridie Kal.: cave aliter facias. Cura ut valeas.

2 *a Theophrasto didicisse)*; sed minus recedes a Med. vestigiis, si legeris deleta copula: *De quo* vel etiam, *De eo multo plura didiceris* cet.

de Procilio. De hoc homine pauca constant. Habetur idem, qui citatur a Varrone de L. L. V. § 148 et 154 et in Plinii H. N. VIII. 4, sed temere Graevius in Trebellii Pollionis Aemiliano *Procilii* nomen pro *Proculo* intrudere volebat. Πολιτίκα scripsise videtur.

Mihi credes † leges haec doceo mirabilis vir est. Sic erat in Z. et fere idem e Med. notatur. Lambinus Ciceronem scripsisse suspicatur: *Mihi credas, legendus est: mirabilis vir est.* I. F. Gronovius pro *doceo* legebat *de eo.* Wesenbergius, Emend. alt. p. 89: *Mihi cres, si leges haec in otio.* Ego malim: *Mihi ede, si leges haec, dices: mirabilis vir est.*

Ἡρώδης. Tangi videtur ille Herodes, quem postea Cicero filii sui Athenis magistrum esse voluit, cuius mentio fit infra XIV. 16, 3. 18, 4. XV. 16 A.

si homo esset ɔ: si saperet, si humanum sensum haberet. Inf. IV. 15, 2. *Si vis homo esse, recipe te ad nos.* X. 11, 5, *quoniam est homo* et XII. 38. 3 *si modo homines sint* eodem fere modo dicta sunt. Sed magis huc faciunt Tusc. II. 39 *si quidem homo esset*, Fam. V. 17, 3. XI. 29, 2 et Q. fr. II. 9, 2. Iam ita locutus erat Terentius Ad. I. 2, 26.

ad te comminus accessit.. Nimirum ad recitandum librum, quo Catilinae coniurationem exposuerat, ut intelligitur ex iis, quae sequuntur.

§ 3. *De Lollio, sanus non es: de Vinio, laudo.* Haec quo spectent, nemo docebit, quum Attici epistola, in qua de illis scriptum erat, perierit. Qui libris scriptis tantum tribuunt, ut hic non de personis, sed de *lolio* aut *oleo* et de *vino* agi putent, his suum iudicium non invideo. *Sanus non es* ɔ: non recte iudicas. Plaut. Men. V. 2, 66 *sanun' es, qui istuc exoptes?*

ecquid vides Kal. venire, Antonium non venire? cet. Quamvis non necesse sit Kal. esse Ianuarias, nihil tamen obstat, quominus hanc epistolam brevi ante sequentem ultimis diebus m. Decembris a. 694, datam esse statuamus. Iam aliquot menses ante C. Antonius provinciam successori tradiderat, vid. ep. sup. § 12, sed nondum Romam redierat, ubi M. Caelius de repetundis eum erat accusaturus.

ad me mittunt Nigidium minari. cf. ad ep. 25, 1. Pighium, qui Nigidium tribunum pl. facit, reprehendit Schneiderus in comm. de primo Caesaris consulatu, inserta Actis Societ. Gr. V. I. p. 375, statuens eum fuisse iudicem quaestionis in iudicio, quod Antonio parabatur.

compellaturum. Compellare est reum facere, in iudicium vocare. Cf. intt. ad Suet. Caes. 17. *Adesse* pro in iudicio praesentem esse tam de iudicibus, quam de reis dicitur. cff. intt. ad Vell. Pat. II. 10, 1.

huc non venis. Ex verbis —*puto me Romae habere*, tum ex illis — *ad me mittunt*, apparet hanc epistolam extra urbem, fortasse in Tusculano, fuisse scriptam. Erat autem Attici consilium recta urbem petere. Eo nunc a Cicerone ad coenam vocatur pridie Kal. Sine dubio scribendum esse *adhuc* pro *huc* Wes. temere affirmat.

III. (*A. U. C.* 694.)

1. Primum, ut opinor, εὐαγγέλια. Valerius absolutus est Hortensio defendente: id iudicium Auli filio condonatum putabatur, et Epicratem suspicor, ut scribis, lascivum fuisse — etenim mihi caligae eius et fasciae cretatae non placebant —: quid sit sciemus, quum veneris. 2. Fenestrarum angustias quod reprehendis, scito te Κύρου παιδείαν reprehendere. Nam, quum ego idem istuc dicerem, Cyrus aiebat vi radiorum διαφάσεις latis luminibus non tam esse suaves; etenim ἔστω ὄψις μὲν ἡ α, τὸ δὲ ὁρώμενον β, γ, ἀκτῖνες δὲ δ καὶ ε — vides [enim] cetera; nam, si κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις videremus, valde

§ 1. *Primum — εὐαγγέλια* ɔ: epistolam ordiar a laeto nuntio Valerii absoluti. Sed quum illa *ut opinor*, tum totius loci habitus facit, ut haec ironice accipienda esse credam, quemadmodum Wielandus in vers. Germ. V. I. p. 229 verba interpretatur et in adnot. p. 331 seqq. explicat.

Valerius videtur esse Afranii cliens, certe alius quam L. Valerius Flaccus, quem Hortensius anno sequente defendit. Vid. h. l. 25, 1.

id iudicium Auli filio condonatum putabatur. Quum in archetypo esset *A. filio* inde scribae fecerunt *Atilio, Hatilio,, Katilio. Auli filius* est L. Afranius consul. Cf. I. 16, 12. 18, 5. 20, 5. — Ut autem Valerius absolutus est in Afranii gratiam adnitente Pompeio, sic T. Fadius innocens condemnatus est eodem Pompeio volente. Vid. Fam. V. 18, 2, ubi Cicero ad Fadium scribit *unum hoc esse iudicium, quod una sententia eaque dubia potentiae alicuius condonatum existimetur.*

Epicratem. Ficto nomine designat Pompeium, Afranii fautorem, illo tempore *praepotentem.* Tyrrell negat nomen aptum esse et ingeniose coniecit *Iphicratem*, quo nomine Pompeius per iocum designari potuit non minus recte, quam Alabarchae et Sampsicerami nominibus. Iphicrates enim Atheniensis calceos militum mutavit, ut citius solvi et facilius gestari possent, qui ab eo Iphicratides appellati sunt. cf. Diod. Sic. XV. 44.

lascivum fuisse. „Protervum vel petulantem fuisse in iudicibus urgendis, ut absolverent". Gron. Wielandus l.l. recte comparat Graecum ὑβρίζειν.

etenim mihi caligae — non placebant. ɔ: Displicebat in Pompeio, quod communem civium habitum fastidiebat, atque ut ora vulgi in se converteret, aliter quam solebant in urbe vestitus ambulabat. *Caligae* sunt calceamenti genus militare, quum in urbe calceis uterentur. Malaspina malebat *Gallicae* e Gellii N. A. XIII. 2.

fasciae cretatae. Fasciis quibus crura vestiuntur utebantur Romae, qui adversa valetudine laborabant, Quintil. I. O. XI. 3, 144, eaque excusatione Pompeius utebatur. Sed mollitiem hominis indicabat maxime candidus fasciarum color. Idem Pompeio acerbe obiecit Favonius ap. Val. Max. VI. 2, 7. Cf. Ammian. Marc. XVII. 11. De fasciis, qui plura cupit, adeat Salmasium, ad Hist. aug. script. p. 221 seqq.

quid sit sciemus, quum veneris. Scripsit Cicero hanc epistolam ad Atticum Romae degentem, a quo de Valerii absolutione ita certior factus erat, ut multa tamen coniecturae et suspicioni essent relicta.

§ 2. Aedificabat Ciceroni villam Cyrus architectus, in quam quum Atticus ex itinere deverterat, id maxime reprehenderat quod fenestrae essent angustiores. Cicero nunc Cyri rationes iocose exponit.

vi radiorum διαφάσεις ex eo quod in M. est *aiebatur idiorum* effeci. Alii *viridariorum* sive potius *viridiorum* (cf. Heinsius in Syll. Epistt. Burm. V. p. 82 et 88. Lagomarsinus ad Poggian. I. p. 47) διαφάσεις, quod interpretantur *prospectus in viridia* ɔ: in campos. Sententia optima, sed voc. διαφάσεις refragatur. Recte Luenemannus in Indice ap. Orellium *apparitiones et imagines rerum* esse dicit. *Radii* sunt ἀκτῖνες, qui ex oculis emittuntur, ἐκχέονται, usque ad rem, quam spectamus, τὸ ὁρώμενον. Cicero, ut ipsam Cyri disputationem conservet, Graece pleraque narrat.

vides enim cetera. Non absolvit disputationem, quasi iam nunc Attico omnia plana

laborarent εἴδωλα in angustiis; nunc fit lepide illa ἔκχυσις radiorum. Cetera si reprehenderis, non feres tacitum, nisi si quid erit eiusmodi, quod sine sumptu corrigi possit. 3. Venio nunc ad mensem Ianuarium et ad ὑπόστασιν nostram ac πολιτείαν, in qua Σωκρατικῶς εἰς ἑκάτερον, sed tamen ad extremum, ut illi solebant, τὴν ἀρέσκουσαν. Est res sane magni consilii: nam aut fortiter resistendum est legi agrariae, in quo est quaedam dimicatio, sed plena laudis, aut quiescendum, quod est non dissimile atque ire in Solonium aut Antium, aut etiam adiuvandum, quod a me aiunt Caesarem sic exspectare, ut non dubitet. Nam fuit apud me Cornelius — hunc dico Balbum, Caesaris familiarem —: is affirmabat illum omnibus in rebus meo et Pompeii consilio usurum daturumque operam, ut cum Pompeio Crassum coniungeret. Hic sunt haec: coniunctio mihi summa cum Pompeio, si placet etiam cum Caesare, reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, senectutis otium. Sed me κατάκλησις mea illa commovet, quae est in libro III:

sint et perspicua. *enim* a librariis additum esse monuit Wesenbergius.

κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις ɔ: *secundum imaginum incursiones.* Imagines ab ipsis rebus emissas sensibus percipi Epicurus docuerat. Hinc commentum de sole pedali aliaque similia. Vid. de Finib. I. 20 sq. cum adnot. Madvigii, p. 46. Fam. XV. 16. Gell. N. A. V. 16, qui diversas philosophorum de visu opiniones recenset.

nunc fit lepide, cet. Tacite reiicit insulsam Epicuri doctrinam. *Nunc* in argumentando significanter ponitur. Cf. XI. 2, 3. Fam. I. 9, 15.

non feres tacitum ɔ: te refellam, non patiar te impune aliquid in Cyri opere reprehendere. Eadem locutio est apud Livium I. 50, 9. III. 45, 6.

nisi si quid et *nisi quid* differunt, ut πλὴν εἰ et πλὴν ἤ, quorum illud dubitanter excipit, hoc certissime. Vid. Fritzsche ad Aristoph. Thesmoph. p. 193 sq. Quare Cicero, qui non putabat quicquam reprehendi posse, quod sine sumptu corrigi posset, h. l. scripsit *nisi si quid.* At in Caes. B. G. I. 31 in verbis *Nisi quid in Caesare populoque Romano sit auxilii,* ubi codices variant, Schneiderus recte *si* omisisse videtur. Cf. de usu particularum *nisi si* Reisig. Schol. § 457. Handii Turs. IV. 240.

§ 3. *ad* ὑπόστασιν *nostram ac* πολιτείαν ɔ: ad consilium meum in re publica gerenda.

legi agrariae, quam Caesar ferre cogitabat. De ea dicemus ad ep. 16 h. l.

non dissimile atque. Cf. de hoc usu part. *atque* Handii Turs. I. 470 sq. Reisig. in Scholis § 235.

Solonium. Campus agri Lanuvini, amoenitate Antio non cedens. cf. de Divin. I. 79 — *Ire in Solonium aut Antium* dicit rem publicam deserere et otiose vivere.

ut cum Pompeio Crassum coniungeret. Odium Crassi et Luculli in Pompeium ex arbitraria Asiae administratione repetit Appianus de B. C. II. 2. Ad ea quae praecedunt cf. Cic. de prov. cons. c. 17.

Hic sunt haec ɔ: ad Caesarem in hac re adiuvandum haec me impellunt.

κατάκλησις. Scripsi e coniectura mea. In Med. est κατακρεσις, ex quo R. Muecke in comm. laud. p. 2 fecit κατάρκεσις, quod interpretatur „auxilium semper et ubique perspectum et comprobatum." Vulgo probant Turnebi correctionem κατακλείς. Illa vox, quae *clausulam* indicat, recte legitur IX. 18, 3, sed h. l. requiro nomen, quod *exhortationem* designet. In sincera Graecitate est παράκλησις et παραίνεσις. Sed Romani Graece loquentes et scribentes multa non

Interea cursus, quos prima a parte iuventae
Quosque adeo consul virtute animoque petisti,
Hos retine atque auge famam laudesque bonorum.

Haec mihi quum in eo libro, in quo multa sunt scripta *ἀριστοκρατικῶς*, Calliope ipsa praescripserit, non opinor esse dubitandum, quin semper nobis videatur

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Sed haec ambulationibus Compitaliciis reservemus. Tu pridie Compitalia memento. Balineum calfieri iubebo et Pomponiam Terentia rogat; matrem adiungemus. *Θεοφράστου περὶ φιλοτιμίας* affer mihi de libris Quinti fratris.

emendate usurparunt, quae vel a Graecis aequalibus acceperant vel ipsi finxerant.

in libro III carminis de consulatu meo.

non opinor esse dubitandum, cet. Postquam in utramque partem quaedam disputavit, iam proponit, quid sibi faciendum videatur, usus celeberrimo Hectoris Homerici effato, quod legitur Iliad. XII. 243.

Compitalia. Hic dies, Laribus attributus, quibus in compitis fiebat, agebatur quotannis post Saturnalia, sed tempore conceptivo non statuto. Varro de ling. Lat. VI. 25. Macr. Saturn. I. 4 extr. — Comparatis cum his verbis *Tu pridie Compitalia memento,* iis quae leguntur in epist. praec. *coenes apud nos pridie Kal.*, verisimile fit a. 695 Compitalia ipsis Kal. Ianuariis fuisse indicta, ut factum esse a. 696 novimus ex orat. in Pison. 8. A. 705 a. d. IIII. Non. Ian. celebrata sunt, Att. VII. 7, 3. Cf. Schneideri comm. de primo Caesaris consulatu in Actis. soc. Graecae Vol. I p. 374 sq.

calfieri, pro *calefieri* est quoque Fam. VIII. 6, 4. XVI. 18, 2. N. D. II. 151. In Plinii H. N. XXXIV. 151 codex Bamb. tuetur *calfit* pro *calefit* in aliis invento. — *Balineum* pro *balneo* veteres dixisse Charisius et Diomedes testantur.

Pomponiam Terentia rogat ɔ: invitat, ut ad se veniat. Ita Catullus 8, 13 *nec rogabit invitam puellam* et in Petronii Sat. 72, *familia in funus rogata.* In parietibus aedium Pompeianarum *rogat* sine obiecto rei, velut PANSAM AED. PARATUS ROGAT, est dictum pro: rogat, ut sibi faveat.

matrem Attici, quae vitam produxit ad annum aetatis nonagesimum. Nepos in Att. 17.

Θεοφράστου περὶ φιλοτιμίας. Sic recte, ut videtur, Victorius. Diog. Laert. V. § 46 citat duos libros Theophrasti *de ambitione* vel *de honorum studio.*

IV. (A. U. C. 695.)

1. Fecisti mihi pergratum, quod Serapionis librum ad me misisti, ex quo quidem ego — quod inter nos liceat dicere — millesimam

§ 1. *Fecisti mihi pergratum, quod Serapionis librum ad me misisti.* Cogitabat Cicero de opere geographico (Vid. h. l. ep. 6, l. 7. 1), in quo Eratosthenem sequi decreverat, non neglectis iis, quae adversus hunc scripserant Hipparchus et Serapion Antiochenus, qui memoratur a Plinio in Indice Script. l. IV et V.

quod inter nos liceat dicere. Quod in consimili loco de N. D. I, 74 *dicere* in optimis libris non legitur, non facit, ut h. quoque l. tollendum sit. Cf. Hand. Turs. III. p. 400 sq. Recte Ellendtius de Orat. II. 96 retinuit omnium librorum lectionem, *ut in herbis rustici solent dicere,* quum Beierus ad Off. III. 92 *dicere* glossatori tribuisset.

partem vix intelligo. Pro eo tibi praesentem pecuniam solvi imperavi, ne tu expensum muneribus ferres. At quoniam nummorum mentio facta est, amabo te, cura ut cum Titinio quoquo modo poteris transigas: si in eo, quod ostenderat, non stat, mihi maxime placet ea, quae male empta sunt, reddi, si voluntate Pomponiae fieri poterit; si ne id quidem, nummi potius reddantur quam ullus sit scrupulus. Valde hoc velim ante quam proficiscare amanter, ut soles, diligenterque conficias. 2. Clodius ergo, ut ais, ad Tigranem? † velim Syrpiae conditione, sed facile patior; accommodatius enim nobis est ad liberam legationem tempus illud, quum et Quintus noster iam, ut speramus, in otio consederit et iste sacerdos Bonae Deae cuius modi futurus sit scierimus. Interea quidem cum Musis nos delectabimus animo aequo, immo vero

praesentem pecuniam. Praesens dicitur pecunia, quae non in nominibus est, sed praesto in arca; praesens pecunia solvitur, quum solutio non per attributionem, sed statim fit. Vid Wunderi Var. Lect. e cod. Erfurt. p. LXXXIX seqq.

ne tu e. m. ferres ↄ: ne tu in tabulis expensi scriberes te illum mihi donasse.

At. Ac vel *et* scribendum videtur. — De negotio Titiniano nihil affirmare possumus.

nummi potius reddantur ↄ: id quod Titinius solvit ei reddatur. Temere Manutius volebat scribi *addantur.*

§ 2. *Clodius ergo — patior.* Med[1]. *Syrpie conditiones.* M[2]. C. *Sirpiae* (Rav. *Syrpiae*) *conditione.* Interpretes nugantur praeter I. F. Gronovium, cuius adnotationem adscribam: „Nodus hic Alexandri more solvendus. Apud Plutarchum (in Lucullo, 22) mentio est alicuius Metrodori, qui amicus fuit Mithridatis Magni, adeo ut appellaretur pater regis. Hic mittebatur ad Tigranem, ut eum pertraheret in bellum Romanum. Ille venientem rogavit, an sibi hoc utile fore aestimaret. Metrodorus imprudens respondit: ut legatus Mithridatis suadeo, ut Metrodorus dissuadeo. Hoc cum a Tigrane Mithridates accepisset, eum occidit. Metrodorus autem erat natione Scepsius. Ideo cogitavi an esset: *Scepsii conditione* ↄ: ut in ea legatione periret, quemadmodum Scepsius ille." Schuetzius hanc coniecturam recepit, Wes. malebat: *Zopyri conditione.* Mongaltius et Wielandus usi coni. Popmae: *velim surpi ea conditione,* longe aliter haec interpretantur, ille vol. I p. 498, hic I p. 375 et 468 seqq. Acciperem quod dant, si hoc a Cicerone ita potuisse enunciari crederem. Comparatis iis, quae leguntur ep. 7, 3, ego suspicor olim scriptum fuisse: *Clodius ergo, ut ais, ad Tigranem vel in Syr*(iam: am) *piae conditiones; sed facile patior.* Exeunte a. 694 Caesar cum Pompeio et Crasso se coniunxerat, ut in re publica ad suum arbitrium omnia componerent. Eorum consiliis obstabat Cicero, quamvis nondum aperte restitisset. Hunc ut sibi conciliarent, excogitarunt modum removendi Clodii. Nec diu quaerendum erat. Poterant enim eum legare vel ad Tigranem Armeniae regem salutandum, vel in Syriam, ut a civitatibus et dynastis tributa exigeret. Nam Syria a Pompeio a. 690 in potestatem populi Romani redacta et stipendiaria facta erat. Vell. II. 37. Homini plebeio (nam Clodium ad plebeios transiisse ep. 7, 2 ita narratur, ut non tunc demum id factum esse appareat) illa legatio quam honorifica fuisset, haec quam lucrosa, Ciceronem non fugiebat, sed non aegre ferebat Clodio potius tales conditiones offerri, quam sibi. Nam ipse quoque Roma discedere cupiens, ep. 5, 1, liberam legationem malebat.

ad liberam legationem. Legationes liberae sunt, quae senatori non rei publicae, sed sui commodi causa dabantur. Locus classicus de iis est de Leg. III. 18, ubi vidd. intt.

quum Quintus noster — in otio consederit. ↄ: ex Asia provincia redierit, quod factum est anno sequenti. In sequentibus verbis non placet Tyrrelli coniectura: *cuius domini futurus socius sit, scierimus.*

cum Musis nos delectabimus ↄ: in Musarum

etiam gaudenti ac libenti; neque mihi unquam veniet in mentem Crasso invidere neque poenitere, quod a me ipse non desciverim. 3. De geographia, dabo operam ut tibi satisfaciam, sed nihil certi polliceor: magnum opus est, sed tamen, ut iubes, curabo ut huius peregrinationis aliquod tibi opus exstet. 4. Tu quicquid indagaris de re publica et maxime quos consules futuros putes, facito ut sciam; tametsi minus sum curiosus; statui enim nihil iam de re publica cogitare. 5. Terentiae saltum perspeximus. Quid quaeris? praeter quercum Dodonaeam nihil desideramus, quo minus Epirum ipsam possidere videamur. 6. Nos circiter Kal. aut in Formiano erimus aut in Pompeiano: tu, si in Formiano non erimus, si nos amas, in Pompeianum venito; id et nobis erit periucundum et tibi non sane devium. 7. De muro imperavi Philotimo, ne impediret quo minus id fieret, quod tibi videretur: tu, censeo, tamen adhibeas Vettium. His temporibus, tam dubia vita optimi cuiusque, magni aestimo unius aestatis fructum palaestrae Palatinae, sed ita tamen, ut nihil minus velim quam Pomponiam et puerum versari in timore ruinae.

consortio delectationem quaeram. Handius in Turs. II. p. 147 comparavit similem locum ex II. 61 de Orat. *Cum his me — oblecto, qui res gestas aut orationes scripserunt.*

animo aequo, immo vero etiam gaudenti ɔ: quid dico animo aequo? immo gaudenti etiam ac libenti, ut expl. Hand. Turs. I. p. 224 seqq. — De forma ablativorum in *i* ablego ad Reisigii Schol. § 67 et ad Wesenbergium, Obss. Crit. in Sestianam p. 6 seq.

Crasso invidere, quod se cum Caesare et Pompeio coniunxerit.

§ 4. *facito ut sciam.* cf. Rosc. Am. 74 *tibi in mentem veniat facito.* L. Mendelssohn quod coniecit: *fac cito ut sciam*, non recipiendum puto.

§ 5. *praeter quercum Dodonaeam* Iovi sacram, quae oracula dare putabatur. Memoratur in Odyssea XIV. 327 sq. et in fragm. Strabonis libri VII p. 453 ed. Teubn.

§ 6. *circiter Kal.* Schneiderus l.l. p. 377 recte statuit Kal. Maias indicari, et epistolas 4—9 inde a III. Id. April. ad XV Kal. Mai. esse scriptas.

et — et non. Fam. III. 23. *Manlius et semper me coluit et a studiis nostris non abhorret. Et non* ponitur non solum, ubi negationi singularis vis inhaeret, sed etiam ubi *et* valet *et simul, et praeterea.* Vid. Haase ad Reisigii Schol. § 236.

§ 7. In explicando h. l. Wielandum I. p. 470 sq. antea secutus sum. Meliora me docuit Tyrrellus. Aedibus Ciceronis in monte Palatino addita erat palaestra, qua frui non poterat si illa aestate murus erat reficiendus, qui eam separabat a vicina domo Quinti fratris. Si fieri possit, Cicero indicat se malle hoc in alium annum differri.

Vettium, Cyri libertum. Saepius citatur Chrysippi nomine, ut XIII. 29, 2. XIV. 9, 1. Cf. Fam. VII. 14, 1. *Censeo adhibeas* usitata constructione impr. apud comicos. Cf. Gron. ad Liv. XXXVI. 7, 17, in epist. Pomp. inf. VIII. 11. A. *censeo ad nos venias*, item C., Verr. V. 174 *magno opere censeo desistas.*

unius aestatis fructum palaestrae P. ɔ: unam aestatem frui palaestra Palatina. De duplice genetivo ab uno nomine suspenso accurate disputavit Ellendt ad Cic. de Orat. II. p. 128 sq. Locus in quo versamur pertinet ad eam classem, de qua postremo loco dixit, laudans exempla e Caes. B. C. I. 7 *omnium temporum iniurias inimicorum* et Cic. Sest. 15 *superioris anni rei p. naufragium.*

V. (*A. U. C.* 695.)

1. Cupio equidem et iam pridem cupio Alexandream reliquamque Aegyptum visere et simul ab hac hominum satietate nostri discedere et cum aliquo desiderio reverti; sed hoc tempore et his mittentibus

αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.

Quid enim nostri optimates, si qui reliqui sunt, loquentur? an me aliquo praemio de sententia esse deductum?

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει

Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum milibus. Quid vero historiae de nobis ad annos DC. praedicarint? quas quidem ego multo magis vereor quam eorum hominum, qui hodie vivunt, rumusculos. Sed, opinor, excipiamus et exspectemus; si enim deferetur, erit quaedam nostra potestas et tum deliberabimus: etiam hercule est in non accipiendo nonnulla gloria; quare si quid *Θεοφάνης* tecum forte contulerit, ne omnino repudiaris. 2. De istis rebus exspecto tuas litteras: quid Arrius narret, quo animo se destitutum ferat, et qui consules parentur, utrum, ut populi sermo, Pompeius et Crassus an, ut mihi scribitur,

§ 1. Atticus, qui tum Romae erat, amico prope Antium rusticanti videtur indicasse trium virorum, qui tum in re p. omnia ad suum nutum componebant, consilium legandi Ciceronis ad Ptolemaeum Auletem, ut senatus nomine dissensiones inter regem et Aegyptios ortas componeret. Cf. Wieland. I. p. 471 sq.

iam pridem cupio. Particula recte iungitur cum praesenti, quando indicatur aliquid et olim fuisse et nunc esse. Cf. Haase ad Reisig. p. 491.

ab hac hominum satietate nostri. De duplici genetivo vid. ad ep. 4, 7 h. l. Add. Reisigii Schol. p. 620 sq.

Αἰδέομαι κ. τ. λ. Cicero saepissime usus est in epistolis hoc versu ex Hom. Il. VI. 442, et eo qui sequitur, desumpto ex Il. XXII. 100. Vid. VII. 1, 4 et 12, 3. VIII. 16. 2. XIII. 13, 2 et 24. Etiam Persius eo respicit Sat. I. 4.

qui mihi unus est pro centum milibus. Comparari potest Antimachi dictum, quod refertur in Bruto, 191, *Plato mihi unus instar est omnium milium*, ubi de vera scriptura non constat. Graeca verba servantur in ep. 11, 1 ad Att. XVI. εἷς ἐμοὶ μυρίοι.

ad annos DC. Cf. h. l. 17, 2. Praepositio indicat spatium temporis. V. 2, 1 *ad annum.* XII. 46 *ad X annos. Sexcenta* respondere *μυρίοις* vix est, quod moneam, cuius usus originem ingeniose exposuit Niebuhrius, Hist. Rom. I. adn. 568.

praedicarint. Non quaerit Cicero, quid historia de se dictura sit *post* ingens temporis spatium, sed quid *per* omnia saecula homines de se iudicaturi sint. Perperam igitur nonnulli futurum exactum in futurum simplex mutarunt.

excipiamus. „omnia, quae nobis offerentur, veluti venatores feras excipiunt." Orell.

Θεοφάνης. Erat hic Pompeii consiliorum omnium particeps, ut ex his epistolis et vita Pompeii a Plutarcho conscripta abunde apparet. Cf. quoque Tac. Ann. VI. 18.

§ 2. *De istis rebus* ɔ: de rebus, quae Romae geruntur, ubi tu es.

quo animo se destitutum ferat, np. a Caesare in consulatus petitione. Cf. I. 17, 11. II. 7, 3.

et qui consules parentur. Cicero non quaerit, num consulatus ad aliquos deferatur, sed quibusnam destinetur. Pronomini *ecqui*, quod Bosius huc intulit, igitur non est locus.

quoniam Nepos proficiscitur, cuinam auguratus deferatur. In locum Q. Metelli Celeris

cum Gabinio Servius Sulpicius, et num quae novae leges, et num quid novi omnino, et quoniam Nepos proficiscitur, cuinam auguratus deferatur, quo quidem uno ego ab istis capi possum. † videte vitam meam. Sed quid ego haec, quae cupio deponere et toto animo atque omni cura φιλοσοφεῖν? Sic, inquam, in animo est: vellem ab initio. Nunc vero, quoniam, quae putavi esse praeclara, expertus sum quam essent inania, cum omnibus Musis rationem habere cogito. 3. Tu tamen de Curtio ad me rescribe certius, et nunc quis in eius locum paretur, et quid de P. Clodio fiat, et omnia, quemadmodum polliceris, ἐπὶ σχολῆς scribe et, quo die Roma te exiturum putes, velim ad me scribas, ut certiorem te faciam quibus in locis futurus sim, epistolamque statim des de iis rebus, de quibus ad te scripsi; valde enim exspecto tuas litteras.

quem superioris anni consulem vidimus, initio a. 695 exstincti (p. Cael. 95), augur factus esset eius frater Q. Metellus Nepos, nisi hoc ipso tempore pro praetore, ut suspicatur Manutius, in provinciam profectus fuisset. Quamvis enim in auguribus cooptandis absentis ratio haberi potuerit, ut in ceteris sacerdotum comitiis, de quo vid. ep. ad Brut. I. 5, 3, praesens tamen facilius fiebat.

cuinam auguratus deferatur ɔ: quis in concione nominandus sit. Cf. Marquardt A. R. II. 3, p. 144.

quo quidem uno ego ab istis capi possum. Mox tamen Cicero sententiam mutasse videtur; qui enim aliter postea Catoni ausus fuisset scribere: *sacerdotium, quum non difficillime consequi possem, non appetivi?* Fam. XV. 4, 13. Nam quod Tunstallus p. 47 seq. hoc argumentum propterea infirmum iudicat, quod epistola illa ad Catonem ἀπολογητική sit, non persuadet. Cicero enim rem potius silentio praetermisisset, quam ea de se affirmasset, quae falsa esse Catonem non fugisset.

Videte vitam meam. Corruptam libri Torn. scripturam dare malui (Med. et R. *videte civitatem meam*), quam incertam correctionem recipere. Verbi forma falsa, obiectum dubium est. Coniecerunt Muretus *levitatem*, Bosius *securitatem*, Meutznerus *vilitatem*, Klotzius *caritatem*, Kahntius *curiositatem*. Minime a codd. recedit quod Muretus V. L. V. 11 proposuit, cui I. F. Gronovius calculum suum adiecit, et bonam praebet sententiam. Non *vide*, sed *vides* scil. ex iis, quae praecedunt, scribendum esse docuit Wesenb. Em. alt. 89. Itaque acquiescendum puto in hac scriptura: *vides levitatem meam.*

Sic inquam, in animo est: vellem ab initio. Kahntius in Symb. Crit. e scriptura Med. — *animo sic vellem* scribendum putat: — *in animo est, ac vellem.* Ego copulam non desidero.

cum omnibus Musis rationem habere idem est, quod Tusc. V. 66 dicit *cum Musis commercium habere* ɔ: totum se litteris tradere. In Cat. M. 51 de agricolis legimus: *Habent rationem cum terra.* Cael. 50. *Cum hac aliquid adolescentem habuisse rationis.*

§ 3. *de Curtio.* Quem dicat ignoramus et quo de munere agatur. In Med. est *Cutio*, idque correctum *Tutio.* Recepi, quod ex eodem codice notatur, *nunc.* Vulgo editur *numquis.*

quid de P. Clodio fiat, legatusne ad Tigranem eat. cf. ep. 4, 2. In M. per errorem pro *fiat et* scriptum est *frē* ɔ: fratre. Non debuerant L. Mendelssohn et Tyrrell id defendere et fratris nomine hic designari Q. Metellum Celerem putare.

VI. (*A. U. C.* 695).

1. Quod tibi superioribus litteris promiseram fore ut opus exstaret huius peregrinationis, nihil iam magno opere confirmo; sic enim sum complexus otium, ut ab eo divelli non queam. Itaque aut libris me

delecto, quorum habeo Antii festivam copiam, aut fluctus numero; nam ad lacertas captandas tempestates non sunt idoneae; a scribendo prorsus abhorret animus. Etenim γεωγραφικά, quae constitueram, magnum opus est: ita valde Eratosthenes, quem mihi proposueram, a Serapione et ab Hipparcho reprehenditur; quid censes, si Tyrannio accesserit? Et hercule sunt res difficiles ad explicandum et ὁμοειδεῖς, nec tam possunt ἀνθηρογραφεῖσθαι quam videbantur et quod caput est, mihi quaevis satis iusta causa cessandi est, qui etiam dubitem, an hic Antii considam et hoc tempus omne consumam, ubi quidem ego mallem duumvirum quam Romae fuisse. 2. Tu vero sapientior Buthroti domum parasti; sed, mihi crede, proxima est illi municipio haec Antiatium civitas. Esse locum tam prope Romam, ubi multi sint, qui Vatinium nunquam viderint? ubi nemo sit praeter me, qui quemquam

§ 1. *superioribus litteris.* ep. 4, 3.

fluctus numero ɔ: nihil agendo delector. Qui operam in re inani collocat, τὰ κύματα ἀριθμεῖν dicitur in fabula Aesopi, quam inseruit Lucianus Hermotimo, c. 84.

ad lacertas captandas. Lacertae sunt pisces, de quibus vid. Plin. H. N. XXXII. 149. Aelian. de N. A. X. 11. XII. 25. Saepius vocantur *lacerti,* ut in Plinii l. l. et Mart. X. 48, 11. Sed *lacertas,* quod est in Med., tuetur Ulpianus in l. 3 § 3 Dig. de penu legata, et ex ingeniosa Ritschelii coni. nunc legitur in Plauti Mil. 1006: *Nam haec lacerta, mullo absente, me adigit se ut amem,* ubi codices *locutam illa* similesve ineptias servant.

Eratosthenes. Celeberrimus geographus, cuius operum fragmenta collegit G. Bernhardius, Berolini 1822. Vixit Alexandriae tertio saeculo a. C.

ab Hipparcho. De hoc homine astronomiae cognitione inter veteres principe vid. Schoell, Gesch. d. Griech. Liter. II. p. 244 seqq. Floruit saeculo a. C. secundo. Strabo saepe laudat eius ὑπομνήματα πρὸς Ἐρατοσθένη.

Tyrannio. Doctus grammaticus, cuius frequens mentio fit in epistolis ad Atticum et ad Q. fratrem. Libros Ciceronis confusos disposuit, IV. 8 A. 2 et pueros Cicerones docuit, ad Q. fr. II. 4, 2. Strabo hunc grammaticum Amisenum se audivisse narrat XII. 3, 16. De eo disputavit H. Plauerus, Berol. 1852.

qui etiam dubitem, an hic Antii considam. Non debuerant editores discedere ab hac librorum Med. et Rav. scriptura, quum ipse Cicero disertis verbis declaret se haec Antii scribere. Sed pro *quin etiam dubitem,* ne coniunctivus in mendo cubet, necessario scribendum est *qui etiam dubitem,* ut volebat Manutius, recte exponens: cui etiam aliquando veniat in mentem Antii considere. Similiter de h. l. pronuntiavit Madvig. ad II de Fin. p. 317.

duumvirum. Summi magistratus municipiorum et coloniarum quum aliis titulis ornantur, tum saepe *duoviri iuri dicundo* dicuntur. Tironum causa moneo *duumvirum* esse genetivum contractum, quo in his similibusque appellationibus semper se uti docet Cicero in Orat. 156. In antiquis inscriptionibus eundem inveniri docuit Buechelerus Mus. Rhen. XI. 527, cui in seqq. *me* a Bosio additum non placet. Nos omisimus.

§ 2. *proxima est illi municipio haec A. civitas.* Illustrantur haec iis, quae scribit IV. 8, 1. *Hoc scito Antium Buthrotum esse Romae, ut Corcyrae illud tuum.* Ubi *Romae* et *Corcyrae* dativi sunt. *Proximam* igitur dicit, quae est amoenitate vix inferior.

ex vigintiviris. Lege Iulia ager Campanus a XXviris dividendus erat. Dio XXXVIII. 1, 2. Suet. Octav. 2. Plin. H. N. VII. 176. liber de coloniis p. 103, quos laudat Rudorfius in disp. de lege Mamilia inserta Diariis iurispr. hist. IX. 3, p. 413 sq.

vivum et salvum velit. In Med. correctum est *vivum esse velit.* Sed Victorii coniectura minus recedit ab errore libr. M[1] Z. *vivum est saegium velit.*

ex vigintiviris vivum et salvum velit? ubi me interpellet nemo, diligant omnes? Hic, hic nimirum πολιτευτέον· nam istic non solum non licet, sed etiam taedet. Itaque ἀνέκδοτα, quae tibi uni legamus, Theopompio genere aut etiam asperiore multo pangentur; neque aliud iam quicquam πολιτεύομαι nisi odisse improbos, et id ipsum nullo cum stomacho, sed potius cum aliqua scribendi voluptate. Sed ut ad rem, scripsi ad quaestores urbanos de Quinti fratris negotio: vide quid narrent, ecquae spes sit denarii an cistophoro Pompeiano iaceamus, praeterea de muro statue quid faciendum sit. Aliud quid? etiam: quando te proficisci istinc putes, fac ut sciam.

ἀνέκδοτα. Arridet suspicio Malaspinae hoc nomine indicari librum *de suis consiliis* s. expositionem suorum consiliorum a Cassio Dione XXXIX, 10 (qui tamen eum post exsilium a Cicerone scriptum significat) et Asc. Ped. ad orat. in toga cand. fragm. I. laudatum. Consilium igitur post reditum ab exsilio perfecisse putandus est. Neque sane probabile est librum illum ἀνέκδοτον, quem a. 710 nondum perpolitum dicit ad Att. XIV. 17, 6, eundem esse, quem a. 695 scribere coepisset.

Theopompio genere. Theopompi Chii famosa erat in suorum temporum vitiis notandis acerbitas et Ciceronis consilio imprimis apta erat scriptio, qualem in Theopompo notavit Dion. Hal. epist. ad Cn. Pomp. cap. 6.

pangentur. „Pangere, figere, unde plantae pangi dicuntur, cum in terram demittuntur. Inde etiam versus pangi vel figi in cera dicuntur." Festus in voce. Cf. Colum. de re rust. X. 451: *ceu litera proxima primae pangitur in cera docti mucrone magistri.* Rarius de oratione soluta dicitur, ut h. l. et ep. 14, 2.

cum aliqua scribendi voluptate. Orell. vocabulo *scribendi* asteriscum praeposuit, et coniecit *ridendi.* Non assentior. Nam voluptas, quae e scribendo percipitur, et ipsa tollit stomachum.

Sed ut ad rem. Ellipsis verbi *redeam* in epistola ferenda est. cf. Madv. ad Fin. p. 316.

scripsi ad quaestores — iaceamus. Quaestores urbani curabant magistratibus provincialibus, quod ex aerario in sumptum debebatur. Ideo Q. Cicero cupiebat hoc sibi ab illis curari denario ɔ: Romano nummo, illi vero numerare volebant ex ea pecunia, quam Pompeius confecto bello Mithridatico in urbem ex Asia intulerat. cf. Pinder, über die Cistophoren in Comm. Acad. Berol. a. 1855 p. 554.

iaceamus. Multiplicem usum verbi *iacere* lexicographi demonstrant. Hic satis convenit, quo *iacere* dicuntur, qui spe destituti sunt. Quaerit Cicero utrum quaestores fratri soluturi sint nummos Romanos, an levioribus nummis Asiaticis contentus esse debeat. Eadem vi in or. p. Mil. 47 legimus: *iacent suis testibus* ɔ: victi sunt suorum testimoniis.

de muro, cf. ep. 4, 7 et 7, 5.

VII. (*A. U. C.* 695.)

1. De geographia etiam atque etiam deliberabimus. Orationes autem me duas postulas, quarum alteram non libebat mihi scribere, † qui

§ 1. *Orationes autem me duas postulas.* Sic omnes codd. noti. Sed nusquam *postulare* cum accus. personae et rei ponitur. Itaque vel *a me* corrigendum est, vel *me* inducendum, ut e scribae errore ortum.

† *qui absciram.* Sic libri scripti; multae editiones dant *abscideram,* quod falsum puto. Interpretes narrant solitum fuisse Ciceronem summa causarum capita scripto mandare, et putant eum notas huius orationis delevisse. Si hoc voluisset Cicero, planius indicasset. Et merito Malaspina dubitavit de hoc usu *abscindendi.* Suspicor olim scriptum fuisse *quia abieceram,* quod Orat. III. 102 de ne-

absciram, alteram, ne laudarem eum, quem non amabam: sed id quoque videbimus; denique aliquid exstabit, ne tibi plane cessasse videamur. 2. De Publio quae ad me scribis, sane mihi iucunda sunt, eaque etiam velim omnibus vestigiis indagata ad me afferas, quum venies; et interea scribas, si quid intelliges aut suspicabere, et maxime de legatione quid sit acturus. Equidem ante quam tuas legi litteras, hominem ire cupiebam non mehercule ut differrem cum eo vadimonium — nam mira sum alacritate ad litigandum —, sed videbatur mihi, si quid esset in eo populare, quod plebeius factus esset, id amissurus. Quid enim ad plebem transisti? ut Tigranem ires salutatum? narra mihi: reges Armenii patricios resalutare non solent? Quid quaeris? acueram me ad exagitandam hanc eius legationem: quam si ille contemnit et si, ut scribis, bilem id commovet et latoribus et auspicibus legis curiatae, spectaculum egregium. 3. Hercule, verum ut loquamur, subcontumeliose tractatur noster Publius: primum, qui quum in domo Caesaris quondam unus vir fuerit, nunc ne in viginti quidem esse potuerit; deinde alia legatio dicta erat, alia data est: illa opima ad exigendas

gligenti declamatione, nec minus recte de celeri et non diligenti compositione ponitur. Cf. Ernesti Lex. technol. rhet. Latin. p. 249 sq. et Göllerus in edit. Oratoris Tulliani p. 419, qui citat haec Senecae, epist. 75, 1 *contentus sensus meos ad te pertulisse, quos nec exornassem, nec abiecissem.* Quod Tyrrell coniecit: *quia a me descieram,* probare non possum. Magis placeret: *quia obscura erat* ɔ: quia in minutis et difficilibus rebus versabatur, quod Madvigius proposuit A. C. III. p. 168.

quem non amabam. Pompeium indicari, quem post Clodii traductionem ad plebem minus quam antea amabat, quamvis certis argumentis demonstrari non possit, verosimile statuitur. Temere Tunstallus op. l. p. 37 Hortensium tangi suspicatur.

§ 2. *hominem ire cupiebam.* Kahntius in Symb. Crit. p. 4 inverso ordine *ire hominem* a Cicerone scriptum fuisse opinatur, ductus corruptela codd. *in hominem ire cupiebam* et quia in verbo vis inest. Recte vidisse credo. P. Starker in Symb. crit. p. 34 sq. nihil delet, sed post *in* suspicatur excidisse *Asiam.*

ut differrem cum eo vadimonium. Vadatur sive vadimonium dat, qui promittit se certo die in iure affuturum. Hinc intelligitur, quid sit *vadimonium sistere, differre, deserere.* De vadimonio consulantur Gaii Inst. IV. 184—187 et Cicero in orat. p. Quintio passim. Formulam h. l. metaphorice poni intelligitur.

resalutare. Sic cod. in marg. Crat. et Rav. Recte. Cf. Phil. II. 106.

et latoribus et auspicibus legis curiatae ɔ: et iis, qui de Clodio arrogando legem tulerunt, in quibus princeps Caesar, et iis, qui in auspicio affuerunt, inter quos nominatur Pompeius, inf. 12, 1 et VIII. 3, 3.

§ 3. *in domo Caesaris.* Scripsi e Med. et R., etsi non minus rectum est, quod e margine Crat. vulgo editur *domi Caesaris.* Cf. I. 12, 3. Oppositio, qua illud commendari Klotzius putat, nulla est. Opponuntur *quondam* et *nunc, unus vir* et *in viginti.* Si Cicero etiam verbis *in domo Caesaris* aliquid opponere voluisset, scripsisset: *in re publica nunc* cet. *in viginti.* De his notavi ad ep. praec. § 2. Merito autem Wielandus in adn. 2 ad hanc epistolam miratur Ciceronis imprudentiam, qui non viderit Clodium respuere quamlibet legationem aliudve munus publicum praeter tribunatum, ut hoc gladio uteretur ad opprimendum Ciceronem.

alia — dicta erat, alia data est. Cf. Corn. Nep. Eumen. 2, 2: *Hoc tempore data est Eumeni Cappadocia, sive potius dicta; nam tum in hostium potestate erat.*

pecunias Druso, ut opinor, Pisaurensi an epuloni Vatinio reservatur; haec ieiuna tabellarii legatio datur ei, cuius tribunatus ad istorum tempora reservatur. Incende hominem, amabo te, quoad potest. Una spes est salutis istorum inter istos dissensio, cuius ego quaedam initia sensi ex Curione. Iam vero Arrius consulatum sibi ereptum fremit, Megabocchus et haec sanguinaria iuventus inimicissima est; accedat vero, accedat etiam ista rixa auguratus. Spero me praeclaras de istis rebus epistolas ad te saepe missurum. 4. Sed illud quid sit scire cupio, quod iacis obscure, iam etiam ex ipsis quinqueviris loqui quosdam. Quidnam id est? si est enim aliquid, plus est boni, quam putaram. Atque

illa opima in Syriam legatio opponitur *ieiunae* ad Tigranem legationi, quae sane a relegatione non multum distabat.

Druso — Pisaurensi an epuloni Vatinio. Quare hic Drusus a Pisauro, Umbriae oppido, cognomen habuerit, (nisi cum Malaspina eum potius *Isaurensem* appellare velis) et quis omnino fuerit, idem de quo legimus IV. 15, 9 et 16, 8 an alius, ignoramus. In verbis *epuloni Vatinio* respicitur ad illud epulum Q. Arrii, in quo Vatinium cum toga pulla accubuisse Cicero ei obiicit in Vat. § 30—32. Atqui epulo, id est *epuli dominus*, ut ibi vocatur, non erat Vatinius, sed ille Arrius. Ergo omnino probanda est emendatio Iani Sixii, discipuli mei: *epuloni Vatiniano.* Idem acute vidit eundem Arrium rideri a Catullo carm. 84, ex quo discimus eum missum in Syriam legatum.

reservatur — reservatur. De repetitione unius vel plurium vocabulorum agit Schneiderus ad Caes. B. G. I. 3, 3. Ex exemplis Tullianis, quae affert, maxime huc facit locus e Verr. Act. I. 7, ubi v. *arbitrabantur* in eadem sententia bis ponitur.

tabellarii. Sic proprie vocabantur servi, qui epistolas perferebant. I. 13, 1. XIII. 19, 1.

quoad potest. Alibi dicit *quoad (quod) eius fieri potest,* ut Fam. III. 2, 2. V. 8, extr. Absolute ponitur de lege agr. II. 7, 19, *ut id, quoad posset, quoad fas esset, quoad liceret. populi ad partes daret.* Fortasse tamen h. l. e Mediceo potius scribendum: *quod potes,* ut Fam. XIV. 4, 6 in veteri apographo est: *Cura, quod potes, ut valeas.* Idem liber quum Att. X. 2, 2 praebeat: *Tu — quod poteris, nos consiliis iuvabis,* sine causa vulgo edunt *quoad.*

istorum inter istos dissensio. Reduxi Med. scripturam, quam deseruit Orellius, qui edidit *inter ipsos,* ut volebat Ernestus. Accommodatur enim pronomen pronomini praecedenti. Cf. Hand. Enchir. stili Lat. p. 194 sq. et Bakius qui de formulis *inter se* et *inter ipsos* acute disp. ad Cic. Leg. p. 338 sq.

fremit. De iratis dicitur IV. 1, 7. 15, 7 et saepius. Sed qui faustos clamores tollunt, non minus *fremere* dicuntur, ut in Verg. Aen. I, 559.

Megabocchus. Kreyssigius in Beieri fragm. orat. p. 291 monet hunc hominem e grege Catilinae non diversum esse a C. Megabocco, qui memoratur in orat. p. Scauro, § 40, neque alium credo, quem Plutarchus in Crasso, 25, vocat Μεγάβακχον, Crassi in expeditione Parthica comitem. Dicit igitur hoc, Megabocchum et reliquos Catilinarios infestos esse Caesari, Pompeio, Crasso.

haec sanguinaria iuventus. Temere C. M. Francken in disp. ad Cic. palimpsestos in Mnemos. N. S. T. XI. p. 383 e scriptura Med. *sanguinatia* coniecit *saginata,* nempe epulis Arrii. Suetonius et Plinius uterque adiectivo sanguinarius pro saevo, crudeli usi sunt.

rixa auguratus. Cf. ep. 5, 2. 9, 2 h. l.

§ 4. *quod iacis obscure. Iacere* est obiter memorare. Vid. h. l. 23, 3. Planc. 30, quaeque congessit Kritz. ad Sall. Iug. 11, 5.

iam etiam ex ipsis quinqueviris loqui quosdam. Male Manutius hic scribendum coniecit *ex ipsis XX viris,* et in orat. de prov. cons. 41, ubi Cicero narrat se repudiasse quinqueviratum a Caesare sibi oblatum, similem emendationem commendavit, coll. ad Att. IX. 2, 1. *Repudiari se totum, magis etiam quam olim in XXviratu, putabit.* Nam fuisse in XXviris ad agros Campanos ex lege Iulia dividendos quinque maiori quam reliquos potestate Mommsenus in Corp. inscr. lat.

haec sic velim existimes, non me abs te κατὰ τὸ πρακτικόν quaerere, quod gestiat animus aliquid agere in re publica. Iam pridem gubernare me taedebat, etiam quum licebat; nunc vero quum cogar exire de navi non abiectis, sed ereptis gubernaculis, cupio istorum naufragia ex terra intueri, cupio, ut ait tuus amicus Sophocles, κἂν ὑπὸ στέγῃ πυκνῆς ἀκούειν ψακάδος εὑδούσῃ φρενί.

5. De muro quid opus sit videbis. Castricianum mendum nos corrigemus, et tamen ad me Quintus HS. ccıↄↄ ıↄↄ. scripserat, non (ut) ad sororem tuam HS. xxx. Terentia tibi salutem dicit. Cicero tibi mandat, ut Aristodemo idem de se respondeas, quod de fratre suo, sororis tuae filio, respondisti. De Amalthea quod me admones, non negligemus. Cura ut valeas.

I. p. 279. recte monuit. In iis fuit M. Valerius Messalla, qui in elogio nuper Romae reperto appellatur V.VIR. A. D. A. I. ↄ: quinquevirum agris dandis adsignandis iudicandis. cf. Mommsenus in Ephem. epigraph. III p. 1 et 3.

loqui ↄ: quid de his rebus sentiant verbis declarare.

non abiectis, sed ereptis gubernaculis ↄ: non sponte, sed coactus deponens rei p. curam. Quod in Med. a prima manu est *receptis* non posse ferri ab Ernesto satis demonstratum est. Recte in margine Med. emendatur *ereptis*, quod Malasp. quoque in duobus codd. scriptis invenit. Fere semper veteres plurali numero *gubernacula* dicunt, quoniam quaevis navis duo habebat πηδάλια.

κἂν ὑπὸ στέγῃ κ. τ. λ. ↄ: utique sub tecto densum audire imbrem secura mente. Comp. Tibull. I. 1, 45—48:

Quam iuvat immites ventos audire cubantem,
Aut gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,
Securum somnos, imbre iuvante, sequi.

§ 5. *De muro — videbis.* cf. ad 4, 7 h. l.

Castricianum mendum „videtur esse aliquid peccati vel fraudis in re pecuniaria et negotio cum Q. Cicerone." Ern. Castricium esse negotiatorem, qui rursus memoratur in epistolis a. 709 datis XII. 28, 3 et 30, 2, veri simile est. Itaque diversus est ab illo Castricio, de quo in orat. p. Flacco, 75, quae a. 695 habita est, mortuo et apud Smyrnaeos sepulto legimus. Utrumque confudit Orellius Onom. p. 138 sq. Sequentem numerum posui, quemadmodum in plus tribus Mss. invenisse se testatur Malaspina. Quod reliqui codices habent cıↄ ccıↄↄ ıↄↄↄ, in quo primum mille ponitur, tum decem milia, postremo quinquaginta milia, aperte vitiosum est. Deinde pro *non* de Malasp. coni. et falsa cod. Y auctoritate editur *nunc.* Magis placet altera Malaspinae suspicio, quam recepi.

Cicero cet. M. Cicero erat tum sex annos natus. Aristodemum suspicamur fuisse litteratorem, cui puer absentiam suam excusatam cupit.

de fratre suo np. patrueli. cf. adnot. ad I. 5, 1.

De Amalthea. Vid. ad II. 1, 11. Plures editores sine iusta causa nomen h. l. Graece scribunt.

VIII. A. U. C. 695.)

1. Epistolam quum a te avide exspectarem ad vesperum, ut soleo, ecce tibi nuntius pueros venisse Roma. Voco, quaero, ecquid littera-

§ 1. *excidisse* ↄ: amissas esse, ut in Plauti Cist. IV. 2, 8 (cistella) *loca haec circiter excidit mihi.*

historia dignum „serium et grave, qualia sunt quae in historias referuntur." Man. Nisi forte Cicero scripsit ἱστορίᾳ ↄ: cognitione *dignum*, quod nosse mea intersit.

reges odisse superbos. Petitum hoc e versu

rum? negant. Quid ais? inquam, nihilne a Pomponio? Perterriti voce et vultu confessi sunt se accepisse, sed excidisse in via. Quid quaeris? permoleste tuli; nulla enim abs te per hos dies epistola inanis aliqua re utili et suavi venerat. Nunc, si quid in ea epistola, quam ante diem XVI. Kal. Mai. dedisti, fuit historia dignum, scribe quam primum, ne ignoremus; sin nihil praeter iocationem, redde id ipsum. Et scito Curionem adolescentem venisse ad me salutatum; valde eius sermo de Publio cum tuis litteris congruebat; ipse vero mirandum in modum »reges odisse superbos," peraeque narrabat incensam esse iuventutem neque ferre haec posse. Bene habemus; nos, si in his spes est, opinor, aliud agamus. Ego me do historiae; quamquam, licet me Saufeium putes esse, nihil me est inertius. 2. Sed cognosce itinera nostra, ut statuas, ubi nos visurus sis. In Formianum volumus venire Parilibus; inde — quoniam putas praetermittendum nobis esse hoc tempore Cratera illum delicatum — Kal. Mai. de Formiano proficiscemur, ut Antii simus a. d. v. Non. Mai. Ludi enim Antii futuri sunt a IV. ad prid. Non. Mai; eos Tullia spectare vult. Inde cogito in Tusculanum, deinde Arpinum, Romam ad Kal. Iun. Te aut in Formiano aut Antii aut in Tusculano cura ut videamus. Epistolam superiorem restitue nobis et appinge aliquid novi.

Lucilii de Granio praecone. Cf. VI. 3, 7. In I ad Q. fr. 2, 16 scribit quoque de *horum regum odio.*

peraeque narrabat cet. Cf. ep. 7, 3, *haec sanguinaria iuventus inimicissima est.*

Bene habemus; nos — agamus. Videtur verbis aliquid vitii inesse. Nam etsi *belle* vel *bene habere* (*se*) quod proprie dicitur, de iis, qui bona utuntur valetudine (Fam. IX. 9, 1. XVI. 15, 1), dicuntur quoque, quorum res bene se habent, illa tamen *opinor, aliud agamus* male cum reliquis cohaerent. Quare assentior Corrado ita scriptum fuisse putanti: *Bene habet; nos, si in his spes est, opinor, aliud agamus,* ut laetari se dicat, quod Caesaris et Pompeii regnum multis odiosum videatur, se otiose rerum eventum exspectare, neque se sanguinariae iuventuti adiungere velle. *Bene habet* Plauto frequens legitur in orat. p. Mur. 14 et laudatur a Quint. I. O. IX. 2, 26.

Ego me do historiae. Cf. ep. 6, 2.

Saufeium. De eo dixi ad I. 3, 1. Cf. porro Nepos Att. 12 et Servius ad Verg. Aen. I. 6, quem locum correxit Niebuhrius, Hist. Rom. I. adn. 247 sq.

§ 2. *Parilibus.* Parilia sive Palilia erat dies festus, qui agebatur die urbis Romae natali, a. d. XI Kal. Mai. in honorem Palis, pastorum Deae, vel ut aliis videtur Dei. Cf. Hartung, Religion der Römer II. p. 148 seqq. Sabini Palem cum Cerere confudisse videntur, si recte coniicio apud Servium ad Georg. I. 7 scribendum esse: „Quamvis Sabini Cererem *Palem* (vulgo *Panem*) appellant." Verbum *venire* sive casu sive consilio in codice Rav. non legitur.

Cratera illum delicatum. Sinus maris, qui terminatur promontoriis Miseni et Minervae, Crater appellatur. Strabo V. 4, 3 et 8. De nominis origine disputavit Casaubonus ad Strab. p. 242 B. — Ad illum sinum habebat Cicero Pompeianum, quo proficisci paulo ante cogitabat. Vid. h. l. 4, 6.

de Formiano. Quum praecedat *inde* ɔ: de Formiano, non dubium est haec esse glossatoris.

IX. (*A. U. C.* 695.)

1. Subito quum mihi dixisset Caecilius quaestor puerum se Romam mittere, haec scripsi raptim, ut tuos elicerem mirificos cum Publio dialogos, quum eos, de quibus scribis, tum illum, quem abdis et ais longum esse, quae ad ea responderis, perscribere; illum vero, qui nondum habitus est, quem illa βοῶπις, quum e Solonio redierit, ad te est relatura. Sic velim putes nihil hoc posse mihi esse iucundius. Si vero, quae de me pacta sunt, ea non servantur, in caelo sum, ut sciat hic noster Hierosolymarius traductor ad plebem, quam bonam meis putissimis orationibus gratiam retulerit, quarum exspecta divinam παλινῳδίαν. Etenim, quantum coniectura auguramur, si erit nebulo iste cum his dynastis in gratia, non modo de cynico consulari, sed ne de istis quidem piscinarum Tritonibus poterit se iactare; non enim poterimus ulla esse in invidia spoliati opibus et illa senatoria potentia;

§ 1. *subito quum* cet. Sic in Med. et R. quorum auctoritas praestat ingenio Mureti, qui V. L. XIV. 8 formulam *si vales, bene est* in his epistolis nunquam usurpatam litteris S. V. B. significari putabat.

Caecilius. In Onomast. Tull. p. 100 hoc refertur ad Q. Caecilium Bassum, qui gravis Caesaris adversarius fuit.

illum vero. Notetur usus particulae in gradatione, ut sit *maxime.* Cf. Kühner ad Tusc. I. 98.

illa βοῶπις. Iunonis epitheto indicatur Clodia, quam sororem Publius uxoris loco habuisse dicebatur, ut Jupiter illam. In R. deest *illa.*

Solonio. Vid. ad ep. 3, 3 h. l. Post v. *relatura* sententiam absolutam esse Wielandus intellexit, quem sequor.

quae de me pacta sunt. „Promiserat Clodius Pompeio, se nihil acturum contra Ciceronem, ep. 22, 2. 24, 5." Man. De passivo usu part. *pactus* Ernestus frustra dubitabat.

in caelo sum ɔ: beatus sum, quum ea eveniunt, quae optabam. Contrarium est, quod legimus Phil. II. 107, aliquem *de caelo detrahere.* Optat Cicero, ut Clodius fidem fallat, ut Pompeius sentiat, quam ingratum se Ciceroni, perpetuo laudum suarum praeconi, praestiterit. Cf. quae notabo ad ep. 19, 2.

Hierosolymarius. Pompeius, qui a. 691 Hierosolyma ceperat.

meis putissimis orationibus. Immerito haec displicebant Ernesto. Pompeius enim eo maiorem gratiam Ciceroni referre debebat, quo magis huius in se ornando studium expertus erat. Quum tamen adiectivum *putus* apud Ciceronem sit inusitatum, non refragabor, si quis *politissimis* malit, aut *cultissimis.*

non modo — se iactare ɔ: non modo Clodius non poterit apud populum insultare mihi, quem ipse vocat cynicum consularem, nimirum ob dicacitatem, quae Cynicorum more nemini parcebat, sed ne Lucullo quidem, Hortensio et eiusmodi hominibus insultabit. — *Se iactare de aliquo* redit in Verr. IV. 46. *Iactat se iamdudum de Calidio: narrat omnibus se emisse.* — *Piscinarum Tritones* dicit eos, qui ut Triton semper in mari erat, sic libenter in villis suis ad piscinas habitabant. In explicando h. l. erravit P. Victorius Var. Lect. XXII. 23 M. Pupium Pisonem esse cynicum consularem arbitratus et *iactare se de aliquo* interpretans, alicuius auctoritate et nomine uti ad res suas confirmandas.

ulla esse in invidia. Primus sic edidit Bosius. Codices et veteres editiones praep. *in* omittunt. Sed abesse non potest; nam *invidia* non est qualitas quaedam personae inhaerens, sed res externa. Cf. ad V. 14, 2. *In invidia esse* de re dicitur Sall. Iug. 25, de persona ap. Liv. XXIX. 37.

erit absurdum in nos invehi. Nam tum potius debebat ille se cum Cicerone et piscinariis coniungere, ut dynastas illos perderent.

minore sonitu — est conversus. Cf. ep. 21, 2.

sin autem ab iis dissentiet, erit absurdum in nos invehi. Verumtamen invehatur: festive, mihi crede, et minore sonitu, quam putaram, orbis hic in re publica est conversus, citius omnino, quam oportuit, culpa Catonis et rursus improbitate istorum, qui auspicia, qui Aeliam legem, qui Iuniam et Liciniam, qui Caeciliam et Didiam neglexerunt, qui omnia remedia rei publicae effuderunt, qui regna quasi praedia tetrarchis, qui immanes pecunias paucis dederunt. 2. Video iam, quo invidia transeat et ubi sit habitatura. Nihil me existimaris neque usu neque a Theophrasto didicisse, nisi brevi tempore desiderari nostra illa tempora videris. Etenim si fuit invidiosa senatus potentia, quum ea non ad populum, sed ad tres homines immoderatos redacta sit, quid iam censes fore? Proinde isti licet faciant, quos volent, consules, tribunos pl., denique etiam Vatinii strumam sacerdotii *διβάφῳ* vestiant, videbis brevi tempore magnos non modo eos, qui nihil titubarunt, sed etiam illum ipsum, qui peccavit, Catonem. 3. Nam nos quidem, si per istum tuum sodalem [Publium] licebit, *σοφιστεύειν* cogitamus;

Equidem sperabam — sic orbem rei publicae esse conversum, ut vix sonitum audire, vix impressam orbitam videre possemus. p. Planc. 93. *Stare omnes debemus, tanquam in orbe aliquo rei publicae, qui quoniam versatur, eam deligere partem, ad quam nos illius utilitas salusque converterit.* In his locis ipsa res publica cum orbe ɔ: trocho comparatur; quare hoc quoque loco *orbis hic rei publicae* scribendum videtur.

culpa Catonis. Vid. II. 1, 8.

et rursus ɔ: et ab altera parte. Eadem vis adverbii II. 16, 4. VII. 6, 2. 11, 4. Cf. Kuhner ad Tusc. I. 40. O. Heynius recte reiecit coniecturas Orellii *sed prorsus*, Vahleni *sed conversus*, ipse *sed* mutavit in *et*, quod ultima littera nominis *Catonis* geminata *set* scriptum est.

auspicia. Adoptio enim Clodii facta est contra auspicia, quum de caelo servaretur, de prov. cons. 45. De Lege *Aelia* dixi ad I. 16, 13; leges Iunia Licinia et Caecilia Didia agebant de modo legum promulgandarum et ferendarum. Cf. Madvig, Verf. des röm. Staates I p. 247 seq.

qui regna quasi praedia tetrarchis — dederunt. Varie loco parum concinno mederi temptarunt interpretes. Wesenb. Emend. p. 117 *tetrarchis* ortum putat e glossemate ad v. *regna* adscripto. Sed quum non solum ad Fam. I. 9, 7 scribat, se hoc tempore libere dixisse *de vi, de auspiciis, de donatione regnorum*, sed in orat. in Vatin. 29 de iisdem rebus agens *regibus* addat *tetrarchas*, veriorem puto Klotzii emendationem *quasi* pro *qui* scribentis eamque recepi.

§ 2 *redacta sit* ex Med. et R. Wesenbergius, quum putaret hoc verbum nisi per durius zeugma in universum *populum* non convenire e cod. Crat. et Lamb. recepit *tralata sit*, sed Ciceronem scripsisse suspicatur: *quum ea ad populum tralata, sed ad t. h. i. redacta sit.* Sententia salva est, si pro *redacta* scr. *traducta.*

Vatinii strumam sacerdotii διβάφῳ vestiant. Apud Plut. in Cic. 9, Vatinius dicitur χοιράδων τὸν τράχηλον περίπλεως, et in Vatin. 39 strumae ab ore improbo demigrasse et aliis se locis collocasse traduntur. *Sacerdotium* est auguratus, ut Fam. XV. 4, 13. Liv. I. 18, inter cuius insignia refertur toga bis tincta. Fam. II. 16, 7. Plin. H. N. IX. 136. Vatinium frustra in Q. Metelli locum augurem fieri voluisse, novimus ex orat. in Vatin. 19.

qui peccavit, eo, quod equites a senatu diiunxit.

§ 3. [*Publium*]. Non videri Ciceronis declaravi ad ep. 1, 3 h. l. Iocans autem Clodium appellat *istum tuum sodalem*, quemadmodum in ep. 15, 1 de eodem scribit: *ut illo tu careas non video posse fieri.*

si ille cogit, dumtaxat nos defendere et, quod est proprium artis huius, *ἐπαγγέλλομαι*

ἄνδρ' ἀπαμύνεσθαι ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Patria propitia sit; habet a nobis, etiamsi non plus, quam debitum est, plus certe, quam postulatum est. Male vehi malo alio gubernante quam tam ingratis vectoribus bene gubernare. 4. Sed haec coram commodius. Nunc audi quod quaeris: Antium me ex Formiano recipere cogito a. d. v. Non. Mai., Antio volo Nonis Maiis proficisci in Tusculanum. Sed quum e Formiano rediero — ibi esse usque ad prid. Kalend. Mai. volo —, faciam statim te certiorem. Terentia tibi salutem, *καὶ Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον Ἀθηναῖον.*

σοφιστεύειν ɔ: philosophiae vacare. cf. IX. 9, 1.

si ille cogit, dumtaxat nos defendere. Antea recepi Orellii coniecturam, qui e *cogit tantum dumtaxat* fecit *cogit, tum d.*; nunc delevi *tantum*, quod videtur ex interpretatione vocis *dumtaxat* ortum. *Dumtaxat nos defendere* est nihil aliud facere quam illius impetum repellere, non facere impetum in illum. Wesenbergio roganti: „*cogit* — quidnam?" respondeo e sequenti *nos defendere* (cogitamus) per se intelligi *pugnare.*

artis huius, τῶν σοφιστῶν, quam nunc profitetur, proprium erat ἐπαγγέλλεσθαι ɔ: denuntiare aliquid, ut Cicero nunc denuntiat se virum repulsurum, quando quis prior molestus fuerit. Versus ex Hom. Il. XXIV. 369.

Patria propitia sit, cet. Saepe talia de se profitetur, ut Fam. V. 13, 4: *Praestitimus enim patriae non minus certe, quam debuimus; plus profecto, quam est ab animo cuiusquam aut consilio hominis postulatum.*

§ 4. *Nunc audi quod quaeris.* W. verius putat, quod e Faerni codice affertur: *Nunc audi ad id, quod quaeris,* et conferri iubet XIV. 20, 1 *audi ad omnes* (epistolas) Q. fr. III. 1, 11 *audi nunc ad munusculum,* alia.

Κικέρων κ. τ. λ. Wielandus V. I. p. 391 haec a Marco filio, Graecis litteris tum apud Aristodemum operam dante, adscripta esse existimavit. Longe aliter haec accepit Peerlkampius. Suspicatur in epistola Attici Ciceronem parvi animi fuisse appellatum, eoque respicientem hunc scripsisse ὁ μικρὸς τὸν μέγαν ἀσπάζεται et simul iocose Titi nomen ita immutasse, ut vel Τιτᾶνα vel Τιτυὸν τὸν Ἀθηναῖον scriberet. Ingeniosius opinor quam verius. — Quum in Med. sit ΚΑΙΚΕΡΩΝ, cum Wes. scripsi καὶ ante Κικέρων, prorsus ut est in ep. 12 extr.

X. (*A. U. C.* 695.)

Volo ames meam constantiam: ludos Antii spectare non placet; est enim *ὑποσόλοικον,* quum velim vitare omnium deliciarum suspicionem, repente *ἀναφαίνεσθαι* non solum delicate, sed etiam inepte peregrinantem; quare usque ad Nonas Mai. te in Formiano exspectabo.

Volo ames meam constantiam. Paucis ante diebus scripserat se velle Antii esse a. d. V. Non. Mai., ut Tullia ludos ibi spectaret, ep. 8, 2. Nunc mutato consilio in Formiano diutius manere decrevit. Constantiam vocat, quod ita maneret in proposito non spectandi ludos.

Non solum delicate, sed etiam inepte p. Recte Ernestus illud retulit ad Antii delicias, hoc ad spectacula, quae ineptus esset, qui Antii con-

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

Nunc fac ut sciam quo die te visuri simus. Ab Appii Foro hora quarta. Dederam aliam paullo antea a Tribus Tabernis.

sectaretur, quum Romae contemneret. Ciceronis iudicium de ludis cognoscitur ex Fam. VII. 1.

Ab Appii foro — Tribus Tabernis. Situm locorum indicavi ad I. 13, 1.

XI. (*A. U. C.* 695.)

1. Narro tibi: plane relegatus mihi videor, posteaquam in Formiano sum. Dies enim nullus erat, Antii quum essem, quo die non melius scirem, Romae quid ageretur, quam ii, qui erant Romae — etenim litterae tuae non solum quid Romae, sed etiam quid in re publica, neque solum quid fieret, verum etiam quid futurum esset, indicabant — nunc, nisi si quid ex praetereunte viatore exceptum est, scire nihil possumus. Quare quamquam iam te ipsum exspecto, tamen isti puero, quem ad me statim iussi recurrere, da ponderosam aliquam epistolam plenam omnium non modo actorum sed etiam opinionum tuarum, ac diem, quo Roma sis exiturus, cura ut sciam. 2. Nos in Formiano esse volumus usque ad pridie Nonas Mai.: eo si ante eam diem non veneris, Romae te fortasse videbo; nam Arpinum quid ego te invitem?

τρηχεῖ' ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος. οὔτ' ἄρ' ἔγωγε
ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

Haec igitur. Cura ut valeas.

§ 1. *Narro tibi.* Formula sermonis familiaris, qua utebantur rem novam et inexspectatam dicturi. Cf. XIII. 51, 2. XV. 16 *b.*, 21, 1.

Dies — quo die. De iteratione substantivi post pron. relativum multi dixerunt, quos recenset Ellendt. ad Cic. de Orat. II. p. 9 sq., ipse hunc usum a legibus et formulis iuris repetens. Conf. Bakius ad Legg. p. 271 sq.

nisi si quid. Vid. ad ep. 3, 2 h. l.

ponderosam aliquam epistolam. XIV, 14, 1 vocat *litteras magni ponderis* ɔ: quae versantur in argumento gravi. *Ponderosus* hoc uno loco in scriptis Ciceronis legitur.

§ 2. τρηχεῖ' κ. τ. λ. Versus ex Hom. Odyssea IX. 27 sq. de Ithaca, quacum Arpinum iterum comparatur de Leg. II. 1.

Haec igitur ɔ: haec igitur sunt, quae te scire volo.

XII. (*A. U. C.* 695.)

1. Negant illi Publium plebeium factum esse! hoc vero regnum est

§ 1. Epistola ipsis Cerialibus in itinere data, eodem die cum epist. 10, sed paullo ante eam. Ordo mutatus est, quia haec cum seq. demum epistola ad Atticum pervenit.

Negant illi cet. Recte negat Schuetzius potuisse Caesarem et Pompeium negare, quod Romae omnes factum esse sciebant; sed sua opera Publium ad plebem traductum esse

et ferri nullo pacto potest. Emittat ad me Publius, qui obsignent: iurabo Cnaeum nostrum, collegam Balbi, Antii mihi narrasse se in auspicio fuisse. O suaves epistolas tuas uno tempore mihi datas duas! quibus εὐαγγέλια quae reddam, nescio; deberi quidem plane fateor. 2. Sed vide συγκύρημα. Emerseram commodum ex Antiati in Appiam ad Tres Tabernas ipsis Cerialibus, quum in me incurrit Roma veniens Curio meus: ibidem ilico puer abs te cum epistolis. Ille ex me nihilne audissem novi: ego negare. »Publius, inquit, tribunatum pl. petit." Quid ais? »et inimicissimus quidem Caesaris, et ut omnia, inquit, ista rescindat." Quid Caesar? inquam. »Negat se quidquam de illius adoptione tulisse." Deinde suum, Memmii, Metelli Nepotis exprompsit odium. Complexus iuvenem dimisi, properans ad epistolas. Ubi sunt, qui aiunt ζώσης φωνῆς? quanto magis vidi ex tuis litteris quam ex illius ser-

fortasse negare poterant. Itaque vel de Orellii coni. *factum a se esse* scribendum censeo, vel *esse* mutandum in *a se*. *Negant* pro *negent* scripsi cum Wesenbergio, Em. alt. p. 90, ut in § 2 de Caesare dicitur: *Negat se — tulisse.*

regnum est ɔ: intolerabile est, ut quum reges licere sibi volunt et facere et dicere quicquid lubet.

Emittat. Scribendum esse *mittat — qui obsignent* sc. testimonium, quod iuratus dabo, monui in edit. priore et in Obss. crit. p. 44.

Cnaeum nostrum, collegam Balbi. In hac Pompeii designatione aculeum latere mihi persuasum est. Sed difficilis optio inter M. Atium Balbum, hominem Aricinum, quem inter XXviros fuisse tradit Suet. Octav. 4 et cui M. Antonius generis ignobilitatem obiecit Phil. III. 16, et L. Cornelium Balbum Gaditanum, a Pompeio civitate donatum. Sed vix credibile hunc, qui teste Velleio II. 51 consul factus est ex privato, vel in XXviratu vel in alio munere Pompeii collegam fuisse. Quare de illo cogitare malo. Quod autem Thierschius contra libros hic *Bibuli* nomen scribendum putat, non probo, quoniam Bibulus certe illi auspicio interesse noluerit, neque de alio munere, in quo collegae fuerint, agatur.

se in auspicio fuisse. Pronomen *se*, in cod. Mediceo et Rav. ultima syllaba praeced. vocabuli absorptum, abesse non potest. Pompeius Ciceronem Antium convenit fortasse, in Campaniam proficiscens. *Esse in auspicio* pro adesse auspicio veteres dicebant. Cf. Divin. II. 71. Rep. II. 16.

§ 2. *συγκύρημα.* Vocabulo Graeco respondet Gallicum *coincidence*, melius quam Latina *concursio* et *concursatio*.

commodum — quum ut X. 16, 1. XIII. 9, 1. 19, 1. 30, 2. Bis in scriptis Ciceronis legitur *commode — quum* h. l. et Verr. III. 61, ubi tamen verae scripturae vestigia in Vaticano codice (*postmodum*) cernuntur. In Plauti Trinummo II. 3, 9 Ritschelius e palimpsesto Ambrosiano reposuit: *commodum ipse exit Lesbonicus cum servo foras.* Non dubitavi hic *commodum* corrigere, ut volebat Malaspina. Cf. Wesenberg ad Sestianam. p. 24 sq. et Hand. in Turs. II. p. 102.

ipsis Cerialibus. Celebrabantur a d. XIII. Kal. Mai, biduum ante Parilia. Describit Ovid. Fast. IV. 389 seqq.

ibidem ilico. Citavit haec verba Madv. ad Fin. I. 19 ubi *ibidem* explicat *paene eodem temporis momento.* Et sic malim, quam cum Handio Turs. III. p. 208 de loco dictum accipere. *Ilico* scripsi pro *illico* cum Ritschelio ad Plauti Trin. 608.

Deinde suum, Memmii, Metelli Nepotis exprompsit odium. Sine dubio cum Manutio hic de odio trium illorum in Caesarem cogitandum est, neque audiendus Thierschius, qui gen. *Memmii, Metelli* obiective explicat, quasi de Curionis in Memmium et Metellum odio sermo fuisset. Praenomen Metelli Q. cum Rav. omisi.

ζώσης φωνῆς. Suppl. *μείζω ἐνέργειαν εἶναι ἀφώνων διδασκάλων.* Idem proverbium respiciunt Plinius, Ep. II. 3, 9. Quintil. I. O. II. 2, 8. Gellius, N. A. XIV. 2 in. Romani *vocem vivam* dixerunt, ut Cic. de l.

mone quid ageretur, de ruminatione quotidiana, de cogitatione Publii, de lituis *βοώπιδος*, de signifero Athenione, de litteris missis ad Cnaeum, de Theophanis Memmiique sermone; quantam porro mihi exspectationem dedisti convivii istius *ἀσελγοῦς*! Sum in curiositate *ὀξύπεινος*, sed tamen facile patior te id ad me *συμπόσιον* non scribere, praesentem audire malo. 3. Quod me ut scribam aliquid hortaris, crescit mihi quidem materies, ut dicis, sed tota res etiam nunc fluctuat: *κατ' ὀπώρην τρύξ*. Quae si desederit, magis erunt † iudicata, quae scribam; quae si statim a me ferre non potueris, primus habebis tamen et aliquamdiu solus. 4. Dicaearchum recte amas: luculentus homo est et civis haud paullo melior quam isti nostri *ἀδικαίαρχοι*. Litteras scripsi hora decima Cerialibus, statim ut tuas legeram, sed eas eram daturus, ut putabam, postridie ei, qui mihi primus obviam venisset. Terentia delectata est tuis litteris: impertit tibi multam salutem, *καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται.*

agr. II, 4. p. Cael. 55, ubi legendum: *haec viva vox veritatis*, non *una*.

de ruminatione quotidiana ɔ: de iis rebus, quae quotidie occulte repetuntur. Verbum *ruminari* hac vi ter legitur in fragm. Satirarum Varronis, p. 101, 213, 220 Oehl. Non assentior Orellio et Pluygersio, qui *de cogitatione* horum vocc. glossema esse putant.

de lituis βοώπιδος. Quibus Clodia fratrem tanquam ad proelium incitabat.

de signifero Athenione ɔ: de Sex. Clodio, qui ut olim Athenio fuit dux fugitivorum in Sicilia, Romae servos ad caedem et rapinam ducebat. Cf. Cael. 78. Asc. in Pison. p. 7. Alii, in quibus Manutius, Vatinium potius significari arbitrantur, I. F. Gronovius *Sedulium*, qui nominatur in orat. p domo, 79.

Theophanis. De hoc dixi ad ep. 5, 1.

convivii istius ἀσελγοῦς. Ep. 14, 1, dicit *delicatum convivium*.

ὀξύπεινος. Potuisset dicere *famelicum*, vocabulum aptissimum, quum de convivio sermo est vel potius de συμποσίῳ s. compotatione. Cf. de Senect. 45. ὀξυπείνος est in fragm. Diphili apud Athen. II. p. 47 B.

§ 3. κατ' ὀπώρην τρύξ. *Per autumnum faex*. Proverbium de rebus turbatis, necdum ad liquidum perductis. Faex ubi *desederit* vinum liquidum et purum fit. Igitur Cicero non scripsit in seqq. *iudicata*, quod aberrat a tropo, sed fortasse *liquata*, ut coni. Orellius, aut *iam liquata* de coni. Kayseri.

§ 4. *Dicaearchum*. Cf. ad ep. 2, 2.

luculentus. VII. 17, 2 Pompeius dicitur *luculentus scriptor*, X. 12, 2, aliquis est *luculentus auctor*. Nimis anguste vocabuli vim definiunt, qui ubique *perspicuum* interpretantur, quum sit praestans, eximius.

ut putabam. Vulgo *putaram*. Certam Wesenbergii emendationem recepi.

obviam venisset. Rediit Or. ad scripturam cod. Z. Med. et Rav., quum in deterioribus libris scribatur *obvenisset*. Sed *obvenire* semper est *obtingere*, nusquam *occurrere*. Quare miror, etiam nunc legi apud Livium XXIX, 34, 8, *se in tempore pugnae obventurum*. Quin tu repone: *subventurum*. Quod autem Malaspina negat *obviam venire* eum, qui forte occurrat, audacius dictum esse apparebit comparanti Mil. 29, ubi de Milone forte fortuna in adversarium incidente, legimus *fit obviam Clodio*.

καὶ Κικέρων κ. τ. λ. Iocose indicat utriusque partes fuisse mutatas, se ex homine in rei publicae luce versante factum esse philosophum, amicum vero abiecto otio, quid in re publica fiat, curare.

XIII. (*A. U. C.* 695).

1. Facinus indignum, epistolam *αὐθωρεὶ* tibi a Tribus Tabernis rescriptam ad tuas suavissimas epistolas neminem reddidisse! At scito eum fasciculum, quo illam conieceram, domum eo ipso die latum esse, quo ego dederam, et ad me in Formianum relatum esse. Itaque tibi tuam epistolam iussi referri, ex qua intelligeres quam mihi tum illae gratae fuissent. 2. Romae quod scribis sileri, ita putabam; at hercule in agris non siletur, nec iam ipsi agri regnum vestrum ferre possunt. Si vero in hanc *Τηλέπυλον* veneris *Λαιστρυγονίην* — Formias dico —, qui fremitus hominum! quam irati animi! quanto in odio noster amicus [Magnus], cuius cognomen una cum Crassi [Divitis] cognomine consenescit. Credas mihi velim; neminem adhuc offendi, qui haec tam lente, quam ego fero, ferret. Quare, mihi crede, *φιλοσοφῶμεν*: iuratus tibi possum dicere nihil esse tanti. Tu si ad Sicyonios litteras habes, advola in Formianum, unde nos pridie Non. Mai. cogitamus.

§ 1. *tuam epistolam* ɔ: epistolam ad te datam, tuo nomini inscriptam. Sic VII. 2, 4 *Pompeii litterae* dicuntur quae ad Pompeium datae sunt, et Augustus apud Suetonium in vita Horatii *epistolas amicorum* appellat, quas ad amicos scribebat. Hinc intelligitur VII. 24 *Cassii litterae*, quod est in omnibus libris Mss., non esse sollicitandum.

tum illae. E coni. Ernesti scribendum censeo *tuae illae.*

§ 2. *Formias dico.* Sano iudicio Ursinus haec glossatori tribuit. Formias existimatas esse Laestrygonum sedem discimus e Plinii H. N. III. 59 conditas a Lamo, Neptuni filio, unde Aelii Lamiae generis originem repetebant. Hor. Carm. III. 17. *τηλέπυλον* *Λαιστρυγονίην* dixit Homerus Od. X. 81.

[*Magnus*] — [*Divitis*]. Utrumque nomen quare suspectum habeam explicare nihil attinet. Cff. quae monui ad ep. 1, 3 h. l.

consenescit ɔ: vilescit, qua ratione etiam de personis ponitur, ut ep. 23, 2. Sest. 110. Simplex *senescere* saepe eandem vim habet apud Livium. Vid. Fabri ad XXI. 53. Drak. ad XXIX. 22.

lente — ferret ɔ: patienter et ita ut animus nihil moveatur. Vid. ad I. 18, 4.

nihil esse tanti sc. pretii, quam studiis operam dare sive *φιλοσοφεῖν*.

si ad Sicyonios litteras habes, a senatu vel a consulibus datas. Cf. de hoc negotio ad I. 19, 9.

XIV. (*A. U. C.* 695.)

1. Quantam tu mihi moves exspectationem de sermone Bibuli, quantam de colloquio *βοώπιδος*, quantam etiam de illo delicato convivio! Proinde cito fac venias ad sitientes aures: quamquam nihil est iam,

§ 1. *Quantam — convivio.* Colloquium Clodiae supra tetigit ep. 9, 1, convivium illud delicatum ep. 12, 2. De sermone autem Bibuli nihil constat, nec lucem ea accipiunt ex ep. 15, 2. Quum vero ep. 9, 1 nominet dialogum cum Publio, quem Atticus abdebat et totum perscribere nolebat, vix dubito, quin haec eo referenda sint atque legendum sit: *Quantam tu mihi moves exspectationem de sermone Publii.*

Proinde ita fac venias ad s. aures. Recepi egregiam correctionem Pluygersii *cito* scri-

quod magis timendum nobis putem, quam ne ille noster Sampsiceramus, quum se omnium sermonibus sentiet vapulare et quum has actiones **εὐανατρέπτους** videbit, ruere incipiat. Ego autem usque eo sum enervatus, ut hoc otio, quo nunc tabescimus, malim **ἐντυραννεῖσθαι,** quam cum optima spe dimicare. 2. De pangendo quod me crebro adhortaris, fieri nihil potest. Basilicam habeo, non villam, frequentia Formianorum, at quam parem basilicae tribum Aemiliam! Sed omitto vulgus: post horam IV. molesti ceteri non sunt? C. Arrius proximus est vicinus, immo ille quidem iam contubernalis, qui etiam se idcirco Romam ire negat, ut hic mecum totos dies philosophetur. Ecce ex altera parte Sebosus, ille Catuli familiaris. Quo me vertam? statim mehercule Arpinum irem, ni te in Formiano commodissime exspectari viderem, dumtaxat ad pridie Non. Mai. Vides enim, quibus hominibus aures sint deditae meae. Occasionem mirificam, si qui nunc, dum hi apud me sunt, emere de me fundum Formianum velit. Et

bentis pro *ita*, quae et melior et lenior est, quam quod scripsit Wes. de Ubaldini coni. *proinde ita fac venias, ut ad sitientes aures.* Idem mox pro nudo abl. *hoc otio* scribendum putat *cum hoc otio* vel *in hoc otio.* Ego vero *in* puto inesse in ἐντυραννεῖσθαι.

Sampsiceramus. Nomine reguli Emisenorum in Coele Syria, cuius mentio fit apud Strabonem XVI. 2, § 10 sq. et Iosephum, Antiq. Hebr. XVIII. 7, indicat Cn. Pompeium, ut Wielandus suspicatur, quia hic de rebus suis gestis in senatu agens iactantius fortasse de regulo Romanis ignoto a se devicto locutus fuerit.

sermonibus — vapulare. Corradus comp. Fam. XVI. 26, 1. *Verberavi te cogitationis tacito dumtaxat convicio.*

ruere est caeco impetu ferri et turbas excitare. Vid. IV. 3, 2. VII. 4, 3. 20, 1. 21, 3. Respondet Graeco ὁρμᾶσθαι.

§ 2. *Basilicam habeo non villam* ɔ: Formianum basilicae potius speciem praebet, quam villae, adeo multi huc veniunt, molesti interpellatores.

at quam parem basilicae tribum Aemiliam! Locus difficilis, quem ita explicare possis: „At, quid dixi basilicam me habere, quasi vero villa mea tribum Aemiliam capere posset". Formianos enim tribui Aemiliae adscriptos fuisse e Livio XXXVIII. 36 constat. Sed verba ipsa Lambino non immerito suspecta fuisse videntur, et censeo haec melius procedere, si iis, quae praecedunt, adiungas paulum immutata: *atque imparem basilicam tribui Aemiliae.* Aliter visum Madvigio, qui de h. l. disputavit in Revue de Philologie II p. 186 seq. Quum in codd. *partem* sit, verba sana putat modo ita distinguantur: *At quam partem basilicae! tribum Aemiliam.* Non credo tribum posse appellari partem basilicae.

Sed — omitto vulgus — post horam IV molesti ceteri non sunt. Ita haec eduntur. Nego Ciceronem ita scripsisse. Si enim ceteri molesti non essent post horam quartam, satis otii ei relictum fuisset ad scribendum. Credo eum scripsisse: *Sed mitto vulgus* ɔ: non loquor de multitudine Formianorum. *Post horam IV molesti ceteri non sunt?* ɔ: nonne etiam, quando vulgus abiit, alii mihi molesti sunt? Ad hanc quaestionem sequentibus respondetur. Cf. ep. 15, 3 h. l.

Vides enim. Cum B. et W. recepi verbum in Med. correctum. *Vide, vidi, video* sententiam pessumdant.

Occasionem mirificam. Ciceronem in exclamatione acc. posuisse non semper addito *o* plures loci ex epistolis ostendunt, ut Att. X. 10, 1. *me caecum.* XV. 3, 2 *praeclaros etiam XIV ordines.* Frustra multi hic addunt *O.*

emere de me. Vid. Hand. Turs. II. p. 191.

magnum quid — otii. P. Faber *Et tamen illud probem?* mutare volebat sic: *Et tuum illud probem?* putans sequentia esse ex epi-

tamen illud probem »magnum quid aggrediamur et multae cogitationis atque otii"? Sed tamen satisfiet a nobis neque parcetur labori.

stola Attici. Sed ille non scripsisset *aggrediamur*. Immo sunt ipsius Ciceronis, qui antea sic scripserat amico. Ergo nihil mutandum. W. monuit pro *quid* scribendum esse *aliquid* vel *quidpiam*, et verbo *satisfiet* addendum *tibi* vel potius cum Kaysero *satis tibi fiet* legendum.

XV. (*A. U. C.* 694.)

1. Ut scribis, ita video non minus incerta in re publica quam in epistola tua, sed tamen ista ipsa me varietas sermonum opinionumque delectat: Romae enim videor esse, quum tuas litteras lego, et, ut fit in tantis rebus, modo hoc, modo illud audire; illud tamen explicare non possum, quidnam inveniri possit nullo recusante ad facultatem agrariam. 2. Bibuli autem ista magnitudo animi in comitiorum dilatione quid habet nisi ipsius iudicium sine ulla correctione rei publicae? Nimirum in Publio spes est: fiat, fiat tribunus pl., si nihil aliud, ut eo citius tu ex Epiro revertare; nam, ut illo tu careas, non video posse fieri, praesertim si mecum aliquid volet disputare. Sed id quidem non dubium est, quin, si quid erit eiusmodi, sis advolaturus. Verum ut hoc non sit, tamen sive ruet sive eriget rem publicam, praeclarum spectaculum mihi propono, modo te consessore spectare liceat. 3. Quum

§ 1. *quidnam inveniri possit nullo recusante ad facultatem agrariam*, ɔ: qua re Caesar efficere possit, ut nemo agrorum divisioni repugnet. Dicebant enim Caesariani *prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret*. Vid. ep. 16, 1. — Ablativus consequentiae nihil duri habet, neque sententiam cum Thierschio ineptam dixerim, qui in Add. p. XIII confidenter affirmat Ciceronem scripsisse *nulli recusatum ante*. Magis dubitationi obnoxia essent verba *ad facultatem agrariam*, si significare deberent *ad perferendae legis agrariae copiam*. Sed *facultas agraria* est, quae I. 19, 4 vocatur *ratio agraria*.

§ 2. Quum senatus legi agrariae vehementer resisteret, Caesar de ea in comitiis ad populum ferre decreverat. Sed comitia impediebat Bibulus de caelo servando. Cf. Dio XXXVIII. 1—7.

Nimirum in Publio spes est. Sperabant optimates Clodium, si tribunus pl. factus esset, Caesaris Pompeii Crassique consiliis restiturum esse. Hoc enim praedicabat homo callidus, quo facilius quod vellet consequeretur.

si nihil aliud. Elliptica locutio. Fiat Clodius tribunus pl., quae res si nihil boni praeterea afferet, efficiet saltem, ut citius tu revertare. Cf. in Verr. I. 152. *Venit in iudicium, si nihil aliud, saltem ut eum — videret*. Seneca ep. 35. *Si nihil aliud, ob hoc profice ut amare discas*. Liviana exempla collegit Drakenb. ad Liv. XXX. 35, 8.

sive ruet sive eriget rempublicam. Nil melius e vestigiis codicum erui posse videtur. *Ruere* intransitive dicitur, ut ep. sup. § 1. Fin. I. 34. Sest. 133. Transitive non dixit Cicero, nec ullus scriptor illius aetatis. Nolui cum Kahntio Symb. Crit. p. 4 scribere *eruet*. *Erigere rem publicam* sc. afflictam et iacentem dixit quoque Pompeius infra VIII. 12 C. 3. Potuit autem Cicero rumores, qui de Clodio spargebantur, cogitans ita scribere, quamquam ipsi non in mentem veniebat rem publicam a tali homine erigi posse.

§ 3. *ecce tibi S.* In narratione rei improvisae Cicero saepe *tibi* addidit particulae *ecce*. Cf. in his epistt. II. 8, 1. XVI. 13 a, 2 et locos, quos collegit Hand. in Turs. II. p. 350

haec maxime scriberem, ecce tibi Sebosus: nondum plane ingemueram: »Salve'', inquit Arrius. Hoc est Roma decedere. Quos ego homines effugi, quum in hos incidi? Ego vero

in montes patrios et ad incunabula nostra

pergam; denique, si solus non potuero, cum rusticis potius quam cum his perurbanis, ita tamen ut, quoniam tu certi nihil scribis, in Formiano tibi praestoler usque ad a. d. III. Non. Mai. 4. Terentiae pergrata est assiduitas tua et diligentia in controversia Mulviana; nescit omnino te communem causam defendere eorum, qui agros publicos possideant; sed tamen tu aliquid publicanis pendis, haec etiam id recusat. Ea tibi igitur et *Κικέρων, ἀριστοκρατικώτατος παῖς*, salutem dicunt.

Arrius. Caius Quinti filius, de quo egit Borghesi Oeuvres I p. 75 seq.

in montes patrios, cet. Hexameter ex aliquo carmine ipsius Ciceronis, ut videtur. Heusdius in disp. laud. p. 52 refert ad fictum carmen de villa Arpinati, de quo diximus ad I. 16, 18. Tunstallus p. 109 e Mario esse coniecit, quod sane probabile est. Alii referunt ad Ennii Annales. vid. Ennius Vahleni, p. 81.

si solus non potuero, cum rusticis potius cet. Duram verbi omissionem tollendam censeo geminatione trium litterarum: *Si solus non potuero,* ERO *cum rusticis potius* cet.

tibi praestoler. Dativum huic verbo iungit Cicero; cf. III. 20, 1. Catil. I. 14. Cum accusativo construunt Plautus saepius et Terentius. In fragmento Sisennae Hist. lib. III apud Nonium p. 161, 31 genitivus *advenientium cohortium* ferendus non est. Scribe: *Occulte tacitique* ADVENTUM TRIUM *cohortium praestolari occipiunt.*

usque ad a. d. III Non. ad in Med. semel scriptum et in *a. d.* ab Orellio mutatum retinui propter similes locos a Wesenbergio Em. alt. p. 91 laudatos.

§ 4. *in controversia Mulviana.* Possidebat Terentia agri publici partem, pro qua nihil pendebat, usa beneficio legis agrariae a. u. 643 latae, quae vectigal a Sp. Thorio a. 636 impositum sustulit. Mulvius, exactor publicanorum, contendens eam legem esse abrogatam, vectigal exigebat. Adversus quem Terentiae causam defendit Atticus, cui immunitas agri publici et ipsi proderat. Cf. Appianus B. C. I. 27, Rudorf, das Ackergesetz des Thorius, 1839, imprimis Mommsenus C. I. L. I p. 75 seqq.

XVI. (*A. U. C.* 695.)

1. Cenato mihi et iam dormitanti pridie Kal. Mai. epistola est illa reddita, in qua de agro Campano scribis. Quid quaeris? primo ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit, sed id cogitatione magis quam molestia. Cogitanti autem haec fere succurrebant: primum ex eo, quod superioribus litteris scripseras ex familiari te illius audisse prolatum

§ 1. *primo ita me p.* Sic recte cod. Med. prima manu et Rav.; alii *primum.* Illud semper apud Ciceronem de tempore ponitur, valetque *initio;* hoc in enumerando locum habet, ut statim sequitur *primum — deinde — praeterea.* Cf. Wesenberg. ad Sestian. p. 24. Reisigii Schol. § 118 ibique adn. Haasii.

Ut me egomet consoler. Nititur haec scriptura una auctoritate marginis Cratandrinae. Ceteri codd. dant *ego.* Nescio quid molesti

iri aliquid, quod nemo improbaret, maius aliquid timueram, hoc mihi eiusmodi non videbatur; deinde, ut me egomet consoler, omnis exspectatio largitionis agrariae in agrum Campanum videtur esse derivata, qui ager, ut dena iugera sint, non amplius hominum quinque milia potest sustinere, reliqua omnis multitudo ab illis abalienetur necesse est; praeterea, si ulla res est, quae bonorum animos, quos iam video esse commotos, vehementius possit incendere, haec certe est, et eo magis, quod portoriis Italiae sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum praeter vicesimam? quae mihi videtur una contiuncula clamore pedisequorum nostrorum esse peritura. 2. Cnaeus quidem noster iam plane quid cogitet nescio:

φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι,
ἀλλ᾽ ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ

qui quidem etiam istuc adduci potuerit. Nam adhuc haec *ἐσοφέζετο* se leges Caesaris probare, actiones ipsum praestare debere; agrariam legem sibi placuisse; potuerit intercedi necne, nihil ad se pertinere;

habet *me* illo loco cum vi positum. Quare scriptum fuisse credo: *deinde, ut ego me consoler. omnis* cet.

in agrum Campanum. Fuerat hic adhuc vectigalis in subsidium rei publicae. Suet. Caes. 20. Appian. B. C. II. 10.

ut dena iugera sint, ɔ: etsi singulis non amplius quam decem iugera decernantur.

non amplius h. quinque milia. At deducti sunt circiter viginti mille cives, quibus terni pluresve liberi erant. Cf. Suet. l.l. Vell. Pat. II. 44. Caes. B. C. I. 14.

portoriis Italiae sublatis. Portoria Italiae sustulerat Q. Metellus Nepos, praetor a. 694. Dio XXXVII. 51. Cf. ad Q. fr. I. 1, 33. In provinciis mansisse videntur. Illa partim restituit Caesar, teste Suetonio Caes. 43. Cf. Burmannus de Vectig. P. R. c. 4.

vicesimam. Qui servum manumittebat, vicesimam pretii partem aerario pendebat. Tributi originem narrat Livius VII. 16. Cf. Burmann. l.l. c. 10.

pedisequorum. Orell. male h. l. sprevit Med. auctoritatem in orthographia huius vocabuli, quum ad Her. IV. 20 extr. et Or. I. 235 *pedisequae* et *pedisequam* scripsisset. Duplicem *s* et analogiae et metri legibus repugnare dudum monuerunt Heusingerus Obs. Antib. p. 336, Burmannus ad Phaedr. IV. 4, 36. Cf. Klotz. ad Ter. Andr. p. 37 sq.

§ 2. φυσᾷ κ. τ. λ. *Non iam enim modicis tibiis spirat, sed saevis follibus sine capistro* ɔ: Pompeius abutitur potentia sua et sine modo furit. Versus esse e deperdito Sophoclis dramate constat ex Longino περὶ ὕψους c. 3.

φορβεία, quae etiam στόμις et χειλωτήρ, Lat. *capistrum* dicitur, erat lorum quo tibicines os coercebant. Praeter Salmasium, Exerc. Plin. p. 833 de eo consuli possunt Wyttenbachius ad Plut. Mor. p. 463, et Böttigerus in Opusc. German. a Silligio collectis, I. p. 51 seqq. Tibicines capistro instructi conspiciuntur in picturis Pompeianis aliisque antiquae artis monumentis.

etiam istuc. Ut agrum Campanum dividi pateretur, quod Velleius l.l. suasore Pompeio latum esse tradit.

agrariam legem sibi placuisse ɔ: legem Iuliam priorem de agro publico praeter agrum Campanum dividundo. Cf. Dio XXXVIII. 1—7, qui narrat Pompeium in concione productum eam legem probasse et Bibulum effecisse, ut tres tribuni plebis legi intercederent.

de rege Alexandrino placuisse sibi aliquando confici. Id spectat, quod cum Ptolemaeo Auleta et lege et SCto societas est facta hoc anno. Caesar B. C. III. 107.

confici ɔ: terminari. cf. Q. fr. I. 1, 1. Forma Tulliana. Altera *confieri* utuntur

de rege Alexandrino placuisse sibi aliquando confici; Bibulus de caelo tum servasset necne sibi quaerendum non fuisse; de publicanis, voluisse (se) illi ordini commodare; quid futurum fuerit, si Bibulus tum in forum descendisset, se divinare non potuisse. Nunc vero, Sampsicerame, quid dices? vectigal te nobis in monte Antilibano constituisse, agri Campani abstulisse? quid, hoc quemadmodum obtinebis? »Oppressos vos, inquit, tenebo exercitu Caesaris." Non mehercule me tu quidem tam isto exercitu quam ingratis animis eorum hominum, qui appellantur boni, qui mihi non modo praemiorum sed ne sermonum quidem unquam fructum ullum aut gratiam retulerunt. 3. Quodsi in eam me partem incitarem, profecto iam aliquam reperirem resistendi viam: nunc prorsus hoc statui, ut, quoniam tanta controversia est Dicaearcho, familiari tuo, cum Theophrasto, amico meo, ut ille tuus **τὸν πρακτικὸν βίον** longe omnibus anteponat, hic autem **τὸν θεωρητικόν,** utrique a me mos gestus esse videatur. Puto enim me Dicaearcho affatim satisfecisse, respicio nunc ad hanc familiam, quae mihi non modo, ut requiescam, permittit, sed reprehendit, quia non semper quierim. Quare incumbamus, o noster Tite, ad illa praeclara studia et eo, unde discedere non oportuit, aliquando revertamur. 4. Quod de Quinti fratris epistola scribis, ad me quoque fuit **πρόσθε λέων,**

Serv. Sulpicius (Fam. IV. 5, 1), Balbus (Att. VIII. 15 A., 3 et IX. 7 A., 1), Caesar B. G. VII. 58 aliique, quos indicat Forcellinus in voce. cff. intt. ad Suet. Caes. 20.

de publicanis. Vid. quae scripsi ad I. 17, 9.

voluisse se. Pronomen addidi, quod ad infinitivum milies a veteribus omissum esse pronuntiat Ruhnk. ad Rut. Lup. p. 41. Cf. Bakius ad Leg. p. 653 sq. Sed h. l. male omitti ante me iam monuerat Buechelerus in Museo philol. Rhenano N. S. XI p. 513.

illi ordini commodare ɔ: illius ordinis commodis inservire. Similem verbi usum invenies Fam. II. 17, 1. III. 3, 1. XIII. 35, 2 et saepius.

hoc-obtinebis ɔ: quomodo hoc ab hominum reprehensione vindicabis recteque a te factum esse probabis? Obtinemus enim, quod verum esse aliis probamus. Cf. Tusc. I. 26 *Expone — si potes, animos remanere post mortem; si minus id obtinebis — est enim arduum — docebis* cet. Fin. IV. 78 *duas contrarias sententias obtinere.*

Oppressos vos tenebo exercitu Caesaris. „Pompeius ipse tantam militum turbam e bello Mithridatico habebat, ut ei opus non esset accire Caesarianos. Plut. in Pomp. (c. 48) *ἐκ τούτου Πομπήϊος ἐμπλήσας στρατιωτῶν τὴν πόλιν ἅπαντα τὰ πράγματα βίᾳ κατεῖχεν.* In Caes. (c. 14, ubi de eodem tempore agitur): *Πομπήϊος δὲ γήμας εὐθὺς ἐνέπλησε τὴν ἀγορὰν ὅπλων.* Quapropter mihi suspecta est vox *Caesaris.*" I. F. Gronovius.

qui appellantur boni, quum non sint. Cf. IX. 2 A, 3, *non sunt enim certe, ut appellantur, boni.*

sermonum — fructum aut gratiam ɔ: ne sermonibus quidem suis, laudando res a me gestas, quicquam pro me fecerunt.

§ 3. *Quodsi — incitarem,* cet. ɔ: Quodsi id agere vellem, ut resisterem iis, qui nos oppressos tenent, non deesset mihi facultas.

cum Theophrasto cet. cf. de Fin. V. 11.

§ 4. *ad me.* Ob v. *scribis* omisit part. *scribens,* quod cogitatione supplendum esse Manutius intellexit.

ὄπιθεν δὲ — quid dicam nescio; nam ita deplorat primis versibus mansionem suam, ut quemvis movere possit, ita rursus remittit, ut me roget, ut annales suos emendem et edam. Illud tamen, quod scribis, animadvertas velim de portorio circumvectionis; ait se de consilii sententia rem ad senatum reiecisse. Nondum videlicet meas litteras legerat, quibus ad eum re consulta et explorata perscripseram non deberi. Velim, si qui Graeci iam Romam ex Asia de ea causa venerunt, videas et, si tibi videbitur, iis demonstres quid ego de ea re sentiam. Si possum † discedere, ne causa optima in senatu pereat, ego satisfaciam publicanis; εἰ δὲ μή — vere tecum loquar —, in hac re malo universae Asiae et negotiatoribus; nam eorum quoque vehementer interest. Hoc ego sentio valde nobis opus esse; sed tu id videbis.

πρόσθε λέων κ. τ. λ. Respicit notissimam Chimaerae descriptionem ex Iliad. VI. 181. Ut monstrum illud e variis membris erat compositum, sic epistola Quinti erat inconstans et varia.

mansionem suam in Asia, quae provincia Q. Ciceroni iam bis prorogata erat. Vid. Q. fr. I. 1, quae epistola sub finem anni superioris vel a 695 ineunte scripta est.

annales suos. Editi non videntur. Altum certe de iis silentium.

quod scribis. Sic codd. Vulgo *scribit.* Sed non opus est mutatione. Atticus scripserat de ea re ex epistola, quam a Quinto acceperat. Licet quoque hic statuere ellipsin verbi *animadvertere te,* ut fecit Fr. Hofmannus.

de portorio circumvectionis. Belg. over het stapelrecht. Portorio obnoxia erant omnia, quae negotiandi causa asportabantur. Dubium vero erat, quid statuendum esset de mercibus, quae emptorem non invenissent, quasque propterea alio veherent. Immunes esse dicebant negotiatores, negabant publicani. Q. Cicero, ne alterius utrius generis invidiam excitaret, quaestionem senatui permisit. Cf. Burm. op. 1. p. 78.

de consilii sententia. Magistratus quum urbani, tum provinciales in rebus gravioribus convocare solebant consilium, de cuius sententia rem deciderent. Vid. Verr. II. 29 et saepius.

non deberi np. portorium illud.

Si possum discedere — publicanis. Manutius, quum crederet illa *ne causa optima in senatu pereat* obiectum esse verbi *discedere,* et *causam optimam* esse negotiatorum, statuit *si possum discedere* eleganter dici pro: si possum consequi, si hunc exitum res habere potest. Quod plane falsum est, quamvis probaverit Ruhnkenius in scholiis ad Ter. Phorm. V. 2, 8. *Discedere* h. l. non posse probari ostendi in Obss. criticis p. 44, neque in verbo emendando felices fuisse Orellium et Wesenbergium, *discutere* et *disceptare* ei substituentes. Ego conieci: *si quid possum dispicere* ɔ: cogitando reperire, coll. II. 20, 5. Q. fr. I. 3, 5. II. 2, 3. Verba *ne causa optima* (ɔ: optimatium. cf. ad II. 1, 6) *in senatu pereat* pendent a seqq. *ego satisfaciam publicanis.* Causa autem illa nitebatur concordia senatus et equitum.

malo universae Asiae. Eodem redit, sive e praecedenti membro hic cogitatione addas *satisfacere,* sive *malle alicui* absolute dictum putes pro *magis cupere* alicui, ut in Or. p. Planc., 59 *illi omnia malo, quam mihi.* Similem usum verbi *nolle* ostendit locus ab Hofmanno laudatus e Fam. I. 1 3, *cui qui nolunt, iidem tibi non sunt amici.*

negotiatoribus. De his docte disputavit Ernestus in peculiari commentatione, quae inserta est eius Opusc. Philol. Crit. p. 3 seqq.

Hoc ego sentio valde nobis opus esse. In Obss. criticis p. 45 reieci, quod in priore editione conieceram *bonis* pro *nobis. Hoc* est Ciceronis consilium, quod in iis quae praecedunt explicatur. Sentiebat omnino hoc modo esse agendum. Recte Wielandus interpretatus est: *Dies ist, denke ich, etwas, woran uns sehr gelegen seyn sollte.*

De cistophoro vide ad ep. 6, 2 extr.

Quod extremum est ɔ: contentum esse quaestorum sententia quamvis iniqua et accipere cistophoros.

Quaestores autem, quaeso, num etiam de cistophoro dubitant? Nam si aliud nihil erit, quum erimus omnia experti, ego ne illud quidem contemnam, quod extremum est. Te in Arpinati videbimus et hospitio agresti accipiemus, quoniam maritimum hoc contempsisti.

XVII. (*A. U. C.* 694.)

1. Prorsus, ut scribis, ita sentio: turbatur Sampsiceramus. Nihil est, quod non timendum sit; *ὁμολογουμένως τυραννίδα σνσκευάζεται.* Quid enim ista repentina affinitatis coniunctio, quid ager Campanus, quid effusio pecuniae significant? quae si essent extrema, tamen esset nimium mali; sed ea natura rei est, ut haec extrema esse non possint. Quid enim eos haec ipsa per se delectare possunt? nunquam huc venissent, nisi ad res alias pestiferas aditus sibi compararent. Verum, ut scribis, haec in Arpinati a. d. VI. circiter Id. Mai. non deflebimus, ne et opera et oleum philologiae nostrae perierit, sed conferemus tranquillo animo. 2. Di immortales ***, neque tam me *εὐελπιστία* consolatur, ut antea, quam *ἀδιαφορία*, qua nulla in re tam utor quam in hac

§ 1. *turbatur.* Conspirant in hac scriptura codd. Mss., sed quum Cicero aperte hoc velit Pompeium turbas ciere in re publica, aut dicendum est formam verbi passivam active poni, quod etsi non alio exemplo probari potest, tamen verisimile puto (cf. Graevius ad h. l. et Madv. Gr. Lat. § 147 *b*), aut cum Pio corr. *turbat.*

repentina affinitatis coniunctio. Hoc anno Caesar Pompeio filiam Iuliam dedit, Servilio Caepioni desponsam. Suet. Caes. 21. Plut. Pomp. 47, qui scribit hoc factum esse *οὐδενὸς προσδοκήσαντος.*

effusio pecuniae. Videtur pertinere ad agri Campani divisionem. Quum enim ager publicus non sufficeret, Caesar agros a privatis emendos huic addere voluit. Impedivit P. Clodius, trib. pl. qui ut est in orat. p. domo, 23 pecuniam huic rei constitutam Gabinio dedit. Hinc intelligitur, quomodo postea saepius de agro Campano relatum sit, ut a. 697. Q. fr. II. 1 et 5. Fam. I. 9, 8.

significant. De rariore usu pluralis numeri in anaphora post subiecta num. sing. dixit Madv. ad Fin. II. 73. Wesenbergius Emend. p. 127 exempla attulit ex his epist. IX. 18, 2. Tac. Ann. III. 47. Sen. Q. N. VI. 2.

A. d. VI. circiter Id. Mai. Raro fit, ut *circiter* numerale sequatur. Alterum exemplum dabit Livius XXVIII. 1.

ne — perierit ɔ: ne frustra scriptores legisse videamur, qui iubent adversas res fortiter ferre. Pro *philologiae* e recentiorum usu dicendum erat *philosophiae,* idque ipsum in Balliolensi codice inventum Graevius commendavit. Sed, ut utar Wyttenbachii verbis e Philomathiae L. I. p. 79, *φιλόλογος* veteribus est, „qui omnia doctrinae genera complectitur, quatenus cognitione et historia continentur, nec studio factitandi, quod *ἐπιτήδευμα* vocatur; ut *λόγος* — frequenter de philosophia et argumentationibus philosophis usurpatur." Conf. ea quae ad locum Epist. ad Q. fr. II. 8, 3 disputavi in Observ. crit. p. 34.

haec — conferemus ɔ: de his colloquemur. Saepius hoc dicitur *coram conferre, inter nos conferre,* sed verbum solum cum obiecto facile fero, eoque magis quod sequuntur: *sed haec coram.* Pluygersii *feremus* loci sententiam evertit.

§ 2. *Di immortales.* Haec quae post Hervagium vulgo post *compararent* in § 1 collocantur, cum codd. huc retraxit Wesenbergius addito lacunae signo. Nam „excidit prima pars eorum, quibus explicatum fuit *tr. an.,* cum qua sequentia recte per *neque* copulata sunt." Em. alt. p. 91.

ἀδιαφορία est eius, qui nulla re movetur. Cic. Fin. III. 53 *ἀδιάφορον* Stoicorum interpretatur *indifferens.*

Quod est subinane in nobis ɔ: ea animi

civili et publica; quin etiam, quod est subinane in nobis et non *ἀφιλόδοξον* — bellum est enim sua vitia nosse —, id afficitur quadam delectatione. Solebat enim me pungere, ne Sampsicerami merita in patriam ad annos sexcentos maiora viderentur quam nostra; hac quidem cura certe iam vacuus sum. Iacet enim ille, sic ut † phocis Curiana stare videtur. 3. Sed haec coram. Tu tamen videris mihi Romae fore ad nostrum adventum; quod sane facile patiar, si tuo commodo fieri possit; sin, ut scribis, ita venies, velim ex Theophane expiscere quonam in me animo sit Arabarches. Quaeres scilicet *κατὰ τὸ κηδημονικὸν* et ad me ab eo quasi *ὑποθήκας* afferes, quemadmodum me geram: aliquid ex eius sermone poterimus *περὶ τῶν ὅλων* suspicari.

pars, quam Graeci τὸ ἐπιθυμητικὸν appellant, sive ambitio nostra.

vacuus sum. Sic scripsi e cod. C. et Med. correct. Neque praefero Kochii emendationem (Mus. Rhen. XI. p. 272) — *iam animus vacuus est.* Quod alii libri dant *vacuum est* durius refertur ad id *quod est subinane in nobis.*

† *phocis Curiana.* Piget referre, quot explicationibus et coniecturis haec verba ansam dederint. Libri scripti habent *phocis Curiana.* Bosius Graecum verbum inde eruit πτῶσις putavitque spectari Curium illum, de quo dixi ad I. 1, 2. Id Schuetzii et Orellii assensum tulit. Sed certe Cicero noluit Pompeium suum cum homine adeo contempto comparare et *casus* nunquam potest *stare* videri. Cicero Pompeio opponit Caesarem. Hunc ficto nomine designat. Sed *phocis* est corruptum. I. F. Gronovius pro eo coniecit *Baucis,* quae in Ovidii Metam. VIII. 631 seqq. ut pauper anus depingitur. Fortasse verum vidit Peerlkampius, qui censebat hic tangi Caesaris libidinem, qua infamem eum fuisse inter aequales e Suet. Caes. 49 constat. Ut Dolabella eum appellavit *pellicem reginae,* Octavius quidam *reginam,* sic si turpem consuetudinem cum aliquo Curio habuit aut habuisse credebatur, poterat dici *pellex Curiana.* Fortasse cogitavit Phocaeam concubinam Cyri Milto sive Aspasiam, de qua vid. Athenaeus XIII. p. 576 D. Ita scribendum esset φωκαΐς *Curiana.* Pro *videatur* Med. pr. habet *videretur.* Correxi *videtur,* quia haec non pendent a praecedenti membro, sed manifesta est comparatio. De verbo *stare* dicam ad VI. 3, 4. De re cff. haec ex ep. 21, 3: *bonos inimicos habet* (Pompeius), *improbos ipsos non amicos.*

§ 3. *Tu tamen.* „Ego te in Arpinati exspecto (cf. ep. praec. extr.); tu tamen fortasse istinc te non movebis et adventum nostrum exspectabis." Manut.

sin — ita venies. Part. *ita* redundat. Fortasse legendum: *Sin, ut scripsisti, venies.*

ex Theophane. Vid. ad ep. 5, 1 extr.

Arabarches est summus magistratus Arabiae s. orientalis Aegypti regionis. Ita explicuit nomen Wesselingius de archont. Iud. c. 8. Cf. Heinrichius ad Iuven. Sat. Vol. II. p. 78 seqq. et Haeckermanni disp. in Tabulario Philol. Lipsiensi XV. 4, p. 552 seqq., qui male negat *Alabarchem* in libris Mss. inveniri, et solam alteram formam admittit. Euphoniae causa poterat tamen ex *Arabarcha* fieri *Alabarcha,* ut quae *Palilia* erant, *Parilia* appellare maluerunt. Temere Iac. Cuiacius Obss. VIII. 37 Alabarchem fecit magistrum scripturae, alabarchiam vero vectigal ob traductionem pecorum. Summi viri auctoritas multos in fraudem induxit. — Significatur Pompeius.

Ut soles post *scilicet* e codd. Bosianis addita proscripsit Buecheler Mus. Rhen. XI. p. 526. Quum Lambinus non affirmet se vidisse in cod. Z., et in M. R. omittantur, delevi.

ὑποθήκας. admonitiones, praecepta. Ex addito *quasi* Tyrrellus suspicatur Ciceronem respexisse Χείρωνος vel Ἡσιόδου ὑποθήκας, ut Graeci vocabant carmina eorum didactica.

XVIII. (*A. U. C.* 695.)

1. Accepi aliquot epistolas tuas, ex quibus intellexi, quam suspenso animo et sollicito scire averes quid esset novi. Tenemur undique, neque iam quo minus serviamus recusamus, sed mortem et eiectionem quasi maiora timemus, quae multo sunt minora. Atque hic (est) status, qui una voce omnium gemitur neque verbo cuiusquam sublevatur. Σκοπὸς est, ut suspicor, illis qui tenent, nullam cuiquam largitionem relinquere. Unus loquitur et palam adversatur adolescens Curio: huic plausus maximi, consalutatio forensis perhonorifica, signa praeterea benevolentiae permulta a bonis impertiuntur; Fufium clamoribus et conviciis et sibilis consectantur. His ex rebus non spes sed dolor est maior, quum videas civitatis voluntatem solutam, virtutem alligatam. 2. Ac ne forte quaeras κατὰ λεπτὸν de singulis rebus, universa res eo est deducta, spes ut nulla sit aliquando non modo privatos verum etiam magistratus liberos fore. Hac tamen in oppressione sermo in circulis dumtaxat et in conviviis est liberior, quam fuit: vincere incipit timorem dolor, sed ita, ut omnia sint plenissima desperationis. Habet etiam Campana lex exsecrationem in contione

§ 1. Haec epistola et sequentes huius libri scriptae sunt Romae ad Atticum, qui brevi post Ciceronis reditum in urbem, in Epirum profectus erat. Cf. ep. 20, 2. 21, 6 extr.

eiectionem. De exsilio legitur quoque p. domo, 51.

Atque hic est status. Ernestus quum recte negasset v. *est* omitti posse, Orellius illud in orationem recepit post v. *status.* Sed facilius excidit ante illud vocabulum. Potest sententia etiam aliter restitui, vel cum Ernesto deleto *qui*, vel cum Klotzio 2 lacuna ante *neque verbo* expleta verbis *neque opera*, vel cum Wesenbergio scribendo: *Atque hic status, qui nunc est, una* cet. coll. ep. 19, 2 *hunc statum, qui nunc est.* — Res ipsa confirmatur a Suetonio in Caes. 20 *cetera quoque, quae cuique libuissent dilargitus est, contradicente nullo ac, si quis conaretur, absterrito.*

illis, qui tenent. Iterum absolute ponitur VII. 12, 3. *An iis me dem, qui tenent, qui potiuntur?* Infra 22, 6 plene appellat *eos, qui tenent omnia.*

nullam cuiquam largitionem relinquere. Florus III. 17 servavit similem vocem Livii Drusi, *nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut caenum dividere vellet aut caelum.*

Fufium. Manutius suspicatur hunc, qui biennio ante trib. pl. fuerat (I. 14, 1), hoc tempore aedilem fuisse. Potius praetorem fuisse credo.

quum videas — alligatam. Disertius haec declarantur ep. 20, 3: *Nunc quidem novo quodam morbo* cet.

§ 2. κατὰ λεπτόν, singulatim. cf. Phrynichus in Bekkeri Anecd. II p. 147, 3. Aquila Rom. de fig. sentent. c. 2.

in circulis. Circuli erant conventus otiosorum ad confabulandum in campum aut in forum. Ut h. l., sic p. Balbo 57. Liv. XLIV. 22. Tacit. Ann. III. 54 *circuli* et *convivia* coniunguntur.

Habet etiam Campana lex cet. ɔ: Legi de agro Campano dividundo adiectum est caput, quo exsecrantur candidati, si rogassent aliquid legibus Iuliis agrariis contrarium. Verba *in contione* alieno loco posita puto, quum nullam idoneam sententiam afferant et male disiungant *exsecrationem candidatorum.* Suspicor haec sic transponenda: *Habet etiam Campana lex exsecrationem candidato-*

candidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur atque ut ex legibus Iuliis. Non dubitant iurare ceteri; Laterensis existimatur laute fecisse, quod tribunatum pl. petere destitit, ne iuraret. 3. Sed de re publica non libet plura scribere: displiceo mihi nec sine summo scribo dolore, me tueor, ut oppressis omnibus, non demisse, ut tantis rebus gestis, parum fortiter. A Caesare valde liberaliter invitor [in legationem illam] sibi ut sim legatus, atque etiam libera legatio voti causa datur; sed haec et praesidii apud pudorem Pulchelli non habet satis et a fratris adventu me ablegat; illa et munitior est et non impedit, quo minus adsim, quum velim. Hanc ego teneo, sed usurum me non puto, neque tamen † scit quisquam. Non lubet fugere; aveo pugnare — magna sunt hominum studia —, sed nihil affirmo. Tu hoc silebis. 4. De Statio manumisso et nonnullis aliis re-

rum, si in contione mentionem fecerint, cet. Senatores et magistratus, qui sunt vel erunt, nonnunquam in legem aliquam iurare debebant; cf. Rudorff, de lege Thoria p. 82 sq., sed non solebat tale iusiurandum deferri candidatis. Hoc igitur novum erat in illa lege.

quo aliter — atque ut. Cf. Hand. Turs. I. 471, qui plura affert. *Quo* non ponitur pro *ut,* sed refertur ad integram enunciationem *mentionem facere;* de quo usu dixit Kritz. ad Sall. Iug. 102, 10.

Laterensis. Hic M. Iuventius ob animum in rem p. singularem laudatur a Planco ad Fam. X. 23, 4. Cum nostro loco comp. verba Plancianae 52.

Displiceo — dolore. Merito Wesenbergius, Emend. p. 26 reprehendit Orellium, quod Dousam audiens haec verba, tanquam Lucilii versum a reliqua oratione distinxerit. Hexameter Ciceroni excidisse videtur.

§ 3. *A Caesare valde liberaliter invitor [in legationem illam], sibi ut sim legatus.* Verba *in legationem illam* mihi cum Schuetzio et Bentivolio suspecta sunt. — Cicero in orat. de prov. cons. 17, ubi suas cum Caesare rationes exponit, dicit frustra Caesarem et antea beneficiis se coniungere voluisse, et post Clodii traductionem ad plebem, rogasse sibi ut esset legatus. Cogitandum de legatione in Galliam, quo Caesar post consulatum cum imperio erat profecturus. Quod Cicero hanc legationem repudiavit, aegre tulit Caesar. Vid. Att. IX. 2 A, 1. Fam. XIV. 3, 1. — Tempora non bene distinguit Plutarchus in Cic. 30.

libera legatio voti causa, vel simpliciter *legatio votiva.* Commentarii vicem praestant ea, quae leguntur infra XV. 11, 4.

apud pudorem Pulchelli. Qui haec ironice dici non intelligebant, substituerunt pudori *furorem.* Sed Cicero eo vocabulo usus scripsisset, ni fallor: *contra* v. *adversus furorem.* Libri scripti in lectione recepta consentiunt.

a fratris adventu me ablegat ɔ: efficit, ut absim, quum frater e provincia redibit, eumque si opus fuerit defendere nequeam.

Hanc ego teneo ɔ: liberam legationem non repudio.

neque tamen † scit quisquam. Orellium probo haec corrupta declarantem. Legendum videtur cum eo: *neque tamen scio, quid sequar;* vel *neque tamen quid futurum sit scit quisquam* cum Wes.; vel *neque t. certi quicquam,* ut ep. seq. § 5. *Nihil tamen certi.*

Magna sunt hominum studia ɔ: „multi ostendunt se mihi adfuturos et pericula mea excepturos. Locus hic explicat alterum VIII. 2, 3. *Quis tum se mihi non ostendit?* ubi errat Bosius." I. F. Gronovius. Cf. ep. 22, 3. *studia significantur.*

§ 4. *De Statio manumisso,* cet. Manumisit Q. Cicero hoc tempore Statium, quem habebat carissimum. Multis displicebat servus et libertus apud dominum tam gratiosus, Q. fr. I. 2, 1 sq., neque Marco Tullio unquam videtur probatus homo. Att. VI. 2, 1. XII. 5, 1. Quintus praedicat eius fidelitatem Fam. XVI. 16. 2. Quod ante v. *angor* comma posui, feci monente Bakio Schol. Hypomn. III. p. 313, non quin recte dicatur *de aliquo angi,* v. VII. 22, 1, sed quia illo modo Tullius in epistolis loqui solet.

bus, angor equidem, sed iam prorsus occallui. Tu vellem ego vel cuperem adesses; nec mihi consilium nec consolatio deesset. Sed ita te para, ut, si inclamaro, advoles.

vellem ego vel cuperem. Sic proxime ad codices, qui habent *egove cuperem*, edidi. Vulgo legunt *ego et*, sed quod dedi lenius est. Cicero scripserat *vellem ego*, sed addidit *vel cuperem*, quod hoc verbo melius desiderii sui magnitudinem exprimeret. Cf. Seyffert. ad Lael. 375. C. Mullerus in coni. Tull. p. 1 apte comparavit ex Att. X. 16, 1 *ego volebam autem vel cupiebam potius esse eum nobiscum.*

si inclamaro, advoles. Cf. ep. 20, 5.

XIX. (*A. U. C.* 695.)

1. Multa me sollicitant et ex rei publicae tanto motu et ex iis periculis, quae mihi ipsi intenduntur, et sexcenta sunt; sed mihi nihil est molestius, quam Statium manumissum:

nec meum imperium? ac mitto imperium, non simultatem meam
revereri saltem?

Nec quid faciam scio, neque tantum est in re, quantus est sermo: ego autem ne irasci possum quidem iis, quos valde amo; tantum doleo, ac mirifice quidem. Cetera in magnis rebus. Minae Clodii contentionesque, quae mihi proponuntur, modice me tangunt: etenim vel subire eas videor mihi summa cum dignitate vel declinare nulla cum molestia posse. Dices fortasse, »dignitatis ἅλις, tanquam δρυός: saluti, si me amas, consule.'' Me miserum! cur non ades? nihil profecto te praeteriret; ego fortasse τυφλώττω et nimium τῷ καλῷ

§ 1. *et sexcenta sunt.* His verbis augetur, quod modo dixerat: *multa me sollicitant*, nec male copulam pro *sane* dictam iudicat Handius in Tursell. II. 488. Si quis cum Ernesto mavult *ea s. s.*, per me licet. Sed Ciceronem pericula se minantia vocasse sexcenta non credo.

nec meum imperium cet. Versus e Terentii Phorm. II. 1, 2.

neque tantum — sermo ɔ: res minor est, non tam gravis est, quam hominum de ea sermones.

ne irasci possum quidem. Man. male scripsit *ne irasci quidem possum;* aliquanto melius scripsisset *irasci ne possum quidem.* Sed nihil mutandum; *irasci posse* unam notionem continent, quae recte illis *ne — quidem* interponitur.

Cetera in magnis rebus. Post haec verba plene interpunxi, quoniam referenda sunt ad initium epistolae: *Multa me sollicitant.* Absoluto eo, quod eum sollicitabat in re parva, recte nunc pergit: *Cetera sunt in magnis rebus;* deinde singula persequitur de Clodio, de Pompeio. Fortasse tamen scribendum cum Kaysero et Wes.: *Ceterum* in m. r. minae — me *angunt.* W. exemplis pluribus demonstravit sollicitudinem, curam, dolorem non solum tangere, sed angere. Laudavit IV. 18, 2. V. 21, 4. Q. fr. III. 3, 1, alia.

declinare. Cf. Att. VIII. 11 D, 7. *declinare impetum* Orat. 228, *ictus* Liv. XLII. 63, *declinatio periculi* infra. § 5.

dignitatis ἅλις *tanquam* δρυός. ἅλις δρυός erat proverbium de iis, qui relictis glandibus frugibus vescebantur. Saepe apud veteres legitur. Vid. Schneidewinus ad Zenobii Cent. II. 40.

προςπέπονθα. 2. Scito nihil unquam fuisse tam infame, tam turpe, tam peraeque omnibus generibus, ordinibus, aetatibus offensum, quam hunc statum, qui nunc est, magis mehercule, quam vellem, non modo quam putaram. Populares isti iam etiam modestos homines sibilare docuerunt. Bibulus in caelo est, nec quare scio, sed ita laudatur, quasi

unus homo nobis cunctando restituit rem.

Pompeius, nostri amores, quod mihi summo dolori est, ipse se afflixit; neminem tenent voluntate, ne metu necesse sit iis uti vereor. Ego autem neque pugno cum illa causa propter illam amicitiam, neque approbo, ne omnia improbem, quae antea gessi; utor via. 3. Populi sensus maxime theatro et spectaculis perspectus est; nam gladiatoribus qua dominus qua advocati sibilis conscissi; ludis Apollinaribus Diphilus tragoedus in nostrum Pompeium petulanter invectus est;

nostra miseria tu es magnus — —

milies coactus est dicere:

§ 2. *omnibus* — *offensum.* Cf. XV. 8, 1 *offensum esse veteranis,* p. Cluent. 172. Ut offensio et invidia Orat. II. 339, sic *offensus invisusque* iunguntur Sest. 125. Offensione continentur *invidia,* quae ad multos, et *odium,* quod ad pauciores pertinet. Cf. Ellendt ad Cic. de Orat. II. p. 269. *Peraeque* poni ante *omnes* docent loci e Cic. Pis. 86. Verr. III. 121. Pro eo in R. male scriptum est *denique.* — Genera, ordines, aetates in hac re coniungi solent. cf. Pis. 52 et 96.

unus — *rem.* Nobilissimus versus ex Ennii Annalibus de Q. Fabio Maximo, quem Cicero in suam rem adhibens aut post *quasi* coniunctivum *restituat* vel *restituerit* scripsisse aut post *homo* inseruisse *qui* existimandus est. vid. Wes. Emend. alt. p. 92.

Neminem tenent voluntate, ne metu necesse sit iis uti vereor. Sermo est de popularibus istis, ut in ep. 21, 5 *sentiunt se nullam ullius partis voluntatem tenere: eo magis vis nobis est timenda.* Recte igitur in Med. et Rav. est *tenent.* Vulgo *tenet.* Pro *an metu* recte Schuetzius edidit *ne metu,* nec opus est ut cum Klotzio scribatur: *ac ne metu.*

utor via. Faernus ad Ter. Andr. II. 6, 11 defendit *via* absolute dici pro ratione, consilio, et hoc exemplo utitur. Sed non persuasit Bentleio. cf. quoque Peerlkampii adn. ad Georg. II. 22 in Mnemosynes X p. 137. Si scriptum esset *utor via mea,* a Cicerone scriptum putarem pro: sequor meum consilium, ut scripsit ad Q. fr. III. 3, 4 *ire nostris itineribus,* quum vellet facere eo modo, quo nos ante fecimus. Peerlkampius volebat: *Ne omnia improbem, qua antea incessi, utor via,* Wes. *utor via media.*

§ 3. *theatro et spectaculis.* Sunt ablativi loci, quos etiam sine praepositione inveniri a grammaticis observatur. Vid. Reisig. Schol. § 396.

gladiatoribus. Ablat. temporis, quum daretur munus gladiatorium. cf. Fam. X. 32, 3. Phil. I. 36. Cogitandum fortasse de iis ludis, quos illo tempore Gabinius dedisse traditur in ep. 24, 3. Quae suspicio si vera est, *dominus* erit ipse Gabinius et inter advocatos Pompeius fuisse videtur. Fieri tamen potest, ut *dominus* sit Caesar, cuius virtutem, quam tum in ore habebat, Pompeius aliquando se fovisse valde erat doliturus. *qua* — *qua* pro *quum* — *tum* aliquoties occurrit, ut infra IX. 12, 1. XV. 18, 2. Q. fr. III. 1, 5.

Diphilus. Rem narrat Val. Max. VI. 2, 9, in eo tamen errans, quod haec in Pompeium praesentem dicta refert, qui ut e Cicerone constat tum Capuae erat. Nota est libertas, quam histriones sumebant in tangendis iis,

eandem virtutem istam veniet tempus quum graviter gemes

totius theatri clamore dixit itemque cetera — nam et eiusmodi sunt ii versus, ut in tempus ab inimico Pompeii scripti esse videantur —

si neque leges te neque mores cogunt — —

et cetera magno cum fremitu et clamore sunt dicta. Caesar quum venisset mortuo plausu, Curio filius est insecutus: huic ita plausum est, ut salva re publica Pompeio plaudi solebat. Tulit Caesar graviter. Litterae Capuam ad Pompeium volare dicebantur; inimici erant equitibus, qui Curioni stantes plauserant, hostes omnibus; Rosciae legi, etiam frumentariae, minitabantur; sane res erat perturbata. Equidem malueram, quod erat susceptum ab illis, silentio transiri, sed vereor ne non liceat. Non ferunt homines, quod videtur esse tamen ferendum; sed est iam una vox omnium, magis odio firmata quam praesidio. 4. Noster autem Publius mihi minitatur, inimicus est; impendet negotium, ad quod tu scilicet advolabis. Videor mihi nostrum illum consularem exercitum bonorum omnium, etiam satis bonorum, habere firmissimum. Pompeius significat studium erga me non mediocre, idem

quae identidem in re publica fiebant. Cf. p. Sest. cap. 55—58. Att. XIV. 2, 1. Dial. de orat. 40.

eandem a Val. Max. l. c. omissum recte verbis poetae additur, ut sit tetrameter trochaicus. Cf. Malasp. ad h. l.

nam et eiusmodi sunt — videantur. Non multum abest, quin haec omnia glossatori tribuam. Nihil certe continent, quod non omissis iis a quovis facile intelligatur et Cicero scripsisset, ni fallor: *Et sunt eiusmodi versus* cet. Cf. tamen Madv. ad Fin. p. 791. In versu sequenti *te* inserui de Ribbeckii sententia. Vid. Fragm. trag. Rom. p. 215.

mortuo plausu ɔ: exstincto, neque Caesaris honoris causa renovato.

stantes. Augebat hoc benevolentiae significationem. Vid. Beierus ad Lael. 24 et Ribbeckius l. l. p. 285.

hostes. Ita dicuntur, qui factis in aliquem non abstinent, qualia in bello committi solent. Eadem progressio cernitur in his Fin. V. 29. *Quotiescunque dicitur male quis de se mereri sibique inimicus esse atque hostis, vitam denique fugere.* in Verr. Lib. II. 48 *Homo inimicus iis, qui recitassent, hostis omnibus, qui acclamassent.* ibid. 58 *inimicus, hostis esset.*

Rosciae legi „quae XIV in theatro ordines equitibus dabat." Matth.

frumentariae. Cassiae Terentiae a. 680 latae, cuius mentio fit in Verrinis. Lex Clodia, qua populo semisses et trientes remissi sunt, hoc tempore nondum lata erat.

quod erat susceptum ab illis ɔ: illorum consilia et actiones.

magis odio firmata quam praesidio. Napoleo in hist. Caes. I. p. 264 haec verba ad aliam rem transfert, sed non accurate interpretatur: *où perçait plus de haine que de vérité.* Sententiam melius assecutus est I. F. Gronovius, qui adscripsit: „idem loquuntur omnes magis odio incitati (in Pompeium et Caesarem), quam viribus freti."

§ 4. *minitatur, inimicus est.* Hoc non immerito Graevio et Ernesto suspectum fuit. Quid enim attinebat Attico scribere Clodium sibi inimicum esse? — At iterum scribit ep. 21, 6. — Scio, sed h. l. postquam de Clodii minis dixerat, otiosum videtur. Noli tamen cum Ernesto v. *inimicatur* Ciceroni obtrudere. Fortasse scribendum: *mihi minitatur inimicius.*

Cosconio mortuo. C. Cosconius, idem ut videtur qui Cicerone consule praetor fuit (cf. p. Sulla 42), fuerat in XXviris agris dividundis.

Vocari in locum mortui. „Sententia est: id si accepissem, omni auctoritate me ipse spoliassem, mortuus in re publica vere mortuo

affirmat verbum de me illum non esse facturum, in quo non me ille fallit, sed ipse fallitur. Cosconio mortuo sum in eius locum invitatus: id erat vocari in locum mortui; nihil me turpius apud homines fuisset, neque vero ad istam ipsam *ἀσφάλειαν* quicquam alienius. Sunt enim illi apud bonos invidiosi, ego apud improbos meam retinuissem invidiam, alienam assumpsissem. 5. Caesar me sibi vult esse legatum. Honestior declinatio haec periculi; sed ego hoc non repudio. Quid ergo est? pugnare malo; nihil tamen certi. Iterum dico, utinam adesses! sed tamen, si erit necesse, arcessemus. Quid aliud? quid? hoc opinor: certi sumus perisse omnia. Quid enim *ἀκκιζόμεθα* tamdiu? Sed haec scripsi properans et mehercule timide: posthac ad te aut, si perfidelem habebo cui dem, scribam plane omnia, aut, si obscure scribam, tu tamen intelliges; in iis epistolis me Laelium, te Furium faciam, cetera erunt *ἐν αἰνιγμοῖς*, Hic Caecilium colimus et observamus diligenter. Edicta Bibuli audio ad te missa: iis ardet dolore et ira noster Pompeius.

successissem." Or. Immo, qui vocatur in locum mortui, non ab initio placuit; alius ei praelatus fuit. Ergo minus honorificum est. — *assumpsissem* ɔ: insuper suscepissem. Cf. p. Planc. 3 et Wunderus ad e. l.

§ 5. *sed ego hoc non repudio.* Negationem, quae in omnibus codd. notis adest, vel abiiciunt editores, vel in *nunc* mutant e coni. P. Fabri. Utrumque falso. *Hoc* est periculum, quod Cicero non provocabat, sed neque adire recusabat. Pro *repudio*, quod de periculo non dicitur, Wes. scribi iussit *refugio*, quod muniri potest exemplo e Fam. X. 31, 3 desumpto: *nec periculum est ullum, quod — aut refugiam aut deprecer.*

ἀκκιζόμεθα. Notio verbi *ἀκκίζεσθαι* bene explicatur ab Olympiodoro in Scholio ad Platonis Gorg. p. 497 A. ad haec Socratis verba: *οἶσθα, ἀλλ' ἀκκίζει* quod ille sic interpretatur: *ἀντὶ τοῦ προςποιῇ μωρίαν καὶ τὸ μὴ εἰδέναι*, ɔ: dissimulas. Cf. Ruhnkenius ad Timaeum p. 18 sq.

ἐν αἰνιγμοῖς. Ita Euripides in Rheso, 754 *τάδ' οὐκ ἐν αἰνιγμοῖσι σημαίνει κακά.* Aristophanes in Ranis 61 dixit: *δἰ' αἰνιγμῶν ἐρῶ.*

Caecilium. Attici avunculum, de quo notavi ad I. 1, 4. *colere* et *observare* saepe iunguntur, etiam inverso ordine. vid. pro Rosc. Am. 106. Fam. VI. 10, 2. XIII, 22, 1. 78, 1. Pro eo Fam. IV. 4, 5 dicitur *summa me observantia colit.*

Edicta Bibuli in Pompeium gravia memorantur quoque a Plutarcho in Pomp. 48, eaque citat Suet. Caes. 9 et 20. Nomen *Pompeius* fortasse non a Cicerone additum est.

XX. (*A. U. C.* 695.)

1. Anicato, ut te velle intellexeram, nullo loco defui, Numestium ex litteris tuis studiose scriptis libenter in amicitiam recepi, Caecilium, quibus rebus possum, tueor diligenter. Varro satisfacit nobis, Pompeius

§ 1. *Anicato.* Nomen inauditum, quod si, ut videtur, e Graeco Ἀνίκητος factum est, potius in penultima *e* habebit. *Anicetus* libertus Neronis nominatur in Tac. Ann. XIV, alter in Hist. III. 47 sq.

Numestium laudat in ep. 22, 7.

quibus rebus possum. E codd. notatur *parum* et *par sum*, unde corrector Med. fecit *par est*, quod sine iusta causa Thierschio placuit.

Varro satisfacit nobis. Idem scribit ep. 21,

amat nos carosque habet. Credis? inquies. Credo: prorsus mihi persuadet. Sed quia † volo pragmatici homines omnibus historiis, praeceptis, versibus denique cavere iubent et vetant credere, alterum facio ut caveam, alterum ut non credam facere non possum. 2. Clodius adhuc mihi denuntiat periculum: Pompeius affirmat non esse periculum, adiurat, addit etiam se prius occisum iri ab eo quam me violatum iri. Tractatur res; simul et quid erit certi, scribam ad te: si erit pugnandum, arcessam ad societatem laboris; si quies dabitur, ab Amalthea te non commovebo. 3. De re publica breviter ad te scribam: iam enim charta ipsa ne nos prodat pertimesco; itaque posthac, si erunt mihi plura ad te scribenda, ἀλληγορίαις obscurabo. Nunc quidem novo quodam morbo civitas moritur, ut, quum omnes ea, quae sunt acta, improbent, querantur, doleant, varietas nulla in re sit aperteque loquantur et iam clare gemant, tamen medicina nulla afferatur; neque enim resisti sine internecione posse arbitramur nec videmus, qui finis cedendi praeter exitium futurus sit. 4. Bibulus hominum admiratione et benevolentia in caelo est: edicta eius et contiones describunt et legunt. Novo quodam genere in summam gloriam venit. Populare nunc nihil tam est quam odium popularium. 5. Haec quo sint eruptura timeo, sed, si dispicere quid coepero, scribam ad te apertius. Tu si me amas tantum, quantum profecto amas, expeditus facito ut sis, si inclamaro, ut accurras; sed do operam et dabo, ne sit necesse. Quod scripseram † et Furio scripturum, nihil necesse est tuum nomen mutare. Me faciam Laelium et te Atticum, neque utar meo chirogra-

6. Agi autem de conciliandа Ciceroni Pompeii manu adversus Publii furorem apparet ex ep. 22, 4 et 25, 1.

quia volo. Sic codd. noti. Orellius coniecit *quia a dolo,* Buechelerus in Mus. Rhen. XI. p. 519 *quia volgo,* quod verum existimo.

pragmatici homines ɔ: rerum civilium periti. Proprie apud Graecos ita appellabantur, qui oratoribus iuris civilis scientiam administrabant. Vid. Cic. Or. I. 253, ubi quoque Latine exaratur.

omnibus historiis. Hoc ineptum est. Scripsitne Cicero: *sermonibus, historiis,* cet.? Verba *ut caveam* et *ut non credam* si abessent, nemo desideraret.

versibus denique. Respicit fortasse ad Epicharmi versum, quem supra posuit I. 19, 8.

§ 2. *Tractatur res* ɔ: Pompeius cum Clodio agit de periculo meo. Cf. ep. 22, 2. Ita *negotium agere* et *tractare* legimus XVI. 16, 9 et *tractare pecuniam* Verr. V. 60.

simul et. Madvigius dubitat, an Cicero *simul et* pro *simul ac* dixerit, quare suspicatur copulam h. l. et X. 4, 12. 16, 4. XVI. 11, 6 veteri librario deberi, qui ignorabat *simul* pro *simul ac* dici. Vid. ad Fin. p. 201. Sed librarius scripsisset *simul ac.* Ergo nihil mutandum censeo.

§ 3. *Sine internecione* ɔ: sine caede civium. cf. Sull. 33. Cat. III. 25.

§ 5. † *et Furio.* Med. Rav. habet, quod Bentiv. in uno Ambros. vidit, *me Furio,* Or. corr. *ut Furio.* Malim *me ut Furio,* quam cum Wes. in Emend. alt. p. 93 *me te Furium facturum,* coll. ep. 19, 5. In verbis *Me faciam Laelium et te Atticum* temere Lambinus copulam delendam censuit.

neque signo ɔ: neque obsignabo anulo meo.

pho neque signo, si modo erunt eiusmodi litterae, quas in alienum incidere nolim. 6. Diodotus mortuus est; reliquit nobis HS. fortasse † centies. Comitia Bibulus cum Archilochio edicto in ante diem xv. Kal. Novembr. distulit. A Vibio libros accepi; poëta ineptus (est), et tamen scit (non)nihil et est non inutilis. Describo et remitto.

§ 6. *Diodotus* Stoicus, Tullii in dialecticis praeceptor (Fam. XIII. 16, 3), quem quod in Bruto, 309, igitur tredecim amnos post has litteras, *nuper* domi suae mortuum esse tradit, non pugnat cum eo, quod hic legimus. Nam *nuper* de tempore remoto poni vulgo notum est.

HS. fortasse centies. Immensam pecuniae summam Malaspina et I. F. Gronovius ad *sestertia centum* reduci volebant. Librarius notam C. male explicavit.

Comitia B. cum Archilochio edicto — distulit. Comitia differuntur edicto consulis, non cum edicto; sed poterant differri sine Archilochio ɔ: acerbissimo edicto, itaque etiam cum tali. Itaque male olim *cum* delendum censui. Recte vindicavit Klotzius in Adnotat. part. I p. 8.

poeta ineptus. Ex epist. 22, 7 apparet indicari Alexandrum Ephesium, quem cosmographiam versibus scripsisse novimus e Strabone XIV. 1, 25. Cf. Naekii Opusc. I. p. 12 seqq. Eius carmina Ciceroni de opere geographico cogitanti Vibius quidam miserat. *Alexandri* ante *accepi* excidisse probabilis est Wesenbergii suspicio.

et tamen scit (non)nihil et est non inutilis ɔ: minime tamen indoctus est et certe mihi utilis. Cf. Handii Turs. IV. p. 133 sq. Inter *ineptus et* facile periit *est.* Si *et tamen* e codd. Mss. retinemus, cum W. ante *nihil* negationem omissam esse statuendum est. Lenius hoc, quam si cum Crat. *nec tamen* pro *et tamen* scribas.

XXI. (*A. U. C.* 695.)

1. De re publica quid ego tibi subtiliter? tota periit atque hoc est miserior, quam reliquisti, quod tum videbatur eiusmodi dominatio civitatem oppressisse, quae iucunda esset multitudini, bonis autem ita molesta, ut tamen sine pernicie; nunc repente tanto in odio est omnibus, ut quorsus eruptura sit horreamus; nam iracundiam atque intemperantiam illorum sumus experti, qui Catoni irati omnia perdiderunt, sed ita lenibus uti videbantur venenis, ut posse videremur sine dolore interire; nunc vero sibilis vulgi, sermonibus honestorum, fremitu Italiae vereor ne exarserint. 2. Equidem sperabam, ut saepe etiam loqui tecum solebam, sic orbem rei publicae esse conversum, ut vix sonitum audire, vix impressam orbitam videre possemus, et fuisset ita, si homines transitum tempestatis exspectare potuissent; sed, quum diu

§ 1. *quorsus eruptura sit.* Malim cum Bosio in Add. Graevii: *quorsus eruptura sint.* Cf. ep. 22, 6. *sed certe videntur haec aliquo eruptura.*

Catoni irati. cf. II. 1. 8 et 9, 1, unde apparet eos qui in rep. plurimum poterant iratos fuisse propter Catonis pertinaciam in resistendo consiliis suis.

§ 2. *sic orbem rei p. esse conversum.* Vid. ad ep. 9, 1. Sed quum h. l. non de re praeterita, sed de futura agatur, ex Ernesti suspicione *esse se conversurum* verum arbitror.

occulte suspirassent, postea iam gemere, ad extremum vero loqui omnes et clamare coeperunt. 3. Itaque ille amicus noster, insolens infamiae, semper in laude versatus, circumfluens gloria, deformatus corpore, fractus animo, quo se conferat nescit; progressum praecipitem, inconstantem reditum videt, bonos inimicos habet, improbos ipsos non amicos. Ac vide mollitiem animi: non tenui lacrimas, quum illum a. d. VIII. Kal. Sext. vidi de edictis Bibuli contionantem; qui antea solitus esset iactare se magnificentissime illo in loco, summo cum amore populi, cunctis faventibus, ut ille tum humilis et demissus erat, ut ipse etiam sibi, non iis solum, qui aderant, displicebat! 4. O spectaculum uni Crasso iucundum, ceteris non item! nam, quia deciderat ex astris, lapsus quam progressus potius videbatur, et, ut Apelles si Venerem, aut Protogenes si Ialysum illum suum caeno oblitum videret, magnum, credo, acciperet dolorem, sic ego hunc omnibus a me pictum et politum artis coloribus subito deformatum non sine magno dolore vidi. Quamquam nemo putabat propter Clodianum negotium me illi amicum esse debere, tamen tantus fuit amor, ut exhauriri nulla posset iniuria. Itaque Archilochia in illum edicta Bibuli populo ita sunt iucunda, ut eum locum, ubi proponuntur, prae multitudine eorum, qui legunt,

§ 3. *insolens infamiae* ɔ: ut § 4 extr. scribit, *insuetus contumeliae*, ἀήθης ὢν τοῦ προπηλακίζεσθαι. Solet autem, apud optimos scriptores ubi adi. *insolens* propria vi ponitur, cum genetivo coniungi, ut *insolens libertatis, insolens malarum artium*, sim.

circumfluens gloria. Circumfluere pro *abundare* est Tullianum. Exempla congessit Forcellinus in Lexico. Verr. III, 4, 9 iunguntur *circumfluere atque abundare rebus omnibus.*

deformatus corpore. Vel quod aerumnis et dolore tabescebat, ut paulo infra legimus, vel Cicero sic scripsit respiciens ad fascias illas, de quibus vidimus ad ep. 3, 1 h. l.

praecipitem ɔ: periculosum. V. Drak. ad Liv. IX. 24, 2. In Pison. 68, post *lubricum praeceps* infertur. Alibi *anceps* eandem vim habet, ut Off. I. 83.

Ac vide mollitiem animi. Thierschio in Add. p. XIV haec ad Pompeii animum referenti non assentior. Nam qui hunc modo dixit *fractum animo* satis animi mollitiem, quae in calamitatibus animo abiecto ferendis cernitur, declaravit. Immo Cicero de se loquitur. Quum Pompeium, quem antea dilexerat, adeo humilem et explosum videret, lacrimas non tenebat. Simillimum exemplum ex orat. p. Sulla, 18 afferam: *Qua mollitia sum animi ac lenitate, nunquam mehercule illius lacrimis ac precibus restitissem.* cf. Plinii Ep. IV. 21, 5.

humilis et demissus e R. recepi. Vulgo *ut demissus.*

§ 4. *uni Crasso.* „Nunc quidem cum Pompeio coniuncto, sed veteri inimico." Corr.

quia deciderat cet. Quia Pompeius a summo gloriae vertice praeceps ierat, imprudens in istam cum Caesare societatem potius adductus, quam iudicio eo progressus videbatur. Cf. p. Deiot. 10. *Neque ille odio tui progressus, sed errore communi lapsus est.*

Venerem. Accipio de Venere Anadyomene, palmario Apellis opere, quod certatim antiqui laudibus extulerunt. Cf. Silligii Catal. Artif. p. 69. De Venere Coa, quam artifex inchoatam reliquit, saepius loquitur Cicero Fam. I. 9, 15. Off. III. 10. Orat. 5.

Ialysum. Plinius XXXV. 102 de Protogene scribit: „Palmam habet tabularum eius Ialysus, qui est Romae, dicatus in templo Pacis" multaque de hoc opere narrat. Cf. Sillig, op. l. p. 393 seqq.

ut eum locum, ubi proponuntur — transire

transire nequeamus, ipsi ita acerba, ut tabescat dolore, mihi mehercule molesta, quod et eum, quem semper dilexi, nimis excruciant, et timeo tam vehemens vir tamque acer in ferro et tam insuetus contumeliae ne omni animi impetu dolori et iracundiae pareat. 5. Bibuli qui sit exitus futurus nescio: ut nunc res se habet, admirabili gloria est, qui quum comitia in mensem Octobrem distulisset, quod solet ea res populi voluntatem offendere, putarat Caesar oratione sua posse impelli contionem, ut iret ad Bibulum; multa quum seditiosissime diceret, vocem exprimere non potuit. Quid quaeris? sentiunt se nullam ullius partis voluntatem tenere; eo magis vis nobis est timenda. 6. Clodius inimicus est nobis. Pompeius confirmat eum nihil esse facturum contra me: mihi periculosum est credere, ad resistendum me paro; studia spero me summa habiturum omnium ordinum. Te quum ego desidero, tum vero res ad tempus illud vocat: plurimum consilii, animi, praesidii denique mihi, si te ad tempus videro, accesserit. Varro mihi satisfacit, Pompeius loquitur divinitus: spero nos aut † certe cum summa gloria aut sine molestia etiam discessuros. Tu quid agas, quemadmodum te oblectes, quid cum Sicyoniis egeris ut sciam cura.

nequeamus. Quum edicta consulum pluribus urbis locis proponerentur, Pluygers scripsit *ea loca.* Idem sine iusta causa *transiri nequeant* praetulit codicum scripturae *transire nequeamus.*

acer in ferro ɔ: promptus in proelio. Locutionis insolentia Moserum adeo offendit, ut Symb. Crit. V. p. 3 duas coniecturas proponeret, quarum alteram ipse abiecit, alteram *acer in ferrum* ego potius bonae lectionis depravationem quam corruptae emendationem vocabo. Nec probo Thierschium propter nescio quem colorem poeticum verba *tam vehemens — pareat* poetae tribuentem.

§ §. *ut iret ad Bibulum,* petitum, ne comitia differret. *In Bibulum,* quod animi infesti indicium esset, non magis hoc loco recipiendum est e ficto Ursini codice, quam apud Liv. XXVIII. 7, 18 e duobus libris scribendum *veriti ne in se iretur,* ubi reliqui omnes *ad se* praebent. Alani suspicio *ut iret a. d. ad B.* ɔ: *ante diem* comitiorum videtur inutilis. Etiamsi non fit temporis mentio, de tempore tamen non potest dubitari.

vocem exprimere non potuit ɔ: populus seditiosam Caesaris contionem silentio audivit. Eadem locutione utitur Caesar B. G. I. 32.

§ 6. *res ad tempus illud vocat.* „Ut venias ad tempus illud." Or. I. Recte: cf. I. 4, 1, neque audiendi, qui quum *res et tempus* coniungi soleant, velut ep. 25, 2, h. l. *res ac tempus* scribi voluerunt.

spero nos — discessuros. Particulas *certe — etiam* loco alieno positas putans Manutius scripsit: *spero nos aut cum summa gloria aut certe sine molestia esse discessuros.* Mihi verba sic potius refingenda videntur: spero nos aut *e certamine* cum s. g. aut s. m. *tamen* discessuros. Saepius enim suam cum Clodio contentionem cum *pugna* comparat. Vid. ep. 18, 3. 19, 5. 20, 2. 22, 1. Wesenbergius de coniectura edidit: *aut certaturos cum s. g. aut etiam s. m. discessuros.*

quid cum Sicyoniis egeris. Cf. ad I. 19, 9.

XXII. (*A. U. C.* 695.)

1. Quam vellem Romae mansisses! ** profecto, si haec fore putassemus; nam Pulchellum nostrum facillime teneremus, aut certe quid esset facturus scire possemus. Nunc se res sic habet: volitat, furit, nihil habet certi, multis denuntiat, quod fors obtulerit, id acturus videtur: quum videt quo sit in odio status hic rerum, in eos, qui haec egerunt, impetum facturus videtur; quum autem rursus opes eorum et exercitus recordatur, convertit se in bonos, nobis autem ipsis tum vim, tum iudicium minatur. 2. Cum hoc Pompeius egit, et, ut ad me ipse referebat — alium enim habeo neminem testem —, vehementer egit, quum diceret in summa se perfidiae et sceleris infamia fore, si mihi periculum crearetur ab eo, quem ipse armasset, quum plebeium fieri passus esset; fidem recepisse sibi et ipsum et Appium de me; hanc si ille non servaret, ita laturum, ut omnes intelligerent nihil sibi antiquius amicitia nostra fuisse. Haec et in eam sententiam quum multa dixisset, aiebat illum primo sane diu multa contra, ad extremum autem manus dedisse et affirmasse nihil se contra eius voluntatem esse facturum. Sed postea tamen ille non destitit de nobis asperrime loqui; quod si non faceret, tamen ei nihil crederemus atque

§ 1. *mansisses.* Post hoc verbum non simplex verbum, sed *et mansisses* repetendum esse recte W. observavit. Ab usu Tulliano recedit Malaspinae distinctio: *Quam vellem Romae! Mansisses profecto* cet.

multis denuntiat. Denuntiare absolute poni de accusatore, qui homines lege cogit, ut in iudicio adsint ad testimonium dicendum, apparet ex orat. p. Flacco, 35. Verr. II. 12. Quod quum in h. l. non conveniat, suspicor a Cicerone scriptum esse *multa denuntiat,* quod recte opponitur iis, quae praecedunt: *nihil habet certi.* Sed poterat quoque scribere: *vim multis denuntiat.* Cf. 23, 3 (Clodius) *non mediocres terrores iacit atque denuntiat.*

opes eorum et exercitus. Ciceroni restitui quod Orellius volebat. In Med. *et vim* depravatum est ex *eorum.* In codd. Malaspinae genuinae scripturae falsa adhaesit: *opes eorum et vim exercitus.* Clodius poterat metuere *opes et exercitus* Caesaris et Pompeii, sed *vim* unius *exercitus* non metuebat. Deinde recepi Wesenbergii praeclaram correctionem *in bonos* pro *in nos,* quod Cicero in eadem sententia non poterat *nos* de optimatibus, *nobis* de se ipso dicere.

§ 2. *Si mihi periculum crearetur.* cf. Div. in Caec. 62 *quum praetori tuo periculum crees.* Male in R. est *procrearetur.*

armasset ɔ: subsidiis ad perficienda sua consilia instruxisset, ut hoc verbum expl. Matthiae ad orat. p. Mil. 70.

fidem recepisse sibi. Id pro quo Lambinus volebat *fidem dedisse sibi,* locutionis insolentia motus, videtur defendi posse. Quum enim *recipere* vel absolute dictum, vel adiecto *sibi, in se,* idem sit quod promittere, spondere, addendum erat, quid Clodius ipse et Appius promisissent. Promiserant autem Ciceronem fore illaesum, idque voce *fides* indicatur. Cf. Fam. I. 9, 9 *quid sibi is de me recepisset* et in Senecae ep. 54. *hoc tibi de me recipe,* ubi Gronovius quae notaverit non vidi. Hic aliquando volebat legi: *sed recepisse sibi et ipsum et Appium de me; hanc fidem si ille non servaret* cet. At aliter censet in Lectt. Tull. p. 20.

ita laturum ɔ: ita accepturum, tam aegre laturum.

ad extremum = postremo. cf. ep. 24, 3. Or. I. 90 et 142. II. 79. *Manus dare,* de eo dicitur qui alterius voluntati se submittit,

omnia, sicut facimus, pararemus. 3. Nunc ita nos gerimus, ut in dies singulos et studia in nos hominum et opes nostrae augeantur, rem publicam nulla ex parte attingimus, in causis atque in illa opera nostra forensi summa industria versamur; quod egregie non modo iis, qui utuntur opera, sed etiam in vulgus gratum esse sentimus. Domus celebratur, occurritur, renovatur memoria consulatus, studia significantur, in eam spem adducimur, ut nobis ea contentio, quae impendet, interdum non fugienda videatur. 4. Nunc mihi et consiliis opus est tuis et amore et fide; quare advola. Expedita mihi erunt omnia, si te habebo; multa per Varronem nostrum agi possunt, quae te urgente erunt firmiora, multa ab ipso Publio elici, multa cognosci, quae tibi occulta esse non poterunt, multa etiam — sed absurdum est singula explicare, quum ego requiram te ad omnia. 5. Unum illud tibi persuadeas velim, omnia mihi fore explicata, si te videro; sed totum est in eo, si ante, quam ille ineat magistratum. Puto Pompeium Crasso urgente, si tu aderis, qui per βοῶπιν ex ipso intelligere possis, qua fide ab illis agatur, nos aut sine molestia aut certe sine errore futuros. Precibus nostris et cohortatione non indiges; quid mea voluntas, quid tempus, quid rei magnitudo postulet intelligis. 6. De re publica nihil habeo ad te scribere, nisi summum odium omnium hominum in eos, qui tenent omnia: mutationis tamen spes nulla. Sed, quod facile sentias, taedet ipsum Pompeium vehementerque poenitet. Non provideo satis quem exitum futurum putem, sed certe videntur haec aliquo eruptura. 7. Libros Alexandri, negligentis hominis et non boni poëtae, sed tamen non iuutilis, tibi remisi. Numerium Numestium libenter

de suo consilio discedit. Locutionem a gladiatoribus victos se declarantibus desumptam illustrant intt. ad Corn. Hamilc. 1, 4. Beierus ad Lael. 99. Seyffertus ad idem op. p. 544.

ei nihil crederemus. Cf. adnot. mea ad I. 16, 10.

§ 3. *qui utuntur opera.* Aut ultima vox cum Bentivolio delenda, aut cum W. *nostra* addendum est.

§ 4. *quum ego requiram te ad omnia.* Sic vere correctum in Med. pro *tum.* Neque enim Cicero amicum tum demum requireret ad omnia, quum venisset, sed absentem nunc ipsum requirit.

§ 5. *totum est in eo* ɔ: omnia inde pendent. Cf. Q. fr. III. 1, 1. *Totum in eo est, tectorium ut concinnum sit.*

puto — futuros. Quum tu per Clodiam audire poteris quo animo Pompeius, Caesar, Crassus in me sint, aut molestiam deponam aut, quid mihi timendum sit, certo sciam. Clodia autem illorum consilia scire poterat *ex ipso* ɔ: Publio fratre. Crassus eo tempore Ciceroni infestus urgebat Pompeium.

§ 6. *nihil habeo — scribere.* Haec constructio, in qua v. *habere* est *posse,* ut τὸ ἔχειν vim τοῦ δύνασθαι habet, satis frequens est apud Ciceronem, velut Fam. I. 5*a*, 3 *habeo polliceri.* N. D. III. 93 *dicere habui.* Rosc. Am. 100 *habeo dicere.*

certe videntur. Male in nonnullis editt. legebatur *certo,* quod adverbium cum v. *videri* non potest coniungi.

§ 7. *Libros — remisi.* Cf. ad ep. 20, 6.

prudentem. Nullam causam vidi, cur con-

accepi in amicitiam, et hominem gravem et prudentem et dignum tua commendatione cognovi.

tra librorum auctoritatem Numerium potius cum Faerno *pudentem* quam *prudentem* facerem. Ita Or. I. 38 *Gracchorum pater homo prudens et gravis* vocatur.

XXIII. (*A. U. C.* 695.)

1. Nunquam ante arbitor te epistolam meam legisse, nisi mea manu scriptam: ex eo colligere poteris quanta occupatione distinear. Nam, quum vacui temporis nihil haberem et quum recreandae voculae causa necesse esset mihi ambulare, haec dictavi ambulans. 2. Primum igitur illud te scire volo Sampsiceramum, nostrum amicum, vehementer sui status poenitere restituique in eum locum cupere, ex quo decidit, doloremque suum impertire nobis et medicinam interdum aperte quaerere, quam ego possum invenire nullam; deinde omnes illius partis auctores ac socios nullo adversario consenescere; consensionem universorum nec voluntatis nec sermonis maiorem unquam fuisse. 3. Nos autem — nam id te scire cupere certo scio — publicis consiliis nullis intersumus totosque nos ad forensem operam laboremque contulimus, ex quo, quod facile intelligi possit, in multa commemoratione earum rerum, quas gessimus, desiderioque versamur. Sed *βοώπιδος* nostrae consanguineus non mediocres terrores iacit atque denuntiat et Sampsiceramo negat, ceteris prae se fert et ostentat; quamobrem, si me amas tantum, quantum profecto amas, si dormis, expergiscere, si stas, ingredere, si ingrederis, curre, si curris, advola. Credibile non est, quantum ego in consiliis et prudentia tua et, quod maximum est,

§ 1. *quanta occupatione distinear* ɔ: quam multis negotiis occupatus sim. *Occupatio* enim sing. num. est multarum rerum cura, ut plurimis exemplis Tullianis docuit Menckenius Obs. ling. Lat. p. 682 sq. Plur. numerum Cicero posuit Att. IV. 16, 1, Q. fr. III. 3, 1.

recreandae voculae causa. Cicero illo tempore summa industria versabatur in causis agendis, ut scribit ep. 22, 3 et in hac ipsa ep. 3. Sed ex illo labore forensi nihil aetatem tulit praeter orationem pro Flacco: neque aliud constat, quam bis ab eo hoc anno defensum esse A. Thermum (vid. p. Flacco 98). Ceterum ut h. l., sic quoties epistolam mittit amico non sua manu scriptam, vel occupationem vel valetudinem excusat. Cf. IV. 16, 1. V. 14, 1. VIII. 13, 1.

§ 2. *Quam ego possum invenire nullam.* Sic est in Med., nisi quod *possem* dat. Scriberem cum Lambino: *quam ego posse inveniri nullam puto,* si ita fuisset in cod. Z. sine varietate scripturae. Sed in eo fuit *post* pro *puto.*

consenescere. Vid. ad ep. 13, 2. *nullo adversario* est ablat. conseq. pro: etiamsi illis nemo se opponat.

§ 3. *ex quo — versamur.* ɔ: unde fit, ut — versemur. Causam, cur in iis rebus commemorandis versetur, repetit a labore forensi. Cf. Handius in Turs. II. p. 639.

et S. negat, ceteris — ostentat. Copulam

quantum in amore et fide ponam. Magnitudo rei longam orationem fortasse desiderat, coniunctio vero nostrorum animorum brevitate contenta est. Permagni nostra interest te, si comitiis non potueris, at declarato illo esse Romae. Cura ut valeas.

in hoc sententiarum nexu stare posse nego. Fortasse legendum *etsi Sampsiceramo* cet.

quod maximum est. Ante haec verba e R. recepi *et.* BWK cum ed. Rom. ediderunt *quodque maximum est.*

comitiis, ɔ: tempore comitiorum, quibus Clodius tribunus fieri cupiebat; *declarato illo* est, priusquam tribunatum inierit.

XXIV. (*A. U. C.* 695.)

1. Quas Numestio litteras dedi, sic te iis evocabam, ut nihil acrius neque incitatius fieri posset: ad illam celeritatem adde etiam, si quid potes. Ac ne sis perturbatus — novi enim te et non ignoro, quam sit amor omnis sollicitus atque anxius — sed res est, ut spero, non tam exitu molesta quam aditu. 2. Vettius, ille noster index, Caesari, ut perspicimus, pollicitus est sese curaturum, ut in aliquam suspicionem facinoris Curio filius adduceretur; itaque (se) insinuavit in familiaritatem adolescentis et cum eo, ut res indicat, saepe congressus rem in eum locum deduxit, ut diceret sibi certum esse cum suis servis in Pompeium impetum facere eumque occidere. Hoc Curio ad patrem detulit, ille ad Pompeium. Res delata ad senatum est. Introductus

§ 1. *ad illam celeritatem* cet. Revocavi Med. scripturam, quum H. Turnebi emendatio κελεύσματα nitatur incerti codicis Memmiani, in quo *celeu* scriptum erat, fide, codicibus autem Bosianis, e quibus κελευσιν edunt, nulla fides sit habenda. Atque si codices boni utrumque darent, ego *celeritatem* tamen *adhortationi* praeferrem. Cicero poterat adhortationi alia addere, sed Atticus rogari debet ut addat etiam ad celeritatem, quam amicus ab eo postulaverat.

quam sit amor omnis sollicitus atque anxius. Ad Q. fr. III. 3, 1. *Neque desino, ut fit in amore, ea quae minime volo cogitare.*

non tam exitu molesta quam aditu. Codd. M. Z. Rav. *auditu.* Retinui Victorii *aditu,* quod opponitur praec. *exitu.* cf. Klotz. in prooem. ed. sec. p. LX.

§ 2. *ille noster index.* L. Vettii equitis Rom. indicio Catilinariae coniurationis socios multos fuisse detectos narrat Dio C. XXXVII. 41. Cf. Suet. in Caes. 17 et intt. ad e. l. — Mirum tamen accidit, quod neque Cicero, praeterquam h. l., neque Sallustius usquam de illo Vettii indicio mentionem fecerunt. At de corrupto hoc Vettii indicio prolixe agitur in Vatiniana c. 10 seq. Cf. quoque Suet. Caes. 20. Vettium esse eundem, quem Catullus in carm. XCVIII perstrinxit, probabiliter statuit Borghesius in Operum vol. VI p. 514 seqq.

itaque insinuavit in familiaritatem. Egregie Or. hoc eruit e vestigiis cod. Med. Sed constans Ciceronis usus, multis exemplis probatus, postulat praeterea ut h. l. corrigamus: *Itaque se insinuavit in f.* et Or. II. 149 *ut penitus se insinuet in causam.* Ibidem I. 90 e cod. Erlangensi scribendum esse: *ut et blandiri suppliciter iis, a quibus esset petendum, et adversarios minaciter terrere possemus,* non ut vulgo fit *blandiri et suppliciter insinuare iis,* ipsa membrorum aequalitas docet.

rem in eum locum deduxit, ut diceret cet. ɔ:

Vettius primo negabat se unquam cum Curione constitisse; neque id sane diu, nam statim fidem publicam postulavit; reclamatum est. Tum exposuit manum fuisse iuventutis duce Curione, in qua Paullus initio fuisset et Q. Caepio hic Brutus et Lentulus, flaminis filius, conscio patre; postea C. Septimium, scribam Bibuli, pugionem sibi a Bibulo attulisse: quod totum irrisum est Vettio pugionem defuisse, nisi ei consul dedisset, eoque magis id eiectum est, quod a. d. III. Id. Mai. Bibulus Pompeium fecerat certiorem, ut caveret insidias, in quo ei Pompeius gratias egerat. 3. Introductus Curio filius dixit ad ea, quae Vettius dixerat, maximeque in eo tum quidem Vettius est reprehensus, quod dixerat adolescentium consilium (fuisse), ut in foro [cum] gladiatoribus Gabinii Pompeium adorirentur, in eo principem Paullum fuisse, quem constabat eo tempore in Macedonia fuisse. Fit senatus consultum, ut Vettius, quod confessus esset se cum telo fuisse, in vincula coniiceretur; qui eum emisisset, contra rem publicam esse facturum. Res erat in ea opinione, ut putarent id esse actum, ut Vettius in foro cum pugione et item servi eius comprehenderentur cum

eo usque arcana sua apud eum deprompsit, ut diceret cet. Vettius hoc mendacio voluit similia e Curione elicere, deinde eum prodere. Similes Tiberii Caesaris fraudes narravit Suet. in Tib. 54 et in Calig. 10.

constitisse. Cum Or. e marg. Crat. recepi. Nam *restitisse,* quod in Med. aliisque est, sine exemplo est de iis, qui colloquendi causa consistunt. Illud firmat Gronovius citans Plauti Aul. I. 2, 38. Curc. IV. 2, 16. Addo Verr. act. I. 19.

fidem publicam ɔ: ἄδειαν, impunitatem, quae indicibus dari solebat, ut T. Vulturcio. Cic. Cat. III. 8. Sall. Cat. 47.

reclamatum est ɔ: quod postulabat, cum clamoribus negatum est. Cf. Verr. L. IV. 76 et 85, Sest. 126. Fam. I. 2, 2. Atque e sequenti narratione manifestum est, ἄδειαν Vettio negatam fuisse, ita ut *haud reclamatum est,* quod Bosio debetur, falsum sit. Si quis *Tamen exposuit* cum Iunio malit, non valde repugnabo: quamquam etiam omissa illa particula narratio bene procedit.

Paullus. L. Aemilius Paullus, qui postea (704) consulatum gessit cum Marcello, hoc anno quaestor in Macedonia erat. § 3. Vatin. 25. Praenomen L. male abest.

Q. Caepio hic Brutus. M. Iunius Brutus adoptatus a Q. Servilio Caepione, avunculo suo, hoc nomen accepit. Cf. Phil. X. cap. 11 saepius, Mommsen, röm. Forsch. I. 51. Ne Atticus de alio Q. Servilio, qui nominatur in ep. ad Fam. III, 10—12 cogitaret, Cicero adscripsit *hic Brutus.*

C. Septimium scribam Bibuli. Appianus B. C. II. 12 in hac re nominat Βύβλου ῥαβδοῦχον Ποστούμιον. Sed maiori fide dignus Cicero.

id eiectum est. Eiici proprie dicuntur histriones, qui de scaena depelluntur. Ut h. l. cum *irrideri,* sic Cluent. 86 cum *explodi* componitur. Vid. Ellendt ad de Orat. II. p. 83. Temere Lambinus *reiectum* reponendum censebat.

§ 3. [*cum*] *gladiatoribus Gabinii.* Recte vidit Manutius praepositionem delendam esse, ut tempus significetur, quo Gabinius, qui in sequentem annum consulatum petebat, munus populo daturus erat. Neque enim, ut observat idem, debuit Vettius inter conscios facinoris admiscere Gabinii gladiatores, ne dominus Caesari amicissimus in suspicionem adduceretur. Paullo ante cum Lambino addidi *fuisse,* etsi W. Emend. alt. p. 94 sq. ostendit etiam aliis modis locum restitui posse.

Res erat in ea opinione, ut putarent ɔ: vulgo existimabant. Usus v. *putare* pleonasticus

telis, deinde ille se diceret indicaturum; idque factum esset, nisi Curiones rem ante ad Pompeium detulissent. Tum senatus consultum in contione recitatum est. Postero autem die Caesar, is, qui olim, praetor quum esset, Q. Catulum ex inferiore loco iusserat dicere, Vettium in rostra produxit, eumque in eo loco constituit, quo Bibulo consuli adspirare non liceret, Hic omnia, ille quae voluit, de re publica dixit, ut qui illuc factus institutusque venisset: primum Caepionem de oratione sua sustulit, quem in senatu acerrime nominarat, ut appareret noctem et nocturnam deprecationem intercessisse; deinde, quos in senatu ne tenuissima quidem suspicione attigerat, eos nominavit: (L.) Lucullum, a quo solitum esse ad se mitti C. Fannium, illum, qui in P. Clodium subscripserat; L. Domitium, cuius domum constitutam fuisse, unde eruptio fieret; me non nominavit, sed dixit consularem disertum, vicinum consulis, sibi dixisse Ahalam Servilium aliquem aut Brutum opus esse reperiri; addidit ad extremum, quum iam dimissa contione revocatus a Vatinio fuisset, se audisse a Curione his de rebus conscium esse Pisonem, generum meum, et M. Laterensem. 4. Nunc

illustratur exemplis a Madvigio Gr. Lat. § 476 b, 2 edit. meae. Non longe dissimile est, quod legitur in Tac. Ann. IV. 40: *Ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent* ɔ: Ceteri homines id unum quaerunt, quid sibi utilitatem afferat.

idque factum esset. Delevi *ita* et scripsi de Ernesti suspicione *factum*, quum libri habeant *actum*, quod alia significatione praecedit.

ex inferiore loco. Soli magistratus et qui a magistratu producebantur, e rostris verba facere poterant, privati ex inferiore loco dicebant. Cf. imprimis narratio apud Livium VIII. 33, 9. De Catuli illa disquisitione vid. Suet. Caes. 15.

adspirare. Minus est quam *accedere*. Cf. Fam. VII. 10, 1. Brut. 84. Verr. V. 97. Tusc. V. 12 et 27. In omnibus locis sententia est negativa.

Hic omnia, ille quae voluit. Sic scripsi ex Orellii suspicione, quam probavit Wesenbergius, Emend. p. 67. In vulgari lectione pron. *ille* plane otiosum est, et *voluit* ad ipsum Vettium pertinet.

factus institutusque ɔ: a Caesare subornatus. *Factus* est proprie i. q. formatus, educatus, ut in Corn. Nep. Att. 13 *nisi domi natum domique factum.*

ut appareret — intercessisse. Caesar enim amabat Serviliam Bruti matrem. Cf. Suet. Caes. 50. Ea effecit, ut Caepio Brutus suspicione liberaretur.

Lucullum. Ante hoc nomen non posse omitti praenomen *L.* vidit et monuit Wes. Em. alt. 95.

C. Fannium. Tribunum plebis minime popularem. Sest. 53, qui a. 693 in iudicio de pollutis sacris P. Clodio adversatus fuerat.

vicinum consulis Cicero habitabat in Palatio, Fam. V. 6, 2, Caesar in summa Sacra via. Suet. Caes. 46. Cf. I. A. Ambrosch, Studien und Andeutungen, fasc. I. p. 31.

Ahalam Servilium. Cognomen nomini praeponitur, ut Mil. 8 aliisque locis apud Tullium, quos indicavit Ellendtius ad Orat. II. p. 290, sq. cf. ad VIII. 12, 1.

audisse a Curione. De hac rariore constructione vid. Madvig. ad Fin. p. 81. In R. legitur *ex Curione.*

his de rebus conscium. Solet *conscius* vel secundo vel tertio casui iungi, quare Lambinus praepos. delevit. Sed non minus bene sic dicitur, quam apud Sall. Cat. 35, 2. *conscientia de culpa.*

§ 4. *de vi.* Lege Plotia, quod *cum telo fuisset.* Inter sicarios accusabantur, qui *hominis necandi causa* cum telo fuisse arguebantur. *Crassus Dives,* illo anno praetor,

reus erat apud Crassum Divitem Vettius de vi, et, quum esset damnatus, erat indicium postulaturus; quod si impetrasset, iudicia fore videbantur: ea nos, utpote qui nihil contemnere † solemus, non pertimescebamus. Hominum quidem summa erga nos studia significabantur; sed prorsus vitae taedet: ita sunt omnia omnium miseriarum plenissima. Modo caedem timueramus, quam oratio fortissimi senis Q. Considii discusserat; ea, quam quotidie timere potueramus, subito exorta est. Quid quaeris? nihil me infortunatius, nihil fortunatius est Catulo, quum splendore vitae, tum † hoc tempore. Nos tamen in his miseriis erecto animo et minime perturbato sumus, † honestissimeque et dignitatem nostram magna cura tuemur. 5. Pompeius de Clodio iubet nos esse sine cura et summam in nos benevolentiam omni oratione significat. Te habere consiliorum auctorem, sollicitudinum so-

fortasse indicatur quoque ut decoctor apud Val. Max. VI. 9, 12.

erat iudicium postulaturus. Indicium est potestas publice apud magistratum indicandi facinoris socios cum impunitate et praemiis. — *Indicium postulare* idem esse, quod modo appellavit *fidem publicam postulare* intelligitur ex Divin. in Caec. 34.

iudicia fore ɔ: ex indicio Vettii multi in iudicium vocabuntur.

Ea nos — non pertimescebamus. Acute de his verbis disp. Wesenb. Emend. p. 67. Primum negat *utpote qui* cum indicativo esse Tullianum; tum miratur Ciceronem dicere se illa iudicia non pertimescere, quum nihil contemnere soleat. Suspicatur olim scriptum fuisse: *Ea nos, utpote qui nihil contemnere soleamus, non* [*contemnebamus, sed non*] *pertimescebamus*, idque in sua editione posuit.

oratio Q. Considii. Rem narrat Plut. in Caes. 14. Quum enim pauci senatores in curiam venissent, infrequentiae causam Considius dixit metum armorum, atque Caesari roganti, cur igitur non ipse quoque domum servaret, Me vero, respondit, senectus metu liberat; breve enim, quod superest, vitae spatium, non multa eget cautione. Idem homo laudatur in Cluentiana, 107. Sed prave h. l. oratio Considii caedem dicitur *discussisse.* M. dat *que oratio,* unde Madvigius A. C. III p. 169 effecit: *quem* (metum) *oratio — Considii discusserat.*

ea — exorta est. Mens scriptoris satis aperta est. Hoc enim dicere debet, uno periculo vixdum remoto gravius aliud exoriri. Sed verba multis difficultatibus laborant, quas quum omnes tollere nequeam indicabo tamen. Primum e corrupto fictoque Vettii indicio nulla *caedes* exorta est; quare non male Schuetzius in priori sententia scripsit: *modo cladem* cet.; deinde *discusserat* pravam continet temporis notionem, quam corrigo pro *discusserat ea* scribens *discussit; alia.* Tertium, quod me pungit, est *quotidie.* Tantum enim abest, ut Vettii insidias *quotidie* timere potuissent, ut *nunquam* tam indignum facinus prospicere potuissent.

quum splendore vitae, tum † hoc tempore. Nemo loci sententiam melius restituit Lambino, qui scribit: *tum mortis tempore.* In Orellii dubia suspicione: *tum quod tempore* ellipsis durior est. Ideo Tyrrell addidit: *periit.* Opportune Schuetzius adduxit similem locum de Hortensio in Brut. 4. *Cessit e vita suo magis quam suorum civium tempore* et *illius mortis opportunitatem benevolentia — prosequamur;* cui addo aptiorem etiam ex Orat. III. 12. *Ego vero te, Crasse, quum vitae flore, tum mortis opportunitate divino consilio et natum et exstinctum esse arbitror.* Cf. quoque Vell. II. 48 extr.

† *honestissimeque et dignitatem nostram magna cura tuemur.* Gronovius et Ernestus *et* transponere volebant ante *magna.* Kahntius, Symb. Crit. p. 5 aliud quid in his latere suspicabatur: *honestissimeque quietem et dignitatem,* cet., eiusque vestigia persecutus Thierschius in Add. p. XIV *honestissime quietem et dign.* cet. Sed vereor, ut Cicero illo tempore de quiete cogitare potuerit. Scripsit po-

cium, omni in cogitatione coniunctum cupio; quare, ut Numestio mandavi, tecum ut ageret, item atque eo, si potest, acrius te rogo, ut plane ad nos advoles. Respiraro, si te videro.

tius: *honestatemque et dignitatem nostram magna cura tuemur.* Saepe ea nomina iunguntur et Cicero ad Att. VII, 11, 1 rogat: *Ubi est dignitas, nisi ubi honestas?*

§ 5. *ut plane ad nos advoles. Plane* addit vim sententiae. Est sine cessatione, ut explicat Handius in Turs. IV p. 470. — *Si potest* = si fieri potest. vid. ad IV. 13, 1.

XXV. A. U. C. 695.)

1. Quum aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, volam illum scire ex te me id fecisse, ut nuper me scis scripsisse ad te de Varronis erga me officio, te ad me rescripsisse eam rem summae tibi voluptati esse; sed ego mallem ad illum scripsisses mihi illum satisfacere, non quo faceret, sed ut faceret; mirabiliter enim moratus est, sicut nosti: **ἑλικτὰ καὶ οὐδέν** — (Sed) nos tenemus praeceptum illud, **τὰς τῶν κρατούντων.** At hercule alter tuus familiaris, Hortalus, quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, quum de Flacci praetura et de illo tempore Allobrogum diceret! Sic habeto, nec amantius nec honorificentius nec copiosius potuisse dici: ei te hoc scribere a me tibi esse missum sane volo. 2. Sed quid tu scribas? quem iam ego venire atque adesse arbitror; ita enim egi

§ 1. *non quo faceret, sed ut faceret* ɔ: non quasi id iam faceret, sed ut faceret. Cicero volebat Varronem non merita laude provocare ad laudem merendam.

ad illum scripsisses, quam ad me. Temere Ernestus *illum* mutavit in *ipsum*. Neque seq. *illum* offensionem habet, ut Klotz. putabat.

mirabiliter moratus est ɔ: mores hominis sunt miri. Gron. comparat Plauti Truc. I. 2, 5 *ita nunc adolescentes morati sunt.*

ἑλικτὰ καὶ οὐδέν. Verba Andromaches apud Eurip. in cogn. fabula v. 449 de Spartanis dicta ἑλικτὰ κοὐδὲν ὑγιές, ἀλλὰ πᾶν πέριξ φρονοῦντες, quae sermone adeo trita erant, ut in proverbii usum transierint. Ea Cicero in Varronem convertit, qui amici speciem prae se ferebat, sed animo minus sincero erat et candido. Sed, quum Varro Pompeii esset amicissimus, nolebat Cicero hominis fucum detegere, memor alterius praecepti Euripidei (Phoen. 396) τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών. Ita fere hunc locum expl. Gatakerus in Adv. Misc. cap. X. p. 525. Cf. Casaub. anim. in Athen. p. 8. Ante *nos tenemus* e vett. editt. revocavi, quod sententia postulat, *sed.*

plena manu saepe figurate usurpatur. cf. Tib. I. 6, 32 (5, 68) *Ianua plena est percutienda manu* ibique intt. Seneca Exc. Controv. IV. Praef., 2 *liberaliter et plena manu faciam.* Sen. Apocol. 4 *Lachesis fecit illud plena manu.* Idem valet *pleno modio* Att. VI. 1, 16.

quum de Flacci praetura — diceret. Hoc ipso anno (695) L. Valerius Flaccus, qui praetor Ciceroni consuli in causa Catilinaria utilem operam praestiterat, (Sall. Cat. 45. Cic. Cat. III. 5), ex Asia quam provinciam obtinuerat, repetundarum reus a M. Tullio et Q. Hortensio (Cic. Flac. 41) defensus est. In ea oratione Hortensius, qui cognomine *Hortali* rursus designatur inf. IV. 15, 4, in Ciceronis laudibus celebrandis multus fuisse videtur.

esse missum ɔ: nuntiatum. De hoc usu monuerunt Gron. et Drakenb. ad Liv. VIII. 23, 1, XXXIV. 29, 9, multa tamen aliena adducentes. Opportune e Cicerone laud. Fam. V. 20, 1 ubi cf. Manutius. Att. II. 2, 3. *ad me mittunt.* IV. 11. 1. *ad me mittas velim.*

tecum superioribus litteris. Valde te exspecto, valde desidero, neque ego magis, quam ipsa res et tempus poscit. His de negotiis quid scribam ad te, nisi idem, quod saepe? Re publica nihil desperatius, iis, quorum opera, nihil maiore odio. Nos, ut opinio et spes et coniectura nostra fert, firmissima benevolentia hominum muniti sumus. Quare advola: aut expedies nos omni molestia aut eris particeps. Ideo sum brevior, quod, ut spero, coram brevi tempore conferre, quae volumus, licebit. Cura ut valeas.

§ 2. *quorum opera* „resp. est desperata." Corradus.

brevi tempore. Non erat, quod nonnulli deleto *tempore* pleniorem dictionem mutarent, quae saepius in epistolis invenitur, v. c. I. 11, 3. II. 9, 2 bis, IX. 6, 1. Usum similem Caesaris notavit Schneiderus ad B. G. IV. 33, 3.

LIBER III.

I. (*A. U. C.* 696).

Quum antea maxime nostra interesse arbitrabar te esse nobiscum, tum vero, ut legi rogationem, intellexi ad iter id, quod constitui, nihil mihi optatius cadere posse, quam ut tu me quam primum consequerere, ut, quum ex Italia profecti essemus, sive per Epirum iter esset faciendum, tuo tuorumque praesidio uteremur, sive aliud quid agendum esset, certum consilium de tua sententia capere possemus: quamobrem te oro, des operam, ut me statim consequare, quod eo facilius potes, quoniam de provincia Macedonia perlata lex est. Pluribus verbis tecum agerem, nisi pro me apud te res ipsa loqueretur.

consequerere pro *consequare* scripsi de necessaria Wesenbergii correctione.

facilius potes. Ante haec verba cum W. inserui *quod eo,* quae verba a Cratandro et Lambino e codd. deprompta videntur. In R. desunt.

quoniam de provincia Macedonia perlata lex est. Eadem hora, qua Ciceroni pernicies, Pisoni Macedonia decreta est, in quam post consulatum abiret. Sest. 53. Atticum igitur, qui in ea regione negotia habebat, cuiusque ideo intererat Romae esse, donec ea provincia alicui decreta esset, cui illa commendaret, nunc tuto urbem relinquere posse Cicero iudicabat. Rectissime haec interpretatur Wielandus: „da der kuenftige Proconsul von Macedonien bereits ernannt ist."

II. (*A. U. C.* 696.)

Itineris nostri causa fuit, quod non habebam locum, ubi pro meo iure diutius esse possem, quam in fundo Siccae, praesertim nondum rogatione correcta, et simul intelligebam ex eo loco, si te haberem, posse me Brundisium referre, sine te autem non esse nobis illas par-

tes tenendas propter Autronium. Nunc, ut ad te antea scripsi, si ad nos veneris, consilium totius rei capiemus. Iter esse molestum scio, sed tota calamitas omnes molestias habet. Plura scribere non possum, ita sum animo perculso et abiecto. Cura ut valeas. Dat. VI. Id. Apr. (ad) Naris Luc.

Itineris nostri Vibonem versus, quo tamen non pervenit. Vid. ep. 4. init.

pro meo iure ɔ: libere, nullius indulgentia utens. cf. Caec. 85. Flacc. 95. Madv. ad Fin. V. 75.

quam in fundo Siccae. Error codd. Mss. *in fundum* corrigi, non defendi et propagari debebat. Cf. Wesenbergii Obss. crit. in Sestianam p. 27, qui multa similia menda sustulit.

Siccae. Ciceronis amicus, qui eum Brundisium comitatus est, inde vero discessit. Fam. XIV. 4, 6. Extremo vitae tempore apud eundem tanquam domi suae fuisse testatur inf. XVI. 6, 1.

nondum rogatione correcta. Perlata lege, qua ei, qui cives Romanos indemnatos interemisset, aqua et igni interdiceretur, P. Clodius nominatim tulerat de Cicerone. Ea rogatio per trinundinum proponenda erat, priusquam perferri poterat. Interea aliquid addi demive poterat, ut in hac ipsa lege spatium, quo Cicero ab urbe abesset, e correctione longius factum videtur, quam a latore scriptum fuerat. Vid. ep. 4.

si te haberem ɔ: si tu esses mecum, quod Cicero sua interesse putabat, ut legimus in ep. 1. cff. quoque epistolae, post hanc datae 3 et 4. *Secum habere* et simplex *habere* hac vi dictum esse plures loci docent, velut XIII. 9, 1 *Trebatium nobiscum habemus* et *εὐκαίρως ad me venit, quum haberem Dolabellam, Torquatus.* X. 17, 3 *Ocellam vellem haberemus.*

me B. referre. Non opus videtur Malaspinae correctione, *Buthrotum* pro *Brundisio* reponendum censentis. Cicero rationem reddit amico, cur Vibonem se contulerit et non statim Brundisium, unde in Graeciam profecturi solvere solebant.

illas partes. Epirum et Achaiam (Cf. 8, 1. Planc. 98), quae regiones tum plenae erant inimicorum, in quibus P. Autronius Paetus, prioris coniurationis Catilinae particeps, Sall. Cat. 18, et quum iam consul designatus erat, ambitus damnatus. Sull. 1. *Partes* dicuntur regiones, ut Fam. X. 11, 2. XII. 5, 3. 7, 2. p. Mur. 89.

tota calamitas omnes molestias habet. In his mendum sibi visus detexisse Wesenbergius Emend. p. 94 scripsit *tanta calamitas,* comp. 10, 2. *Ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit.* 8, 2. *Nec tam miserum est quicquam, quod non in nostram fortunam cadere videatur.* Sed pace doctissimi viri dicam *tota* mihi non absurdum videri. Non absurde loquitur, qui dicit: omnia mala, quibus laboro, plena sunt molestiarum. Atqui hoc idem inest in verbis, ut in codd. servantur. Mecum facere vidi Meutznerum in Ann. Philol. 89, p. 166, Hofmann. et Klotz.

(ad) Naris Luc. In Lucania inter Silarum et Crataeim fl. tabula Peutingeriana recenset Nares Lucanas, quo Cicero Roma Vibonem petens facile pervenire potuit. Accedit autem haec lectio proxime ad scripturam cod. Med. et Z. Bosius edidit *in oris Luc.*, quem multi editores secuti sunt. Sed Cicero potius scripsisset *in finibus Lucaniae.* In Sallustii Hist. fragm. Vaticanis, col. VI. v. 13 sq. similiter legitur AD. N.RIS LUCANAS.

III. (*A. U. C.* 696.)

Utinam illum diem videam, quum tibi agam gratias, quod me vivere coëgisti! adhuc quidem valde me poenitet. Sed te oro, ut ad me Vi-

adhuc quidem valde me poenitet. Cod. Med. habet *equidem,* quod defendunt Handius, Turs. II. p. 428, Hofmannus in sel. epist. I. p. 60 sq. Tyrrell ad h. l. Ego recte h. l. *quidem* emendatum puto et in XIII. 26, 1. *Et quidem* pro *equidem.* In eadem epist. 2. *Equidem credibile non est quantum scribam* apparet iungenda esse *equidem scribam.* Cf.

bonem statim venias, quo ego multis de causis converti iter meum: † sed si veneris, de toto itinere ac fuga mea consilium capere potero; si id non feceris, mirabor, sed confido te esse facturum.

diligens disputatio H. Jordani, Krit. Beitr. zur Gesch. d. lat. Sprache p. 314 seqq.

Vibonem. Oppidum Bruttiorum a Locris conditum, olim Hippo, postea Vibo Valentia appellatum. Plin. H. N. III. 73.

multis de causis. Primariam causam fuisse, ut inde in Siciliam traiiceret, apparet e Planc. 95. Cf. Plut. in Cic. 31 sq.

sed eo si veneris cet. Haec non opponuntur iis, quae praecedunt; quare *sed* ut male repetitum, cum Kaysero delendum est, aut cum Wes. scribendum *scilicet.*

mirabor ɔ: mihi insperatum accidet. Pari vi legitur compositum *admirari* IX. 11 A., 1.

IV. (*A. U. C.* 696.)

Miseriae nostrae potius velim quam inconstantiae tribuas, quod a Vibone, quo te arcessebamus, subito discessimus; allata est enim nobis rogatio de pernicie mea, in qua, quod correctum esse audieramus, erat eiusmodi, ut mihi ultra quingenta milia liceret esse, illo pervenire non liceret. Statim iter Brundisium versus contuli ante diem rogationis, ne et Sicca, apud quem eram, periret et quod Melitae esse non licebat. Nunc tu propera, ut nos consequare, si modo recipiemur: adhuc invitamur benigne, sed quod superest timemus. Me, mi Pomponi,

De hac epistola disputavit A. W. Zumptius in capite operis de iure criminali reip. Ro., quod inscribitur *der Process gegen Cicero.* Vol. I P. II p. 425 seqq., a quo in nonnullis locis cur dissentiendum putarem declaravi in Academia Regia disciplinarum mense Iunio 1870. vid. Verslagen der Afd. letterkunde Ser. II vol. I p. 185—193. Breviter meam de hac ep. sententiam exposui in Observ. crit. p. 45 sq.

a Vibone — discessimus. Oppidorum nominibus additur praepositio, quum non ex ipsa urbe, sed e vicinitate disceditur. Cf. Kritz. ad Sall. Iug. 61, 1. Reisig. Schol. § 395. Cicero non fuerat in oppido, sed in fundo Siccae. Cf. Planc. 96.

rogatio de pernicie mea est lex Clodia, non *prior* illa (cf. Att. III. 15, 5), quam citat Velleius II. 45, sed altera lata, postquam Cicero urbem reliquerat, cuius argumentum novimus ex or. p. domo, 47 *ut M. Tullio aqua et igni interdictum sit.*

Ut mihi ultra quingenta milia liceret esse. Codd. et editt. *quadringenta* (CCCC). Ego correxi *quingenta* (CCCCC), quoniam Plutarchus in Cic. 29 hunc numerum in rogatione correcta fuisse tradit, idque confirmatur a Dione Cassio XXXVIII. 17, cuius tria milia septingenta quinquaginta stadia plane respondent quingentis milibus passuum. Milia computantur *ab urbe.* In rogatione prius fuerat brevius spatium definitum. Id deinde correctum est, ne Cicero Vibone aut Regii manere posset.

illo pervenire non liceret. Hoc quoque in rogatione scriptum erat. Non recte faciunt qui recepta correctione Medicei *illo cum* pro *illoc* haec verba sequentibus adiungunt. *Illo* non indicantur fines lege praescripti, sed dictum est pro *in Siciliam,* quo Cicero se conferre voluerat, ut ipse narrat in Or. p. Plancio. 96 et Plutarchus in Cic. l. l. λαβέσθαι Σικελίας βουλόμενος. Sed in lege Clodia καὶ ἡ ἐν Σικελίᾳ διατριβὴ ἀπερρήθη, ut tradit Dio l. l. Quum consilium itineris Attico non ignotum esset, Cicero potuit scribere *illo* vel *illuc*, ut sic indicaret Siciliam.

ante diem rogationis ɔ: die proximo ante illum diem, quo rogatio erat perferenda, ut

valde poenitet vivere; qua in re apud me tu plurimum valuisti. Sed haec coram: fac modo ut venias.

recte interpretatur I. F. Gronovius, non ut alii cum Corrado volunt „ante diem mihi ad discedendum in rogatione constitutum." Eodem modo legimus in Flori Epit. III, 14 *postquam dies rogationis aderat.*

Melitae esse non licebat. Haec insula ultra D milia passuum ab Italia distabat, sed erat pars provinciae Siciliae (Verr. lib. IV. 39 et 103). Propterea Ciceroni non licebat ibi morari.

V. (*A. U. C.* 696.)

Terentia tibi et saepe et maximas agit gratias; id est mihi gratissimum. Ego vivo miserrimus et maximo dolore conficior. Ad te quid scribam nescio; si enim es Romae, iam me assequi non potes; sin es in via, quum eris me assecutus, coram agemus, quae erunt agenda: tantum te oro ut, quoniam me ipsum semper amasti, eodem amore sis; ego enim idem sum: inimici [mei] mea mihi, non me ipsum ademerunt. Cura ut valeas. Data IIII. Id. Apr. † Thurii.

vivo miserrimus. Cf. Fam. XIV. 1, 2 *beatissimi viveremus.* Ter. Eun. V. 8, 1 *ecquis me vivit fortunatior?* In his *vivere* pro *esse* ponitur.

me ipsum semper amasti ɔ: non splendorem, opes, gratiam, sed animum. Comparavit haec verba cum similibus apud Tacit. Ann. II. 71. Hist. I. 15 Petersen laudatus a Kiesslingio ad Tac. Hist. l. c. — *ut,* quod in Med. post *oro* et ante *eodem* ponitur, perpaucis vocibus interiectis, non poterat iterari. Alterum cum Rav. delevi.

inimici mei mea mihi. Voc. *mei* Ernesto non sine causa suspectum paene delevi.

IIII. Id. Ita recte scripsit Orellius e necessaria Corradi correctione, quum haec epistola biduum certe post secundam data sit. In cod. Hispano est VI Id.

Thurii. Fortasse scribendum cum Klotzio *Thuriis,* aut quod codd. Graevii et Hisp. dant *turi* compendium est pro *de Thurino.* Sed urbem quoque appellari *Thurium* Mela docet II. 4, 70 et Steph. de Urb. in voce. Locus ubi epistola scripta est, ponitur in genetivo vel ablat. tertiae decl. Sed datur ɔ: mittitur de vel ex aliquo loco. Itaque, ubi hoc verbum praecedit, opus est ablativo, ut apparet ex ep. IV. 18 extr.: *Abs te proximas litteras habebam Epheso — datas.*

VI. (*A. U. C.* 696).

Non fuerat mihi dubium quin te Tarenti aut Brundisii visurus essem, idque ad multa pertinuit, in eis et ut in Epiro consisteremus et de reliquis rebus tuo consilio uteremur. Quoniam id non contigit, erit hoc quoque in magno numero nostrorum malorum. Nobis iter est

Et ut — et. Plerique editt. post Manutium *ut et — et* scripserunt. Sed particula ad utrumque membrum referenda non raro inseritur priori. Cf. Hofmann. ad h. l.

XIII Kal. Mai. Graevius in errorem ductus a Manutio, qui hanc epistolam post sequentem datam putabat, male commendat vitium libri Helmstadiensis VIII *Kal. Mai.*

in Asiam, maxime Cyzicum. Meos tibi commendo, me vix misereque sustento. Data † XIIII. Kal. Maias de Tarentino.

Sed quum nemo eodem die in agro Tarentino et Brundisii esse potuerit, et Cicero initio sequentis epistolae affirmet se a. d. XIV Kal. Maias Brundisium venisse, haec XII aut XIII scripta fuisse videtur.

VII. (*A. U. C.* 696.)

1. Brundisium veni a. d. XIIII. Kal. Maias: eo die pueri tui mihi a te litteras reddiderunt, et alii pueri post diem tertium eius diei alias litteras attulerunt. Quod me rogas et hortaris, ut apud te in Epiro sim, voluntas tua mihi valde grata est et minime nova; esset consilium mihi quidem optatum, si liceret ibi omne tempus consumere — odi enim celebritatem, fugio homines, lucem adspicere vix possum; — esset mihi ista solitudo, praesertim tam familiari in loco, non amara, sed itineris causa ut devorterer, primum est devium, deinde ab Autronio et ceteris quadridui, deinde sine te. Nam castellum munitum habitanti mihi prodesset, transeunti non est necessarium. Quodsi auderem, Athenas peterem — sane ita cadebat, ut vellem —; nunc et nostri hostes ibi sunt et te non habemus et veremur, ne interpretentur illud quoque oppidum ab Italia non satis abesse; nec

§ 1. *Brundisium veni.* Planc. 97. *Brundisium veni vel potius ad moenia accessi. Urbem unam mihi amicissimam declinavi, quae se vel exscindi, quam e suo complexu ut eriperer, facile pateretur. In hortos me M. Laenii Flacci contuli.*

esset consilium cet. In codd. Med. et R. est: *Sed consilium,* deinde in uno Oxon. et Helmst. *sic itineris causa,* unde fecerunt editores: *sed ut consilium — sic itineris causa.* Ego malo *sed* mutato in *esset* initio sententiae scribere cum B. W. K', ut feci, ne verbum absit et deterioribus libris plus tribuatur, quam Mediceo.

celebritatem. Cf. 19, 1. Celebritati opp. solitudo XII. 13, 1. Fam. XIV. 1, 7 plenius dicitur *loci celebritas.*

itineris causa ɔ: non ut ibi maneam, sed post brevem commorationem alio proficiscar. Deinde scripsi *ut devorterer* proxime ad Med., e quo notatur *divorterer.* Illam formam tuetur Vaticanus optimus liber in orat. pro Font. 19.

quadridui iter abest, quod non satis tutum videbatur. Similem usum genetivi in temporis spatio indicando deprehendes infra V. 16, 4 (*castra*) *quae aberant bidui* et 17, 1 *a quibus aberam bidui.* Additur nonnunquam *spatio,* ut Fam. X. 17, 1 vel *iter* ibid. XII. 15, 7, quorum utrumvis cogitatione ad illos locos supplendum. Varia argumenta recte afferuntur particulis *deinde — deinde.* Cf. p. Rosc. Am. 130. Fam. IX, 21, 2.

Athenas male Ursinus nomen oppidi alicuius ignobilis esse putabat, peius Schuetzius mutavit *Achaiam.* Nam si hoc verum esset, quo tunc referres verba *illud quoque oppidum?* Non solet Cicero Athenas vocare *oppidum,* at fecit Corn. Nepos (vid. Bremius ad Milt. 4, 2), et Cicero paene utitur hoc nomine, quum scribit Att. II. 1, 2 *ut et Athenis sit et in ceteris oppidis Graeciae.* Quod dedit Ursinus: *Quodsi auderem Athenas petere, sane ita cadebat, ut vellem* concinnius est. Sed quod cum libro Med. scripsi magis convenit animo scribentis perturbato. Cf. Meutzner l. c. p. 167.

scribis quam ad diem te exspectemus. 2. Quod me ad vitam vocas, unum efficis ut a me manus abstineam, alterum non potes, ut me non nostri consilii vitaeque poeniteat. Quid enim est, quod me retineat, praesertim si spes ea non est, quae nos proficiscentes prosequebatur? Non faciam, ut enumerem miserias omnes, in quas incidi per summam iniuriam et scelus non tam inimicorum meorum quam invidorum, ne et meum maerorem exagitem et te in eundem luctum vocem; hoc affirmo, neminem unquam tanta calamitate esse affectum, nemini mortem magis optandam fuisse; cuius oppetendae tempus honestissimum praetermissum est, reliqua tempora sunt non tam ad medicinam quam ad finem doloris. 3. De re publica video te colligere omnia, quae putes aliquam spem mihi posse afferre mutandarum rerum; quae quamquam exigua sunt, tamen, quoniam placet, exspectemus. Tu nihilo minus, si properaris, nos consequere; nam aut accedemus in Epirum aut tarde per Candaviam ibimus. Dubitationem autem de Epiro non inconstantia nostra afferebat, sed quod de fratre, ubi eum visuri essemus, nesciebamus; quem quidem ego nec quo modo visurus nec ubi dimissurus sim scio. Id est maximum et miserrimum mearum omnium miseriarum. Ego et saepius ad te et plura scriberem, nisi mihi dolor meus quum omnes partes mentis, tum maxime huius generis facultatem ademisset. Videre te cupio. Cura ut valeas. Data pridie Kal. Mai. Brundisio.

§ 2. *spes — quae nos proficiscentes prosequebatur*, fore ut brevi magna cum gloria revocaremur. Cf. ad Q. fr. I. 4, 4.

cuius opp. tempus honest. praetermissum est, cet. Honestum fuisset cum Clodianis fortiter pugnantem occumbere, nunc morte voluntaria dolori quidem terminus ponetur, sed sine ulla compensatione, itaque, ut scribit ep. 9, 2 *quod optimo tempore facere non licuit, minus idoneo* fieret. *Esse ad aliquid* pro *aptum esse ad aliquid* exemplis illustrat Hand. in Turs. I. p. 117. Cf. Att. VI. 1, 14.

§ 3. *Nihilo minus.* Cogitatione addas: etsi non morabor in praedio tuo Epirotico.

Candaviam. Illyriae regionem montanam, cuius mentio fit apud Strabonem VII. 7, 4 et 8 et in Plinii H. N. III. 145. Molestum iter *per deserta Candaviae* tangit Seneca in ep. 31, 8.

quem quidem ego nec quo modo visurus nec ubi dimissurus sim scio. Post Iunium Tyrrell transpositis vocabulis scribendum censuit: *nec ubi visurus nec quo modo dimissurus sim scio.* Sed mutatio non necessaria est. Metuebat enim Cicero ne animo ipse abiecto a fratre adspiceretur; tum ne Quintus a se digredi non posset. Cf. ep. 9, 1 et ad Q. fr. I. 3, 4.

partes mentis et *animi partes* plures sunt memoria, iudicium, cupiditas, alia. Cf. Cic. Tusc. IV. 78. de Repb. I. 60. Fin. II. 113 et 115. p. Cael. 59.

huius generis facultatem ɔ: scribendi facultatem. Similiter Fam. II. 1, 1. *Non vereor, ne non scribendo te expleam, praesertim si in eo genere studium meum non aspernabere.* Plura collegit Vorstius, de Latinit. sel. p. 19 seq.

VIII. (*A. U. C.* 696.)

1. Brundisio proficiscens scripseram ad te, quas ob causas in Epirum non essemus profecti; quod et Achaia prope esset, plena audacissimorum inimicorum, et exitus difficiles haberet, quum inde proficisceremur. Accessit, quum Dyrrhachii essemus, ut duo nuntii afferrentur, unus, classe fratrem Epheso Athenas, alter, pedibus per Macedoniam venire: itaque illi obviam misimus Athenas, ut inde Thessalonicam veniret; ipsi processimus et Thessalonicam a. d. x. Kal. Iun. venimus, neque de illius itinere quicquam certi habebamus, nisi eum ab Epheso ante aliquanto profectum. 2. Nunc istic quid agatur magno opere timeo: quamquam tu altera epistola scribis Idibus Maiis audiri fore, ut acrius postularetur, altera, iam esse mitiora. Sed haec est pridie data quam illa, quo conturbor magis. Itaque quum meus me maeror quotidianus lacerat et conficit, tum vero haec addita cura vix mihi vitam reliquam facit. Sed et navigatio perdifficilis fuit, et ille incertus, ubi ego essem, fortasse alium cursum petivit; nam Phaëtho libertus eum non vidit; vento reiectus ab Ilio in Macedoniam, Pellae mihi praesto fuit. Reliqua quam mihi timenda sint video nec quid scribam habeo et omnia timeo; nec tam miserum est quicquam, quod non in nostram fortunam cadere videatur. Equidem adhuc miser in maximis meis aerumnis et luctibus hoc metu adiecto maneo Thessalonicae suspensus nec audeo

§ 1. *Brundisio — scripseram ad te.* Brundisium venit a. d. XIV Kal. Maias, ep. sup. 1, ibi fuit dies XIII apud M. Laenium Flaccum, Fam. XIV. 4, 2, itaque profectus est pridie Kal. Maias, ipso illo die, quo et ad Atticum et ad Terentiam epistolas citatas scripsit. Quod autem in illa ad uxorem epist. § 3 legitur: *Brundisio profecti sumus a. d. V. Kal. Maias,* quum ita explicari non possit, ut per ventos adversos redire coactus fuerit et post quadriduum denuo sit profectus, a Bern. Rutilio vere correctum est *a. d. II.* ɔ: pridie. Cf. Grüberus l. c. In cod. R. verba *Brundisio proficiscens* praecedenti epistolae sunt adscripta.

Accessit — ut duo nuntii afferrentur ɔ: praeterea duo nuntii allati sunt, vel, ut Romani loquebantur, factum est, ut afferrentur. Notavit de hac re Kuhnerus ad Tusc. I. 43, quid discriminis esset inter hanc constructionem et *accedit, quod* cum indicativo bene monens.

quum Dyrrhachii essemus. Haec civitas, quam semper defenderat, Fam. XIV. 3, 4, erat in eius fide, Planc. 97. Exeunte mense Novembri eodem rediit, Fam. XIV. 1, 7. 3, 4. Att. III. 22, 4.

pedibus — venire ɔ: terra iter facere. Cf. Att. V. 9, 1. X. 4, 12. Vatin. 12. Plut. in Cic. 29 πεζῇ πορευέσθαι. Val. Max. I. 6, 7.

§ 2. *istic* ɔ: in eo loco, ubi tu es, Romae.

ut acrius postularetur. Q. fratrem provincia decedentem repetundarum reum facere constituerant, ut nemo e Ciceronis domo calamitatum immunis esset. Q. fr. I. 3, 5. 4, 5. Att. III. 9, 1. 17, 1. R. non habet verba *Id. Maiis,* et cum M. congruit in v. *postularet.*

alium cursum petivit. Negaverat Bentleius ad Hor. Carm. I. 34, 4 *cursum* esse ipsam *viam,* sed per viam decursionem, quem docte refutavit Peerlkampius ad l.l. usus hoc loco et versibus, qui leguntur II. 3, 3.

ab Ilio. Cum W. recepi egregiam correctionem Madvigii, editam in Adversariis crit. I p. 145, quam e codice Faerni iam laudarat Malaspina. *ab illo* quod codd. dant, non uno vitio laborat. cf. Wes. emend. alt. p. 96.

quicquam. 3. Nunc ad ea, quae scripsisti. Tryphonem Caecilium non vidi. Sermonem tuum et Pompeii cognovi ex tuis litteris. Motum in re publica non tantum ego impendere video, quantum tu aut vides aut ad me consolandum affers; Tigrane enim neglecto sublata sunt omnia. Varroni me iubes agere gratias; faciam, item Hypsaeo. Quod suades, ne longius discedamus, dum acta mensis Maii ad nos perferantur, puto me ita esse facturum, sed ubi nondum statui, atque ita perturbato sum animo de Quinto, ut nihil queam statuere; sed tamen statim te faciam certiorem. 4. Ex epistolarum mearum inconstantia puto te mentis meae motum videre qui, etsi incredibili et singulari calamitate afflictus sum, tamen non tam est ex miseria quam ex culpae nostrae recordatione commotus. Cuius enim scelere impulsi ac proditi simus iam profecto vides, atque utinam iam ante vidisses neque totum animum tuum maerōri mecum simul dedisses! Quare, quum me afflictum et confectum luctu audies, existimato me stultitiae meae poenam ferre gravius quam eventi, quod ei crediderim, quem esse nefarium non putarim. Me et meorum malorum memoria et metus de fratre

§ 3. *Tigrane neglecto.* Ascon. in Milon. p. 41 seq.: *Pompeius post triumphum Mithridaticum Tigranis filium in catenis deposuerat apud Flavium senatorem: qui postea cum esset praetor eodem anno, quo tribunus pl. Clodius, petiit ab eo Clodius super cenam, ut Tigranem adduci iuberet, ut eum videret. Adductum collocavit in convivium, dein Flavio non reddidit; Tigranem domi suae habuit extra catenas nec repetenti Pompeio reddidit, postea in navem deposuit et cum profugeret ille, tempestate delatus est Antium. Inde ut deduceretur ad se, Clodius Sex. Clodium — misit, qui eum reduceret. Flavius quoque re cognita ad diripiendum Tigranem profectus est. Ad quartum lapidem ab urbe pugna facta est, in qua multi ex utraque parte ceciderunt, plures tamen ex Flavii* cet. Breviter eandem rem attigit Plut. in Pomp. 48. Τιγράνην τὸν αἰχμάλωτον ἀφαρπάσας ἔχε (Κλώδιος) σὺν αὑτῷ. Cicero moleste ferebat Pompeium hoc negligere.

item Hypsaeo. P. Plautius Hypsaeus, qui Pompeii quaestor fuerat, Cic. Flacc. 20, Ascon. in Milon. p. 31, et hoc tempore aedilis curulis erat, videbatur illum Ciceroni conciliare posse, ut M. Terentius Varro.

§ 4. *qui — non tam est — commotus.* Quis ita loquitur: mentis meae motus est commotus? Indignum certe Cicerone. Fortasse scripsit: *qui — non tam ex miseria — sum commotus.*

Cuius enim scelere cet. Saepe per hoc tempus queritur in tantas se calamitates incidisse scelere non tam inimicorum, quam invidorum, h. l. 7, 2. 9, 2. 13, 2. 15, 2. 19, 3. 20, 1. Q. fr. I. 4, 1. Fam. XIV. 1, 2. Hic vero quum designet certum aliquem hominem, a quo proditus sit, operae pretium est inquirere, in quem haec maxime cadant. Plerique intt. Pompeium notari dicunt. Perperam, si quid video. A Pompeio desertus erat, sed aliorum consilio ad proficiscendum impulsus. Princeps in his, ut vidit Wielandus ad h. l., Hortensius, cuius opera, insidiis, scelere periisse se scribit ep. 9, 2, et a quo sceleratissime insidiosissimeque tractatum se queritur ad Q. fr. I. 3, 8. Quos locos qui cum nostro comparaverit, intelliget haec ad unum Hortensium pertinere. Post Wielandum accurate haec persecutus est Luzacius in disp. de Q. Hortensio, p. 61—70, Hortensii adversus Tullii criminationes strenuus vindex.

maerori. Ante exsilium non erat maerendi causa, sed cavendi, maeror calamitatem secutus est. Itaque cum Madvigio A. C. III

in scribendo impedit: tu ista omnia vide et guberna. Terentia tibi maximas gratias agit. Litterarum exemplum, quas ad Pompeium scripsi, misi tibi. Data IIII. Kal. Iunias Thessalonica.

p. 169 Ciceronem scripsisse credo *errori*. Cicero in eo erraverat quod ei credidit, quem esse nefarium non putabat.

eventi. Notetur usus huius vocabuli in sing. num. rarior. Fam. I. 7, 5 Med. primum dat *ex evento*, mox *ex eventu* (ut Att. I. 16, 3), ut illud corrigendum videatur. Nam librarii terminationem vocc. in *u* saepe in *o* mutarunt. Vid. Drak. ad Liv. I. 15, 7. De *eventi* et *eventus* discrimine disp. Seyffertus ad Lael. p. 76.

IX. (*A. U. C.* 696.)

1. Quintus frater quum ex Asia discessisset ante Kal. Maias et Athenas venisset Idibus, valde fuit ei properandum, ne quid absens acciperet calamitatis, si quis forte fuisset, qui contentus nostris malis non esset. Itaque eum malui properare Romam quam ad me venire, et simul — dicam enim, quod verum est, ex quo magnitudinem miseriarum mearum perspicere possis — animum inducere non potui, ut aut illum, amantissimum mei mollissimo animo tanto in maerore adspicerem, aut meas miserias luctu afflictas et perditam fortunam illi offerrem aut ab illo adspici paterer. Atque etiam illud timebam, quod profecto accidisset, ne a me digredi non posset: versabatur mihi tempus illud ante oculos, quum ille aut lictores dimitteret aut vi avelleretur ex complexu meo; huius acerbitatis eventum altera acerbitate non videndi fratris vitavi. In hunc me casum vos vivendi auctores impulistis. Itaque mei peccati luo poenas. 2. Quamquam me tuae litterae sustentant, ex quibus, quantum tu ipse speres, facile perspicio; quae quidem tamen aliquid habebant solatii antequam eo venisti a Pompeio: »Nunc Hortensium allice et eiusmodi viros.'' Obsecro, mi Pomponi, nondum perspicis, quorum opera, quorum insidiis, quorum

§ 1. *Idibus*. Med. *Idus Maias*. Casum nominis veteres editores correxerunt, mensis mentionem plures omittunt.

miserias luctu afflictas vocat calamitates, quas luctus reddit graviores. Non video cur Cicero *meas miserias luctu afflicti* scribere debuerit, quod Pluygersio et Cobeto unice verum visum est.

lictores dimitteret. Hoc ei faciendum esset, si diutius cum fratre in Macedonia manere vellet.

§ 2. *quantum tu ipse speres* ɔ: quam parvam tu spem habeas. Saepe *quantum* restrictive ponitur. Cf. epist. Pomp. VIII. 12 D. extr. XI. 13, 1. Tusc. V. 107. *Iam vero exsilium quantum demum a perpetua peregrinatione differt*. Similem usum v. *tantus* invenies Fam. I. 7, 4. VIII. 10, 3.

a Pompeio ɔ: postquam de Pompeio scripseras. Indicat ordinem, quo in epistola alterum excipiat alterum, in qua re solemnis erat usus praep. *ab*.

scelere perierimus? Sed tecum haec coram agemus; tantum dico, quod scire te puto: nos non inimici, sed invidi perdiderunt. Nunc si ista sunt, quae speras, sustinebimus nos et spe, qua iubes, nitemur; sin ut mihi videntur [infirma sunt], quod optimo tempore facere non licuit, minus idoneo fiet. 3. Terentia tibi saepe agit gratias. Mihi etiam unum de malis in metu est, fratris miseri negotium, quod si sciam cuiusmodi sit, sciam quid agendum mihi sit. Me etiamnunc istorum beneficiorum et litterarum exspectatio, ut tibi placet, Thessalonicae tenet: si quid erit novi allatum, sciam de reliquo quid agendum sit. Tu si, ut scribis, Kal. Iuniis Roma profectus es, propediem nos videbis. Litteras, quas ad Pompeium scripsi, tibi misi. Data Id. Iun. Thessalonica.

infirma sunt. „Sensit Pluygers inepte assuta esse haec verba, primum quia plane supervacua sunt, deinde quia languidiora sunt et inertiora quam pro Ciceronis desperatione rerum suarum. Attico aliquid spei supererat, Ciceroni nihil. Itaque *sin ut mihi videntur* significat *sin spes nulla superest,* non *si infirma sunt.*" Cobet. Mnemos. N. S. IX, 125.

quod — fiet. Tecte indicat consilium manus sibi inferendae. Mortis oppetendae tempus honestissimum praetermiserat (ep. 7, 2, ad Q. fr. I, 3, 6), quum adhuc in civitate esset; nunc tale facinus ignaviae tribueretur. Quod codd. dant *optimo genere* non debet defendi. Recte emendatum est *tempore.* Cf. Santenius ad Catulli eleg. ad Manlium v. 52.

§ 3. *istorum beneficiorum.* „Ignota illa beneficia, nec quisquam interpretum offenditur. Puto scrib. *comitiorum* ɔ: ut sciam, qui magistratus in proximum annum designati sint. Hoc confirmatur ep. 12, 1. *Spem ostendis secundum comitia,* et ep. 13, 1." I. F. Gronovius. Non assentior viro summo. Beneficia nobis ignota ab Attico ostendi potuerant.

X. (*A. U. C.* 696.)

1. Acta quae essent usque ad (a. d.) VIII. Kalend. Iun. cognovi ex tuis litteris: reliqua exspectabam, ut tibi placebat, Thessalonicae; quibus allatis facilius statuere potero, ubi sim. Nam si erit causa, si quid agetur, si spem videro, aut ibidem opperiar aut me ad te conferam; sin, ut tu scribis, ista evanuerint, aliquid aliud videbimus. Omnino adhuc nihil mihi significatis nisi discordiam istorum, quae tamen inter eos de omnibus potius rebus est quam de me; itaque quid ea mihi prosit nescio, sed tamen, quoad me vos sperare vultis, vobis obtemperabo. 2. Nam quod me tam saepe et tam vehementer

§ 1. *exspectabam.* Pluygers correxit *exspectabo.* Sed in epistola *exspectabam* valet idem atque *exspecto.*

significatis. Atticus et alii, qui eum de rebus, quae in urbe agerentur, certiorem faciebant.

§ 2. *tam ex amplo statu, tam in bona causa.* H. l. scriptura codd. deteriorum Helmst. et Ball. a Graevio allata praestare videtur libri Med. et R. varietati *extemplo a statu in bona causa. Tam* praepositione ab adiectivo separatum librarium offendisse videtur. Sed non raro hoc fieri docuit Madv. ad Cic. Fin. p. 651.

Hic utrum tandem, cet. Inest in verbis do-

obiurgas et animo infirmo esse dicis, quaeso, ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit? ecquis unquam tam ex amplo statu, tam in bona causa, tantis facultatibus ingenii, consilii, gratiae, tantis praesidiis bonorum omnium concidit? possum oblivisci qui fuerim? non sentire qui sim? quo caream honore, qua gloria, quibus liberis, quibus fortunis, quo fratre? quem ego — ut novum calamitatis genus attendas — quum pluris facerem quam me ipsum semperque fecissem, vitavi ne viderem, ne aut illius luctum squaloremque aspicerem aut me, quem ille florentissimum reliquerat, perditum illi afflictumque offerrem. Mitto cetera intolerabilia; etenim fletu impedior. Hic utrum tandem sum accusandus, quod doleo, an, quod commisi, ut haec aut non retinerem — quod facile fuisset, nisi intra parietes meos de mea pernicie consilia inirentur —, aut certe vivus non amitterem? 3. Haec eo scripsi, ut potius relevares me, quod facis, quam ut castigatione aut obiurgatione dignum putares, eoque ad te minus multa scribo, quod et maerore impedior et, quod exspectem istinc, magis habeo, quam quod ipse scribam: quae si erunt allata, faciam te consilii nostri certiorem. Tu, ut adhuc fecisti, quam plurimis de rebus ad me velim scribas, ut prorsus ne quid ignorem. Data XIIII. Kal. Quint. Thessalonica.

lor, ut in similibus locis Fam. V. 15, 4. VII. 13, 1, quos laudat Manutius ad Arch. 8. Add. h. l. 12, 1. Verba *quod doleo* et quae sequuntur I. F. Gronovius sic interpr.: „quod aegre fero me haec perdidisse, an quod in causa fui ut aut haec perderem aut post haec perdita viverem." Verba si ita interpretamur, neque opus est ut cum Madvigio, Adv. crit. II p. 235 scribamus: *ut haec non aut retinerem,* neque ut cum aliis *non* in verbis *vivus non amitterem* deleamus aut in *nunc* mutemus.

XI. (*A. U. C.* 696.)

1. Me et tuae litterae et quidam boni nuntii, non optimis tamen auctoribus, et exspectatio vestrarum litterarum et quod tibi ita placuerat, adhuc Thessalonicae tenebat. Si accepero litteras, quas exspecto, si spes erit ea, quae rumoribus afferebatur, ad te me conferam; si non erit, faciam te certiorem quid egerim. 2. Tu me, ut facis, opera, consilio, gratia iuva; consolari iam desine; obiurgare vero noli, quod

tenebat W. e M[1] recepit et est in Rav. Vulgo editur *tenebant,* ut habet M[2]. cf. adn. mea ad IX. 10, 2.

ad te me conferam ɔ: „in praedia tua in Epiro." Ursinus. Cf. ep. 17, 2 *ad te conferam me.* 19, 1 *in Epirum ad te statui me conferre.* 22, 4 *quum ad te me convertam.*

quum facis, ut ego tuum amorem et dolorem desidero! quem ita affectum mea aerumna esse arbitror, ut te ipsum consolari nemo possit. Quintum fratrem optimum humanissimumque sustenta. Ad me obsecro te ut omnia certa perscribas. Data IIII. Kal. Quint.

XII. (*A. U. C.* 696.)

1. Tu quidem sedulo argumentaris quid sit sperandum et maxime per senatum, idemque caput rogationis proponi scribis, quare in senatu dici nihil liceat; itaque siletur. Hic tu me accusas, quod me afflictem, quum ita sim afflictus, ut nemo unquam, quod tute intelligis. Spem ostendis secundum comitia: quae ista est eodem tribuno pl. et inimico consule designato? 2. Percussisti autem me etiam de oratione prolata: cui vulneri, ut scribis, medere, si quid potes. Scripsi equidem olim iratus, quod ille prior scripserat, sed ita compresseram, ut nunquam emanaturam putarem. Quo modo exciderit nescio; sed quia nunquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarem et quia scripta mihi videtur negligentius quam ceterae, puto posse probari non esse meam: id, si putas me posse sanari, cures velim; sin plane perii, minus laboro. 3. Ego etiam nunc eodem in loco iaceo, sine sermone ullo,

§ 1. *idemque* ɔ: sed simul. Pronomen *idem* in oppositione poni monui ad I. 11, 1. Hic vero et VII. 18, 4 eam vim non minus in copula *que* sitam esse crediderim, atque ita quidem ut altera sententiae pars aliquid gravius opponat. Ad rem cf. h. l. 15, 6: *Quid vides agi posse aut quo modo? per senatumne? At tute perscripsisti ad me quondam caput legis Clodium in curiae poste fixisse ne referri neve dici liceret.*

itaque siletur. Non male Malaspina suspicatur scrib. esse *itaque sileri*, ut haec quoque ex Attici litteris hausta sint. Contra codd. tamen mutare nolui, quod explicari potest.

secundum comitia ɔ: statim post comitia. cf. Fam. IX. 16, 7 *secundum Oenomaum Attii — mimum introduxisti.* Or. I. 264 *secundum hunc diem.* Intell. comitia magistratibus creandis.

eodem tribuno plebis. Putabat Cicero Clodium etiam in sequentem annum designatum iri, sed quod metuebat non est factum. Vid. Q. fr. I. 4, 3.

inimico consule designato. Int. Q. Caecilium Metellum Nepotem, qui quum in tribunatu Ciceroni restiterat, consul cum eo in gratiam rediit et inimicitas rei publicae temporibus permisit. Vid. Sest. 72, de prov. cons. 22 et saepius.

§ 2. *Percussisti autem me etiam.* Antea cum edit. Rom. seclusi *autem*, ortum putans ex aliquo nomine, a quo penderent verba *de oratione prolata*, velut *nuntio.* Nunc mutata sententia illud retineo et verba sic explicanda censeo: Quae scripsisti de oratione prolata, valde me afflixerunt. cf. V. 2, 2 *strategemate hominem percussit.*

de oratione prolata. In Curionem, ut patet ex ep. 15, 3: *Sed quid Curio? an illam orationem non legit? quae unde sit prolata nescio.* Orationis fragmenta e palimpsestis Maius et Peironus ediderunt. Eam in senatu loco sententiae habitam esse affirmat Quintilianus, I. O. III. 7, 2.

compresseram ɔ: abdideram et in scriniis tenebam. Paullo ante *ei*, quod ante *iratus* vulgo editur, cum R. delevi. Quum addatur *quod ille prior scripserat*, melius abest.

sanari ɔ: restitui. Perperam Lambinus sollicitavit, quod Cicero tropice ponere amat, substituitque *servari.*

§ 3. *Licet — me posse.* Ita omnes codices.

sine cogitatione ulla. † Licet tibi, ut scribis, significarem ut ad me venires si donatam ut intelligo te istic prodesse, hic ne verbo quidem levare me posse. Non queo plura scribere, nec est, quod scribam: vestra magis exspecto. Data XVI. Kal. Sext. Thessalonica.

Verba corrupta alii frustra emendare conati sunt, Madvigius solus verum invenisse videtur: *Scilicet tibi, ut scribis, significaram, ut ad me venires; id omittamus; intelligo te istic prodesse* cet. vid. A. C. III p. 169 seq. ubi hoc addit: „Particula *scilicet* concedendi vim habet, non iniuria Atticum scribere antea id a Cicerone significatum esse."

XIII. (*A. U. C.* 696.)

1. Quod ad te scripseram me in Epiro futurum, postea quam extenuari spem nostram et evanescere vidi, mutavi consilium, nec me Thessalonica commovi, ubi esse statueram, quoad aliquid ad me de eo scriberes, quod proximis litteris scripseras fore, uti secundum comitia aliquid de nobis in senatu ageretur; id tibi Pompeium dixisse. Qua de re, quoniam comitia habita sunt tuque nihil ad me scribis, proinde habebo, ac si scripsisses nihil esse, neque temporis non longinqui spe ductum esse moleste feram; quem autem motum te videre scripseras, qui nobis utilis fore videretur, eum nuntiant, qui veniunt, nullum fore. In tribunis pl. designatis reliqua spes est; quam si exspectaro, non erit quod putes me causae meae, voluntati meorum defuisse. 2. Quod me saepe accusas, cur hunc meum casum tam graviter feram, debes ignoscere, quum ita me afflictum videas, ut neminem unquam nec videris nec audieris (magis). Nam quod scribis te audire me etiam mentis errore ex dolore affici, mihi vero mens integra est; atque utinam tam in periculo fuisset! quum ego iis, quibus meam salutem carissimam esse arbitrabar, inimicissimis crudelissimisque usus sum, qui, ut me paullum inclinari timore viderunt, sic impulerunt, ut omni

§ 1. *neque temporis non longinqui spe ductum esse m. f.* Expuli *me*, quod Orellius de Ern. sententia post *neque* intrusit, ut minus necessarium. Si excidit, ante *ductum*, pro quo in R. scriptum est *deductum*, ponendum videtur. — In extrema hac § particulam *ac* ante *voluntati* in nullo codice inventam minimeque necessariam expunxi. Cur Wes. asyndeton h. l. minime aptum dicat et ex ingenio *aut* interponat ignoro.

§ 2. *accusas, cur — feram.* Orellius ad Hor. Epist. I. 8, 10 observat in similibus locis *propterea quod* esse rationem dantis, *cur* ductum esse ex interrogatione directa: *cur tuum casum tam graviter fers?* Huius usus ignoratione Gierigius in verbis Plinii Epist. III. 5, 16. *Repeto me correptum ab eo, cur ambularem* cet. verbum *corripere* male interpretatur, peius etiam *cur* in *cum* mutari vult. Cf. Hand. in Turs. II. p. 177, qui affert Verr. III. 16. *Illud reprehendo et accuso, cur in re tam vetere — quicquam novi feceris.*

ita — ut neminem unquam nec videris nec audieris. magis adieci auctore Wes., quoniam

suo scelere et perfidia abuterentur ad exitium meum. Nunc, quoniam est Cyzicum nobis eundum, quo rarius ad me litterae perferentur, hoc velim diligentius omnia, quae putaris me scire opus esse, perscribas. Quintum fratrem meum fac diligas, quem ego miser si incolumem relinquo, non me totum perisse arbitrabor. Data Non. Sext.

post *ita* — *ut* cum coni. sententia non integra est nisi hoc adverbio addito. cf. Emend. alt. p. 96.

scelere et perfidia abuterentur. Abuti non simplicitur dicitur pro *uti*, neque semper in malam partem sumitur, sed est uti ad certum aliquem finem vel bonum vel malum. In bonam partem sumitur, velut N. D. II. 151, *nos sagacitate canum ad nostram utilitatem abutimur;* in malam p. Rosc. Am. 54, *legibus ac maiestate iudicum abuti ad quaestum et libidinem.* Sententia saepe definitur addito adverbio, ut de Inv. I. 5 *perverse abuti,* Fam. XI. 28, 2. XII. 1, 2, *immoderate abuti,* Tusc. I. 6, *intemperanter abuti otio et litteris.* Orat. 176, *insolentius abuti.* Sall. Cat. 13, 2, *abuti per turpitudinem.* Neque tamen semper hoc fit et sunt loci, ubi *abuti* prope accedit ad id, quod nos dicimus *misbruiken,* ut in illo Catilinariae exordio: *Quousque tandem abutere patientia nostra?* de Leg. I. 45. *Nam nec arboris, nec equi virtus quae dicitur (in quo abutimur nomine) in opinione sita est.* Cf. Reisig. Schol. § 177 cum adnot. 223. De simili usu Graeci ἀποχρῆσθαι notavit Wyttenbachius ad Plut. de S. N. V. p. 43.

XIV. (*A. U. C.* 696.)

1. Ex tuis litteris plenus sum exspectatione de Pompeio, quidnam de nobis velit aut ostendat. Comitia enim credo esse habita, quibus absolutis scribis illi placuisse agi de nobis. Si tibi stultus esse videor, qui sperem, facio tuo iussu, etsi scio te me iis epistolis potius et meas spes solitum esse remorari. Nunc velim mihi plane perscribas quid videas. Scio nos nostris multis peccatis in hanc aerumnam incidisse: ea si qui casus aliqua ex parte correxerit, minus moleste feremus nos vixisse et adhuc vivere. 2. Ego propter viae celebritatem et quotidianam exspectationem rerum novarum non commovi me adhuc Thessalonica; sed iam extrudimur, non a Plancio — nam is quidem

§ 1. *plenus sum exspectatione.* Raro *plenus* apud Cic. cum abl. iungitur. Praeter h. l. ita scripsit Verr. IV. 136, *ornamentis fanorum atque oppidorum habet plenam domum.* Fin. III. 43 *corporis aut externis bonis plenior,* quibus locis genetivo ambiguitatis vitandae causa non est usus. Alii loci a Nizolio citati Fam. X. 16. XVI. 14. Sest. 23. Cat. M. 1 huc non pertinent. Cf. Victorius V. L. XXVI. 17. Muretus V. L. XVII. 4.

etsi scio — remorari. ɔ: etsi scio quum me iubeas sperare, te potius ea scribere, quibus me sustentes et meam spem alas, quam quae vera sunt. *Etsi* pro *et* debetur Malaspinae et, pace Tyrrelli dicam, necessarium est.

quid videas ɔ: quid futurum putes. Cf. infra 20, 3. X. 4, 9.

§ 2. *non ii.* Sic Med. et R., ut in ep. 21 et 22, 1 *ire in Epirum* et 22, 4, *si irem in Epirum.* Quod vulgatur *non veni* coniecturae non necessariae debetur. Forma contracta *iit* usi sunt Caelius ad Fam. VIII. 4, 4 et Brut. ibid. XI. 13, 2. Cicero ipse in Phil. II. 78 scripsit *isti redisti.*

universi nuntii ɔ: ad unum omnes hoc nuntiantes. Acad. II. 73. Male Kochius coniecit *adversi.*

Nisi aliquid a comitiis audierimus. A comitiis cum Manutio Ernestus expl. de tempore; quod actum sit post comitia. Rectius

retinet —, verum ab ipso loco minime apposito ad tolerandam in tanto luctu calamitatem. In Epirum ideo, ut scripseram, non ii, quod subito mihi universi nuntii venerant et litterae, quare nihil esset necesse quam proxime Italiam esse. Hinc, nisi aliquid a comitiis audierimus, nos in Asiam convertemus, neque adhuc stabat quo potissimum, sed scies. Data XII. Kal. Sext. Thessalonica.

Handius in Tursell. I. 17 et Ellendt. de Orat. II. p. 40 accipiunt de loco, unde nuntius profectus ad Ciceronem perveniat, *von den Comitien her*. *Aliquid* praegnanti significatione est *aliquid peculiare*, de qua cons. Ellendt, l. l. p. 253. *nisi*, quod sententia postulat, de Manutii suspicione cum Wes. pro *si*, ut vulgo legitur, reposui.

stabat ɔ: certum erat. Sic impersonaliter Fam. IX. 2, 5, ubi cf. adn. Cortii. Alibi legitur *stat sententia*, ut Ter. Eun. II. 1, 18.

XV. (*A. U. C.* 696.)

1. Accepi Id. Sext. quattuor epistolas a te missas; unam, qua me obiurgas ut sim firmior; alteram, qua Crassi libertum ais tibi de mea sollicitudine macieque narrasse; tertiam, qua demonstras acta in senatu; quartam de eo, quod a Varrone scribis tibi esse confirmatum de voluntate Pompeii. 2. Ad primam tibi hoc scribo me ita dolere, ut non modo a mente non deserar, sed id ipsum doleam, me tam firma mente ubi utar et quibuscum non habere; nam si tu me uno non sine maerore cares, quid me censes, qui et te et omnibus? et, si tu incolumis me requiris, quo modo a me ipsam incolumitatem desiderari putas? Nolo commemorare, quibus rebus sim spoliatus, non solum quia non ignoras, sed etiam ne scindam ipse dolorem meum: hoc confirmo, neque tantis bonis esse privatum quemquam neque in tantas miserias incidisse. Dies autem non modo non levat luctum hunc, sed etiam auget; nam ceteri dolores mitigantur vetustate, hic non potest non et sensu praesentis miseriae et recordatione praeteritae vitae quotidie augeri. Desidero enim non mea solum neque meos sed me ipsum: quid enim sum? Sed non faciam, ut aut tuum animum angam querelis aut meis vulneribus saepius manus afferam. Nam quod purgas eos, quos ego mihi scripsi invidisse, et in eis Catonem, ego vero tantum

§ 1. *me obiurgas ut sim firmior*. Quod Malaspina e libro Antoniano, Bentivolius e Landiano deprompserunt *obiurgas et rogas* manifestam continet librarii interpolationem. Utitur simili dicendi brevitate Horatius Carm. I. 1, *nunquam demoveas, ut secet*. De hoc genere disp. Ellendt ad Ciceronem de Orat. tom. II. p. 44.

§ 2. *quid me censes* sc. maerere, quod e praeced. verbis *non sine maerore* cogitatione supplendum est.

ne scindam dolorem meum. Veteres dicunt

illum puto ab isto scelere abfuisse, ut maxime doleam plus apud me simulationem aliorum quam istius fidem valuisse. Ceteros quod purgas, debent mihi probati esse, tibi si sunt. 3. Sed haec sero agimus. Crassi libertum nihil puto sincere locutum. In senatu rem probe scribis actam; sed quid Curio? an illam orationem non legit? quae unde sit prolata nescio. Sed Axius, eiusdem diei scribens ad me acta, non ita laudat Curionem. At potest ille aliquid praetermittere; tu, nisi quod erat, profecto non scripsisti. Varronis sermo facit exspectationem Caesaris; atque utinam ipse Varro incumbat in causam! quod profecto quum sua sponte, tum te instante faciet. 4. Ego, si me aliquando vestri et patriae compotem fortuna fecerit, certe efficiam ut maxime laetere unus ex omnibus amicis, meaque officia et studia, quae parum antea luxerunt — fatendum est enim —, sic exsequar, ut me aeque tibi ac fratri et liberis nostris restitutum putes. Si quid in te peccavi, ac potius quoniam peccavi, ignosce; in me enim ipsum peccavi vehementius. Neque haec eo scribo, quo te non meo casu maximo dolore esse affectum sciam; sed profecto, si, quantum me amas et amasti, tantum [amare] deberes ac debuisses, nunquam esses passus me, quo tu abundabas, egere consilio, nec esses passus mihi persuaderi utile nobis esse legem de collegiis perferri. Sed tu tantum lacrimas prae-

curae scindunt animum, animus scinditur dolore; sed ut *rescindere vulnus,* ita recte Graevius h. l. requirit *ne rescindam dolorem.*

Dies pro longo tempore dicitur. Cf. Fam. I. 6, 1. V. 16, 6. VII. 28, 3.

debent mihi probati esse, tibi si sunt ɔ: de eorum innocentia dubitare non debeo, si tu non dubitas.

§ 3. *Crassi libertum — locutum.* His verbis respondetur ad alteram Attici epistolam; proximis *in senatu — profecto non scripsisti* ad tertiam. Reliqua huius § verba spectant ad quartam.

Curio. De patre agi recte vidit Manutius. Nam filius hoc tempore nondum senator erat, siquidem anno 699 quaestor fuit.

an — non legit? Urbanius hoc et modestius, quam si rogasset *nonne legit?* Hoc qui quaerit, simul ex sua sententia affirmat; illa ratione contrarium ponit, de cuius veritate quaerit. Cf. Hand. Turs. I. p. 333 sq.

Axius saepius nominatur in his epistolis. Aliquid e Ciceronis ad eum epist. citat Suet. Caes. 9. Cf. quoque Gellius N. A. VII. 3.

facit exspectationem Caesaris ɔ: de Caesare, ab eo mihi aliquid sperandum esse. Simili locutione utitur Caelius Fam. VIII. 8, 4, ubi *exspectatio Galliarum* est exspectatio, quid in senatu de Galliis decernatur. cf quoque *exspectatio Corfiniensis* Att. VIII. 5, 2.

§ 4. *luxerunt.* Quod Orellius in priore edit. quaesierat: *an eluxerunt?* recte in altera omisit. Officia et studia non minus, quam virtus (Sest. 60) *lucere,* conspicua esse possunt.

si, quantum me amas et amasti, tantum amare deberes ac debuisses. Haec paene inepta fiunt perspicua, si verbum *amare,* quod corrumpit sententiam, de Madvigii sententia deleas. *Debere* absolute dicitur eique respondet nostrum *verschuldigd zijn.* Recte Attici amori opp. amandi Ciceronis obligatio. cf. A. C. III p. 170.

legem de collegiis. Est haec una e quattuor legibus, quas initio tribunatus Clodius tulit, iam tum Ciceronis opprimendi consilium agitans, illud vero callide occultans. Cf. Sest. 55. Pis. 9 ibique Asconius. Nam non modo vetera collegia SCto a. 686 sublata restituit, sed nova e faece urbis conscripsit,

buisti dolori meo, quod erat amoris, tanquam ipse ego; quod meritis meis perfectum oportuit, ut dies et noctes, quid mihi faciendum esset, cogitares, id abs te meo, non tuo scelere praetermissum est. Quodsi non modo tu, sed quisquam fuisset, qui me Pompeii minus liberali responso perterritum a turpissimo consilio revocaret — quod unus tu facere maxime potuisti —, aut occubuissem honeste aut victores hodie viveremus. Hic mihi ignosces; me enim ipsum multo magis accuso, deinde te quasi me alterum; et simul meae culpae socium quaero ac, si restituor, etiam minus videbimur deliquisse abs teque certe, quoniam nullo nostro, tuo ipsius beneficio diligemur. 5. Quod te cum Culleone scribis de privilegio locutum, est aliquid; sed multo est melius abrogari. Si enim nemo impediet, senatus consulto est firmius; sin erit, qui ferri non sinat, idem senatus consulto intercedet. Nec quicquam aliud opus est † quam abrogari; nam prior lex nos nihil laedebat. Quam si, ut est promulgata, laudare voluissemus aut, ut erat negli-

quorum hominum opera contiones disturbaret, omniaque ad arbitrium suum ageret. Vid. de hac lege Mommsenus de colleg. p. 76 sq. M. Cohn, das römische Vereinsrecht p. 55 seqq.

tu tantum lacrimas praebuisti dolori meo, quod erat amoris, tanquam ipse ego. Postrema frigent. Sententiam habebis magis concinnam, si reposueris: — *quod erat amoris tanquam insigne.* Similiter dixit *insignia virtutis,* Fam. III. 13, 1; *orationis lumina et quodammodo insignia,* Or. 134.

perfectum potuit. Certam recepi Orellii emend. *oportuit* pro *potuit.* Semper hoc verbum cum participio construitur omisso *esse.* Cf. Haase ad Reisigii Scholas, adn. 484 extr.

Pompeii minus liberali responso. Quale fuerit intelligitur ex iis, quae scribit X. 4, 3. Minus recte Plut. in Cic. 28 refert Pompeium Ciceronis conspectum effugisse.

occubuissem. Recepi e margine Med., qui solus servavit haec *aut occubuissem honeste.* Quare Orellius in alt. edit. scripserit *occidissem,* ignoro. — Paulo ante *turpissimum consilium* est consilium urbis relinquendae.

te quasi me alterum. Cf. IV. 1, 7. Lael. 80, ubi de hac formula Beierus docte disputavit.

ac si restituor — diligemur. Non credo haec sic a Cicerone scripta esse. Magis placent sic correcta: *ac si restituor, etiamsi aliis videbimur deliquisse, abs te quidem certe, quamquam nullo nostro, tuo ipsius beneficio diligemur.*

§ 5. *cum Culleone.* Pauca, quae de hoc homine nota sunt, composuit Borghesius, Oper. II p. 209. Pompeii familiarem fuisse ex VIII. 12, 5 apparet. Hoc tempore tribunum plebis fuisse credibile est, sed certo argumento demonstrari nequit. Praestat autem cum Tyrrello legere: *Quod tecum Culleonem scribis — locutum,* ita ut Culleo, non Atticus, privilegii mentionem fecerit.

de privilegio. Lex, qua Ciceroni aqua et igni interdiceretur, erat privilegium, quod irrogari vetabat lex XII tabularum. Hoc igitur nomine abrogatione non opus erat, sed poterat Cicero SCto revocari. Cf. Sest. 73.

senatus consulto est firmius ɔ: Legem Clodiam abrogari mihi plus prodest, quam senatus consultum fieri de me revocando. Quum in archetypo scriptum esset *S.C,* ut in R. sequenti versu *S.C.*, et in Med. infra ep. 26, hinc in Med. et R. factum est *sic,* in cod. Crat. *quid.* Correxit Madvigius A. C. III. p. 171.

† *quam abrogari.* Ut sententia sibi constet aut *quam* delendum est, quod fecerunt Schuetzius et Orellius, aut scribendum: *Neque opus est aliud quicquam abrogari,* vel etiam: *nec quicquam aliud opus est, quam illud* (privilegium) *abrogari.*

prior lex lata in eum, qui cives Romanos indicta causa necasset, Vell. Pat. II. 45, *nihil laedebat* Ciceronem, cuius causa cum universi senatus causa coniuncta erat. De-

genda, negligere, nocere omnino nobis non potuisset. Hic mihi primum meum consilium defuit, sed etiam obfuit: caeci, caeci, inquam, fuimus in vestitu mutando, in populo rogando, quod, nisi nominatim mecum agi coeptum esset, fieri perniciosum fuit. Sed pergo praeterita; verumtamen ob hanc causam, ut, si quid agetur, legem illam, in qua popularia multa sunt, ne tangatis. 6. Verum est stultum me praecipere, quid agatis aut quo modo: utinam modo agatur aliquid! in quo ipso multa occultant tuae litterae, credo, ne vehementius desperatione perturber. Quid enim vides agi posse aut quomodo? per senatumne? at tute scripsisti ad me quondam caput legis Clodium in curiae poste fixisse, NE REFERRI NEVE DICI LICERET. Quomodo igitur Domitius se dixit relaturum? quomodo autem iis, quos tu scribis, et de re dicentibus et ut referretur postulantibus, Clodius tacuit? Ac, si per popu-

buerat eam *negligere*, potuerat etiam *laudare*, sed terrore oppressus vestem mutavit seque imprudens perdidit.

Hic mihi p. meum consilium defuit, sed etiam obfuit. Sic legitur sine ulla varietate in omnibus codd. Quod in nonnullis editt. circumfertur: *Hic mihi primum non modo consilium defuit,* cet. merum est commentum eius, qui edit. Rom. principem curavit. Sed Orellius ad h. l. et ad Acad. II. 2, 7 negat Latinum esse *sed etiam* in posteriore membro positum, nisi praecedat *non solum, non modo.* Quare h. l. propter ductuum similitudinem post *consilium* excidisse arbitratur *non solum.* Non credo. Quae enim esset ista librariorum negligentia, qua hoc in genere toties errassent? Victorius nihil mutandum censet, neque in h. l. neque in simillimis ex IV. 16, 10. *Amisimus omnem succum ac sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis,* ubi *non modo* a prima manu omissum Coluccius Salutatus adscripsit post *omnem* et editio Crat. e codice assumpsisse videtur, X. 16, 6. *Tu, quoniam quartana cares et novum morbum removisti, sed etiam gravedinem,* quibus Malaspina ad V. 21, 6, addit Fam. XIII. 64, 2. Q. Cic. ibid. XVI. 16, 2. Cf. praeterea ad Q. fr. I. 1, 44. Att. IX. 13, 2, Brut. 78. Formulam a Graecis repetitam esse recte observarunt iidem, exemplisque ex Aristotele et Dione illustrarunt. Potuissent meliores auctores excitare, Herodotum I. 131. Thuc. I. 90. Xenoph. Mem. II. 3, 8 et 6, 34. Anab. I. 3, 3 et III. 5, 16. Dem. in Mid. § 83. In omnibus illis locis praeter unum libri X ad Att. post *sed etiam* gravius aliquid accedit, ut dictum sit pro *quin etiam, immo vero.*

Sed pergo praeterita sc. explicare. De qua infinitivi ellipsi pauca dixit Bakius ad Leg. II. 69, ubi optimi libri habent *perge cetera;* deteriores *perge ad cetera.* Cf. Att. IV. 11, 1 *Perge reliqua.*

si quid agetur. In Med. et R. *ageretur.* Sed bene Lambinus emendavit. Cicero praesens coniunctivi aut futurum indicativi scripsit, neque probanda quae de illa temporum varietate monuit Beierus ad Cic. Off. I. 36. Atque ille quidem locus plane ab hac quaestione removendus est, quum interpolatori debeatur, quod G. F. Ungerus in Philologo IV. p. 375 seqq. praeclare demonstravit. Recte recentiores illius operis editores verba *Popilius imperator — in bello movendo* ut insiticia secluserunt.

§ 6. Post *Utinam m. a. aliquid* non solum in Med., sed in multis libris Mss. *quo ipsa,* in duobus Antoniano et Faernino, quibus Malaspina usus est *in quo ipsa* ante *multa* scriptum erat. Editores multi cum correctore libri Medicei delerunt, in his B. et Kl. 2. Malaspinae lenissimam correctionem *in quo ipso m. o.* recepi cum W. Nam saepius Cicero *in quo* et *in quo ipso* ita posuit, ut indicaret aliquid cerni in aliqua re. Exempla collegit Handius in Turs. III p. 270.

scripsisti ad me quondam caput legis. Sic dedi de Ernesti coni., quum caput legis, quod ipsis verbis memoratur, non possit *quoddam caput* dici, nec dicitur ep. 12, 1.

lum, poteritne nisi de omnium tribunorum pl. sententia? quid de bonis? quid de domo? poteritne restitui? aut, si non poterit, egomet quomodo potero? Haec nisi vides expediri, quam in spem me vocas? sin autem spei nihil est, quae est mihi vita? Itaque exspecto Thessalonicae acta Kal. Sextilium, ex quibus statuam in tuosne agros confugiam, ut neque videam homines, quos nolim, et te, ut scribis, videam et propius sim, si quid agatur — idque intellexi quum tibi, tum Quinto fratri placere —, an abeam Cyzicum. 7. Nunc, Pomponi, quoniam nihil impertisti tuae prudentiae ad salutem meam, quod aut in me ipso satis esse consilii decreras aut te nihil plus mihi debere, quam ut praesto esses, quoniamque ego proditus, inductus, coniectus in fraudem, omnia mea praesidia neglexi, totam Italiam [in me] erectam ad me defendendum destitui et reliqui, me meosque meis tradidi inimicis inspectante et tacente te, qui si non plus ingenio valebas quam ego, certe timebas minus: si potes erige afflictos et in eo nos iuva; sin omnia sunt obstructa, id ipsum fac ut sciamus et nos aliquando aut obiurgare aut comiter consolari desine. Ego si tuam fidem accusarem, non me potissimum tuis tectis crederem: meam amentiam accuso, quod a te tantum amari, quantum ego vellem, putavi; quod si fuisset, fidem eandem, curam maiorem adhibuisses, me certe ad exitium praecipitantem retinuisses, istos labores, quos nunc in naufragiis nostris suscipis, non subisses. 8. Quare fac, ut omnia ad me perspecta et explorata

Scripserat autem Atticus in ea epistola, cui respondet Cicero ep. 12. Pro *ast* scripsi *at*, quum illa particula in epistolis ad Atticum ubique incerta sit, et tantum valeat in imitatione sermonis antiqui legum in libro tertio de Legibus et in versu Prognosticorum. cf. H. Jordani disp. in Krit. Beitr. zur Gesch. d. lat. Sprache p. 295 seqq.

ne referri neve dici liceret. Magistratus qui senatum habebat, *referebat*, usus hac formula: quid de hac re fieri placet? Sed poterant senatores de aliis etiam rebus *sententiam dicere,* id quod dicebatur *egredi relationem.* Cf. Gron. Obss. I. 22 et Add. p. 842.

Domitius. L. Domitius Ahenobarbus, qui Porciam Catonis sororem in matrimonio habebat, hoc anno praeturam gerebat. Ad Q. fr. I. 2, 16.

idque intellexi — placere. Aptius est, quod Klotzius edidit: *id quod* cet.

§ 7. *inductus.* Saepius *inducere* pro *decipere* dicitur. Cf. Rosc. Am. 117. Pis. 1. Phil. II. 79, ut ὑπάγειν p. ἐξαπατᾷν, de quo vid. Schaefer. ad Dem. de rebus Cherson. p. 105, 7.

[in me] erectam. Verba *in me* merito suspecta Ernesto, a Schuetzio deleta sunt. E repetitione vicinarum litterarum *m e* orta videntur. *Iam,* quod ab Orellio datum Hofmannus accepit, inutile additamentum est.

me meosque meis tradidi inimicis cum W. K2 e margine Med. recepi, quum *meosque* a librario omissum esset. R. habet *meosque,* sed omittit *meis.* Saepe Cicero queritur se suos quoque perdidisse. Cf. ep. 19, 3. 23, 5.

comiter consolari. W. *communiter consolari,* quod est cum aliis consolari. Illud multo aptius videtur et facilius efficitur ex eo, quod in Med. est, *coῖter.*

ad exitium praecipitantem. Intransitive eodem verbo utitur Acad. II. § 68. Somn. Scip. 5, p. Sull. 1 et 87. Rab. Post. 2; transitive Tusc. IV. 41.

§ 8. *me — velis esse aliquem* ɔ: me velis

perscribas meque, ut facis, velis esse aliquem, quoniam, qui fui et qui esse potui, iam esse non possum, et ut his litteris non te, sed me ipsum a me esse accusatum putes. Si qui erunt, quibus putes opus esse meo nomine litteras dari, velim conscribas curesque dandas. Data XIV. Kal. Sept.

ita in patriam revocari, ut non poeniteat vivere, ut aliqua dignitate sim. Non aliud indicatur locutione *esse aliquid,* de qua dicam ad IV. 2, 2.

Si qui erunt — dandas. Idem rogat Atticum in ep. 21 h. l.

XVI. (*A. U. C.* 696.)

Totum iter mihi incertum facit exspectatio litterarum vestrarum Kal. Sext. datarum: nam si spes erit, Epirum, si minus, Cyzicum aut aliud aliquid sequemur. Tuae quidem litterae, quo saepius a me leguntur, hoc spem faciunt mihi minorem, quae quum ** lectae sunt, tum id, quod attulerunt ad spem, infirmant, ut facile appareat te et consolationi servire et veritati. Itaque te rogo plane, ut ad me, quae scies, ut erunt, quae putabis, (ut putabis) ita scribas. Dat. XII. Kal.

Kal. Sext. datarum, in quibus Atticus aliique acta illius diei (ep. sup., 6) amico indicarent.

aliud aliquid sequemur. Vulgo *aliud quid s.* Sed quum Cicero cum *alio* iungere soleat *aliquis,* non *quis,* ut Cornelius Nepos, Tacitus aliique (cf. A. Draeger, hist. Syntax d. lat. Sprache I p. 71 sq.), id quod in Med. post *nam* scriptum est *aliud aliquid* veram Ciceronis h. l. scripturam conservare videtur.

quae quum lectae sunt, cet. Recte Ernestus dixit, hunc locum habere aliquid ambiguitatis. Aliquid excidisse suspicor, v. c. *Quae quum leguntur, spem faciunt; quum lectae sunt, tum id — infirmant.* Itaque lacunae signa posui, ut fecit Klotzius. Thierschius apte comparavit verba Tusc. Disp. I. 24 *dum lego, assentior, quum posui librum, assensio omnis illa elabitur.* Quod Lambinus in cod. Z invenit: *quod cum laetae sunt,* Ciceronis menti adversatur.

quae scies scripsi cum W. propter *ut erunt,* et *quae putabis.* Vulgo cum codd. *scis,* soloece. cf. Emend. alt. p. 96. Paulo post verba *ut putabis* in cod. Med. omissa, potius post *quae putabis,* quam post *scribas* ponenda esse Klotzius vidit, quem secutus sum.

XVII. (*A. U. C.* 696.)

1. De Quinto fratre nuntii tristes nobis nec varii venerant ex ante diem ** Non. Iun. usque ad prid. Kal. Sept.; eo autem die Livineius, L. Reguli libertus, ad me a Regulo missus venit. Is omnino mentio-

§ 1. *nec varii* ɔ: non alius aliud nuntiantes, sed omnes de futuro Quinti iudicio consentientes.

ex ante diem... Non. Iun. pro ipsis Nonis dici non potuit. Excidit numerus, ex quoto die ante Nonas hi nuntii venerint et probabilis est Handii suspicio, laudata ab Orellio et Wesenb. Emend. p. 107 excidisse III.

nem nullam factam esse nuntiavit, sed fuisse tamen sermonem de C. Clodii filio; isque mihi † q͡m fratre litteras attulit, sed postridie Sestii pueri venerunt, qui a te litteras attulerunt non tam exploratas a timore, quam sermo Livineii fuerat. Sane sum in meo infinito maerore sollicitus et eo magis, quod Appii quaestio est. 2. Cetera, quae ad me eisdem litteris scribis de nostra spe, intelligo esse languidiora, quam alii ostendunt; ego autem, quoniam non longe ab eo tempore absumus, in quo res diiudicabitur, aut ad te conferam me aut etiamnunc circum haec loca commorabor. 3. Scribit ad me frater omnia sua per te unum sustineri. Quid te aut horter, quod facis, aut agam gratias, quod non exspectas? tantum velim fortuna det nobis potestatem, ut incolumes amore nostro perfruamur. Tuas litteras semper maxime exspecto, in quibus cave vereare, ne aut diligentia tua mihi molesta aut veritas acerba sit. Data pridie Non. Septembr.

Livineius. Sine dubio est L. Livineius Trypho, quem Fam. XIII. 60. C. Munatio commendat. Patroni praenomen ex illo loco Manutius correxit. Med. h. l. vocat *M. Regulum.*

mentionem nullam factam esse. Formula forensis, quae usurpatur de nomine apud praetorem deferendo. Cf. p. Quint. 37.

de C. Clodii filio. Appius P. Clodii fratris filius dicebatur Q. Ciceronem accusaturus. Idem postea cum fratre primum familiam Milonis, deinde ipsum Milonem de caede, itemque de ambitu postulavit, teste Asconio in argum. Milonianae.

isque mihi † q͡m fratre litteras attulit. In loco corrupto malui Med. scripturam reddere, quam fallacem nescio 'cuius correctionem *tum a fratre* recipere. Nam si M. Cicero fratris litteras accepisset, sciret profecto, quo in loco res esset. Exspectares potius: *Isque mihi nullas Q. fratris litteras attulit, sed postridie* cet. Quod nego Ciceronem tum fratris litteras accepisse, non evertitur iis, quae legimus in § 3: *Scribit ad me frater.* Nam id potest ad aliam Quinti ad Marcum epistolam referri.

exploratas a timore ɔ: certas easque, quae timorem tollerent. Gronov. malebat *explicatas.*

quod Appii quaestio est. Appio Claudio, P. Clodii fratri, praetori designato quaestio de repetundis obtigerat.

§ 3. *cave.* Verbum, quod sententia postulat, in Med. et R. omissum Lambinus e Turn. addidit scribens *cave vereri,* quamquam postrema syllaba, ut monet, non admodum apparebat. Aliis in locis post *cave* a Cicerone coniunctivus vel solus vel addita particula *ne* sequitur; a qua consuetudine cur hoc uno loco recederet, non erat. Quare cum B. et W. scripsi: *cave vereare.* Cicero his verbis iubet Atticum omnia minutissima perscribere nec quicquam dissimulare.

XVIII. (*A. U. C.* 696.)

1. Exspectationem nobis non parvam attuleras, quum scripseras Varronem tibi pro amicitia confirmasse causam nostram Pompeium certe

§ 1. *actorem.* Recte. Pompeius ipse auctoris partes in se recepit exstititque *auctor salutis* Tullii, p. Sest. 107, sed alio actore usus est. Is fuit P. Lentulus cos. Auctoris partes potissimum in consiliis dandis, actoris in re gerenda spectantur, ibid. 40, potestque aliquis in eisdem rebus et auctor et actor esse, ut de M. Catone praedicatur ibid. 61.

susceptturum et, simul a Caesare ei litterae, quas exspectaret, remissae essent, actorem etiam daturum. Utrum id nihil fuit an adversatae sunt Caesaris litterae? an est aliquid in spe? Etiam illud scripseras eundem »secundum comitia" dixisse. 2. Fac, si vides quantis in malis iaceam et si putas esse humanitatis tuae, me fac de tota causa nostra certiorem: nam Quintus frater, homo mirus, qui me tam valde amat, omnia mittit spei plena metuens, credo, defectionem animi mei; tuae autem litterae sunt variae; neque enim me desperare vis nec temere sperare. Fac, obsecro te, ut omnia, quae perspici a te possunt, sciamus.

Saepe in his erratum a librariis, ut p. Sest. 144, ubi vett. editt. male Sestium *publicae causae auctorem* faciunt, et Phil. II. 26, quem locum correxit Madvig. O. A. p. 165. Cf. Kritzius ad Sallustii Hist. II. fr. 47.

secundum comitia. cf. ep. 13, 1 et 14, 1.

§ 2. *Fac — me fac.* Invenustam repetitionem Schuetzius egregie sustulit scribens: *Tu, si vides — me fac* cet. *Tu* recte additur quum sequatur *Quintus frater.* Si Cicero imperativum repetiit, saltem scripsit: *fac me,* ut de Baiteri coni. edidit W.

homo mirus est, de quo non facile est affirmare quo sit ingenio, *ein wunderbarer Mensch,* ut interpretatur Wielandus. *Homo mirificus,* Att. IV, 11, 2, est qui admirationem movet, *ein Wunder von einem Mensche.*

XIX. (*A. U. C.* 696.)

1. Quoad eiusmodi mihi litterae a vobis afferebantur, ut aliquid ex iis esset exspectandum, spe et cupiditate Thessalonicae retentus sum; posteaquam omnis actio huius anni confecta nobis videbatur, in Asiam ire nolui, quod et celebritas mihi odio est et, si fieret aliquid a novis magistratibus, abesse longe nolebam. Itaque in Epirum ad te statui me conferre, non quo mea interesset *** loci natura, qui lucem omnino fugerem, sed et ad salutem libentissime ex tuo portu proficiscar et, si ea praecisa erit, nusquam facilius hanc miserrimam vitam vel sustentabo vel, quod multo est melius, abiecero: ero cum paucis, multitudinem dimittam. 2. Me tuae litterae nunquam in tantam spem

§ 1. *posteaquam omnis actio huius anni confecta nobis videbatur* ɔ: postquam tempus aliquid in comitiis de me agendi praeteriit.

mea interesset loci natura. Impersonalia *refert* et *interest* construuntur cum nominativo rei, cuius refert vel interest, tantum in pronominibus *hoc, quod, quid.* vid. Haase ad Reisig. Schol. adn. 528. Nominis hoc unicum e scriptis Ciceronis, alterum e Plinii H. N. XVIII. 187 *plurimum refert soli cuiusque ratio,* affertur. Assentior Wesenbergio neganti Ciceronem hoc loco ab usu sermonis decessisse et coniicienti post *interesset* excidisse *quae esset,* itaque cum eo lacunae signa posui.

§ 2. *quantam aliorum.* Male plures editores auctore Ernesto ante relativum praep. *in* intruserunt, quae omittitur, quum idem verbum, quod praecedit, cogitatione repetendum sit. Vid Q. fr. I. 4, 4, *quoniam in tantum luctum et laborem detrusus es, quantum nemo unquam.* Madvigius ad Fin. p. 97 laudat quae de hac re disp. Otto ad Fin. II. 40. Add. Kahntius in Symb. crit. p. 5. Fr.

adduxerunt, quantam aliorum; ac tamen mea spes etiam tenuior semper fuit quam tuae litterae. Sed tamen, quoniam coeptum est agi, quoquo modo coeptum est et quacunque de causa, non deseram neque optimi atque unici fratris miseras ac luctuosas preces nec Sestii ceterorumque promissa nec spem aerumnosissimae mulieris [Terentiae] nec miserrimae [mulieris] Tulliolae obsecrationem et fideles litteras tuas. Mihi Epirus aut iter ad salutem dabit aut quod scripsi supra. 3. Te oro et obsecro, Pomponi, si me omnibus amplissimis carissimis iucundissimisque rebus perfidia hominum spoliatum, si me a meis consiliariis proditum et proiectum vides, si intelligis me coactum, ut ipse me et meos perderem, ut me tua misericordia iuves et Quintum fratrem, qui potest esse salvus, sustentes, Terentiam liberosque meos tueare, me, si putas te istic visurum, exspectes, si minus, invisas, si potes, mihique ex agro tuo tantum assignes, quantum meo corpore occupari potest, et pueros ad me cum litteris quam primum et quam saepissime mittas. Data XVI. Kal. Octobr.

Schneiderus in Nov. Ann. Philol. 52, 3, p. 284.

ac tamen pro vitioso *attamen* restitui h. l. et XVI. 11, 2 secundum Madvigii observationem Opusc. I p. 491 et ad Fin. p. 286. cf. Wes. Emend. alt. p. 25.

nec miserrimae [mulieris] Tulliolae. Vocabulum male iteratum cum Bentivolio seclusi. Sed fortasse haec gravius corrupta sunt, et sic legendum: *nec spem aerumnosissimae mulieris nec miserrimae filiolae obsecrationem.*

quod scripsi supra. Mortem. Respicit ad extrema verba § 1, *hanc miserrimam vitam — abiecero.* Cf. 7, 2.

§ 3. *Pomponi.* Cum Mediceo omisi praenomen, cui locus non est in sermone familiari et in epistola ad amicum scripta. Nec dubito, quin delendum sit infra IV. 2, 5. Fuse de praenominis usu disp. Ellendt ad Cic. de Orat. II. p. 345 seqq.

proiectum ɔ: abiectum vel ex urbe pulsum, ut in Ovid. Metam. XV. 504 *immeritumque pater proiecit ab urbe* et ex Ponto II. 3, 30 *vix duo proiecto tresve tulistis opem.*

si minus. Ita dant codd. h. l. et Off. I. 14 extr. De Orat. II. 306 ex optimis *si id minus* restituit Ellendt pro *sin id minus.* Att. IX. 15, 1 e Mediceo notatur *si minus.* Utro modo scribatur, nihil interest.

XX. (A. U. C. 696.)

CICERO S. D. Q. CAECILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO.

1. quod quidem ita esse et avunculum tuum functum esse officio, vehementissime probo, gaudere me tum dicam, si mihi hoc verbo lice-

Q. Caecilio Q. F. Pomponiano Attico. Corn. Nepos in Attico 5 scribit Pomponium ab avunculo Q. Caecilio, homine divite testamento adoptatum et ex dodrante heredem factum esse. Hinc modo T. Pomponius Atticus modo Q. Caecilius Atticus dicebatur, cf. Varro de Re Rust. II. 2. Suet. Tib. 7, eiusque liberto Q. Caecilio Epirotae nomen fuit. Suet. de gramm. 16. Cicero novum nomen et hereditatem festive nunc amico gratulatur.

bit uti. Me miserum! quam omnia essent ex sententia, si nobis animus, si consilium, si fides eorum, quibus credidimus, non defuisset! quae colligere nolo, ne augeam maerorem; sed tibi venire in mentem certo scio, quae vita esset nostra, quae suavitas, quae dignitas, ad quae recuperanda, per fortunas! incumbe, ut facis, diemque natalem reditus mei cura ut in tuis aedibus amoenissimis agam tecum et cum meis. Ego huic spei et exspectationi, quae nobis proponitur maxima, tamen volui praestolari apud te in Epiro, sed ita ad me scribitur, ut putem esse commodius nos eisdem in locis esse. 2. De domo et Curionis oratione, ut scribis, ita est. In universa salute, si ea modo nobis re-

Nam initium epistolae pendet ex inscriptione, ut Fam. I. 10, ubi nihil deest, et VII. 29, cuius initium: *Sum enim χρήσει μὲν tuus* referri debet ad id, quod in inscriptione est: *Ciceroni suo.*

si nobis animus, cet. Recte observat Moserus Symb. Crit. V. p. 3, voces *eorum, quibus credidimus* ad solam *fidem* pertinere, *animum* et *consilium* ipsius Ciceronis esse. Cf. ad Q. fr. I. 4, 1, *ita mihi nihil misero praeter fidem amicorum, cautum meum consilium defuit,* qui locus aliquanto purior erit, si verba *ita* et *nihil* e διττογραφίᾳ orta expunxeris.

certo scio. Multi sunt grammatici in definiendo discrimine inter hanc formulam et *certe scio;* illa ratione veritatem, in ipsa scientia positam, declarari volunt ut sit: *certa est mihi rei scientia;* hac autem veritatis persuasionem, in dicentis iudicio positam: *certum est me scire.* Vid. Reisig. Schol. § 135 cum adn. 249. Sed merito has argutias contemnit Madvigius in praef. ad Cat. mai. et Laelium, Hauniae 1835, p. V, in cuius iudicio acquiescendum puto, pro *certo* etiam *certe* poni potuisse, non contra, et quid quoque loco scriptum sit, e codicum auctoritate statuendum esse. In verbis *quae vita esset nostra,* imperf. coniunct. *esset* ne cui videatur praeceptis de consecutione temporum repugnare, monendum Ciceronem loquentem de vita, quae olim fuisset, non quae tum esset, aliter scribere non potuisse.

per fortunas sc. te oro, quod saepius omittitur. Vid. exempla quae collegit Kritz. ad Sall. Iug. 14, 25. Orellium vero non probo, qui ubique formulam *per te* (*vos*) *fortunam* sim. Tullio obtrudere studuit, ut Fam. XIV. 1, 5. Planc. 103. Utrumvis recte dicitur, more Graecorum, velut in Eurip. Med. 65 legimus πρὸς γενείου, ibid. 324. πρός σε γονάτων. *Per fortunas* rursus legitur V. 11, 1 et 13, 3. De aedibus Attici cf. Corn. Att. 13.

diem natalem reditus mei. Dies natalis proprie est dies, quo quis nascitur; tum dies, quo quotannis natalium memoria celebratur. Sic *diem reditus natalem* vocat ipsum illum diem, quo in patriam rediret, Sest. 131, eadem usus metaphora, qua reditum suum *alterius vitae quoddam initium* IV. 1, 8 et παλιγγενεσίαν VI. 6, 4 appellat. Graeci ab exsilio reduces vocabant δευτεροπότμους.

tamen volui. „In v. *tamen* inest impatientiae, qua reditum exspectabat, significatio." Vellem Orellius hunc usum aliquo exemplo illustrasset, nunc de veritate dubito. Mihi videtur *tamen* vim v. *quae nobis prop. maxima* circumscribere, ut dicat se spem illam, quam alii ut maximam proponebant, etsi sibi non adeo magna, quin tenuis videretur, ep. sup. 2, tamen abiicere noluisse. Faciunt huc exempla, quae Ellendtii diligentia congessit ad de Orat. II. p. 208 sq., velut Orat. I. 205, *nam nunc quibus studendum rebus esset accepimus, quod ipsum est tamen magnum.* Reliqua apud ipsum inspiciantur. *Quae nobis p. maxima* scripsi de Corradi coniectura probata quoque Wesenbergio, Emend. p. 8. In Med. est *maxime,* quod quominus retineatur et cum *volui* coniungatur, ipsum illud *tamen* prohibet.

eisdem in locis, in quibus nunc sumus, Thessalonicae,

§ 2. *De domo* cet. Aliquam lucem haec mutuantur ex litteris postridie ad Terentiam datis Fam. XIV. 2, 3. *Quod de domo scribis, hoc est, de area; ego vero tum denique mihi videbor restitutus, si illa nobis erit restituta.* C. Curio, qui erat inter pontifices (Har. resp. 12), de ea re publice privatimve aliquid dixerat.

stituetur, inerunt omnia, ex quibus nihil malo quam domum; sed tibi nihil mando nominatim, totum me tuo amori fideique commendo. Quod te in tanta hereditate ab omni occupatione expedisti, valde mihi gratum est; quod facultates tuas ad meam salutem polliceris, ut omnibus rebus a te praeter ceteros iuver, id quantum sit praesidium video intelligoque te multas partes meae salutis et suscipere et posse sustinere neque, ut ita facias, rogandum esse; 3. quod me vetas quicquam suspicari accidisse ad animum tuum, quod secus a me erga te commissum aut praetermissum videretur, geram tibi morem et liberabor ista cura, tibi tamen eo plus debebo, quo tua in me humanitas fuerit excelsior quam in te mea. Velim, quid videas, quid intelligas, quid agatur, ad me scribas tuosque omnes ad nostram salutem adhortere. Rogatio Sestii neque dignitatis habet nec cautionis; nam et nominatim ferri oportet et de bonis diligentius scribi; [et] id animadvertas velim. Data IIII. Non. Octobres Thessalonica.

in tanta hereditate. Accepit circiter centies sestertium, teste Corn. Att. 5, 2. *Ab omni occupatione te expedisti* est a litibus liberum te praestitisti.

te multas partes meae salutis suscipere ↄ: te multum laborare, ut salvus et incolumis sim. Conferri possunt locutiones *multis partibus plures* et *omnibus partibus plus,* quae illustrantur in adnot. I. F. Gronovii ad ep. Fam. I. 2, 2.

§ 3 *excelsior* ↄ: illustrior, magis conspicua. In R. memorabilis est varietas *excellentior.* Mox idem liber pro *tuosque omnes* praebet *omnesque* ut M².

Rogatio Sestii. P. Sestius, tribunus plebis designatus, statim post magistratum initum legem ferre volebat de restituendo Cicerone. Eam videtur vel ipse ad Ciceronem misisse, vel cum Attico communicasse, qui amico transmiserit. Sed huic non placebat ob rationes, quas ipse addit. Cf. ep. 23, 4. Neque lata est. — *et* ante *id animadvertas* esse delendum recte vidit W. Emend. alt. p. 97.

XXI. (*A. U. C.* 696.)

Triginta dies erant ipsi, quum has dabam litteras, per quos nullas a vobis acceperam; mihi autem erat in animo iam, ut antea ad te scripsi, ire in Epirum et ibi omnem casum potissimum exspectare. Te oro ut, si quid erit, quod perspicias, quamcunque in partem quam planissime ad me scribas et meo nomine, ut scribis, quibus putabis opus esse, ut des. Data V. Kal. Novembres.

Triginta dies erant ipsi. Pron. *ipse* numeris additum accuratius definiendo inservit, quo modo etiam *integrum* et *solidum* (apud Varronem) dici Malaspina monuit. Belg. dixeris *juist.* Cf. V. 11. 4. VI. 8, 4.

iam, ut antea ad te scripsi. Traiectis vocabulis potius lege: *ut iam ante ad te scripsi.* — In subscriptione epistolae *Thessalonicae,* quod in codd. notis non invenitur, sine causa a Bosio additum est.

XXII. (*A. U. C.* 696).

1. Etsi diligenter ad me Quintus frater et Piso quae essent acta scripserant, tamen vellem tua te occupatio non impedisset quo minus, ut consuesti, ad me quid ageretur et quid intelligeres perscriberes. Me adhuc Plancius liberalitate sua retinet iam aliquoties conatum ire in Epirum: spes homini est iniecta non eadem, quae mihi, posse nos una decedere, quam rem sibi magno honori sperat fore. Sed iam, quum adventare milites dicentur, faciendum nobis erit, ut ab eo discedamus, quod quum faciemus, ad te statim mittemus, ut scias ubi simus. 2. Lentulus suo in nos officio, quod et re et promissis et litteris declarat, spem nobis nonnullam affert Pompeii voluntatis: saepe enim tu ad me scripsisti eum totum esse in illius potestate. De Metello scripsit ad me frater, quantum speraret, perfectum esse per te. 3. Mi Pomponi, pugna ut tecum et cum meis mihi liceat vivere et scribe ad me omnia. Premor luctu desiderio quum omnium rerum, (tum meorum), qui mihi me cariores semper fuerunt. Cura ut valeas. 4. Ego quod, per Thessaliam si irem in Epirum, perdiu nihil eram auditurus et quod mei studiosos habeo Dyrrhachinos, ad eos perrexi, quum illa superiora Thessalonicae scripsissem. Inde quum ad te me convertam,

§ 1. *Piso.* L. Calpurnius Piso Ciceronis gener, cuius studium erga socerum et omnes suos Cicero laudat ad Q. fr. I. 4, 2. Fam. XIV. 1, 4. 2, 2.

occupatio. Cf. quae notavi ad II. 23, 1.

Sed iam, quum adventare milites dicentur. Futurum est e cod. Med., idque necessarium esse ostendit, quod sequitur *faciendum erit.* Nam praesenti *dicuntur* responderet *faciendum est. iam* iungendum est cum *faciendum erit*, eademque vi ponitur atque in Bruto, 171 *Iam intelliges, quum in Galliam veneris. Milites* sunt Pisonis consulis, qui in Macedoniam provinciam proficisci parabat. Cf. Fam. XIV. 1, 3.

§ 2. *eum totum esse in illius potestate* ɔ: Lentulum nihil non facere ex voluntate Pompeii. Si itaque Lentulus ille consul designatus Ciceronis causam agebat, certum erat Pompeio hoc gratum esse.

De Metello cet. Metellus Nepos, alter consul designatus, simultatem humanissime deponere volebat, ut Cicero scribit infra ep. 24, 2. Cf. Sest. 72, de prov. cos. 22, aliisque locis.

quantum speraret. Male Orellius obtemperavit Ernesto de coniectura scribenti *sperarit.* Quasi vero Q. Cicero non scribere potuerit: quantum *sperabam* (quo tempore has ad te litteras dabam), perfectum est per T. Pomponium? W. scripsit *sperasset*, putans Ciceronem recta oratione dicturum fuisse: quantum speravi aut speraveram, *profectum* (cum Med.) est per Atticum.

§ 3. *pugna* ɔ: omnibus viribus contende. Cf. Fam. III. 10, 3 *illud pugna et enitere, ne quid nobis temporis prorogetur.*

Premor luctu desiderio cet. In his verbis scribendis Baiterum, qui nihil a cod. Med. recessit, sequi malui, quam Wesenbergium. Quam facile *tum meorum* post *ium rerum* a librario omitti potuerit facile apparet. Non inutile erit monere *luctu* et *desiderio* non esse ablativos eiusdem generis. Facile hoc intelligitur constructione in activam formam mutata. Nam tunc erit: *Desiderium meorum premit me luctu.*

§ 4. *perdiu nihil eram auditurus*, sive quod longum iter, sive quod devium erat.

ad te me convertam. Cf. adn. ad ep. 11, 1.

faciam ut scias, tuque ad me velim omnia quam diligentissime, cuicuimodi sunt, scribas. Ego iam aut rem aut ne spem quidem exspecto. Data VI. Kal. Decembr. Dyrrhachio.

cuicuimodi sunt ɔ: cuiuscunque generis sunt, quocunque modo se habent. Cf. XII. 18, 1. Adverbium *cuicuimodi*, quod Ciceroni saepe contra codices redditum est (vid. Zumpt. ad Verr. lib. V. 107), ortum videtur e pronuntiatione gen. *cuius, cuiu'*, quasi vox unius syllabae sit.

aut rem aut ne spem quidem ɔ: aut promulgatum esse de mea salute aut nunquam promulgatum iri.

XXIII. A. U. C. 696.)

1. A. d. v. Kal. Decembr. tres epistolas a te accepi; unam datam a. d. VIII. Kal. Novembr., in qua me hortaris, ut forti animo mensem Ianuarium exspectem eaque, quae ad spem putas pertinere, de Lentuli studio, de Metelli voluntate, de tota Pompeii ratione perscribis. In altera epistola praeter consuetudinem tuam diem non adscribis, sed satis significas tempus: lege enim ab octo tribunis pl. promulgata, scribis te eas litteras eo ipso die dedisse, id est a. d. IIII. Kal. Novembr., et quid putes utilitatis eam promulgationem attulisse perscribis: in quo si iam nostra salus cum hac lege desperata erit, velim pro tuo in me amore hanc inanem meam diligentiam miserabilem potius quam ineptam putes; sin est aliquid spei, des operam, ut maiore diligentia posthac a novis magistratibus defendamur. 2. Nam ea veterum tribunorum pl. rogatio tria capita habuit: unum de reditu meo, scriptum incaute; nihil enim restituitur praeter civitatem et ordinem, quod mihi pro meo casu satis est, sed, quae cavenda fuerint et quo modo, te non fugit: alterum caput est tralaticium de impunitate, SI QVID CONTRA ALIAS LEGES EIVS LEGIS ERGO FACTVM SIT: tertium caput, mi Pomponi, quo consilio et a quo sit inculcatum vide. Scis enim

§ 1. *ad spem* ɔ: ad spem mihi faciendam. Idem ex Att. XI. 15, 1 et 20, 1 Hofmannus attulit. Nec aliter explicanda sunt *ad pugnam* (Caes. B. G. I. 25), *ad praedam, ad salutem*, alia.

lege — promulgata. Cf. Sest. 69 sq.

in quo — desperata erit ɔ: atque hoc loco hoc tibi dicam, si hac lege impedita intercessione Aelii Liguris deterrebuntur alii ab agendo pro me, cet.

hanc — diligentiam, quam nunc positurus sum in illa lege examinanda. Cf. § 4 extr.: *Vereor, ne re iam desperata legas, ut haec mea diligentia miserabilis tibi videatur.*

a novis magistratibus. Codd. habent *nostris*, quod explicari potest: qui nobis favent, ut in § 3 init. *octo nostri tribuni.* Sed praestat *novis*, ut Manutius correxit, propter sequens *veterum tribunorum.* Ita infra § 4 *Id caput sane nolim novos tribunos ferre.*

§ 2. *pro meo casu* ɔ: ut nunc est. Ego cui omnia sunt erepta accipio, quodcunque mihi dabitur.

quae cavenda fuerint, de domo reficienda et de bonis reddendis.

EIVS LEGIS ERGO. *Ergo* pro *causa* e Graeco ἔργῳ ortum raro invenitur extra formulas dedicationum, legum et edictorum. Cf. Hand.

Clodium sanxisse, ut vix aut omnino non posset nec per senatum nec per populum infirmari sua lex. Sed vides nunquam esse observatas sanctiones earum legum, quae abrogarentur; nam, si id esset, nulla fere abrogari posset — neque enim ulla est, quae non ipsa se saepiat difficultate abrogationis — sed, quum lex abrogatur, illud ipsum abrogatur, quo non eam abrogari oporteat. 3. Hoc, quod re vera ita est, quum semper ita habitum observatumque sit, octo nostri tribuni pl. caput posuerunt hoc: SI QVID IN HAC ROGATIONE SCRIPTVM EST, QVOD PER LEGES PLEBISVE SCITA — hoc est, quod per legem Clodiam — PROMVLGARE, ABROGARE, DEROGARE, OBROGARE SINE FRAUDE SVA NON LICEAT, NON LICVERIT, QVODVE EI QVI PROMVLGAVIT, ABROGAVIT, DEROGAVIT, OB EAM REM POENAE MVLTAEVE SIT, E. H. L. N. R. 4. Atque hoc in illis tribunis pl. non laedebat; lege enim collegii sui non tenebantur; quo maior est suspicio malitiae alicuius, quod id, quod ad ipsos nihil pertinebat, erat autem contra me, scripserunt, ut novi tribuni pl., si essent timidiores, multo magis sibi eo capite utendum putarent. Neque id a Clodio praetermissum est; dixit enim in con-

Turs. II. p. 441 sq. et H. Iordan, Krit. Beitraege p. 260. Ceterum omittitur apodosis: *id ei, qui fecerit, ne fraudi esto.*

ut vix aut omnino non posset. Eadem vi dicitur quoque *vix aut ne vix quidem.* Fin. IV. 32. Fam. IX. 8, 2.

illud ipsum — oporteat ɔ: sanctio legis ipsa. *Quo non* pro *quomodo* recte a Malaspina emendatum videtur. Idem sic poterat enuntiari: *illud ipsum abrogatur, quod eam abrogari prohibet.* Non probo Klotzium *quominus* scribentem.

§ 3. *Hoc, quod revera ita est, quum semper-sit.* Optime ita Med., nisi quod solito errore *ita sit* pro *ita 'st* habet.

abrogare, derogare, obrogare. Cf. Cic. Rep. III. 33. *Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest,* et de Inv. II. 134. Ulpianus in prooem. libri Regul. § 3: *Lex aut rogatur, id est fertur; aut abrogatur, id est prior lex tollitur; aut derogatur, id est pars primae tollitur; aut subrogatur, id est adiicitur aliquid primae legi: aut obrogatur, id est mutatur aliquid ex prima lege.* Ulpiani auctoritate standum esse censet Dukerus ad Flor. III. 15, 4. Etymologia tamen magis commendat Pauli Diaconi interpretationem: *obrogare est legis prioris infirmandae causa legem aliam ferre.* Sed potuit vocabulum sensim ab hac in illam sententiam deflecti.

SINE FRAUDE e Med. recepi pro siglis *S. F.* Sed non obtemperavi Th. Mommseno pro POENAE MULTAEVE SIT in Corp. inscr. Lat. I. p. 263 corrigenti POENA EI MULTAVE SIET, quum paulo ante in eodem Med. scriptum esset QVOD VEL QVI. Facile enim apparet VEL ortum esse ex VEI ut sit QUODVE EI QUI.

E. H. L. N. R. ɔ: eius hac lege nihil rogatur. p. Caec. 33. Vulgaris est legum clausula, de qua conf. Brissonius de Form. II. 19.

§ 4. *lege enim collegii sui non tenebantur.* Orellius in alt. edit. revocavit scripturam Med., quum antea ex Ascensiana scripsisset *collegae sui.* Recte. Nam Cicero contendit octo tribunos non teneri lege, quae a P. Clodio adversus collegii sententiam lata erat. Ideo mox scribit de iisdem: *soluti quum essent.* Loci sententiam recte expressit Wielandus II. p. 100. „*Aber unsre acht Tribunen hatten ja nichts zu befürchten, da das Gesetz des Clodius ohne ihre Beystimmung gegeben, also kein Gesetz ihres Collegiums war, und ihnen fölglich die Hände nicht binden könnte.*"

tione a. d. III. Non. Nov. hoc capite designatis tribunis pl. praescriptum esse quid liceret. Tamen in lege nulla esse eiusmodi caput te non fallit, quo, si opus esset, omnes in abrogando uterentur. Ut Ninnium aut ceteros fugerit investiges velim, et quis attulerit, et quare octo tribuni pl. ad senatum de me referre non dubitarint, — † sive quod observandum illud caput non putabant — iidem in abrogando tam cauti fuerint, ut id metuerent, soluti quum essent, quod ne iis quidem, qui lege tenentur, est curandum. Id caput sane nolim novos tribunos pl. ferre, sed perferant modo quidlibet; uno capite, quo revocabor, — modo res conficiatur — ero contentus. Iam dudum pudet tam multa scribere; vereor enim, ne re iam desperata legas, ut haec mea diligentia miserabilis tibi, aliis irridenda videatur; sed si est aliquid in spe, vide legem, quam T. Fadio scripsit Visellius; ea mihi perplacet; nam Sestii nostri, quam tu tibi probare scribis, mihi non placet. 5. Tertia est epistola prid. Id. Novembr. data, in qua exponis prudenter et diligenter quae sint quae rem distinere videantur, de Crasso, de Pompeio, de ceteris. Quare oro te ut, si qua spes erit, posse studiis bonorum, auctoritate, multitudine comparata rem confici, des operam ut uno impetu perfringantur, in eam rem incumbas ceterosque excites; sin, ut ego perspicio quum tua coniectura, tum etiam

quo, si opus esset, omnes — uterentur. Sic dedi de Madvigii coni. apud Wesenberg. Emend. p. 72.

Ut Ninnium aut ceteros fugerit ɔ: quomodo illis non venerit in mentem, eiusmodi caput in nulla simili lege esse. Ex octo tribunis solum L. Ninnium nominat, quoniam hic iam antea de Cicerone revocando ad senatum retulerat, cf. Sest. 68. Pro *aut* Malaspina rectè *ac*, minus recte *ut* requirebat. Similiter *aut* pro *ac* optimi libri praebent Tusc. V. 115 (*delectationem animi aut voluptatem*) et saepe alias. Longe aliter Hofmannus haec constituit: *quo si opus esset omnes in abrogando uti, mirum ut ceteros fugerit. Investiges* cet. Non ausus sum haec recipere.

quis attulerit. „Quis audivit dici *afferre* pro adscribere? Scribendum *addiderit* vel *adiecerit.*" I. F. Gronovius.

† *sive quod.* Med. Id defensorem invenit Klotzium, qui suspicatur alterum membrum, a particula *sive* incipiens a librariis esse omissum. Manut. corr. *si enim*, Bosius *sitne*, Lallemandus *scilicet.* Hofmannus 3 recepit, quod mihi in mentem venerat *sane quod.* Fr. Schmidt haec ex adnotatione marginali orta censet.

T. Fadio Gallo, uni e novis tribunis. Vid. ad Q. fr. I. 4, 3.

Visellius ICtus, Tullii consobrinus, de quo vid. Brut. 264. Praenomen ei erat C. non T., quod errore h. l. in codd. Visellio praeponitur. De Sestii rogatione vid. supra 20, 3.

§ 5. *auctoritate, multitudine comparata.* Thierschio placet quod ex Ambros. libro notatur *auct. multitudinis comparata.* Sed multitudinis nulla est auctoritas et si vel maxime esset, voc. *comparata* inepte adderetur. Agitur autem de civibus e municipiis et coloniis ad comitia evocatis.

perfringantur. Perfringere est rem adversam frangere et impedimentum tollere. Verbum accommodatum ad id, quod *multitudine comparata* geritur. Sed quum agatur de iis, quae rem distinerent, non de ipsa re, *perfringantur,* ut est in cod. Ambros., praetuli alteri *perfringatur.* Quod Graevius coniecit *perfungamur* non satis aptum videtur.

mea, spei nihil est, oro obtestorque te, ut Quintum fratrem ames, quem ego miserum misere perdidi, neve quid eum patiare gravius consulere de se, quam expediat sororis tuae filio; meum Ciceronem, cui nihil misello relinquo praeter invidiam et ignominiam nominis mei, tueare, quoad poteris; Terentiam, unam omnium aerumnosissimam, sustentes tuis officiis. Ego in Epirum proficiscar, quum primorum dierum nuntios excepero: tu ad me velim proximis litteris ut se initia dederint perscribas. Data pridie Kal. Decembr.

quem ego — perdidi, eo quod pecuniam Quinto Asiae praetori ex aerario numeratam dissiparat, nec integram reddere poterat. Cf. ad Q. fr. I. 3, 7. *Miserum misere* iunxit e consuetudine Romanorum, quam illustravit Naeckius in Mus. Rhen. Niebuhrii III. p. 329 sq.

sororis tuae filio ↄ: Quinto filio, Pomponia nato.

Terentiam unam omnium aerumnosissimam. Suspicor deesse *mulierem.* Nam nominibus propriis raro adiectiva nude adduntur.

primorum dierum — initia. Spectant haec ad novos tribunos, qui munus a. d. IV. Id. Dec. inibant. Cff. quae scribit ad Terentiam, Fam. XIV. 3, 3 eodem die: *Nunc spes reliqua est in novis tribunis pl. et in primis quidem diebus; nam si inveterarit, actum est.*

ut se initia dederint ↄ: qualia fuerint initia. De hoc usu verborum *se dare* vidd. intt. ad Liv. XXVIII. 5, 9, *prout tempus ac res se daret.* Cf. quoque Seneca de tranq. an. 3, 15, *utcunque se resp. dabit*, cet., et quae e poëtis collegit Markl. ad Stat. Silv. I. 4, 49. Madvigius Op. Acad. II p. 15 eandem locutionem Ciceroni reddidit p. Balbo, 3 *ei — omnia, quae faceret, recte se dare* corrigens pro: *— faceret tractare.*

XXIV. (*A. U. C.* 696.)

1. Antea, quum ad me scripsissetis vestro consensu consulum provincias ornatas esse, etsi verebar quorsum id casurum esset, tamen sperabam vos aliquid aliquando vidisse prudentius; posteaquam mihi et dictum est et scriptum vehementer consilium vestrum reprehendi, sum graviter commotus, quod illa ipsa spes exigua, quae erat, videretur esse sublata; nam si tribuni pl. nobis suscensent, quae potest

§ 1. *vestro consensu.* Int. consensum eorum omnium, qui Ciceronis causam susceperant.

consulum provincias ornatas esse. Aliud est *decernere provincias*, aliud *ornare.* Illud ex lege Sempronia a senatu fiebat ante comitia consularia, eratque statuere, quas provincias consules quum magistratu abiissent, obtinerent; hoc vero erat constituere, num provincias obtinerent cum imperio, decernere quot legionibus constaret exercitus, numerum legatorum definire et similia. De his omnibus rebus decernendi potestas erat penes senatum, sed receptum erat, ut haec non prius fierent, quam novi consules munus iniissent. Nunc vero incertum qua de causa factum erat ante Kal. Dec,, ut novorum tribunorum pl. nullae in his partes fuerint. Cff. intt. ad Suet. Caes. 18. In eadem re etiam ipsi magistratus ornari dicuntur, ut infra: *de consulibus ornandis.* ad Q. fr. II. 3, 1. *Referebatur de provinciis quaestorum et de ornandis praetoribus.*

quorsum id casurum esset. § 2. *Haec res quemadmodum ceciderit.* Cf. ep. 7, 1. *Sane ita cadebat, ut vellem.* Locutionem Romanis scriptoribus admodum familiarem ab alea desumptam esse docent Manutius ad Cic. Fam. I. 7, 5 aliique citati in Oudendorpii Scholiis p. 201.

spes esse? ac videntur iure suscensere, quum et expertes consilii fuerint ii, qui causam nostram susceperant, et vestra concessione omnem vim sui iuris amiserint, praesertim quum ita dicant se nostra causa voluisse suam potestatem esse de consulibus ornandis, non ut eos impedirent, sed ut ad nostram causam adiungerent; nunc, si consules a nobis alieniores esse velint, posse id libere facere; sin velint nostra causa, nihil posse se invitis. Nam quod scribis, ni ita vobis placuisset, illos hoc idem per populum assecuturos fuisse, invitis tribunis pl. fieri nullo modo potuit. Ita vereor ne et studia tribunorum amiserimus et, si studia maneant, vinclum illud adiungendorum consulum amissum sit. 2. Accedit aliud non parvum incommodum, quod gravis illa opinio, ut quidem ad nos perferebatur, senatum nihil decernere antequam de nobis actum esset, amissa est, praesertim in ea causa, quae non modo necessaria non fuit, sed etiam inusitata ac nova — neque enim unquam arbitror ornatas esse provincias designatorum —, ut, quum in hoc illa constantia, qua erat mea causa suscepta, imminuta sit, nihil iam possit non decerni. Iis, ad quos relatum est, amicis placuisse non mirum est; erat enim difficile reperire, qui contra tanta commoda duorum consulum palam sententiam diceret. Fuit omnino difficile non obsequi vel amicissimo homini Lentulo vel Metello, qui simultatem humanissime deponeret; sed vereor ne, hos quum ta-

nostra concessione cod. M. Sed ut supra *vestro consensu,* sic h. l. *vestra concessione* necessarium putamus. Idem visum Corrado, I. F. Gronovio, et editoribus recentioribus.

de consulibus ornandis ɔ: quod attinet ad provincias consulum ornandas. Si haec penderent a *potestatem esse,* Cicero scripsisset *consulum ornandorum.*

sin velint nostra causa. Ernestus soloecismo (*vellent*) Tullium liberavit. Cf. Wesenberg, Obss. crit. in Sest. p. 48. *Velle alicuius causa* est alicui bene velle, eius commoda promovere velle. Cf. Att. XII. 28, 1. XIII. 49, 1. XVI. 16 A., 6. Gronovius ad Fam. I. 1, 1 in lectt. Tullian. p. 1. Zumpt. ad Divin. in Caec. 21.

se invitis ɔ: contra voluntatem tribunorum. Pron. reflexivum ponitur, quoniam infinitivi *posse* et *nihil posse* pendent ab *ita dicunt,* quod quo magis appareret, distinctionem mutavi.

per populum. Non suppeditat exemplum provinciae per populum ornatae, sed aliquando etiam populus invito senatu provincias decrevit, Vatin. 35 sq. Liv. XXVIII. 40 et 45. Suet. Caes. 22, et imperatorem ad bellum creavit, Vatin. l.l. Att. VII. 7, 4, ut observat Tunstallus, Op. l. p. 53 seqq.

Ita vereor ne et studia tr. amiserimus et cet. Recte P. Starker Symb. crit. p. 37 pro *ita* posuit particulam conclusionis *itaque,* idemque pro duplice *et* scribi iussit *aut-aut.*

§ 2. *opinio — senatum nihil decernere* ɔ: opinio, quo senatus dicebatur nihil decreturus esse. Eiusdem breviloquentiae exemplum peto e Sest. 68, *omnia senatus reiiciebat* ɔ: reiecturum se dicebat, *nisi de me primum consules retulissent. Opinio* autem dicitur *gravis,* quia magnum pondes habitura erat in causa Ciceronis. Aliam vim habet *gravis opinio* in orat. de imp. Pomp. 23, id quod addito altero adiectivo *vehemens* declaratur.

ad quos relatum est, quos convenistis ad deliberandum ea de re. cf. adn. ad VII. 16, 3.

men tenere potuerimus, tribunos pl. amiserimus. Haec res quemadmodum ceciderit et tota res quo loco sit, velim ad me scribas et ita, ut instituisti; nam ista veritas, etiamsi iucunda non est, mihi tamen grata est. Data IIII. Id. Decembr.

qui — deponeret ɔ: qui — deponere se velle ostendit. Recte Wielandus: der sich bereit zeigte — abzulegen.

hos quum tamen retinere potuerimus. Ernestus *quum* inseruit ante *tamen* ex edit. Iens. *Tamen* sine causa ab Orellio deletum revocavimus. I. F. Gronovius scribi volebat Sed vereor, ne hos tamen *non* tenere potuerimus cet.

iucunda — grata. Vid. ad I. 8, 1. *Veritas* est eius, qui res narrat, ut sunt.

XXV. (*A. U. C.* 696.)

Post tuum a me discessum litterae mihi Roma allatae sunt, ex quibus perspicio nobis in hac calamitate tabescendum esse; neque enim — sed bonam in partem accipies —, si ulla spes salutis nostrae subesset, tu pro tuo amore in me hoc tempore discessisses. Sed ne ingrati aut ne omnia velle nobiscum una interire videamur, hoc omitto; illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmasti, ut te ante Kal. Ian., ubicunque erimus, sistas.

Post tuum a me discessum. Ex iis, quae sequuntur, patet Atticum hoc tempore ex urbe discessisse; sed Ciceronem intra tam exiguum spatium adire non potuit, nec si fecisset, hac ipsa et duabus sequentibus epistolis Cicero tanto opere ab eo petiisset, ut ad se festinaret. Non concedo igitur Grübero in disp. laud. p. 5. Atticum interea Dyrrhachii fuisse, sed suspicor leg. *a meis,* quod Kahntio quoque placere cognovi ex Symb. Crit. p. 5. *ab urbe,* quod Klotzius in Adnott. part. II p. 3 coniecit et in edit. sec. recepit, vix in *a me* abire potuit. Quod autem Tunstallus op. l. p. 90, codd. scripturam defendit, de consilio postea mutato accipiens, mihi non persuasit. Scripsisset saltem Cicero: *Post tuam ad me profectionem.*

tabescendum esse ɔ: paullatim pereundum, ut interpretatur Kritzius ad Sall. Iug. 14, 25.

ne omnia velle nobiscum una interire videamur ɔ: „ne, quia mihi pereundum est, te quoque rerum tuarum curam abiicere et eas interire velle videar." I. F. Gronovius.

ut te — sistas. vid. ad X. 16, 6.

XXVI. (*A. U. C.* 697.)

Litterae mihi a Quinto fratre cum senatus consulto, quod de me est factum, allatae sunt. Mihi in animo est legum lationem exspectare,

Has litterulas et sequentes initio anni 697 scriptas esse apparet e Sest. c. 33 seq. quum SCtum, de quo sermo est, Kal. Ian. factum sit. Hinc apparet, quae in vett. editt. huic epistolio subscribuntur *Vale. VI Kal. Ianuar.* falsa esse. Inveniuntur in R., ut etiam quae extremae epistolae 27 in uno libro Antoniano, quem Malaspina vidit, adhaerebant: *Plura non scribo. Cura ut valeas.*

si obtrectabitur ɔ: si intercessione tribuni SCtum irritum erit factum, neque lex de

et, si obtrectabitur, utar auctoritate senatus et potius vita quam patria carebo. Tu, quaeso, festina ad nos venire.

meo reditu poterit ferri. Similiter fere Livius IV. 57 induxit Servilium Ahalam loquentem: *Si quis intercedat senatus consulto, auctoritate se fore contentum.* — In orat. de imp. Pomp. 21 Cicero scripsit quoque *obtrectare legi* pro adversari, resistere legi. *auctoritate senatus*, qui censuit Ciceronem esse revocandum. Et ita L. Cotta in senatu Kal. Ian. censuerat Ciceronem *non restitui ege, sed revocari senatus auctoritate oportere.* p. Sest. 73.

XXVII. (*A. U. C.* 697.)

Ex tuis litteris et ex re ipsa nos funditus perisse video. Te oro, ut, quibus in rebus tui mei indigebunt, nostris miseriis ne desis; ego te, ut scribis, cito videbo.

Nos funditus perisse video. Haec scripta videntur post d. VIII Kal. Febr., quum ea in foro facta essent, quae narrantur in Sestianae c. 35. Saepius deinde de Cicerone revocando actum est, sed res dilata usque ad Nonas Sext., ut ep. 1 libri seq. nos docebit.

LIBER IIII.

I. (*A. U. C.* 697.)

1. Quum primum Romam veni fuitque, cui recte ad te litteras darem, nihil prius faciendum mihi putavi, quam ut tibi absenti de reditu nostro gratularer; cognoram enim, ut vere scribam, te in consiliis mihi dandis nec fortiorem nec prudentiorem quam me ipsum nec etiam pro praeterita mea in te observantia nimium in custodia salutis meae

§ 1. *cui recte ad te l. darem* ɔ: tuto, sine periculo ne tibi redderentur. cf. Fam. I. 7, 1. 9, 23. II. 5, 2.

Nec etiam — diligentem. Non molesta est haec officii neglecti exprobratio, si cogitamus Ciceronem nunc amico scribere, quomodo exsul de eo iudicasset. Indicatur hoc plusquamperfecto *cognoram*. Similes querelas fudit in ep. 15, 4 et 7, libri III. Mitigatur autem exprobrationis acerbitas iis, quae statim addit de opera ab Attico ad suum reditum conficiendum collata. Ergo non assentior Schuetzio haec glossatori tribuenda suspicanti, neque probo Orellium *nec* secludentem neque Hofmannum *nec* in *me* mutantem.

prō praeterita mea in te observantia. Quod Med. et Rav. dant *propter meam in te observantiam* non posse probari Malaspina et Lambinus monuerunt. Vitiosa scriptura cod. Memm. *propterea*, cod. Torn. *propterita* commendant id, quod Bosius invenit. Quum e compendio *pro pterita* librarii fecissent *propterita* et *propterea*, scriptor cod. Med. ultimas litteras omisit et casus nominum

diligentem, eundemque te, qui primis temporibus erroris nostri aut potius furoris particeps et falsi timoris socius fuisses, acerbissime discidium nostrum tulisse plurimumque operae, studii, diligentiae, laboris ad conficiendum reditum meum contulisse. 2. Itaque hoc tibi vere affirmo in maxima laetitia et exoptatissima gratulatione unum ad cumulandum gaudium conspectum aut potius complexum mihi tuum defuisse, quem semel nactus si unquam dimisero ac nisi etiam praetermissos fructus tuae suavitatis praeteriti temporis omnes exegero, profecto hac restitutione fortunae me ipse non satis dignum iudicabo. 3. Nos adhuc, in nostro statu, quod difficillime recuperari posse arbitrati sumus, splendorem nostrum illum forensem et in senatu auctoritatem et apud viros bonos gratiam magis, quam optamus, consecuti sumus; in re autem familiari, quae quemadmodum fracta dissipata direpta sit non ignoras, valde laboramus tuarumque non tam facultatum, quas ego nostras esse iudico, quam consiliorum ad colligendas et constituendas reliquias nostras indigemus. 4. Nunc, etsi omnia aut scripta esse a tuis arbitror aut etiam nuntiis ac rumore perlata, tamen ea scribam brevi, quae te puto potissimum ex meis litteris velle cognoscere. Pridie Nonas Sext. Dyrrhachio sum profectus, ipso illo die,

praepositioni *propter* accommodavit. Non assentior Madvigio A. C. III p. 171 seq. Ciceronem scripsisse *propter meam in te inobservantiam.*

eundemque te ɔ: et simul cognoram te cet. Similiter *idemque* ponitur III. 12, 1.

§ 2. *quem — si unquam dimisero, ac nisi — exegero, profecto — iudicabo.* In Med. quum initio scriptum esset *tum quam dimisero*, correctum est *nunquam dimisero.* Non apparet, cur Cicero non scripserit: *nunquam dimittam.* Madvigius in praeclara disp. de formarum quarundam verbi latini natura et usu in Opusc. Ac. II. p. 95 sq. docuit in futuro exacto nonnunquam inesse celeritatis et certae affirmationis vim, sed non attulit alterum negationis asseveratae exemplum e Ciceronis scriptis. At omnia optime procedunt et facillime intelliguntur recepta correctione, quam Meutznerus proposuit in Ann. Philol. 89, p. 170, mutata simul distinctione.

praeteriti temporis. Temere Ernestus putabat idem inesse in part. *praetermissos.* Neminem haec offenderent sic enuntiata: fructus suavissimae tuae consuetudinis, quos praeterito tempore parum aestimans praetermisi. Atqui hoc idem alio modo nunc declaratur. Duplicis genitivi ab uno nomine pendentis Hoffmannus adscripsit simillimum exemplum e Fam. IX. 8, 2, *superiorum temporum fortuna reipublicae,* nec dissimile est, quod legimus Phil. VII. 15: *cuius (Antonii) ut omittam innumerabilia scelera urbani consulatus* ɔ: quae ille consul in urbe commisit, et Att. XV. 11, 4 *huius iuris quinquennii licentia.*

§ 3. *magis quam optamus.* Non scripsit *magis quam speramus*, quod esset: praeter exspectatlonem nostram. Sed *optandi* verbo declarat se metuere, ne illa invidiam nonnullorum potentium in se excitarent. Quod plerique editores receperunt *optaramus*, coniecturae debetur non necessariae.

fracta. Cf. Hor. Sat. II. 3, 18, *Postquam omnis res mea Ianum ad medium fracta est.* In ep. 3, 2 h. l. domus dic. *fracta coniectu lapidum* ɔ: laesa, violata.

§ 4. *ea scribam brevi.* In Med. et Rav. *inscribam*, unde Thierschius fecit *conscribam*

quo lex est lata de nobis. Brundisium veni Nonis Sext. Ibi mihi Tulliola mea fuit praesto natali suo ipso die, qui casu idem natalis erat et Brundisinae coloniae et tuae vicinae Salutis; quae res animadversa a multitudine summa Brundisinorum gratulatione celebrata est. Ante diem VI. Id. Sext. cognovi litteris Quinti fratris mirifico studio omnium aetatum atque ordinum, incredibili concursu Italiae legem comitiis centuriatis esse perlatam. Inde a Brundisinis honestissime ornatus iter ita feci, ut undique ad me cum gratulatione legati convenerint. 5. Ad urbem ita veni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit, praeter eos inimicos, quibus id ipsum non liceret aut dissimulare aut negare. Quum venissem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant, a qua plausu maximo quum esset mihi gratulatio significata, similis et frequentia et plausus me usque ad Capitolium celebravit in foroque et in ipso Capitolio miranda multitudo fuit. Postridie in senatu, qui fuit dies Non. Septembr., senatui gratias egimus. 6. Eo biduo quum esset annonae summa caritas et homines

cui repugnare videtur additum *brevi* i. e. breviter. I. F. Gronovius volebat: *infra scribam*, Wes. *tibi scribam*, quod Klotzius ex Ascens. 3 recepit. Fortasse fuit: *ea iam scribam*, ut *nunc* initio sententiae positum post plura interposita hoc modo quasi repeteretur. cf. P. Starkeri Symb. crit. p. 38 seq.

natalis — coloniae ɔ: dies, quo celebratur memoria coloniae Brundisium deductae, quam A. G. Zumptius Comm. epigr. I. p. 239 suspicatur unam fuisse e XII coloniis lege Livia Drusi a. 632 lata deductis, de quibus vid. Plut. in C. Graccho, 9.

tuae vicinae Salutis. Aedes Salutis in monte Quirinali non longe ab Attici aedibus (Corn. Nep. in Att. 13) dedicata est a. u. 451 a C. Iunio dictatore, Liv. X. 1. Plinius H. N. XXXV. 19 eam Claudii principatu exustam tradit. Ut Cicero hic Salutis, sic Varro *natalem Fortis Fortunae* indicavit in epistola ap. Nonium p. 144.

cognovi. Quae post hoc verbum e Torn. inferuntur *cum Brundisii essem* omisi, ut supervacanea, etsi non nego in epistola familiari talia posse ferri.

a Brundisinis honestissimis ornatus. Sic ll. scripti, quod Hoffmannus verum putat. Orellius intercidisse credebat *decretis*. Ego sequi malui facillimam Faerni correctionem scribendo *honestissime*. Ceterum cum hac reditus sui descriptione conferantur, quae iisdem de rebus scripsit in Sestiana, 131 et in Pisoniana 51 sq.

§ 5. *id ipsum*. Quae in codd. sequuntur *se inimicos esse* apertum glossema continent recteque a multis editoribus reiiciuntur. Qui ea retinent, fortasse etiam defenderent si in simili loco ep. 8. *Ubi nihil erit, quod scribas, id ipsum scribito* aliquis codex daret: *id ipsum nihil esse scribito*.

gradus t. ab infima plebe completi erant. Lehmannus in Hermae vol. XV p, 352, quoniam multitudinis potius quam infimae plebis mentio erat facienda, et quia *complere* non iungitur cum *ab*, correxit *ab infimo* sc. gradu. Dubito de veritate. Nam Tusc. V. 112 codex Parisinus dat *domum compleri a consultoribus*, et Cicero si illud voluisset, scripsisset *ab imo ad summum*.

me — celebravit, me ornavit, ut in Horatii versibus: *Quem virum aut heroa — sumis celebrare, Clio?*

qui fuit dies Non. „ɔ: Nonarum. Fam. III. 11, 1: *in altera dies erat adscripta Nonarum Aprilium*. At Fam. XVI. 3, 1 in cod. Med. est: *is dies fuit Nonae*." Fr. Hoffmann.

§ 6. *Eo biduo* ɔ: biduo, quo haec acta sunt, biduo post. cf. Fam. VII. 4 *me hoc*

ad theatrum primo, deinde ad senatum concurrissent, impulsu Clodii mea opera frumenti inopiam esse clamarent, quum per eos dies senatus de annona haberetur et ad eius procurationem sermone non solum plebis verum etiam bonorum Pompeius vocaretur idque ipse cuperet, multitudoque a me nominatim, ut id decernerem, postularet, feci et accurate sententiam dixi. Quum abessent consulares, quod tuto se negarent posse sententiam dicere, praeter Messallam et Afranium, factum est senatus consultum in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet lexque ferretur. Quo senatus consulto recitato quum continuo more hoc insulso et novo plausum meo nomine recitando dedisset, habui contionem: omnes magistratus praesentes praeter unum praetorem et duos tribunos pl. dederunt. 7. Postridie senatus frequens † et omnes consulares nihil Pompeio postulanti negarunt; ille legatos quindecim quum postularet, me principem nominavit et ad

biduo aut triduo exspecta. Plane idem obtinet in exemplis Caesaris de B. C. I. 41, 1 et 87, 4 ab Hoffmanno citatis ad h. l. Contra in Verr. II. 64 *illo biduo* est: biduo ante, ubi cf. Zumptii adnotatio. Monuit quoque I. F. Gronovius de hoc ablat. temporis ad Liv. XXX. 21, 9.

ad theatrum. Ibi enim L. Caecilius Rufus praetor ludos Apollinares faciebat, ut narrat Asconius ad Milon., 38.

concurrissent. Cicero in plerisque compositis verbi *currere* reduplicationem omisit. Cf. Fam. X. 30, 3 *produxit et concurrit.* Tusc. I. 89 *concurrerunt.* Livius aliique scriptores eam posuisse videntur. Cf. Drak. ad Livii I. 12, 8.

mea opera. Invidiose Clodiani per Ciceronem factum dicebant, quod propter ipsum acciderat. Nam ingens hominum multitudo, quae Romam confluxerat ad Ciceronis in patriam reditum spectandum, effecerat frumenti caritatem. De eadem re agitur in or. p. domo, 14.

Dixi. Quum abessent — Afranium, factum est SCtum cet. Ita distinxi. Plus enim intererat narrare SCtum factum esse, quum abessent consulares, quam illis absentibus se sententiam dixisse. B. et Kl. me secuti sunt.

quum continuo — dedisset. Non placet Manutii suspicio, qui e voc. *continuo* finxit *quum contio.* Durius enim est *quum — contio plausum dedisset, habui contionem,* neque illa hominum multitudo, quibus SCtum recitatum est, contio dici potest. Recte in Med. *continuo* a correctore erasum puto. Tum suspicor ante v. *plausum* excidisse *populus* in veteri libro per compendium *pl'* scriptum.

meo nomine recitando. Ablativus causalis h. l. ferri non potest, sed temporis notio requiritur. His verbis igitur praemittenda videtur praep. *in*, ut in Orat. 74, e cod. Vitebergensi editur *quum in immolanda Iphigenia tristis Calchas esset,* Catil. III. 6, *in litteris dandis — vigilaverat.* Leg. III. 15, 33, *suffragia in magistratu mandando — clam an palam ferre melius esset,* quae sine causa Bakio suspecta fuerunt. Alia ratio est locorum, quos indicavit Wunderus ad Planc. 15. Mur. 17 et Off. I. 4, ubi nudus ablativus recte se habet. Non satis accurate de hac constructione disp. Haasius ad Reisigium, adn. 589; melius Handius Turs. III. 286 sq., cui tamen h. l. dativum *meo nomini recitando* restituenti non obtemperavi. Sauppius in Philol. XIX. p. 254 seqq. nudo ablativo plurimis locis indicari censet id quod rem aliquam comitatur, et *meo nomine recitando* recte dici censet pro: dum meum nomen recitaretur. Recte autem C. M. Francken in Spicilegio emend. in Mureniana p. 7 observat hoc non esse factum, quum Ciceronis nomen e SCto recitaretur, sed *recitato SCto* populum evocasse Ciceronem, ut contionem haberet, et fortasse scribendum esse *me nomine citando.* Malim *me nomine citans.*

omnia me alterum se fore dixit. Legem consules conscripserunt, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur; alteram Messius, qui omnis pecuniae dat potestatem et adiungit classem et exercitum et maius imperium in provinciis, quam sit eorum, qui eas obtineant. Illa nostra lex consularis nunc modesta videtur, haec Messii non ferenda. Pompeius illam velle se dicit, familiares hanc. Consulares duce Favonio fremunt; nos tacemus et eo magis, quod de domo nostra nihil adhuc pontifices responderunt: qui si sustulerint religionem, aream praeclaram habebimus, superficiem consules ex senatus consulto aestimabunt: sin aliter, † demolientur, suo nomine locabunt, rem totam aestimabunt. 8. Ita sunt res nostrae ut in secundis fluxae, ut in adversis bonae. In re familiari valde sumus, ut scis, perturbati. Praeterea sunt quaedam domestica, quae litteris non committo. Quintum fratrem, insigni pietate, virtute, fide praeditum sic amo, ut debeo. Te exspecto et oro ut matures venire eoque animo venias, ut me tuo consilio egere non sinas. Alte-

Habui contionem. Habueritne tum orationem, cuius meminit Dio Cassius, XXXIX, 9, qua populo gratias ageret, non satis constat. Cf. Wolfius in edit. crit. Oratt. IV. p. 81 sq.

magistratus — dederunt. Privato contionem habere non licebat, nisi esset a magistratu curuli vel tribuno plebis productus.

§ 7. *Postridie — negarunt.* Senatus non negavit, sed frequens fuit; omnes consulares, qui in frequenti senatu aderant, nihil P. p. negarunt. Cum W. *et* in *fuit* mutandum censeo.

Messius, tribunus pl. Pompeii familiaris. VIII. 11 D., 2. Mox scribit *classem et exercitum,* quem ordinem plerumque observarunt Romani. Cf. Att. IX. 2, 3, *classes loquens et exercitus.* Fam. I. 7, 4, *cum classe atque exercitu.* Inverso ordine apud Varronem de re rust. I. 4 extr.

Illa nostra lex cons. Nostram dicit legem, quam consules ex SCto ad suam sententiam facto conscripserant.

fremunt. Cf. ad II. 7, 3. *duce Favonio* ɔ: imprimis fremente Favonio, viro fortissimo, ut appellatur p. Mil. 26. Erat vir quaestorius.

qui si sustulerint, cet. Poterant pontifices, quos senatus hac de re consulebat, decernere aream a Clodio sine iure Libertati esse consecratam; quo facto ipsa area Ciceroni restitueretur cum tanta pecuniae summa, quanti domus diruta a Clodio sive *superficies* fuisse aestimaretur; aut illius sacelli religionem vindicare; tum vero consules non poterant illud demoliri, sed curare debebant, ut in alia area publice nova domus Ciceroni exstrueretur. Sed postrema sententiae pars *demolientur — aestimabunt* in hunc modum explicari non potest. Quare corrupta videtur. Tunstallus op. l. p. 77 in loco desperato vehementi medicina usus illa verba delet et post *sin aliter* ellipsin statuit, ita fere supplendam: *actum est de nobis.* Mihi plura hic intercidisse videntur, de quibus e seq. epistola et ex or. p. domo 44 coniicere licet. Aliquid dictum puto de demolitione domus Clodianae, de restitutione porticus Catuli, de aestimatione domus alio in loco ponendae.

§ 8. *ut in secundis fluxae, ut in adversis bonae.* Verba efficere tetrametrum iambicum et e fabula desumpta videri monuit Fr. Buechelerus in Mus. Rhen. XI. p. 512. Formulam, qua id, quod universe dictum est *fluxae — bonae,* certa conditione restringitur, exemplis illustravit Matth. ep. sel. p. 46.

quaedam domestica cet. Cf. quae dicemus ad ep. seq. § 7.

ut matures venire ɔ: ut cito venias. Plancus in Fam. X. 21, 5 *petierat ut maturarem ve-*

rius vitae quoddam initium ordimur. Iam quidam, qui nos absentes defenderunt, incipiunt praesentibus occulte irasci, aperte invidere; vehementer te requirimus.

nire. Exempla v. *maturare* cum infinitivo congessit Kritz. ad Sall. Cat. 36, 3. Iug. 36, 1.

alterius vitae quoddam initium ordimur. Reditum ab exsilio infra VI. 6, 4 παλιγγενεσίαν suam vocat.

II. (*A. U. C.* 697.)

1. Si forte rarius tibi a me quam a ceteris litterae redduntur, peto a te ut id non modo negligentiae meae, sed ne occupationi quidem tribuas, quae etsi summa est, tamen nulla esse potest tanta, ut interrumpat iter amoris nostri et officii mei. Nam, ut veni Romam, iterum nunc sum certior factus esse, cui darem litteras; itaque has alteras dedi. Prioribus tibi declaravi, adventus noster qualis fuisset et quis esset status atque omnes res nostrae quemadmodum essent, ut in secundis fluxae, ut in adversis bonae. 2. Post illas datas litteras secuta est summa contentio de domo: diximus apud pontifices pridie Kal. Octobres. Acta res est accurate a nobis et si unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam, si nunquam alias fuimus, tum profecto

§ 1. *non modo — sed ne — quidem.* Locorum, in quibus ad *non modo* altera negatio omissa videtur, eiusmodi ratio est, ut vel *non modo* pro *non dicam* positum sit, quando *sed* et *sed etiam* sequitur, vel e verbis *sed ne — quidem* ex altero membro negatio una cum praedicato cogitatione repetenda sit. Nam, ubi praedicatum in priori membro ponitur, altera negatio non abest, ut I. 11, 1 *non modo voluntatem eius, quae fuerat erga te, recuperare non potui, verum ne causam quidem elicere immutatae voluntatis,* quo loco ut Cicero etiam scribere potuerat, *non modo voluntatem — recuperare, verum ne causam quidem imm. vol. elicere potui,* ita nunc non minus recte dixisset, *peto a te, ut id non modo non negligentiae tribuas, sed ne occ. quidem.* Multos, qui hunc usum attigerunt, laudat Haase ad Reisigii Scholas, § 250, quibus postea accessit Ellendt ad Cic. Orat. II. p. 78, qui tamen minus recte omnium locorum eandem rationem esse statuit. In verbis de Orat. I. 229, *non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem aut liberius causam dici suam,* ubi Ellendtius e plurimis libris *voluit* recepit, mea quidem sententia vel contra omnium librorum auctoritatem *noluit* unice probandum esset.

iter amoris nostri. Cf. Leg. I. 37 *iter sermonis* et Bakii adnotatio ad e. l.

ut in secundis fluxae, ut in adversis bonae. Non mirum est Ciceroni haec scribenti in mentem rediisse versum alicuius poëtae, quo usus erat in prioribus litteris, § 8. Sine causa in priori editione haec ut spuria seclusi. Rursus Cicero eodem versu utitur in ep. ad Brutum I. 10, 2.

§ 2. *Acta res est accurate* cet. Orationem *de domo sua,* quae M. Tullii nomine fertur, indignam his laudibus iudicarunt Ier. Marklandus et Fr. Aug. Wolfius, nec tamen omnibus suum iudicium probarunt. Cf. Baiteri et Halmii praef. ad Cic. Opp. II. 2, p. IX.

si — fuimus aliquid ɔ: si aliquid valuimus. Ita *nihil esse* est i. q. nihil posse. Cf. Fam. VII. 27, 2 *isto in genere, in quo aliquid posse vis, te nihil esse cognosceres.* Ibid. VI. 18, 4 *ego quoque aliquid sum.* Div. in Caec. 47 *ipse nihil est,* 48 *ut tu aliquid esse videare,* cf. Burman. ad Phaedr. III. 7, 17. Infra

dolor et magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit; itaque oratio iuventuti nostrae deberi non potest, quam tibi, etiamsi non desideras, tamen mittam cito. 3. Quum pontifices decressent ita, SI NEQVE POPVLI IVSSV NEQVE PLEBIS SCITV, IS QVI SE DEDICASSE DICERET, NOMINATIM EI REI PRAEFECTVS ESSET, NEQVE POPVLI IUSSV AVT PLEBIS SCITV ID FACERE IVSSVS ESSET, VIDERI POSSE SINE RELIGIONE EAM PARTEM AREAE M. T. RESTITVI, mihi facta statim est gratulatio, — nemo enim dubitabat, quin domus nobis esset adiudicata — quum subito ille in contionem escendit, quam Appius ei dedit: nuntiat inani populo pontifices secundum se decrevisse, me autem vi conari in possessionem venire; hortatur ut se et Appium sequantur et suam Libertatem vi defendant. Hic quum etiam illi infimi partim admirarentur, partim irriderent hominis amentiam, ego statuerem illuc non accedere, nisi quum consules ex senatus consulto porticum Catuli restituendam locassent, Kal.

XIII. 47 b, 1 *nihil esse* dicitur pro: nihil agi alicuius momenti. In epist. ad Lucceium V. 12, 6. Cratander recte edidit: *Neque tu is es, qui quid sis nescias.*

Dolor et magnitudo. Antea recepi I. Gulielmii suspicionem, quum post *r et* facilius *rei* omitti potuerit, quam *dolor et* scribi pro *doloris,* ut in Iuntina legitur. Nunc adsentior Klotzio in Annott. P. II p. 5, *doloris* melius Ciceronis mentem reddere. Et hoc in Rav. legitur.

deberi non potest ɔ: negari non debet, edenda est. Comparant similia e Fam. VII. 19, 1. Tusc. II. 67. Top. I. 4. Orat. III. 18. Leg. II. 7.

§ 3. *Quum pontifices* cet. Decreti illius fundamentum erat lex Papiria quaedam, quae *iniussu plebis aedes, terram, aram consecrare* vetuerat. Or. de domo, 127 sq.

MI quod est, in Med., in decreto stare nequit. Itaque recepi Ursini correctionem M. T. ɔ: MARCO TULLIO. — *Videri* in decreto ponitur e solemni consuetudine. Exempla collegit Brissonius de formulis po. Ro. II. 75.

in contionem escendit. E Med1. edidi *escendit,* ut est Q. fr. I. 2, 15 et in fragm. Ciceronis apud Gellium XVIII 7. In Rav. est *descendit* solito librariorum errore. Cff. Gron. et Drak. ad Livii II. 28, 6.

nuntiat inani populo. Hofmannus edidit e codd. *nuntiat iam populo.* Mihi *iam* languidum videtur, ortumque ex *īani,* ut Bosius egregie vidit. Cicero *inanem populum* vocat illam plebeculam, quae Clodii conciones celebrabat, *illos infimos,* quos statim appellat, designans quasi veri populi umbram. Praeclaram emendationem non intellexerunt, qui *inani clamore,* vel *insanus* melius putabant Moserus et Kahntius. Vid. illius Symb. Crit. V. 2, huius p. 6.

secundum se decrevisse ɔ: in suum commodum, pro se. Ita § 4 *multa secundum causam nostram disputavit.* cf. XVI. 16, 11. Rosc. Com. 3. Flacc. 50.

suam Libertatem vi defendant. M. et R. *ut defendant.* Corradum *vi* corrigentem, quod apte opponitur praecedenti *vi conari in possessionem venire* Wes. secutus est et ego nunc sequor. De frequenti eorum vocc. permutatione vid. Madvig. ad Cat. M. p. XI.

illi infimi. Hoffmannus rediit ad scripturam Med. *infirmi,* itaque vocari putat inconstantes et infidos homines. Multo aptius nominantur *infimi,* qui et facile decipiebantur et P. Clodio favebant. Item in Off. II, 41 in bonis codd. *infirmis* scriptum est pro *infimis.*

ego statuerem — locassent, Kal. Oct. habetur senatus frequens. Vulgo *statueram* et plena interpunctio post *locassent.* Secutus sum probabilem correctionem, quam Meutznerus, l. c. p. 171 suasit.

porticum Catuli. Q. Lutatius Catulus in area domus dirutae M. Fulvii Flacci e manubiis Cimbricis porticum exstruxit. Eam Ciceronis aedibus contiguam has quum di

Octobr. habetur senatus frequens. 4. Adhibentur omnes pontifices, qui erant senatores, a quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus quaesivit, quid essent in decernendo secuti. Tum M. Lucullus de omnium collegarum sententia respondit religionis iudices pontifices fuisse, legis (esse) senatum; se et collegas suos de religione statuisse, in senatu de lege statuturos. † quisque horum loco sententiam rogatus multa secundum causam nostram disputavit. Quum ad Clodium ventum esset, cupiit diem consumere, neque ei finis est factus; sed tamen, quum horas tres fere dixisset, odio et strepitu senatus coactus est aliquando perorare. Quum fieret senatus consultum in sententiam Marcellini, omnibus praeter unum assentientibus, Serranus intercessit. De intercessione statim ambo consules referre coeperunt; quum sententiae gravissimae dicerentur: senatui placere mihi domum restitui, porticum Catuli locari, auctoritatem ordinis ab omnibus magistratibus defendi, si qua vis esset facta, senatum existimaturum eius opera factum esse, qui senatus consulto intercessisset, Serranus pertimuit et Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit; abiecta toga se ad generi pedes abiecit. Ille noctem sibi postulavit: non concedebant; reminiscebantur enim Kal. Ianuar.; vix tandem † tibi de

ruerent Clodiani simul demoliti sunt, certe ex parte. Cf. p. Cael. 78, de domo, 102. Nisi ea reficeretur, Cicero nolebat *illuc accedere* ɔ: ad aream domus suae redire domumque restaurare.

§ 4. *Adhibentur* ɔ: in consilium vocantur, rogantur ut adsint. Ita verbum saepe ponitur, velut Fam. IV. 7 extr. X. 25 extr. Plenum *adhibere in consilium* legitur Fam. VI. 1, 2.

Marcellinus. Solo cognomine indicatur Cn. Cornelius Lentulus, qui erat consul designatus, quare primus rogatur sententiam.

quid essent in decernendo secuti ɔ: quae esset sententia decreti, quod non satis aperte sententiam collegii explicabat. Cf. Beierus ad Cic. Off. I. p. 82.

legis (esse) senatum. Quod praecedit *fuisse* non pertinet ad haec verba. Nam de lege erat statuendum in senatu. Senatus nondum decreverat quid vellet. Itaque inserui *esse* de sententia Seyfferti, qui in Museo Rhen. XV. p. 628—634 plures locos huius epistolae attigit.

Quisque horum loco cet. *Loco* dici pro *suo loco* notum est. Vid. Fam. IX. 16, 4 *posuisti loco versus,* Leg. III. 40, ubi inter senatoris officia recensetur, *ut loco dicat,* Mil. 41 ubi *loco* et *iniquo loco* sibi respondent. Sed h. l. constans sermonis usus postulat, ut pronomen poss. praecedat. Nam *quisque* nunquam sic initio sententiae ponitur nisi apud poetas, quos metri necessitas excusat. Offendit praeterea quod haec sententia sine vinculo superiori subiicitur et quod genetivus *horum* additur, quum non de solis senatoribus, qui pontifices erant, sed de omnibus agatur. Scribendum censeo cum Meutznero: *suo quisque tum loco sententiam rogatus.*

diem consumere, et *diem dicendo eximere,* Q. fr. II. 1, 3 et *diem tollere,* Leg. III. 40 erat eius senatoris, qui impedire volebat, ne SCtum fieret, quod ante occasum solem erat faciendum. Cf. Gellius N. A. XIV. 7, 8.

Serranus. S. Atilius Gavianus, quem acerbe traduxit Cicero in or. pro Sest. 72.

Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit. Cf. ibidem 74, ubi narratur quid in senatu *Kal. Ianuar.* eiusdem anni factum sit. Tum quoque socer se ad generi pedes abiecit et hic sibi noctem ad deliberandum postulavit.

† *Sibi.* In Med. vitiosum *tibi* in *sibi* mu-

mea voluntate concessum est. 5. Postridie senatus consultum factum est id, quod ad te misi. Deinde consules porticum Catuli restituendam locarunt; illam porticum redemptores statim sunt demoliti libentissimis omnibus; nobis superficiem aedium consules de consilii sententia aestimarunt sestertio vicies, cetera valde illiberaliter, Tusculanam villam quingentis milibus, Formianum HS. ducentis quinquaginta milibus; quae aestimatio non modo vehementer ab optimo quoque, sed etiam a plebe reprehenditur. Dices: quid igitur causae fuit? Dicunt illi quidem pudorem meum, quod neque negarim neque vehementius postularim; sed non est id; nam hoc quid etiam profuisset? verum iidem, mi [T.] Pomponi, iidem, inquam, illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pennas inciderant, nolunt easdem renasci. Sed, ut spero, iam renascentur. Tu modo ad nos veni, quod vereor ne tardius interventu Varronis tui nostrique facias. 6. Quoniam acta quae sint habes, de reliqua nostra cogitatione cognosce. Ego me Pompeio legari ita sum passus, ut nulla

tatum est. Ad sententiam nihil interest utrum cum I. F. Gronovio *homini*, an cum Orellio *id ei*, an cum Hoffmanno *illi* reponatur, sed facilitate se commendat Madvigii correctio *sivi*. *Vix tandem sivi* ɔ: concessi quod Serranus postulabat, recteque additur: *de mea voluntate concessum est.* Corradus iam vidit *vix tandem* esse aptius quam quod codd. praebent *vix tamen.*

§ 5. *ad te misi.* Cicero misit, ni fallor, simul cum hac epistola. Neque enim prius de his rebus scripserat.

illam porticum. P. Clodius in area Tulliana non exstruxerat porticum, sed Libertatis statuam, de dom. 108 et 110. Fuerat autem simulacrum marmoreum olim in sepulcro meretricis Tanagraeae positum, ibid. 111. Hinc orta est ingeniosa coniectura I. F. Gronovii Ciceronem scripsisse *illam* πόρνην vel *illud* πορνίδιον.

superficiem aedium. In ep. praec. § 7 simpliciter vocavit *superficiem.* Quod hic additur *aedium* est genetivus definitivus. Consules in illa re videntur consuluisse earum rerum peritos.

Formianum. Seyffertus censet post *Tusculanam villam* hic nominari debere *Formianam.*

nam hoc quid etiam profuisset? Vulgo *quidem* sine interrogatione. Correxit Seyffertus l. c. Quaestionis haec vis est: nihil etiam hoc profuisset, si aestimationem recusassem aut plus postulassem.

mi T. Pomponi. Praenomen omittendum esse monui ad III. 19, 3.

qui mihi pennas inciderant ɔ: qui me opibus privarant. Eadem metaphora nobis dicere licet: *iemand kortwieken.* Avium esse *pennas,* non *pinnas* monuerunt Quintilianus I. O. I. 4, 12 et Servius ad Aen. II. 479, quos audire malo quam librarios haec nomina saepe permutantes. Cff. intt. ad Cic. N. D. II. 121 et 129 et ad Horatii Ep. I. 20, 21 et II. 2, 50. Aliter statuit C. T. Zumptius ad Curtii III. 7 extr.

Iam renascentur scripsi pro *renascuntur.* Nam verba *ut spero* praesens excludunt.

interventu Varronis, qui te fortasse retinebit in suis praediis.

§ 6. *Ego me Pompeio legari ita sum passus, ut nulla re impedirer* cet. Codd. *a Pompeio,* quod Hoffmannus speciose defendit. Ut senatus solebat legare, et hi recte *a senatu legari* dicuntur, ita si ea facultas legandi aliqua lege consuli vel duci permissa est, is et *sibi legare* et *ab eo* alii *legari* dicuntur. Hactenus recte Hoffmannus. Sed Pompeio non fuisse tunc illam potestatem datam docet id, quod legimus in ep. praec. § 7: *Ille legatos XV quum postularet me principem nominavit.* Pompeius non sibi legavit, sed nominavit senatui, quos sibi legari cuperet. Ergo, ut infra 18, 3 legimus: *Sed heus tu, scripseramne tibi me esse legatum Pompeio?,* sic h. l. Madvigius Op. Ac. I. 457 recte

re impedirer, quin, si vellem, mihi esset integrum ut aut, si comitia censorum proximi consules haberent, petere possem aut votivam legationem † sumpsisse prope omnium fanorum, lucorum — sic enim nostrae rationes utilitates meae postulabant —; sed volui meam potestatem esse vel petendi vel ineunte aestate exeundi, et interea me esse in oculis civium de me optime meritorum non alienum putavi. 7. Ac forensium quidem rerum haec nostra consilia sunt, domesticarum autem valde impedita: domus aedificatur, scis quo sumptu, qua molestia; reficitur Formianum, quod ego nec relinquere possum nec videre; Tusculanum proscripsi; suburbano facile careo. Amicorum

praepositionem deleri iussit. — In iis quae sequuntur Manutium et Wesenbergium, qui prudenter hunc locum excussit in Emend. alt. p. 98, duces mihi sumpsi, quum in priore editione vestigiis libri Med. magis adhaesissem. Pauca explicatione egent, velut quod post *mihi esset integrum* sequitur *ut — petere possem.* Recte Seyffertus l. c. defendit ita scribi ex eadem abundantia sermonis, qua *permitto ut liceat* et similia, de quibus praecepit Bremius ad Corn. Milt. I. 2.

sumpsisse prope omnium fanorum, lucorum Haec ita corrupta sunt, ut lenibus remediis sanari non queant. Pro perfecto requiritur infinitivus praesentis temporis, *suscipere,* ut coniecit Orellus, vel *sumere,* quod in hac re aptum esse docet p. Flacco, 86: *an legationes sumere liberas — rectum est.* In *prope* latere *pro P. R.* posse idem vidit probavitque Wes. Sed quid facias genetivis *omnium fanorum, lucorum,* nemo docuit, nec ego scio.

sic enim — postulabant. Post Bosium plerique editores omiserunt verba *utilitates meae,* quae glossema vv. *nostrae rationes* esse putantur. Hoffmannus restituit scripturam cod. Med., sed non explicuit quam sententiam tribueret *rationibus.* Si interpretamur commoda, quam vim Cicero saepe voci tribuit, sane *utilitates* otiose adiiciuntur. Displicet quoque, quod rationes *nostrae,* utilitates *meae* dicuntur, quasi illae ad Atticum quoque, hae ad solum Ciceronem pertineant. Fortasse scripsit: *Sic enim, ut nosti, rationes utilitatis meae postulabant.* Verbis ita constitutis *rationes* sunt *calculi, de berekening.*

sed volui cet. Seyffertus recte negat hic locum esse particulae adversativae, itaque corrigit: *et volui — et putavi.* Cicero ita disputat: Utilitas mea suadebat, ut votivam legationem sumerem. Itaque legationem illam frumentariam non plane accepi, sed mihi reservavi vel facultatem petendae censurae vel liberae legationis obeundae, si mihi alterum utrum utilius videretur.

§ 7. *domus aedificatur, scis quo sumptu, qua molestia; reficitur Formianum* cet. Verba distinxi cum C. F. Hermanno. Nam in vulgari distinctione *Domus aedificatur. Scis quo sumptu, qua molestia reficiatur Formianum* offendit, quod de domo nihil nuntiatur, nisi quod aedificatur, et quod in Formiano tantus sumptus ponitur, et quod illud tantum molestiae habet. Vid. Philologus X. 239 sq.

quod ego nec relinquere possum nec videre. „Non relinquere propter amorem illius villae, nec videre propter dolorem e ruina." Ern.

Tusculanum proscripsi; suburbano facile careo. Revocavi quod in Mediceo prima manu scriptum est. Nam suburbanum est ipsum Tusculanum, quod si cum remotiore Formiano componitur, poterat suburbanum vocari. Negatio, quae secunda manus inseruit ante *facile* non est ferenda, nisi aut cum Abekenio, *Cicero aus seinen Briefen,* p. 138 nomina *Formianum* et *Tusculanum* transponas, aut haec ita scribas: *Tusculanum proscripsi, etsi suburbano non facile careo,* aut statuas *suburbanum* esse villam tertiam minus ab urbe remotam, quam Tusculanum, ut est in XVI. 13 b., 1, cuius tamen in hac re non fit mentio. — Ceterum Cicero non vendidit Tusculanum, neque postea vendere voluit. Nam quod legimus in epistola ad Q. fr. II. 2, 1, quae a. d. XIIII Kal. Febr. anni 698 data est: *Tusculano emptor nemo fuit* non debet referri ad Ciceronis Tusculanum. Manifestum est ibi agi de villa Culleonis, quam Cicero *emere* cupiebat, *si conditio valde bona fuisset.*

Amicorum benignitas — omnia consecutus. Quum in libris scriptis exaratum sit *prae-*

benignitas exhausta est in ea re, quae nihil habuit praeter dedecus, — quod sensisti tu absens praesens — quorum studiis ego et copiis, si esset per meos defensores licitum, facile essem omnia consecutus. Quo in genere nunc vehementer laboratur; cetera, quae me sollicitant, μυστικώτερα sunt: amamur a fratre et a filia. Te exspectamus.

sentes, critici certatim vitium, alii secando, ut Ernestus et Schuetzius, alii leniore remedio sanare conati sunt. C. F. Hermanni, Car. Scheibii, M. Seyfferti, Fr. Hoffmanni tentamina omitto, quum certissimum remedium suppeditent adnotationes Mss. Io. Fr. Gronovii, quod recipere nullus dubitavi. Idem totam sententiam sic explicat: „Amici tantum suppeditarunt mihi tempore exilii, ut nunc nihil amplius possint; (quod tu expertus es et unde aberas et ubi aderas: absens, quum ego tuis vectigalibus in Epiro sustentatus sum: praesens quum uxori meae et liberis Romae subvenisti); quorum benevolentia et auctoritate ego nunc restitutus facile recepissem omnia mea bona, nisi homines potentes, qui me defenderunt et revocarunt, me salvum quidem esse cupientes, nimis tamen validum esse nolentes, auctores tam iniquae aestimationis fuissent." Comparavit etiam Fam. I. 9, 15. — Fortasse aliis magis placebit Madvigii coniectura: *quod sensisti tu absens, nos praesentes*, quae invenitur in Advers. crit. II p. 235.

quo in genere nunc vehementer laboratur ɔ: in re familiari nunc valde exerceor. *Quo in genere* et *in omni genere* dicitur pro qua in re, in omni re. Cf. Or. I. 97. Att. V. 20, 6. XVI. 5, 2. Q. fr. II. 2, 4. Nos dicimus: *in dit opzicht, in ieder opzicht.*

cetera — μυστικώτερα sunt. Tetigit hoc idem in ep. praec. § 8: *Praeterea sunt quaedam domestica, quae litteris non committo.* Quid sit coniicere licet e proximis: *amamur a fratre et a filia.* De uxore nihil. Discordia erat inter Ciceronem et Terentiam, fortasse quod ea absentis mariti res non optime curaverat.

III. (*A. U. C.* 697.)

1. Avere te certo scio quum scire quid hic agatur, tum [ea] a me scire, non quo certiora sint ea, quae in oculis omnium geruntur, si a me scribuntur, quam quum ab aliis aut scribuntur tibi aut nuntiantur; sed ut perspicias ex meis litteris quo animo ea feram, quae geruntur, et qui sit hoc tempore aut mentis meae sensus aut omnino vitae status. 2. Armatis hominibus ante diem tertium Non. Novembr. expulsi sunt fabri de area nostra, disturbata porticus Catuli, quae ex senatus consulto consulum locatione reficiebatur et ad tectum paene pervenerat, Quinti fratris domus primo fracta coniectu lapidum ex area nostra, deinde inflammata iussu Clodii, inspectante urbe coniectis igni-

§ 1. *Tum [ea] a me scire. Mea* teste Lambino erat in Z; reliqui libri habent *ea*, quod, si alterum utrum eligendum est, praestat. Sed nihil opus est novo obiecto, quum vv. *quid hic agatur* ad hoc quoque membrum sententiae recte referantur. Propterea vocabulum seclusi. Crat. delevit.

§ 2. *Armatis hominibus* ɔ: per armatos homines. Solemnis formula ex interdicto *de vi armatis hominibus*, quod legitur in orat. p. Tullio § 7. Cf. Fam. XV. 16, 3.

inspectante urbe coniectis ignibus ɔ: dum omnes vident facibus in eam coniectis. Urbs pro incolis sic legitur non solum apud poetas, sed in Cic. Caeliana 78 *in oculis urbis*, quod idem legimus in Vell. Pat. II. 21 ex

bus, magna querela et gemitu non dicam bonorum, qui nescio an nulli sint, sed plane hominum omnium. Ille demens ruere, post hunc furorem nihil nisi caedem inimicorum cogitare, vicatim ambire, servis aperte spem libertatis ostendere. Etenim antea, quum iudicium † nolebat, habebat ille quidem difficilem manifestamque causam, sed tamen causam; poterat infitiari, poterat in alios derivare, poterat etiam aliquid iure factum defendere: post has ruinas incendia rapinas desertus a suis, vix iam Decimum designatorem, vix Gellium retinet, servorum consiliis utitur, videt, si omnes, quos vult, palam occiderit, nihilo suam causam difficiliorem, quam adhuc sit, in iudicio futuram. 3. Itaque ante diem tertium Idus Novembr., quum Sacra via descenderem, insecutus est me cum suis; clamor, lapides, fustes, gladii,

omendatione I. Lipsii et in Tac. Hist. I. 37. Plura huius metonymiae exempla dedimus in Obss. crit. p. 47.

nescio an nulli. Codd. *ulli.* Sed Lambini correctio certa. Nam constat inter grammaticos Ciceronem, ubi post formulam modeste affirmantis *nescio an, haud scio an* negans sententia sequitur, negante particula usum esse, quam ex optimis codd. plerumque, raro e coniectura reposuerunt in iis locis, ubi particulae indefinitae *ullus, unquam, quisquam* vitiose circumferebantur. Docte hanc quaestionem tractavit Aug. Matthiae in Excursu ad Epist. Sel.

ille demens ruere. Recte sic Pius e priscis codd., plane ut est in Phil. III. 31 *nec ruere demens, nec furere desinit.* Clodius voc. *demens,* non ut est in Med. et R. *vehemens,* quod ortum est ex errore librarii, qui in archetypo legerat *vemens.*

vicatim ambire. Populum vicatim circumire e Sisennae Hist. III. affert Nonius p. 188. Merc.

quum iudicium nolebat. Antea, quum Milo Clodium de vi accusaret, hic iudicii laqueos declinavit, ut est Mil. 40, per edictum magistratuum, quod citatur in Sest. 89. Usitatum est in hac re *iudicium tollere.* Cf. Sull. 15, p. Mil. 70. L. Novius apud Ascon. in Milon. § 37. *Iudicium nolle* quum insolens sit, fortasse hic scribendum *iudicium tollebat* idque accipiendum de conatu (cf. ad V. 13, 3), aut recipienda Madvigii coniectura *quum iudicium volvebat* ɔ: quum de iudicio cogitabat.

derivare. cf. Mil. 29 *derivandi criminis causa.*

post has ruinas. Quod Peerlkampius ad Hor. Carm. I. 18 monuit antiquos prosae scriptores rarius ita locutos esse omisso aliquo participio, non ad quaelibet scribendi genera pertinet. In epistolis certe maiori licentia utitur Cicero, ut Att. X. 1, 1. Fam. XIII. 17, 4. In orationibus talia inveniri caute negat Handius, Turs. I. p. 368.

Decimum designatorem. Designatores illo tempore erant, qui in theatris (Plaut. Poen. Prol. 19) vel in pompa funebri, (Horat. Ep. I. 7, 6. Sen. de Benef. VI. 38) locum cuique suum indicabant. In tabula Heracleensi cap. 6, v. 29 una cum praeconibus et libitinariis honoribus in municipiis excluduntur. Plura de iis qui cupiat, adeat Mazochium ab tab. Heracl. p. 416 sq., qui tamen ut solet falsa veris admiscuit. Cf. etiam Dirkseni Observ. ad tab. Heracl. (Berol. 1817), p. 54 sq.

Gellium. Nutriculam hanc *seditiosorum omnium* (Cic. Vat. 4) qui cognoscere velit, legat Sestianae § 110 sq.

§ 3. *quum Sacra via descenderem.* Sacra via descendebat a Streniae sacello, quod fuit prope arcum Titi, usque ad medium forum, inde leniter adscendebat ad montis Capitolini radices. *Sacra via descendere,* quod legitur quoque in Horatii Epod. 7, 8, dicuntur tam ii, qui ex illo loco, quam qui a Capitolio in forum se conferunt.

insecutus est me cum suis. Paulo ante scripsit: *desertus a suis — servorum consiliis utitur;* paulo post *operas* Clodii nominat. Itaque verum puto, quod Alanus Emendd. p. 11 monuit h. l. scribendum esse *servis,* e cuius compendio *s'uis* ortum est *suis.*

clamor — omnia. Haec quae efficiunt te

haec improvisa omnia. Discessimus in vestibulum Tettii Damionis. Qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerunt; ipse occidi potuit; sed ego diaeta curare incipio; chirurgiae taedet. Ille omnium vocibus quum se non ad iudicium sed ad supplicium praesens trudi videret, omnes Catilinas Acidinos postea reddidit. Nam Milonis domum eam, quae est in Cermalo, pridie Idus Novembr. expugnare et incendere ita conatus est, ut palam hora v. cum scutis homines eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit. Ipse domum P. Sullae pro castris sibi ad eam impugnationem sumpserat. Tum ex Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit viros acres, occidit homines ex omni latrocinio

trametrum trochaicum ex aliqua fabula desumpta censuit O. Ribbeckius in Fragm. com. Lat. p. 107.

Discessimus in vestibulum Tettii Damionis. E scriptura codd. Med. et R. *in vestibulo M. Tettii* non satis liquet, utrum *M.* sit praenomen hominis an ea littera male separata sit a vocab. praecedente. Cf. Wesenbergius, Obss. crit. in Sest. p. 25 sq. — *Vestibulum* est spatium vacuum ante aedes. Vid. Gellius N. A. XVI. 5 et cf. Bekkeri Gallus II. p. 148 sqq. qui recte nomen derivat a *vestare* = *exstra stare.* Veterum grammaticorum nugas etymologicas congessit Servius ad Verg. Aen. II. 469. VI. 273. — Tettius hic Damio sane diversus fuit a Damione Clodii liberto, de quo narrat Asconius in Milon. p. 41.

operas vocat mercenarios, quorum opera Clodius utebatur. Cf. p. Sest. 18, 59, 106. Qui in aliquo negotio operam aliis praestant, dicuntur *esse in operis,* ut Fam. XIII. 9, 3.

diaeta curare incipio, chirurgiae taedet ɔ: moderate rebus meis provideo, violenta remedia odi. In passivo *curari* emendando nobis praeivit Cobetus in Mnemos. II. p. 423. Quum autem violenta remedia Ciceroni nunquam placuerint, pro *incipio* vide ne scripserit *cupio.*

supplicium praesens. Cf. *poena praesens,* Divin. II. 122, *praesenti morte multare.* Flor. I. 26. 7 aliaque, quae Graevius congessit ad Flor. III. 1, 9. — *trudi.* Codd. noti *videri,* quod iam in antiquis editt. recte mutatum est. Aliae correctiones *reservari, vocari, urgeri, vadari* merito ut deteriores reiiciuntur.

omnes Catilinas Acidinos postea reddidit. Plerique intt. Acidinos respicere putant ad C. Mallium, Catilinae satellitem et belli faciundi principem. Male. Ita enim *postea* (ɔ: *in posterum,* ut VIII. 9, 3 *villas visurum me postea desperavi*) otiosum esset et *reddere* insolenter de *renovando* dictum. Immo cogitandum de L. Manlio Acidino Fulviano, cos. a. 575, quem M. Scipio *virum bonum egregiumque civem* pronuntiavit, Orat. II. 260. Cf. de lege Agr. II. 64. Dicit igitur tantum fuisse Clodii furorem, ut ad illum comparati homines Catilinae similes boni viri viderentur. Vid. Onom. Tull. p. 376. Eadem ratione quaerit V. 20, 1: *Num potui Ciliciam Aetoliam aut Macedoniam reddere?* — De usu pluralis numeri, quando unus homo in exemplum proponitur, monent Ochsnerus ad Ecl. Tull. p. 195. Ellendt de Orat. II. p. 120 sq.

In Cermalo. Sic scripsi pro *Germalo,* partim motus auctoritate Niebuhrii. Hist. Rom. T. I. adn. 932, partim quod scriptura librorum Med. et R. *Ceramio* eo ducit. Praepositionem recte omitti putat Gronovius, citans quae adnot. ad Liv. II. 28, 1. Alia Milonis domus, quae erat in clivo Capitolino appellatur *Anniana Milonis domus,* quia fuerat avi materni T. Annii, ex cuius hereditate ad nepotem Milonem pervenerat. Male in priore editione obsecutus eram Cobeto Mnemos. VIII p. 455 *Milonis* delenti. cf. Klotzii Adnott. II. p. 6 seq.

impugnationem. ἅπαξ λεγόμενον. Lambinus malebat *oppugnationem,* quum in libris nonnullis Mss. (quos non dixit) *pupugnationem* legeretur.

Q. Flaccus. E gente Fulvia aut Valeria. Homo ignotus.

ille se in interiora aedium Sullae. In loco vehementer impedito secutus sum Orellii

Clodiano notissimos, ipsum cupivit, sed ille se in interiora aedium Sullae. Exin senatus postridie Idus; domi Clodius; egregius Marcellinus, omnes acres. Metellus calumnia dicendi tempus exemit adiuvante Appio, etiam hercule familiari tuo, de cuius constantia virtute (tuae) verissimae litterae. Sestius furere. Ille postea, si comitia sua non fierent, urbi minari. (Milo) proposita Marcellini sententia, quam ille de scripto ita dixerat, ut totam nostram causam areae, incendiorum, periculi mei iudicio complecteretur eaque omnia comitiis anteferret, proscripsit se per omnes dies comitiales de caelo servaturum. 4. Contiones turbulentae Metelli, temerariae Appii, furiosissimae Publii. Haec tamen summa: nisi Milo in campo obnuntiasset, comitia futura (erant). Ante diem XII. Kal. Decembr. Milo media nocte cum magna manu

coniecturam. Quamvis enim usitatius foret *in interiorem aedium S. partem*, coll. Sest. 24. Phil. V. 11, aliquoties tamen Cicero neutra adiectivorum in plur. numero cum genetivo iunxit, ut *summa pectoris* Fam. I. 9, 15, *belli extrema* X. 19, 2, *cuiusque artis difficillima* Orat. II. 69. Quod fecit in superlativis, h. l. in comparativo cur non ausus esset? cf. Draegeri Synt. historica § 199.

omnes acres. Hoc laudem continet, ut quando Trebonium patrem vocat *civem acerrimum*, Fam. X. 28, 1 et Nepos Alcibiadem *acerrimum virum* in eius vita, 5. Cf. quoque Hor. Sat. I. 3, 53 *acres inter numeretur.*

calumnia ɔ: argumento orationis ficto. Sic Fam. I. 4, 1, *res ab adversariis nostris extracta est variis calumniis.* Ad Q. fr. II. 2, 3, *per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est.* Sest. 75. *Quum omni mora, ludificatione, calumnia senatus auctoritas impediretur.* Cff. Gronovii lectt. Tull. p. 2.

de cuius constantia virtute verissimae litterae. Agitur de Q. Hortensio, ut vulgo putant, quem Cicero sibi parum fidum amicum expertus erat. Si Atticus eius constantiam et virtutem laudavit, Ciceronem certe non habuit sibi assentientem. Sed ille potuit laudare viri *constantiam*, quum vellet contrarium rem ponens pro rei defectu, ut Cicero in hoc ipso nomine fecit II. 10 initio. In *virtute* latere *viri tuae* Faerno concederem, si liceret *viri* collocare ante *constantia.* Nunc malo cum Graevio legere: *de cuius constantia ac virtute tuae v. l.*

Sestius furere ɔ: P. Sestius meus furebat, dolorem vultu et voce prodebat.

si comitia sua non fierent. P. Clodius acerrime contendebat, ut comitia aedilitia haberentur, sperans fore ut ipse aedilis crearetur itaque imminens iudicium effugeret. In senatu multi in iisque princeps Marcellinus iudicia comitiis anteferebant. Ad Q. fr. II. 1, 2 sq.

de scripto dixerat. Veteres solebant scribere orationes habitas, non ut haberentur, Brut. 92. Tusc. IV. 53. Sed nonnunquam *propter rei magnitudinem* de scripto dicebant, Planc. 74. Alia exempla suppeditant Sest. 129. Phil. X. 5. Brut. 328. Fam. X. 13, 1.

proscripsit. Deest nomen magistratus, qui se de caelo servaturum proscripserit. De Marcellino quominus cogitemus rationes quum grammaticae tum historicae obstant. Manutius, quum praecederet *Sestius furere* illius nominis compendium inter *proscripsit se* excidisse coniecit, quod probarunt Schuetzius, Matth., Orellius. Mihi, quum posthac de Sestio nulla, de Milone obnuntiante plurima mentio fiat, magis probatur Tunstalli suspicio *Milonis* nomen initio sententiae librariorum culpa esse oblitteratum. Vid. op. l. p. 69. cf. Wesenb. Emend. alt. p. 98 sq.

per omnes dies comitiales de caelo servaturum. sc. ut comitia impediret. Saepe comitia auspiciis prohibita sunt, quamquam id neque per leges licebat, Phil. II. 81, et edicto consulum, quo dies comitiis edicebatur, ne quis magistratus minor de caelo servaret, cavebatur, Gell. N. A. XIII. 14.

§ 4. *in campo obnuntiasset.* Vulgo *in campum.* Ablativum e codice suo dubiae fidei notavit Ursinus, restituit Muretus, probante Wesenbergio, Obss. in Sest. p. 26. *Erant* addidi eundem auctorem secutus.

in campum venit: Clodius quum haberet fugitivorum delectas copias, in campum ire non est ausus. Milo permansit ad meridiem mirifica hominum laetitia, summa cum gloria; contentio fratrum trium turpis, fracta vis, contemptus furor. Metellus tamen postulat, ut sibi postero die in foro obnuntietur: nihil esse, quod in campum nocte veniretur; se hora prima in comitio fore. Itaque ante diem XI. Kal. in comitium Milo de nocte venit: Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deviis currebat; assequitur inter lucos hominem Milo, obnuntiat. Ille se recepit magno et turpi Q. Flacci convicio. Ante diem X. Kal. nundinae; contio biduo nulla. 5. Ante diem VIII. Kal. haec ego scribebam hora noctis nona: Milo campum iam tenebat; Marcellus candidatus ita stertebat, ut ego vicinus audirem. Clodii vestibulum vacuum sane mihi nuntiabatur, paucis pannosis linea lanterna. Meo consilio omnia illi fieri querebantur, ignari quantum in illo heroë esset animi, quantum etiam consilii. Miranda virtus est. Nova quaedam † divina mitto; sed haec summa est: comitia fore non arbitror; reum Publium, nisi ante occisus erit, fore a Milone puto;

media nocte. In R. legitur *ante mediam noctem.* Paullo post dicitur *de nocte* ɔ: nocturno tempore, nocte nondum exhausta, ut recte monet Handius in Turs. II p. 205.

fratrum trium, Appii et Publii Clodiorum. Tertius est Q. Metellus Nepos consul, eorum consobrinus.

cum prima luce. Eadem formula p. Sulla 52 et Off. III. 112, in optt. codd., ubi temere Beierus reposuit *cum primo luci,* quo usi sunt antiquiores Plautus Cist. II. 1, 49 et Ter. Ad. V. 3, 55. Caesar et Livius *prima luce,* rarius *luce prima* scribunt. cf. de his locutionibus Th. Bergkius in Symb. ad grammat. lat. I p. 146 seqq.

inter lucos. Locus in urbe, quem qui Capitolio in campum descendebant transibant, appellabatur *inter duos lucos.* cf. Liv. I. 8. Cic. de Divin. II. 40. Si Cicero eum indicare volebat, non omisit *duos.* Sed fortasse scripsit *inter vicos,* ut Suetonius in Caes. 39, itaque corrigendum est cum Iordano, Kritische Beitraege zur Gesch. der lat. Sprache, p. 273.

§ 5. *Milo campum iam tenebat,* ut rursus obnuntiaret Metello, comitia habere si vellet. Quae adduntur de Marcello, ostendunt eum non putare comitia aedilitia illo die futura. De quo Marcello sermo sit ignoramus. cf. Nipperdey, die leges annales der röm. Repb. p. 26.

paucis pannosis linea lanterna an *pauci pannosi sine lanterna* scriberem diu dubitavi, quum utrumvis minima mutatione e scriptura cod. Med. *paucis pannosi sine alanterna* prodeat. Sed quoniam extremo mense Novembri hora noctis nona nondum lucet, paucis pannosis lanternam concessi. *Lanternam* autem, quae nonnunquam *cornu*(Mart. XIV, 60) vel *vitro* (Isid. Orig. XX. 10) flammam tegebat, linteo quoque tegi potuisse docet versus Plauti e Bacch. III. 3, 42, ubi cum *lucerna uncto expreta linteo* magister despectus comparatur. Lambini suspicio *sine lacerna* hoc peccat, quod illa vestis neque illius aetatis, neque infimae plebis erat. Quod vulgo editur: *pauci pannosi linea lanterna* stare nequit, nisi addas praep. *cum.* De scriptura *lanterna* satis dictum in Mus. Rhen. XVIII p. 393 et XIX. 301. Mendose *laterna* appellatur a Prisciano Inst. gramm. IV. 1, p. 143 Krehl. a verbo *lateo.*

Nova quaedam divina mitto. Merito haec Ernesto displicebant; scribendum cum eo *n. q. divinare m.,* vel *n. q. divinans m.,* ut dicat se nova quaedam divinare, sed omittere ut incerta.

si † sentitur veiam obtulerit, occisum iri ab ipso Milone video: non dubitat facere, prae se fert, casum illum nostrum non extimescit. Nunquam enim cuiusquam invidi et perfidi consilio est usurus, nec inerti nobili crediturus. 6. Nos animo dumtaxat vigemus, etiam magis quam quum florebamus, re familiari comminuti sumus. Quinti fratris tamen liberalitati pro facultatibus nostris, ne omnino exhaustus essem, illo recusante subsidiis amicorum respondimus. Quid consilii de omni nostro statu capiamus te absente nescimus: quare appropera.

reum P. — *fore a Milone puto. Reus ab aliquo* insolens est locutio, neque Tullio obtrudenda, etsi Plautus aliquoties hoc modo locutus est. Sed *fore* nihil aliud est quam *factum iri.* Cf. infra 17, 5. *Tres candidati fore rei putabantur, Domitius a Memmio, Messala a Q. Pompeio Rufo, Scaurus a Triario aut a L. Caesare.*

si † sentitur veiam obtulerit. Non potest ex hac depravatione certo erui, quid Cicero scripserit, sed eligendum erit inter haec: *Si se in urbe ei... obtulerit,* et: *si se in turba ei... obtulerit.* Litterae autem *am* fortasse supersunt e compendio nominis *armato.* Vulgo scribunt *iam;* Baiterus cum Victorio *obviam* commendat. — *inter viam,* quod Graevius probat, fueritne illa aetate in usu pro *in via* dubito, certe non defenditur eo quod comici *inter vias* dixerunt. In apodosi libenter abiiciam nomen *Milone.*

est usurus. Codd. *usus.* Correxit Klotzius. Non quid fecerit Milo, sed quid nunquam sit facturus, a Cicerone affirmatur et perstringuntur Pompeius, Hortensius, alii a quibus ipse fuerat desertus et proditus.

§ 6. *Animo dumtaxat.* Hoc adverbio vigor ad animum solum restringitur, quasi dicat: quantum ad animum pertinet, vigemus. Cf. V. 10, 5. Brut. 108. Hand. Turs. II. p. 332 sq. Madvig ad Fin. II. 21.

re familiari comminuti sumus. Ablativi rationem aperit Ellendtius ad Orat. II. p. 370.

exhaustus essem, illo recusante. Hanc codd. lectionem sic explicat Orellius: „Quinto pro meis facultatibus respondere paratus, iam, illo ideo recusante, ne si id facerem omnino exhaustus essem, subsidiis amicorum respondeo." Sed malui vv. *illo recusante* coniungere cum seqq., in quibus merito Klotzius perf. *respondimus* reposuit. Sic Cicero affirmat se, ut fratri solveret, quum suae facultates deficerent, usum esse pecunia amicorum, quamvis Quintus hoc recusaret. *Pro facultatibus nostris* quod dicit, non pugnat cum vv. *subsidiis amicorum,* si teneas *pro* respondere Graeco *ἀντί.* Ergo Marcus non suis facultatibus, sed subsidiis alienis Quinto solvit. Facultatibus suis parcere debuit, ne omnino exhaustus esset.

IV. a. (*A. U. C.* 698.)

Periucundus mihi Cincius fuit ante diem tertium Kalend. Febr. ante lucem; dixit enim mihi te esse in Italia seseque ad te pueros mittere, quos sine meis litteris ire nolui, non quo haberem quod tibi praesertim iam prope praesenti scriberem, sed ut hoc ipsum significarem mihi tuum adventum suavissimum exspectatissimumque esse. Quare advola ad nos eo animo, ut nos ames teque amari scias. Cetera coram

Epistolas, quas Cicero ex urbe intra d. VIII Kal. Dec. a 697 et d. III Kal. Febr. a. 698 ad Atticum in Epiro dedit, desideramus. Brevi post has litterulas datas Atticus in urbem venit et cum Cicerone vixit. Instauratur commercium epistolarum cum eo,

agemus; haec properantes scripsimus. Quo die venies, utique cum tuis apud me sis.

quo tempore Cicero urbem reliquerat. Itaque epistola sequens 4 *b.* scripta est Antii, quo se contulit a. d. VI Id. Apr., ut videmus ex ep. ad Q. fr. II. 6.

Cincius. De eo diximus ad I. 20, 1.
teque amari pro vulgato *te amari* e cod. R. recepi.

IV. b. (*A. U. C.* 698).

1. Perbelle feceris, si ad nos veneris. Offendes designationem Tyrannionis mirificam librorum meorum, quorum reliquiae multo meliores sunt, quam putaram. Etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cetera administris; iisque imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Graeci, ut opinor, *σιλλύβους* appellatis. 2. Sed haec, si tibi erit commodum; ipse vero utique fac venias, si potes in his locis adhaerescere et Piliam adducere: ita enim et aequum est et cupit Tullia. Mediusfidius ne tu emisti ludum praeclarum; gladiatores audio pugnare

§ 1. *Offendes designationem T. mirificam librorum meorum.* Tyrannio libros, quos Cicero Antii habebat, apte disposuit, ut scribit in ep. 8 a. h. l. Idem nunc aliis verbis narrat, si deleveris cum Malasp. et Lamb. vocem *bibliothecam,* quam codex R. non agnoscit. *Librorum bibliotheca* est intolerabilis pleonasmus, eamque ob causam non recte Klotzius una littera deleta scripsisse censendus est: *Offendes designatione T. mirificam librorum meorum bibliothecam.*

duos aliquos ɔ: duo vel tres, *een paar.* Ita Fin. II. 62 *tres aliqui aut quattuor* et in Plauti Men. V. 5. 47 *aliquos viginti dies.* Similiter Graeci pron. *τις* numeralibus addunt, quando numerum non plane definitum designare volunt.

glutinatoribus ɔ: bibliopegis, qui librorum folia soluta agglutinent, discerpta resarciant. Ordinario munere glutinatorum, quod erat in singulis papyri chartis conglutinandis, nunc non erat opus. Minus recte Peignot in libro *de la reliure des livres chez les anciens* a. 1834 edito haec sic distinxit: *utatur, glutinatoribus ad cetera administris* vertitque: „les colleurs feront le reste." Rectius h. l. accepit H. Géraud, *Essai sur les livres dans l'antiquité,* p. 172.

indices erant librorum tituli membranulae chartulaeve inscripti et superiori voluminis margini adfixi. Cf. libellus meus *Notice sur les volumes d'Herculanum,* Amst. 1841, p. 36 sq.

σιλλύβους. Med. *sillabos,* nomen ignotum Ciceronis aevo. Graeci tales indices vocabant *πιττάκια* et *σιλλύβους*, ut docuerunt Graevius in docta adnot. ad h. l. et Ern. in Ind. Gr. Hauptius in Hermae vol. III p. 207 mihi non persuasit h. l., ep. 5 extr. et 8 a., 2 *sittybos, sittybis, sittyboe* a Cicerone scriptum fuisse.

§ 2. *adhaerescere* ɔ: diutius morari. *Piliam* Corradus vocat Attici sponsam. Sed ex ep. ad Q. fr. II. 3, 7 videmus nuptias factas esse pridie Id. Febr. a. 698, et haec epistola initio mensis Aprilis eius anni adscribenda est. *Aequum* autem erat uxorem non domi relinqui.

emisti ludum praèclarum. Recepi Ernesti emendationem, quod neque *locum,* ut libri scripti habent, neque *λόχον* quod Bosius coniecit, satis apte dici puto.

gladiatores audio pugnare mirifice. Comparatis iis, quae de his gladiatoribus Attici in ep. 8 a. extr. scripta sunt, suspicio mihi orta est haec non serio accipienda esse et illos male pugnasse. Quod si probatur, sequentia non ita explicanda sunt, ut vulgo

mirifice: si locare voluisses, duobus his muneribus liberasses. Sed haec posterius. Tu fac venias et de librariis, si me amas, † diligenter.

fit, Atticum potuisse pecuniam in ludum gladiatorium expensam recipere, si eos locasset aedilibus, qui munera dabant populo, sed per iocum hoc dicetur: tu si eos locasses, servitio eos liberasses; nam ab adversariis necati essent. Itaque non utor scriptura, quam Pius ex emendatis codd. affert, *liber esses*, quod recte dicitur de eo, qui nihil debet. Cf. Plin. Ep. III. 9, 13 *io, liber ad te venio.*

diligenter. Ante hanc vocem excidisse *cures*, vel quod e codd. duobus affertur *cura* Wes. monuit. P. Starker malebat *facias diligenter*, quia in epistolis saepius diligenter facere de aliquo legitur.

V. (*A. U. C.* 698.)

1. Ain tu? me existimas ab ullo malle mea legi probarique quam a te? Cur igitur cuiquam misi prius? urgebar ab eo, ad quem misi, et non habebam exemplar. Quid? etiam — dudum enim circumrodo, quod devorandum est — subturpicula mihi videbatur esse **παλινῳδία.** Sed valeant recta, vera, honesta consilia. Non est credibile, quae sit

§ 1. *Ain tu?* Formula mirantis ea, quae alter protulit, qua aliquoties utitur Cicero, ut de Or. I. 165. Et sic reponendum videtur p. Caec. 49 pro *An tu — poterisne dicere —?* Paulo gravius est *Ain tandem?* de quo dixerunt Manutius ad Fam. IX. 21, 1 et Wunderus ad Planc., 49. Non posse his interrogationibus *an* subiici multi intellexerunt, quos laudatos videbis a Seyfferto ad Tusc. V. 35. Quum autem et illo loco et hoc, in quo versamur, libri scripti praebeant *an tu an*, ille suspicatur initio scriptum fuisse *ain tān* = *ain tandem?* idque in Tusc. restituit et h. l. restitui iussit. Simplicius mihi visum *an* delere, quod non potest explicari ex illo usu sermonis, quem demonstravit Madv. ad Fin. p. 61.

Cur igitur cuiquam misi prius? Manifestum est per hoc tempus Ciceronem aliquod scriptum Caesari misisse, quo ostenderet veteres offensiones se deposuisse et relicta optimatium causa cum eo se coniungere velle. Sed cuius generis scriptum fuerit, nemo certo affirmabit. Fuerunt qui cogitarent de epistola, quod ideo minus verosimile puto, quod Atticus non postulasset epistolam ad alium sibi primo mitti, neque, ut Ernesto visum est, poëma de consulatu huc pertinet. Orationem pro L. Cornelio Balbo, „in cuius exitu de omni reipublicae gerendae ratione deque ornando Caesare ita locutus est, ut nobiles illos, quos deserendos esse iam videret, insigniter morderet" intelligi arbitratur Bakius in Bibl. Crit. N. I. p. 140. Qui mobilem Tullii animum cogitat, huic coniecturae ingenii laudem fortasse concedet, sed *non liquere* pronuntiabit.

non habebam exemplar. Quum Cicero hanc attulisset causam, cur scriptum Attico non miserit, quod exemplar non haberet, ex amici persona rogat *Quid?* istane iusta causa est, cur non miseris? Cui tum adiungit aliam causam verbis *etiam subturpicula m. v. π.*

dudum circumrodo, quod devorandum est. Recte haec verba expl. Manutius: „invitus dico, quod dicendum tamen est." Metaphora desumpta a pueris, qui diu circumrodunt, quod non libenter comedunt. Non male Gronovius comparavit e Plauti Trinummo v. 925 *inter labra atque dentes latet (teneo).*

valeant recta, vera, honesta consilia. Sequenti anno haec scribit Lentulo, Fam. I. 8, 2: *tantum animi inductio et mehercule amor erga Pompeium apud me valet ut, quae illi utilia sunt et quae ille vult, ea mihi omnia iam et recta et vera videantur.* Utroque loco *verum* ponitur ea vi, de qua exposui ad II. 1, 8.

in istis principibus. Principes videtur vocare Bibulum, Catonem, Domitium, aliosque Caesaris adversarios.

ut volunt esse et ut essent. Sic aliquoties

perfidia in istis principibus, ut volunt esse et ut essent, si quicquam haberent fidei. Senseram, noram inductus, relictus, proiectus ab iis; tamen hoc erat in animo, ut cum iis in re publica consentirem. Iidem erant, qui fuerant: vix aliquando te auctore resipivi. 2. Dices eatenus te suasisse, qua facerem, non etiam ut scriberem. Ego mehercule mihi necessitatem volui imponere huius novae coniunctionis, ne qua mihi liceret (re)labi ad illos, qui etiam tum, quum misereri mei debent, non desinunt invidere; sed tamen modici fuimus ὑποθέσει, ut scripsi: erimus uberiores, si et ille libenter accipiet et ii subringentur, qui villam me moleste ferunt habere, quae Catuli fuerat, a Vettio emisse non cogitant; qui domum negant oportuisse me aedificare, vendere aiunt oportuisse. Sed quid ad hoc, si, quibus sententiis dixi, quod et ipsi probarent, laetati sunt tamen me contra Pompeii voluntatem dixisse? (Sed) finis sit: quoniam, qui nihil possunt, ii me nolunt

Cicero *ut* posuit, ubi *quales* exspectares. Cf. infra VII. 2, 3, *adolescentem ut nosti*. IX. 7 A. 1 in epist. Balbi *hominum humilium, ut nos sumus*.

si quicquam haberent fidei. cf. Fam. I. 1, 4: *si esset in iis fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus*.

inductus, relictus, proiectus ab iis. Cf. ad III. 15, 7. Ceterum cave putes haec participia poni ea ratione, qua Vergilius dixit *sensit medios delapsus in hostes*, quemadmodum visum C. F. Hermanno, in Vindic. Brut. epimetro p. 23. Immo e praeced. sententia ad v. *senseram, noram* mente suppl. *quae esset perfidia in istis principibus*.

resipivi an *resipui* scribendum sit, incertum. Codd. noti varie corrupti illud tamen magis commendant. Similis dubitatio est in Sest. § 81. Paulo ante W. e margine Crat. edidit *hoc eram animo*, ego Med. sequor.

§ 2. *Dices eatenus te suasisse, qua facerem, non etiam ut scriberem*. Klotzius haec eruit e scriptura cod. Med. — *ea tenuisse suasisse* — quam Graevius quoque in suis libris invenit, eaque mihi e cod. Hisp. notatur. In vulgata lectione maxime displicet coniunctio otiosa verborum *monuisse, suasisse*. Post *eatenus* solet Cicero ponere *quoad*, vid. Hand. Turs. II. p. 340: sed alii *qua* et fortasse ipse Cicero de Univ. c. 11. Deinde post *liceret* de Pluygersii coniectura scripsi *relabi* pro simplice *labi*.

etiam tum. Ern. suspicabatur legendum *etiamdum* vel *etiamnum*, Handius illud malebat. Sed nihil mutandum est. *Tum, quum* iunguntur ut in h. l. de Rep. I. 59: *Quid? tum, quum tu es iratus, permittis illi iracundiae dominatum animi tui?* Praesens in re, quae adhuc durabat, omnino necessarium erat.

subringentur ɔ: subirascentur. *Ringi* pp. dicuntur canes aperto ore minantes. cf. Donatus ad Ter. Phorm. II. 2, 27.

a Vettio ɔ: ab homine me longe inferiori. Agitur autem de villa Tusculana.

Sed quid ad hoc, si —? ɔ: sed quantula illa sunt, si cum eo comparantur, quod nunc dicam? De usu praep. *ad* in comparatione multi exposuerunt. Cf. Handii Turs. I. p. 104 sq. Feldh. ad Cic. Leg. I. § 6. Perperam Wesenbergius Obss. in Sest. p. 49 haec ita explevit: *Sed quid ad hoc* (sc. *invidiae addi potest*), *si* — Recte idem distinctionem mutavit. Cf. Emend. Ep. p. 98.

si — dixisse? Commentarii vicem praebent verba ex epist. ad Lentulum I. 9, 10: *In illis meis actionibus sententiisqe omnibus, quae Pompeium videbantur offendere, certorum hominum, quos iam debes suspicari, sermones referebantur ad me, qui quum illa sentirent in re publica, quae ego agebam, semperque sensissent, me tamen non satisfacere Pompeio Caesaremque inimicissimum mihi futurum gaudere se aiebant.* — Merito *et ipsi* suspectum visum Madvigio ad Fin. V. 64 p. 718. *et* delendum est.

(*Sed*) *finis sit. Quoniam* cet. Recepi certam Graevii correctionem *finis sit; q.*, ex quo in

amare, demus operam ut ab iis, qui possunt, diligamur. 3. Dices: »vellem iampridem." Scio te voluisse et me asinum germanum fuisse; sed iam tempus est me ipsum a me amari, quando ab illis nullo modo possum. Domum meam quod crebro invisis, est mihi valde gratum. Viaticum Crassipes praeripit. Tullia de via recta in hortos: videtur commodius; ad te postridie scilicet; quid enim tua? sed viderimus. Bibliothecam mihi tui pinxerunt constrictione et sillybis; eos velim laudes.

omnibus libris Mss. factum est *finis sed q.* Quum autem *finis sit* nimis abrupte superioribus addi videretur, adieci part. *sed,* quae sane facile inter *dixisse finis* excidere potuit. Haec autem *sed finis sit* dicta sunt plane eadem sententia, atque in Miloniana § 105, pro *sed plura non addam, haec sufficiant.* Wesenbergius, Emend. Ep. 98 comparavit cum h. l. Att. X. 4, 1.

§ 3. *me asinum germanum fuisse.* Nihil melius hac Corradi et Mureti coniectura. Cf. Cobeti Var. Lect. Praef. p. X. *Asinus* est convicium, ut in Plauti Pseud. I. 2, 4, in Terentii Heaut., 877, in Pis. 73.

Viaticum Crassipes praeripit. Pridie Non. April. Tulliam Furio Crassipedi desponsam esse nuntiat Q. fratri, II. 5, 1. Cf. ibid. 4, 2. 6, 1. Fam. I. 7, II. Nuptias secutas esse negat Madvigius auctoritate Asconii ad Pison. p. 5. Or. et Plut. in Cic. 41. Neque obstat, quod Cicero Fam. I. 9, 20. Crassipedem *generum suum* appellat, quum hoc nomen sponso quoque tribui soleat. Cf. etiam Tunstalli Epist. ad Middletonum p. 187 sq. Dicit autem viaticum, quo opus erat ad longiorem peregrinationem.

Tullia de via recta in hortos cet. Cum Wes. de Schuetzii coni. scripsi *Tullia* pro *Tu* et verba aliter distinxi, quam antea. Iam omnia plana. Cicero nuntiat amico filiam suam, quam modo vidimus Antii fuisse ep. 4b, 2, in urbem venturam, ubi Atticus erat, sed non statim eum adituram, quum commodius ei esset in hortis Crassipedis pernoctare, venturam autem postridie. Rem tamen non esse certam indicatur verbis: *sed viderimus.* Ad *quid enim tua?* cogitatione addendum *interest* vel *refert.*

Bibliothecam cet. ɔ: Bibliothecam meam tui librarii exornarunt s. illustrarunt et librorum involucris sive pellibus (hanc vocat *constrictionem,* ut scripsi de coni. Hertzbergii. Nam librorum per loculos dispositionem *constructione* designari posse non credo, multo minus *pingi* posse bibliothecam librorum dispositione. Atque hoc fecerat Tyrannio, non Attici glutinatores), et indicibus. Cf. 4, 1. 8a. 2. *Pingere* similiter dicitur in I. 14, 3 et in Bruto, 141, ubi *verba pingere* et *illuminare sententias* opposita sunt. Graeci vocabant ποικίλλειν. — Facile autem obtinebo hanc epistolam non potuisse intra unius diei spatium post superiorem dari. Nam fac epistolam, quae nunc 4b notatur, Antii datam esse a. d. VI Id. April. i. e. ipso illo die, quo Ciceronem Roma profectum scimus, certe non potuit eodem die Attico tradi. Multo minus a. d. V. Id. Apr. librarii illi Roma proficisci et bibliothecam exornare potuerunt. Quare sic statuendum videtur, Ciceronem Antio triduum moratum Arpinum profectum esse; in itinere scripsisse ad Q. fr. II. 7; Arpino circa Id. Apr. dedisse ad Atticum, quae nunc sunt h. l. ep. 6 et 7; Romam rediisse ante Nonas Maias, ut cogitabat et in epist. ad Q. fr. II. 7 facturum se nuntiarat; iterum excurrisse Antium, ante Id. Maias certo scimus ex epist. ad Q. fr. II. 8. Hoc igitur tempore scriptae sunt ad Att. IV 5 et 8a.

VI. (*A. U. C.* 698.)

1. De Lentulo scilicet sic fero, ut debeo: virum bonum et magnum hominem et in summa magnitudine animi multa humanitate tempe-

ratum perdidimus, nosque malo solatio sed nonnullo tamen consolamur, quod ipsius vicem minime dolemus, non ut Saufeius et vestri, sed mehercule quia sic amabat patriam, ut mihi aliquo deorum beneficio videatur ex eius incendio esse ereptus. Nam quid foedius nostra vita, praecipue mea? nam tu quidem, etsi es natura *πολιτικός*, tamen nullam habes propriam servitutem, † communi fueris nonne; 2. ego vero, qui, si loquor de re publica, quod oportet, insanus, si, quod opus est, servus existimor, si taceo, oppressus et captus, quo dolore esse debeo? Quo sum scilicet, hoc etiam acriore, quod ne dolere quidem possum, ut non ingratus videar. Quid? si cessare libeat et in otii portum confugere? nequicquam: immo etiam in bellum et in castra. Ergo erimus *ὀπαδοί*, qui *ταγοί* esse noluimus? Sic faciendum est; tibi enim ipsi — cui utinam semper paruissem! — sic video

§ 1. *De Lentulo.* Obierat L. Cornelius Lentulus Niger, flamen Martialis, quem Vettiano indicio comprehensum fuisse dixit II. 24, 2. Vatin. 25. Certe non invenio alium eiusdem nominis, quem potius hic designari putem.

virum bonum et magnum hominem ɔ: civem patriae amantem et ingenio rebusque gestis clarum. Cf. Ellendt ad Orat. II. p. 355 sq. Ad ea quae sequuntur cf. Vell. II. 116, 3 *priscam gravitatem semper humanitate temperans.*

non ut Saufeius et vestri ɔ: hoc non dico, quod mortem in malis non ponimus, quoniam nullus post mortem sensus sit, quod Epicurei vestri docent, sed quia cet.

natura πολιτικός quum dicatur Atticus, qui abstinebat re publica, *πολιτικός* accipiendum videtur de eo, qui bonum rei p. statum amat, quem *φιλόπατριν* vocabant.

nullam habes propriam servitutem. Pro ultima voce libri Mss. habent *virtutem*, quod frustra defendere laborat criticorum ineptissimus Iunius. Sed neque *servituti* nunc locus est. Vide, ne olim scriptum fuerit *acerbitatem*, quod minus etiam a codd. vestigiis recedit, quam *aegritudinem*, quemadmodum Tunstalli amicus scribi volebat. Cf. Tunst. epist. ad Middl. in Add. p. 257.

† *communi fueris nonne?* Sic est in Med., sed corrupte. Primum opus est verbo praesentis temporis unde pendeat abl. *communi*; tum removendum languidum illud *nonne*. In antiqua Pii correctione *communi frueris nomine* insolitus verbi usus notari debet. Nam *poena, timore, malis frui* is dicitur, qui illis rebus delectatur, non qui iis premitur. Vid. Livin. et Arntz. ad Plinii Paneg. c. 34. Klotz. coni. *communi fueris conditione.* Nobis scribi posse videbatur: *communi uteris sorte*, sed nunc magis placet Wesenbergii correctio: *communi servis nomine.* cf. Emend. alt. p. 99.

§ 2. *quod oportet* ɔ: quod boni viri est et fortis civis; *quod opus est* ɔ: quod utilitatis meae rationes postulant. Iunguntur XIII. 25, 1: *Hoc fieri et oportet et opus est* ɔ: et iustum et utile est. Opponuntur quoque *opus esse* et *necesse esse.* Fam. I. 9, 25.

quo dolore esse debeo? Eadem constructio invenitur Fam. VI. 4, 4 *quanto fuerim dolore*, ubi facilius *in* post *fuerim* intercidere potuit, quam h. l. omitti. cf. adnot. ad V. 14, 2.

ut non ingratus videar. Non indicat, quare dolere non possit, sed quid necessario e suo dolore sequatur. Igitur caveamus, ne *ut non* pro *ne* positum dicamus. Belg. *ik kan niet treuren zonder ondankbaar te schijnen.* De hoc usu monuit Madv. ad Fin. p. 163. Quod in Med. ante *ingratus* legitur *in te* non videtur germanum.

nequicquam ɔ: ne hoc quidem pacto quidquam proficiam, id nihil me iuvabit, frustra libeat. Male Handius Turs. IV. p. 170 Ciceronem hoc adverbio usum esse negat.

in bellum et in castra sc. mihi eundum est cum iis, quibus plurima debeo.

† *Reliquia est.* In hac corruptela librorum videtur latere *reliqui id est*, nisi forte *re* bis scriptum sit et quae supersunt, orta ex *Inquies.*

placere. † Reliquia est: *Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει.* Non mehercule possum et Philoxeno ignosco, qui reduci in carcerem maluit; verumtamen id ipsum mecum in his locis commentor, ut ista improbem idque tu, quum una erimus, confirmabis. A te litteras crebro ad me scribi video, sed omnes uno tempore accepi, quae res etiam auxit dolorem meum. Casu enim trinas ante legeram, quibus meliuscule Lentulo esse scriptum erat: ecce quartae fulmen. Sed ille, ut scripsi, non miser; nos vero † ferri. 3. Quod me admones, ut scribam illa Hortensiana, in alia incidi non immemor istius mandati tui, sed mehercule incipiendo refugi ne, qui videar stulte illius amici intemperiem non tulisse, rursus stulte iniuriam illius faciam illustrem, si quid scripsero, et simul ne *βαθύτης* mea, quae in agendo apparuit, in

Philoxeno Philoxenus Cytherius, poeta melicus, a Dionysio maiore in lautumias coniectus est, quod de tyranni facultate musica non benigne iudicaverat. Inde arcessitus, ut de alio eiusdem carmine sententiam diceret, postquam paucos versus audivisset, dixisse fertur *ἄπαγέ με εἰς λατομίας.* Igitur *reduci in carcerem maluit*, quam mala tyranni carmina laudare. Rem multi ex veteribus referunt eamve significant. Qui plura cupit adeat diligentem A. G. Winckelmanni adnot. ad Plut. Eroticum p. 200 sqq., qui Wyttenbachii diatriben de Philoxenis, editam in Misc. Doctr. II. p. 64 seqq., repetitam in Opusc. II. p. 294—301, ignorasse videtur.

ut ista improbem. In diversas partes aguntur interpretes, ex quo Malaspina in duobus libris invenisse scripsit *probem*, eamque lectionem alteri praetulit. Minor de scriptione dubitatio erit, si constabit, quo respiciant *ista.* Esse *ea, quae tu suades* frustra docet Bosius. Obstant enim, quae continuo sequuntur: *idque tu confirmabis.* Sed *ista* dicit *praesentem rei p. statum.* Atqui is vehementer displicebat Ciceroni; ergo potius rationes quaerebat, quomodo salva dignitate improbare posset, quae probare nolebat, quam contra.

trinas. Consentiunt vett. libri in hac lectione ut hic, ita XI. 17, 1. Apud Tacitum Hist. I. 2 codex Florentinus habet *trina*, alii *terna.* Illam formam pluralibus tantum adiungi docet Varro de L. L. X. 67.

meliuscule Lentulo esse. Cf. Fam. XVI. 5, 1 *quum meliuscule tibi esset.* Est quod dicimus: *het gaat u een beetje beter.*

† *ferri.* Sic est in cod. Hisp. et in Mediceo a prima manu. Correctum in hoc est *ferrei*, quod Orellius expl. „nimis patientes, *ἀπαθεῖς*, qui adhuc vivamus nec voluntaria morte nos liberemus." Schuetzius probat Victorii emendationem *servi.* Klotzius scripsit: *nos vero miserrimi.* Malim simplicius: *nos vero miseri*, neque hac correctione meliorem censeo eam, quam G. Hirschfelder in Ann. Philol. CIII p. 201 proposuit propter *fulmen* modo nominatum: *nos vero ferimur.* Cicero scripsisset potius *percutimur* aut *icti sumus* sc. fulmine.

§ 3. *illa Hortensiana.* Qualia Atticus voluerit ignoramus, sed male huc trahi librum, quem de laude philosophiae anno 709 composuit et Hortensium inscripsit, nemo negabit.

incipiendo refugi. Potest explicari: *cum inciperem refugi*, sed quum Cicero ne incepisse quidem videatur, melius erit scribere *ab inc. ref.* cum Wesenbergio ad Tusc. V. 80, p. 366 ed. Orell. alt.

illius amici intemperiem ɔ: illius, dum amicus erat, insolentiam.

βαθύτης cernitur in condendis nostris sensibus, estque prudentiae pars cum simulatione coniuncta. Eandem Graeco nomine designat V. 10, 3. VI. 1, 2. Postea vero Off. I. 88 Latine interpretatus est *altitudinem animi, quae dicitur*, eademque appellatione usi sunt Sall. Iug. 95, et Tacit. Ann. III. 44. Hist. IV. 86. Aliis locis *altitudo animi* fere cum *gravitate* coniungitur, ad *magnitudinem animi* refertur, cerniturque *in capiendis incommodis et maxime iniuriis.* Part. Orat. 77. Fam. III. 10, 10. IV. 13, 4. Optime haec exposuit Ernestus ad Taciti l.l. Sed cf. quoque Matth. ad orat. p. Mil. § 21.

scribendo sit occultior et aliquid satisfactio levitatis habere videatur; 4. sed viderimus: tu modo quam saepissime ad me aliquid. Epistolam, Lucceio nunc quam misi, qua meas res ut scribat rogo, fac ut ab eo sumas — valde bella est — eumque ut approperet adhorteris et, quod mihi se ita facturum rescripsit, agas gratias, domum nostram, quoad poteris, invisas, Vestorio aliquid significes; valde enim est in me liberalis.

ne — sit occultior ɔ: ne minus appareat. Veretur Cicero, ut dolor ob iniuriam acceptam, quem adhuc compresserat, in libro suo occultari possit. Bosianum *oculatior* nihili est.

et aliquid satisfactio levitatis habere videatur ɔ: et ne levitatem mihi obiiciant, si scribendo ulciscar Hortensium, a quo tacitus iniuriam accepi. *Satisfactio* rursus legitur ad Fam. VII. 13, 1.

§ 4. *Epistolam, Lucceio nunc quam misi.* Legitur illa inter epist. ad Fam. V. 12, oneravitque scriptorem immodestiae crimine. Sed causam Ciceronis strenue egerunt Martyni-Laguna in Cic. epist. p. 247 sq. et C. H. Frotscherus in separata celebratissimae epistolae editione, Annab., 1838. Quum autem Orellius praeclaram epistolam non sine mendis edidisset, in priore editione declaravi quae et quomodo mihi corrigenda viderentur. Nunc omissis iis, quae in Wesenbergii editione recte leguntur, haec pauca monebo. In § 5 non scripsit Cicero, quod editur e Mss.: Cuius studium in legendo non erectum Themistocli fuga *redituque* retinetur? sed aut quod mihi in mentem venit: — *reditusque spe tenetur*, aut quod Kayserus coniecit: — *exituque retinetur.* In § 6 *in quibus — complecteris* sine exemplo et contra rationem est. Deleatur *in.* In § 7 verba *quam qui in eo genere laborarunt* male seduli lectoris additamentum continere iudico. Cicero quum scripsisset: *Nec minus est Spartanus Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse,* nihil addidit sciens Lucceium ea legentem comparativum ex iis quae praecedunt explicaturum, id est: *quam Alexander.*

Vestorio aliquid significes. ɔ: Vestorio argentario, quem tu in amicis numeras, significes eius in me liberalitatem tibi gratam esse.

VII. (*A. U. C.* 698.)

1. Nihil εὐκαιρότερον epistola tua, quae me sollicitum de Quinto nostro, puero optimo, valde levavit. Venerat horis duabus ante Chaerippus, mera mihi monstra nuntiarat. De Apollonio quod scribis, qui illi dii irati! homini Graeco, qui conturbare quidem putat sibi licere, quod

§ 1. *Chaerippus.* Homo e domo Q. patris. ad Q. fr. I. 1, 14. Hic nuntiarat Q. filium graviter aegrotare vel in extremis esse. Haec Cicero vocat *mera monstra.* Cf. IX. 11, 4 *monstra narrant.* Q. fr. II. 6, 5 *de Caesare monstra promulgarunt.*

De Apollonio. Ad hunc hominem non sine veri specie retulit Oehlerus versiculum e Satira Varronis, qui legitur apud Nonium p. 36 Merc. *Apollonium ideo excuriant, quia nihil habebut.* Vid. Varr. Satur. reliq. p. 46 et 143.

qui illi Dii irati. Recte comp. similis imprecandi formula: *qui illum Dii omnes perduint,* qua usi sunt Plautus et Terentius. *Qui* in eiusmodi locis et in formulis *hercle qui, edepol qui, quippe qui* habet vim adfirmandi, ut docuit A. Fleckeisenus in Misc. Criticis a. 1864 Lipsiae editis p. 28 seqq.

conturbare et plenius *conturbare rationes* dicuntur, qui non sunt solvendo, qui aere alieno se expedire non possunt, quales homines veteres *decoctores,* nos vocabulo originis Italicae *bankroetiers* dicimus. Planc. 68. ad Q. fr. II. 12, 5. Cf. Turnebi Advers. IV. 15. Suspicor hoc verbum non a Cicerone

equitibus Romanis: nam Terentius suo iure. 2. De Metello, οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν, sed tamen multis annis civis nemo erat mortuus, qui quidem... Tibi nummi meo periculo sint; quid enim vereris, quemcunque heredem fecit, nisi Publium fecit? verum fecit non improbe, quamquam fuit ipse. Quare in hoc thecam nummariam non retexeris, in aliis eris cautior. 3. Mea mandata de domo curabis, praesidia locabis, Milonem admonebis. Arpinatium fremitus est incredibilis de Laterio: quid quaeris? equidem dolui, ὁ δ' οὐκ ἐμπάζετο μύθων. Quid superest? etiam: puerum Ciceronem curabis et amabis, ut facis.

additum fuisse, sed sic scriptum: *qui idem putat sibi licere, quod equitibus Romanis.* Aliquis ad vv. *idem licere* explicanda adscripsit *conturbare.* Sed concedo Ciceronem potuisse quoque scribere: *qui conturbat atque idem putat sibi licere* cet.

nam Terentius suo iure. Hoc dictum cum acerba irrisione. Terentio, equiti Romano, conturbare licet. Simillimum est, quod scripsit Florus III. 17: *equites Romani — peculabantur suo iure rempublicam.*

§ 2. *De Metello.* Quum haec neque ad Creticum, nusquam a Cicerone reprehensum, neque ad Nepotem cos. a. 697, qui a. 700 in vivis memoratur, referri possint, Orellius in Onom. Tull. h. l. tangi putat eundem illum Q. Metellum Nepotem, quem Asconius ad Cornelianam p. 56 *malum atque improbum civem* appellat.

οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι. Hom. Od. XXII. 412. *Mortuis insultare nefas.* De mortuis nil nisi bene.

qui quidem... Sententiam non absolvit. Cogitare licet: peior fuerit, aut: minus sit lugendus. Schuetzius post *qui* excidisse *tui* ratus scripsit: *qui **** Tui quidem tibi nummi m. p. s.*

nummi, quos Metellus tibi debebat, *meo periculo sint* ɔ: ego illos tibi praestabo, non salvos, ut sequentia docent, sed perditos. Iocatur Cicero, quum eos suo periculo esse velit.

nisi P. fecit cet. P. Clodius aere alieno obrutus heres, Metelli debita non solveret. Atqui Metellus Publium fecit heredem; nec homo improbus improbe egit heredem scribens affinem suum, qui hereditatem quamvis miseram non repudiaret. Nihil igitur erat, cur Atticus arcam aperiret ad nummos illos condendos.

§ 3. *praesidia* „i. e. homines armatos contra Clodii impetus." Corradus. Eodem spectat Milonis mentio. Orellius in alt. edit. nescio quare recepit Victorii coni. *praedia.*

Arpinatium fremitus est incredibilis de Laterio. Laterium erat fundus Q. Ciceronis in agro Arpinati. Vid. X. 1, 1. Q. fr. III. 1, 4 sq. Ibi Quintus videtur aut aquam avertisse aut aliud quid fecisse, quod Arpinates factum nolebant. Sed ille non curabat eorum sermones, ut Cicero scribit verbis ex Odyssea I. 271 desumptis.

VIII. a. (*A. U. C.* 698.)

1. Multa me in epistola tua delectarunt, sed nihil magis quam patina tyrotarichi; nam de rauduscnlo quod scribis,

μήπω μέγ' εἴπῃς, πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς.

§ 1. *patina tyrotarichi.* Cibus e pisce salso et caseo potissimum compositus, quem homines lauti respuebant, ut ex iis apparet, quae Cicero iocatur ad Fam. IX. 16, 7—9. Cf. Att. XIV. 16, 1.

de rauduscnlo. Rauduscnlum est deminu-

Aedificati tibi in agris nihil reperio: in oppido est quiddam, de quo est dubium sitne venale, ac proximum quidem nostris aedibus. Hoc scito Antium Buthrotum esse Romae, ut Corcyrae illud tuum: nihil quietius, nihil alsius, nihil amoenius. *εἴη μοὶ οὗτος φίλος οικος.* 2. Postea vero quam Tyrannio mihi libros disposuit, mens addita videtur meis aedibus; qua quidem in re mirifica opera Dionysii et Menophili tui fuit. Nihil venustius quam illa tua pegmata, postquam mi sillybis libros illustrarunt. Vale. Tu scribas ad me velim de gladiatoribus, sed ita, bene si rem gerunt; non quaero, male si se gessere.

tivum a *raudere* vel *rudere*, quod olim pro aere rudi, tum etiam pro signato dictum esse Festus docet. Cf. Varro de L. Lat. V. 163. Saepius Cicero hoc nomine indicat parvam pecuniae summam. Cf. Att. VI. 8, 5. VII. 2, 7. XIV. 14, 5.

μήπω κτλ. Versus e Sophoclis Tereo servatus quoque a Stobaeo 105, 21. Nequid magnum dicas, priusquam ad finem pervenisse videris. Quorsus haec spectent, amissa Attici epistola ignoramus. Ingeniose I. F. Gronovius suspicabatur *τελευτήσαντα,* quo Sophocles *hominem mortuum* indicabat, a Cicerone illum versum in suam rem convertente poni tanquam accus. plur. neutri generis, et hoc dici: De nummis (Metello creditis?) noli gratulari tibi, priusquam finem negotii videris.

Romae-Corcyrae sunt dativi. De Buthroto vid. II. 6, 2.

nihil alsius ɔ: nihil aestate frigidius. Idem comparativus legitur in ep. ad Q. fr. III. 1, 5, praeterea nusquam.

εἴη μοὶ οὗτος φίλος οἶκος. H. l. ut infra XV. 16 *b*, Cicero in animo habuisse videtur proverbium Graecorum *φίλος οἶκος οἶκος ἄριστος.* Sed librarii, ut saepe, Graeca non intelligentes litteras misere perturbarunt. In Med. est: ΕΙΜΗΙΣΗΤΩ ΦΙΛΟΣ ΚΟΣ. Bosius ex eorum nugis eruit *εἴη μισητὸς φ. ο.*, quod intt. aliquatenus explicare studuerunt. Propius ad verum accesserat Malaspina emendans *ἐμοὶ ἔστω φίλος οἶκος.* Ego Peerlkampii praeclaram coniecturam recipere non dubitavi, necdum repudio lectis iis, quae R. Muecke l. c. p. 3 ad defendendam Bosii correctionem scripsit.

§ 2. *pegmata illa tua* videntur dici plutei eorum similes, quibus Atticus utebatur. Sed possunt haec quoque accipi de constrictione sive conglutinatione librorum.

sillybis. Vid. ad ep. 4*b*, 1. Pro *mi* malim *hi.* Nisi propius ad cod. Z. (*postquam sit tibae*) scribendum sit: *postquam sillybi libros illustrarunt.*

Vale. Tu scribas, cet. Sic scripsi, quum in Med. sit: *ill. valde.*›*Et scribas.* In Orellii lectione *valde scribas ad me velim,* displicet *valde* cum *velim* coniungendum, nec *valde* superiori sententiae adiectum sine offensione est. De *vale* cff. quae dicam ad V. 19, 2. *Tu scribas ad me velim* est formula toties in his epistolis obvia, ut ineptum sit exemplis eam munire.

si se gessere. De hac perfecti terminatione disputavit Haasius ad Reysigii Scholas, adn. 269. Longe plurimis locis apud Ciceronem librariis debetur et altera ex optimis codd. est restituta, ut Fam. IX. 21, 3 *fuerunt,* ibid. 25, 1 *reddiderunt,* utrumque e Mediceo. Orellius ad Orat. § 12 et ad II de Divin. 118 ubique corruptam existimabat idemque defendit Wesenb. Emend. alt. p. 35 in adn. ad Fam. X. 19, 1. Cautius Osannus in Exc. XX ad ll. de Repb. eam certe in epistolis Tullianis ferendam esse concedit. Cf. quoque Zumpt. ad Verr. L. I. 15. Quum vero M. praebeat *male sic egisse,* fortasse vocabulum periit et legendum est: *male si se gessisse videntur.*

VIII. b. (*A. U. C.* 698.)

1. Apenas vix discesserat, quum epistola. Quid ais? putasne fore, ut legem non ferat? dic, oro te, clarius; vix enim mihi exaudisse

videor: verum statim fac ut sciam, si modo tibi est commodum. Ludis quidem quoniam dies est additus, eo etiam melius hic eum diem cum Dionysio conteremus. 2. De Trebonio prorsus tibi assentior. De Domitio,

Σύκῳ, μὰ τὴν Δήμητρα, σῦκον οὐδὲ ἕν
Οὕτως ὅμοιον γέγονεν,

quam est ista *περίστασις* nostrae, vel quod ab iisdem, vel quod praeter opinionem, vel quod viri boni nusquam: unum dissimile, quod huic merito. Nam de ipso casu nescio an illud melius; quid enim hoc miserius, quam eum, qui tot annos, quot habet, designatus consul fuerit, fieri consulem non posse, praesertim quum aut solus aut certe non plus quam cum altero petat? Si vero id est, quod nescio an sit, ut non minus longas iam in codicillorum fastis futurorum consulum paginulas habeant quam factorum, quid illo miserius nisi res publica, in qua ne speratur quidem melius quicquam? 3. De Natta ex tuis primum scivi litteris; oderam hominem. De poëmate quod quaeris,

§ 1. *Apenas.* Nomen tabellarii in codd. corruptum legitur *Aperias.*

ut legem non ferat. Quam legem dicat, quemve latorem ignoramus.

hic ut videtur in Tusculano, quum *quotidie* litteras ab Attico exspectet § 4. Cf. de Gruber, p. 7.

cum Dionysio. Vid. ep. 11, 2. Orellius in Onom. p. 223 hos locos cum IV, 13, 1 et 15, 1 refert ad aliquem Attici libertum; multo plures ex his epistt. ad alium Ciceronis servum literatum. Ex uno homine duos ne fecerit metuo.

§ 2. *De Trebonio prorsus tibi assentior* eum in tribunatu cum Caesare et Pompeio coniunctum fore. *De Domitio* Cn. f. Cn. n. Ahenobarbo spe consulatus deiecto. *Merito* hoc Domitio accidisse Cicero scribit, quod ille minatus erat se consulem Caesari adempturum esse exercitum. Cf. Suet. Caes. 24.

σύκῳ κτλ. Proverbium ὁμοιότερος σύκου ab aliquo comico ita exornatum in compendium redegit senex apud Theophrastum, Char. 5 φῆσαι σύκου ὁμοιότερα εἶναι τῷ πατρί.

an illud melius ɔ: an exsilium quod mihi contigit melius sit, quam repulsa, quam Domitius tulit.

hoc miserius, quam eum — non posse? Hoc quodammodo abundat, ut in Cic. Verr. IV. 77. *Quid hoc tota Sicilia est clarius, quam omnes Segestae matronas convenisse,* ad q. l. cf. Zumptii adnot. Vide quoque Madv. ad Fin. I. 19.

qui tot annos, quot habet, designatus consul fuerit ɔ: qui per totam vitam consulatus destinabatur, quoniam Ahenobarbi quinquies iam consules fuerant. Quod *solus* aut *cum altero* petere dicitur, id accipiendum de candidatis plebeiis. Nam reipb. tempore Domitii erant plebeii. Cf. Mommsen, röm. Forsch. I. p. 73 sq.

in codicillorum fastis ɔ: in fastis magistratuum futurorum, quos Caesar, Pompeius, Crassus in codicillos retulerant. Erant fasti, ut ita dicam, privati et latentes.

quid illo miserius nisi res publica? ɔ: resp., quae consules accipere debet illorum arbitratu, miserior etiam est, quam Domitius, quem consulem fieri nolunt.

§ 3. *De Natta.* De hoc L. Murenae privigno et fratre uxoris P. Clodii vid. Cic. Mur. 73 et p. Dom. 118 et 134, unde discimus, cur Cicero eum oderit.

De poëmate — sinas? Cogitandum videtur de poëmate *de temporibus suis,* quod iam ante a. 700 editum est. Vid. ad Q. fr. II. 9 init. 16, 5. III. 1, 24. Fam. I. 9, 23. Wielandus

quid si cupiat effugere? quid? sinas? De Fabio Lusco quod eram exorsus, homo peramans semper nostri fuit nec mihi unquam odio; satis enim acutus et permodestus ac bonae frugi. Eum quia non videbam, abesse putabam; audivi ex Gavio hoc Firmano Romae esse hominem et fuisse assiduum: percussit animum. Dices: tantulane causa? Permulta ad me detulerat non dubia de Firmanis fratribus: quid sit quod se a me removerit, si modo removit, ignoro. 4. De eo, quod me mones, ut et *πολιτικῶς* me geram et *τὴν ἔσω γραμμὴν* teneam, ita faciam; sed opus est maiore prudentia, quam a te, ut soleo, petam. Tu velim de Fabio, si quem habes aditum, odorere et istum convivam tuum degustes et ad me de his rebus et de omnibus quotidie scribas. Ubi nihil erit, quod scribas, id ipsum scribito. Cura ut valeas.

II. p. 471 sq. suspicatur Ciceronem aliquid in laudem Caesaris composuisse, de quo amicum interroget possitne tuto exire.

quod eram exorsus. Una cum cod. Y evanuit Bosianum *quod eram exosus,* in quo explicando frustra opera posita est. Optime veram scripturam interpretatur Gronovius: „quod institueram in superiori quadam epistola tecum agere et non absolvi."

bonae frugi. Inferioris conditionis hominibus hanc laudem tribui solere observat Gronovius, Obss. I. 17. Cf. Att. VII. 4, 1. Fam. XIII. 70,

percussit animum. Vid. ad VI. 9, 1. Similiter Terentius Andr. I. 1. 98.

de Firmanis fratibus. Fortasse de ipso illo Gavio eiusque fratre, Ciceroni infestis. Fabium Luscum et ipsum Firmanum fuisse hinc suspicari licet.

quid sit quod se a me removerit ɔ: cur me reversum in urbem non adierit. Coniunctivum restitui e necessaria correctione. Fortasse in archetypo erat: *remorit,* ut Ernestus edidit.

§ 4. *τὴν ἔσω γραμμὴν,* lineam interiorem. Est quasi dicat: — *ut medium teneam,* potentibus neque prorsus assentiar, neque stulte repugnem. Metaphoram a stadio desumptam copiose expl. Salmasius ad Solinum p. 642 seqq.

odorere — degustes. Utrumque vocabulum a sensibus ad res mente percipiendas eleganter transfertur. Similiter *odorari* pro indagare ponitur Att. IV. 14, 2 et XIV. 3, 2. 22, 1. Attici *convivam* frustra opinor investigabimus. Pro *e* vel *ex Fabio* scripsi *de Fabio,* quod rectius dicitur *odorari de aliquo,* quam *ex aliquo.* In Med. vitiose scriptum *et Fabio* non minus hoc quam illo modo emendari posse videtur.

Ubi nihil erit — scribito. cf. Plinii Ep. I. 11.

IX. (*A. U. C.* 699.)

1. Sane velim scire, num censum impediant tribuni diebus vitiandis — est enim hic rumor — totaque de censura, quid agant, quid

§ 1. *censum.* Recte ex h. l. statuunt hoc anno censores in civitate fuisse, quos fore superiore anno Cicero fuerat suspicatus. Vid. sup. 2, 6. Fuisse autem M. Valerium Messallam M. F. Nigrum, cos. a. 693. Sigonius satis probabiliter coniecit, cui collegam addunt in fastis P. Servilium Vatiam Isauricum, cos. a. 675.

diebus vitiandis. Locutio non alibi invenitur, sed tamen bona est, quum *vitiare* sit

cogitent. Nos hic cum Pompeio fuimus: multa mecum de re publica, sane sibi displicens, ut loquebatur — sic est enim in hoc homine dicendum — Syriam spernens, Hispaniam iactans, hic quoque, ut loquebatur; et opinor usquequaque, de hoc quum dicemus, sit hoc quasi *καὶ τόδε Φωκυλίδου*. Tibi etiam gratias agebat, quod signa componenda suscepisses; in nos vero suavissime hercule est effusus. Venit etiam ad me in Cumanum: etsi nihil minus velle mihi visus est, quam Messallam consulatum petere, de quo ipso si quid scis velim scire. 2. Quod Lucceio scribis te nostram gloriam commendaturum, et aedificium nostrum quod crebro invisis, gratum. Quintus frater ad me scripsit se, quoniam Ciceronem suavissimum tecum habe-

vitiosum reddere. cf. Gell. XIII, 15. Hoc fiebat *obnuntiando,* quo facto omnis cum populo agendi facultas eripiebatur.

totaque de censura, cet. ɔ: num sinant legem Clodiam, qua censoria notio paene sublata est, vigere. Sustulit eam legem Q. Scipio Metellus consul a. 702. Dio Cassius XL. 57. Lustrum non fuisse conditum suspicari licet ex iis quae Cicero scribit mense Oct. a. 700, h. l. 16, 14 (mihi 8).

ut loquebatur. Ita dicebat Pompeius, vere an simulate incertum. *Solebat* enim Pompeius *aliud sentire et loqui,* ut Caelius scribit Fam. VIII. 1, 3. Cf. Q. fr. I. 3, 9 *Pompeium simulatorem puto.*

Syriam spernens, Hispaniam iactans ɔ: contemnens provinciam, quae Crasso obvenerat, copiosam, magnifice extollens eam, quam ipse administraturus est. Miror Schuetzio placuisse falsam Manutii interpretationem: „*iactans,* ita exagitans, quasi fastidiret." Si sententia hoc postularet, vitiosum *laetans* mutarem in *lacerans.* Sed oppositum *spernens* ostendit verum esse *iactans.*

καὶ τόδε Φωκυλίδου. Haec verba Phocylidem praeceptis suis praeponere solitum fuisse e fragmentis apud Strabonem, Stobaeum aliosque apparet. Cff. Poetae lyrici Gr. ex recens. Th. Bergkii altera p. 357 sq. Hinc dicitur de verbis *ut loquebatur* identidem repetendis, ubi Pompeii sermones citantur.

signa componenda, „in theatro Pompeii, de quo Plutarchus (in Pomp. 52 extr.), Plinius (XXXVI. 115) alii." Manut. Suet. Ner. 46. Dio Cass. XXXIX. 38. Dedicatum est hoc ipso anno. Ludos tum factos recenset Cicero in epist. ad Marium, Fam. VII. 1. E recentioribus, qui urbis topographiam illustrarunt cons. L. Canina (Romae 1831) p. 161—4, Urlichs in descr. urbis III, 3, 40 seqq. Beckerus, Antiq. Rom. I. p. 675 seqq.

est effusus. Med. *et effusus.* Vulgo cum Bosio *est* omittunt. Sententia est, quam Gronovius aperuit: „mihi se valde humanum et comem praestitit."

etsi nihil minus velle mihi visus est. Pro *at si,* quod e Med. affertur, Manutius scripsit *a se,* idque praecedenti sententiae adiecit: *Venit etiam ad me in Cumanum a se.* Quum Bosius idem in cod. Y esse affirmasset, omnes receperunt. Sed satis perspicuum est: *Venit ad me,* et inepte additur *a se.* Mea correctio et facilior est, et particulam addit, qua aegre caremus. *Etsi* = sed, ut V. 4, 4. IX. 7, 5. X. 8, 9 et saepius.

Messallam. Est M. Valerius Messalla, qui sequenti anno consulatum petiit, h. l. 17, 3, et post plura interregna a. 702 mense Quintili demum iniit. Pompeius eum petere nolebat, quod favebat Scauro. Cf. ep. 15, 7.

§ 2. *tecum haberes* scripsi de Manutii coni. pro inepto *secum haberet.* Hoc enim recepto sequeretur, ut Quintus non venisset ad Atticum, nisi filium domi suae habuisset. Verbis emendatis Quintus dicitur Atticum adire velle, ut filium suum ibi viseret. Eum apud avunculum fuisse ex ep. 7 h. l. apparet.

Paetum. Ad hunc scriptae sunt epistt. ad Fam. IX. 15—26. Vulgo editur *L. Paetum,* quum Mss. habeant *Laetum.* Praenomen melius abesse vidit Wesenbergius, Obss. in Sestianam p. 39 et Emend. Epistt. p. 44.

Bene mane est sermonis familiaris. cf. X. 16, 1. XIV. 18, 1.

res, ad te Nonis Mai. venturum. Ego me de Cumano movi ante diem v. Kal. Maias: eo die Neapoli apud Paetum. Ante diem IV Kal. Maias iens in Pompeianum bene mane haec scripsi.

X. (*A. U. C.* 699.)

1. Puteolis magnus est rumor Ptolemaeum esse in regno: si quid habes certius, velim scire. Ego hic pascor bibliotheca Fausti; fortasse tu putaras his rebus Puteolanis et Lucrinensibus: ne ista quidem desunt; sed mehercule ut a ceteris oblectationibus voluptatum deseror propter rem publicam, sic litteris sustentor et recreor maloque in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere quam in istorum sella curuli tecumque apud te ambulare quam cum eo, quocum video esse ambulandum. Sed de illa ambulatione fors viderit aut si qui est, qui curet, deus; 2. nostram ambulationem et laconicum eaque, quae Cyrea sunt, velim, quum poteris, invisas et urgeas Philotimum ut properet, ut possim tibi aliquid in eo genere respondere.

§ 1. *Ptolemaeum esse in regno.* Ptolemaeus Auletes regno pulsus Romam confugerat, auxilium a senatu petiturus. Ibi vero multae contentiones, aliis regem omnino reducendum esse negantibus, aliis quo modo hoc faciendum esset, cuive negotium manderetur dubitantibus. Plurima huius rei mentio fit in epistolis a. 698 ad Lentulum datis, Fam. I. 1—7, ad Q. fr. II. 2. Cf. Cass. Dio XXXIX, 12—16 et 55—62, e recentioribus Middletonus in Vita Ciceronis, cap. 6. Wielandus in interpr. epistt. II. p. 150 seqq. Abekenus op. l. p. 141—3. Rumor non vanus erat; Gabinius enim Syriae procos. adversus senatus auctoritatem regem reduxit.

bibliotheca Fausti. Faustus, Sullae dictatoris filius, habebat libros, quorum magnam copiam pater Athenis et ex aliis Asiae et Graeciae oppidis in Italiam deportaverat. Cf. Strabo XIII. 1, 54. Plut. in Sulla, 26.

tu putaras. Codd. et editt. *putabas.* Correxit Wesenbergius, Emend. p. 29.

his rebus P. et L. Ingeniosa memoratur Fulvii Ursini suspicio, pro *his rebus* legendum esse *ostreis.* Sed Romani *cibos* etiam vocabant *res.* Cf. Hor. Sat. II. 6. 110, *bonisque rebus agit laetum convivam.* Iuven. XI. 130 *convivam caveo, qui — res despicit exiguas.* P. Syri sententia: *Bonarum rerum consuetudo pessima est.* Fortasse Cicero nunc tales *res* cogitabat, ut censebat P. Burmannus ad Phaedri Fabul. IV. 23, 8 ubi musca dicit: *Laboro nihil atque optimis rebus fruor;* fortasse ipsam naturam eorum locorum designat *his rebus,* ut fecit in simili loco XII. 9.

ut a ceteris oblectationibus voluptatum deseror. Sic scripsi de Graevii coni., transpositis ultimis vocabulis. Mss. enim omnes habent *a cet. obl. deseror et voluptatum,* quod e *voluptatibus* corruptum esse non credo. *Deseri a mente* est sup. III. 15, 2, *deseremur potius a re familiari, quam a republica* XVI. 3, 1.

quocum video esse ambulandum. Non videtur hoc accipiendum de simplici ambulatione cum Pompeio, sed dicit se Pompeii in re publica asseclam esse debere.

§ 2. *ambulationem.* Ita vocabant spatium vel sub dio vel etiam tectum, ita dispositum ut hieme plurimum solis, aestate minimum reciperet. Colum. de R. R. I. 6.

laconicum. Pars caldarii, quam describit G. A. Beckerus in Gallo III. p. 76 sq. Plautus in Sticho v. 229 unctiones Graecas sudatorias appellat.

Cyrea, a Cyro architecto (vid, II. 3, 2) descripta. *sunt* pro *sint* debetur Wesenbergio.

Philotimum. Alibi quoque hunc Terentiae libertum aedificando praepositum videmus,

Pompeius in Cumanum Parilibus venit; misit ad me statim, qui salutem nuntiaret: ad eum postridie mane vadebam, quum haec scripsi.

ut II. 4, 7. XIV. 18, 2. ad Q. fr. III. 1, 6. *ut possim tibi aliquid in eo genere respondere.* Haec obscura. Indicavit, non expedivit Peerlk. ad Hor. Sat. p. 135. Vitium quaero in ultimo verbo, tollendumque puto corrigendo *reponere* ɔ: reddere. Eodem modo hoc verbum posuit in ep. 9. L. I ad Fam. § 19: *Cur laudarim* (Vatinium), *peto a te ut id a me non requiras, ne tibi ego idem reponam.*

vadebam ɔ: iturus eram. cf. ad I, 5, 4.

XI. (*A. U. C.* 699.)

1. Delectarunt me epistolae tuae, quas accepi uno tempore duas ante diem v. Kal. Perge reliqua: gestio scire ista omnia. Etiam illud cuiusmodi sit velim perspicias — potes a Demetrio —: dixit mihi Pompeius Crassum a se in Albano exspectari ante diem IV. Kal.; is quum venisset, Romam esse statim venturos, ut rationes cum publicanis putarent. Quaesivi, gladiatoribusne? respondit, antequam inducerentur. Id cuiusmodi sit, aut nunc, si scies, aut quum is Romam venerit, ad me mittas velim. 2. Nos hic voramus litteras cum homine mirifico — ita mehercule sentio — Dionysio, qui te omnesque vos salutat. *Οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντ' εἰδέναι·* quare, ut homini curioso, ita perscribe ad me, quid primus dies, quid secundus, quid censores, quid Appius, quid illa populi Appuleia, denique etiam quid a te fiat, ad me velim scribas. Non enim — ut vere loquamur — tam rebus novis quam tuis litteris delector. Ego mecum praeter Dionysium eduxi neminem, nec metuo tamen, ne mihi sermo desit:

§ 1. *ante diem V Kal.* Si Cicero accepisset illo die, earum mentionem fecisset in epist. 9 a. d. IV Kal. Maias scripta. Manutius propterea temptavit *ante diem II Kal.* Sed eum diem Cicero vocat *pridie Kal.* cf. II. 2, 3. 9, 4. III. 7 extr., 14 extr. cet. Retinui itaque numerum in codd. proditum, sed aut cum W. post *duas* inserendum censeo *datas*, aut cum Hirschfeldero *scriptas* post *Kal.*

Perge reliqua. Vid. quae monui ad III. 15, 5.

a Demetrio, Pompeii liberto, qui apud patronum summa auctoritate erat. Plin. H. N. XXXV. 200. Plut. in Pomp. 40.

antequam inducerentur. Gladiatores inducuntur, quum populo spectandi dantur. Cf. de opt. gen. oratt. 17, p. Sest. 134.

§ 2. Οὐδέν — εἰδέναι. Meinekius in Fragm. Com. Gr. IV. p. 610 adiecit ante ἤ verbum ἐστιν, et senarium comico tribuit, quem in ed. min. p. 1015. Menandrum esse statuit.

quid primus dies, quid secundus, ludorum opinor.

quid Appius. Num consulatum in proximum annum petiturus sit.

illa populi Appuleia. Designari videtur P. Clodius, qui non secus atque olim Appuleius Saturninus infimam plebem ad seditionem excitabat. Dicit autem *Appuleiam,* ut mores hominis molles atque effeminatos notet. Sic ex *Egilio* facta est *Egilia* in dicto Opimii in lib. II de Orat., 277. Alia exempla huius fem. gen. in nominibus collegerunt Freinsh. ad Curt. VIII. 1. Ern. ad Tac. Ann. VI. 5. Teuffel. ad Aristoph. Nub. 680. Horatii *Pediatiam* in Sat. I. 8, 39 ex eo numero eximendam cum Doederleinio puto.

† abs te opere delector. Tu Lucceio nostrum librum dabis. Demetrii Magnetis tibi mitto, statim ut sit qui a te mihi epistolam referat.

† *abs te opere delector.* Quum olim non displiceret Orellii suspicio, qui nomen proprium in his latere censebat scriptumque olim fuisse: *Aristotele* [*magnopere*] *delector*, nunc potius amplector, quod Madvigii acumen invenit: *desit: ita ab isto puero delector.* Vid. A. C. III p. 173. Dionysium servum vocat puerum. *Delectari ab aliquo* Madv. dici ostendit de eo, qui delectationem nobis parit, ad Fin. I, 14.

nostrum librum, commentarios rerum suarum, quos se confecturum promiserat Lucceio, Fam. V. 12, 10.

Demetrii Magnetis librum. Cf. ad VIII. 11, 7.

XII. (*A. U. C.* 699.)

Egnatius Romae est: sed ego cum eo de re Halimeti vehementer Antii egi; graviter se acturum cum Aquilio confirmavit; videbis ergo hominem, si voles. Macroni vix videor praesto esse (posse): Idibus enim auctionem Larini video, et biduum praeterea: id tu, quoniam Macronem tanti facis, ignoscas mihi velim. Sed, si me diligis, postridie Kalend. cena apud me cum Pilia: prorsus id facies. Kalendis cogito in hortis Crassipedis, quasi in deversorio, cenare: facio fraudem senatus consulto. Inde domum cenatus, ut sim mane praesto Miloni. Ibi te igitur videbo et † promonebo. Domus te nostra tota salutat.

Egnatius. De personis et rebus ignotis, de quibus in hac epistola agitur, nihil dicam.

Macroni vix videor praesto esse. Post haec desideratur v. *posse*, quod Malaspina in cod. Anton. se vidisse testatur.

Idibus, quod in edit. Iens. primum additum est, Hofmanno p. 53 sq. ex interpolatione accessisse, mihi plane necessarium esse videtur. Incertum est cuius mensis Idus dicantur, ut epistolae scriptae tempus ignoratur. Certe cogitandae sunt Idus eiusdem mensis, cuius Kalendae paulo post nominantur.

biduum praeterea sc. Larini mihi commorandum est, ut Lambinus cogitatione addendum esse monuit. *Larinum* erat municipium in Frentanis XVIII milia a Teano Apulo remotum.

facio fraudem SCto spectat ad illud SCtum, quo senatores, qui in urbe erant, in senatum venire cogebantur, nisi iustam excusationem afferrent. Cf. Phil. I. 5. Cicero urbem non ingressus, sed in hortis illis manens eludebat illud. Nam hoc est *fraudem facere SCto* et *legi.* cf. Plauti Mil. 164. Liv. VII. 16 extr. l. 29 et 30 Dig. de legibus.

ut sim mane praesto Miloni non de opera in iudicio pro Milone ponenda dictum est. Nam Milo illo anno erat praetor. *Praesto esse* in omni re dici ex his locis perspicitur, IV. 1, 4. 13, 1. V. 13, 1. VIII. 15, 2. IX. 16, 3. X. 8, 3.

Promonebo, in quo codices M. et Z. conspirant, non est verbum usitatum. Nihilo meliora sunt *promovebo* et *pervidebo.* Melius I. F. Gronovius: „Lege *et promerebor*, satisfaciam tibi vel omnia faciam ut placeam tibi irato ob Macronem destitutum." Cicero *promerendi* verbo absolute utitur p. Mur. 70. Off. II. 53.

XIII. (*A. U. C.* 699.)

1\. Nos in Tusculanum venisse a. d. XVII. Kal. Decembr. video te scire: ibi Dionysius nobis praesto fuit. Romae a. d. XIII. Kalend.

volumus esse — quid dico, volumus? immo vero cogimur. Milonis nuptiae, comitiorum nonnulla opinio est; † ergo, ut sit rata. Afuisse me in altercationibus, quas in senatu factas audio, fero non moleste; nam aut defendissem, quod non placeret, aut defuissem, cui non oporteret. Sed mehercule velim res istas et praesentem statum rei publicae et quo animo consules ferant hunc *σκυλμόν* scribas ad me, quantum pote: valde sum *ὀξύπεινος* et, si quaeris, omnia mihi sunt suspecta. 2. Crassum quidem nostrum minore dignitate aiunt profectum paludatum, quam olim aequalem eius L. Paullum, item iterum consulum: o hominem nequam! De libris oratoriis factum est a me diligenter: diu multumque in manibus fuerunt; describas licet. Illud etiam (atque etiam) te rogo, *τὴν παροῦσαν κατάστασιν τυπωδῶς*, ne istuc hospes veniam.

§ 1. *Milonis nuptiae* cet. Melius intelligerem sic scripta: *Immo vero cogimur Milonis nuptiis.* In iis quae sequuntur, *ergo* retinui, sed corruptum esse indicavi. Sermo est de opinione illa, et potuit Cicero scribere: *vereor, ut sit rata.* Minime vero haec verba, *ergo* mutato in *ego* cum sequentibus sunt iungenda, nec cum Tyrrello in Hermathena X scribendum: *Ego ut sitio rem, ita afuisse* cet.

σκυλμόν ɔ: *ὄχλον*, perturbationem. In Hesychii Lexico invenies *σκύλλειν, τὸ τοῖς ὄνυξι σπᾷν — σκύλλου. ἐνοχλοῦ — σκύλσις.... ταραχή.* De *ὀξύπεινος* monui ad II. 12, 2.

quantum pote in familiari sermone dicebatur pro *quantum potest*, idque pro *quantum fieri potest*, ut non raro *potest* pro *fieri potest* ponitur. Cf. Madv. ad Fin. p. 767, qui citat ex his epistt. V. 17, 4. XII. 23, 1 et 40, 2. Etiam V. 13, 3 non minus recte e Med. scribitur *si quid potest*, quam cum Faerno *si quid potes.*

§ 2. *paludatum.* Crassus in extremo consulatu altero indutus paludamento imperatorio in provinciam abiit, ita significans se bellum adversus Parthos gesturum esse. Cf. Liv. XXI. 63. Varro de ling. lat. VII. 37. Profectus est autem minore dignitate quam olim L. Aemilius Paullus, cuius in Macedoniam iter maior quam solita hominum frequentia celebravit, Liv. XLIV. 22 extr.: at Crassus abiit dirarum C. Ateii Capitonis trib. pl. obnuntiatione neglecta, nullis hominum studiis comitatus. Cic. de Divin. I. 29.

item iterum consulem. Hoc latere in scriptura libri Medicei *item T. terum cons. s.* vidit Buechelerus Mus. Rhen. XI. p. 530. Vulgo omittunt *item*, quod additur quoniam hac quoque in re comparantur Crassus et L. Paullus.

De libris oratoriis. Dicit libros de Oratore tres, quos hoc anno in villis suis perfecerat.

diu multumque ɔ: per longum tempus et assidue. Orat. 1. de Or. I. 152. Sull. 73.

τὴν π. κ. τ. ɔ: ut praesentem statum rei publicae summatim mihi depingas.

XIV. (*A. U. C.* 700.)

1. Vestorius noster me per litteras fecit certiorem te Roma a. d. VI. Id. Mai. [putare] profectum esse, tardius quam dixeras, quod minus

§ 1. *te Roma — [putare] profectum esse.* Seclusi v. *putare*, quod sententiam corrumpit, non plane probans Lambini correctionem: *Puto te profectum esse* cet. neque vett. editorum scripturam *putari*, nec Schmidtii coni. *mature.* Ingeniose Pluygers suspicatus

valuisses: si iam melius vales, vehementer gaudeo. Velim domum ad te scribas, ut mihi tui libri pateant non secus ac si ipse adesses, quum ceteri, tum Varronis; est enim mihi utendum quibusdam rebus ex his libris ad eos, quos in manibus habeo, quos, ut spero, tibi valde probabo. 2. Tu velim, si quid forte novi habes, maxime a Quinto fratre, deinde a C. Caesare, et si quid forte de comitiis, de re publica — soles enim tu haec festive odorari — scribas ad me; si nihil habebis, tamen scribas aliquid; nunquam enim mihi tua epistola aut intempestiva aut loquax visa est. Maxime autem rogo rebus tuis totoque itinere ex sententia confecto nos quam primum revisas. Dionysium iube salvere. Cura ut valeas.

est in verbo latere nomen regionis, veluti *in Apuliam*. Magis etiam placet: *Buthrotum*. cf. ep. 16, 9. Pro *dixerat* scripsi *dixeras*, ut Faernus volebat. Mox *domum ad te* est i. q. *domum tuam*. Cf. XII. 11 *domum ad se venisse*. Fam. III. 8, 10 *neque domum unquam ad me litteras mittam*. Cael. 61 *cur non ad Caelium domum venerunt*. Verr. A. Pr. 25 *domum ad illum ut venirent*.

ad eos, quos in manibus habeo. Libros de republica. Cf. 16, 2 sq. ad Q. fr. II. 14, 1.

III. 5, 1. Eos cupit *probare* Attico ɔ: efficere ut Atticus eos approbet.

§ 2. *festive* e Med. corr. revocavi pro *festine*, quod Or. e Med. pr. scripsit. Illud aptum est pro *acute*: hoc nusquam alibi pro *festinanter* ponitur. Eadem permutantur in Acad. II. 92.

ex sententia ɔ: ex animi sententia, quemadmodum cupiebas. Sic V. 21, 1, ad Q. fr. II. 14, 1.

XV. (*A. U. C.* 700.)

1. De Eutychide gratum, qui vetere praenomine, novo nomine T. erit Caecilius, ut est ex me et ex te iunctus Dionysius M. Pomponius. Valde mehercule mihi gratum est Eutychidem † tuam erga me benevolentiam cognosse suam illam in meo dolore συμπάθειαν neque tum mihi obscuram neque post ingratam fuisse. 2. Iter Asiaticum

§ 1. *De Eutychide gratum*. sc. quod ille a te libertate donabitur. cf. epist. 16, 15 (mihi 9).

vetere praenomine, novo nomine. Ernestus *tuo* excidisse suspicatur, quod optime post *nomine* collocabitur. Praeterea cf. inscriptio epist. 20. lib. III. — *Dionysius* ille, qui manumissus M. Pomponius Dionysius est factus, fuerat servus M. Tullii carissimus T. Pomponio: itaque manumissus alterius praenomen accepit, alterius nomen. cff. meae Obss. crit. p. 47 sq.

Valde mehercule mihi gratum est Eutychidem — cognosse. Scripsi de Buecheleri coniectura valde probabili. Vulgo exigua librorum scriptorum auctoritate editur: — *Gratum, si Eutychides — cognoscet*. Verbis *tuam erga me benevolentiam* crucem praefixi, quod corrupta videntur, neque plane sanantur lenissima Baiteri correctione *tua erga me benevolentia*. Recte ea laudatur in aliis rebus, velut XI. 1, 1, sed hac in re quid iuvet non intelligo. Corrigo: *ex tua erga se benevolentia*. Attici benevolentia in eo cernebatur, quod servum manumisit.

§ 2. *Iter Asiaticum* cet. Ep. 16, 15 (9) amicum obiurgat, quod in Asiam abiit. Interim Atticus per litteras se purgaverat.

tuum puto tibi suscipiendum fuisse; nunquam enim tu sine iustissima causa tam longe a tot tuis et hominibus et rebus carissimis et suavissimis abesse voluisses; sed humanitatem tuam amoremque in tuos reditus celeritas declarabit. Sed vereor ne lepore (te) suo detineat diutius praetor Clodius et homo pereruditus, ut aiunt, et nunc quidem deditus Graecis litteris Pituanius. Sed, si vis homo esse, recipe te ad nos, ad quod tempus confirmasti; cum illis tamen, quum salvi venerint, Romae vivere licebit. 3. Avere te scribis accipere aliquid a me litterarum; dedi, ac multis quidem de rebus, ἡμερολεγδὸν perscripta omnia, sed [ut coniicio] quoniam mihi non videris in Epiro diu fuisse, redditas tibi non arbitror. Genus autem mearum ad te quidem litterarum eiusmodi fere est, ut non libeat cuiquam dare, nisi de quo exploratum sit tibi eum redditurum. 4. Nunc Romanas res accipe. A. d. III. Non. Quintiles Sufenas et Cato absoluti, Procilius condemnatus: ex quo intellectum est τρισαρειοπαγίτας ambitum, comitia, interregnum, maiestatem, totam denique rem publicam flocci

Paulo post cum Ern. verba sic emendanda iudico: *a tot tuis et hominibus carissimis et rebus suavissimis.*

praetor Clodius. Anno 699 et 700 Asiae praefuit C. Claudius, Appii et Publii frater, quod novimus e Scaurianae § 35. Itaque revocavi cum B. quod in M[1] scriptum est *praetor*, quum vulgo e ficto Bosii codice ei substituitur *rhetor*, quasi ageretur de S. Clodio, de quo vid. Suetonius de clar. rhet. 5. — Ironice dicta sunt, quae de Clodio et de Pituanio afferuntur. Ego certe *Graecas litteras* non dici puto litteras politioris humanitatis, sed chartas pertinentes ad negotia, quae Pituanius in Asia tum agebat. Si non lepide, sed aperte scribere voluisset, Cicero scripsisset *Graecis scriptionibus* aut *rationibus.*

Pituanius. Frustra in hoc nomine multi haerent. Romanum nomen fuisse scimus e Taciti Ann. II. 32. Quod unum nobis, ubi de homine ignoto sermo est, sufficit. Orellius qui olim hic voc. Graecum latere, omniaque ad unum Clodium referenda putabat, postea sententiam mutavit. Praeter Clodium alterum nominari debere plurales numeri *cum illis* et *salvi* ostendunt.

si vis homo esse. Cf. ad II. 2, 2.

cum illis tamen cet. ɔ: etsi nunc citius eos relinques, tamen cet. Male ediderunt *tum* pro *tamen.*

§ 3. [*ut coniicio*]. Merito quaerit Ern. quis dicat *ut coniicio* — *non arbitror.* Non dubitavi inepta verba ut spuria notare.

§ 4. *A. d.* III *Non. Quint.* Scribendum esse *a. d. IIII Non.* ex Asconii argumento Scaurianae p. 16, 17 et p. 17, 2 ed. Kiessling. certum est. cff. Obss. crit. meae p. 48.

Sufenas et Cato absoluti. De Sufena nihil constat. Fortasse idem est, qui a. 705 praeturam gessit. Cf. Att. VIII. 15, 3. Erat autem cognomen Noniorum. De C. Catone dicam ad ep 16, 5.

Procilius condemnatus. Perperam Manutius hunc in idem iudicium, quo Sufenas et Cato, adductum fuisse statuit. Caedis reum fuisse sequentia aperte declarant eodemque pertinet quod legimus ep. 18, 3 (vulgo 16, 11): *nec posthac quisquam damnabitur, nisi qui hominem occiderit.*

τρισαρειοπαγίτας. *Ter Ariopagitas, plus quam Ariopagitas.* Simili acerbitate iudices in causa Clodiana I. 16, 5 *praeclaros Ariopagitas* appellat.

ambitum, qui tum maxime ardebat, § 7. Atque ut largitioni maior campus aperiretur, differebantur *comitia* et quum non adessent magistratus, ad *interregnum* res veniebat; quibus omnibus *maiestas* populi Romani imminuebatur et *summa res publica* in ultimum adducebatur discrimen. Haec omnia iudices

non facere, patremfamilias domi suae occidi nolle, neque tamen id ipsum abunde; nam absolverunt XXII., condemnarunt XXIIX. Publius sane diserto epilogo criminans (me) mentes iudicum commoverat; Hortalus in ea causa fuit, cuiusmodi solet; nos verbum nullum. Verita est enim pusilla, quae nunc laborat, ne animum Publii offenderem. 5. His rebus actis Reatini me ad sua Τέμπη duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates apud consulem et decem legatos, quod lacus Velinus a M' Curio emissus interciso monte in Nar defluit, ex quo est illa siccata et humida tamen modice Rosea. Vixi cum Axio,

qui vindicare debuerant, Sufenae et Catonis absolutione impune ut fierent permiserunt.

patremfamilias domi suae occidi nolle. Ex condemnatione Procilii intellectum est iudices nolle patremfamil. domi suae occidi. Hoc adeo perspicuum est, ut sine ulla dubitatione abiiciendum sit *debemus* his verbis in Med. praepositum, sed a Malaspina vetustis libris Anton. et Faern. auctoribus deletum. Quid verum esset olim in adnotatione docui, nunc quum accederet Wesenbergii auctoritas scriptori reddidi. cf. W. Emend. alt. p. 99 seq.

Publius Clodius accusavit Procilium, *Hortalus* sive Hortensius (II. 25, 1) splendide defendit: Cicero quum reum defendere cogitaret, consilium mutavit motus precibus filiae aegrotantis, quae verebatur ne forte gravius quid in accusatorem dicens animum P. Clodii offenderet. Haec est, ni fallor, loci sententia. In ultimis scribendis secutus sum Manutium, etsi *offenderet*, in quo codd. conspirant, explicari sic potest ut cogitatione addatur: si ego in hac causa verba fecissem. — Clodius in epilogo occasionem arripuerat Ciceronem incessendi. Itaque participio *criminans* cum Madvigio A. C. III p. 173 addidi obiectum *me*.

§ 5. Quum lacus Velinus saepe agrum Reatinum inundaret, M'. Curius monte interciso aquam in fl. Narem (hodie *la Nera*) deduxit. Ita ager Reatinus fertilissimus est factus tantaque erat amoenitate, ut incolae *Tempe* appellarent, et a Caesare Vopisco *Italiae sumen* dictus sit, Varro de R. R. I. 7. extr. Plinius H. N. XVII, 32. Interamnates autem, quum nimia saepe aquarum copia premerentur, saepius id egerunt, ut Reatini decursum Velini obstruere cogerentur. Hi Ciceroni, in cuius fide erat illa praefectura› p. Scauro § 27, causam suam commendarunt. Cf. etiam Varro de R. R. III. 2, qui eandem hanc controversiam verbo memorat. Sub Tiberio eadem quaestio in senatu agitata est Tacit. Ann. I. 79, sed nihil mutatum. Lacus Velinus adhuc de monte decidit efficitque magnificum catarracten (*la caduta delle marmore, de waterval van Terni*), quem Byronus digne cecinit (Childe Harold, L. IV. st. 69—72), pictores certatim depingunt. Cf. Niebuhrius, Hist. Rom. III. 486 sq.

apud consulem. Appium Claudium, quem in hac re Varro l. c. nominat.

a M' Curio. C. G. Zumptius coniecit agi de illo M' Curio, qui a. 693 quaestor urbanus, a. 696 tribunus pl. fuit. Vid. Cic. p. Flacco, 30, ad Q. fr. I. 4, 3. Sed nobis non persuasit, sequimurque Niebuhrium haec referentem ad M' Curium Dentatum, Sabinis oriundum (Schol. orat. p. Sulla p. 364 Or.) et qui in Sabinis vixit (Cic. de Repb. III. 40). Mommsenus in Hist. Rom. I. p. 439 hoc opus eidem vindicat.

in Nar defluit. Tac. Ann. I. 79 habet acc. *Narem.* Cicero si scripsit *Nar,* quod cod. Med. praebet, secutus est usum Sabinorum, apud quos *nar* est *sulphur.* Cf. Serv. ad Aen. VII. 517 *sulfurea Nar albus aqua.*

Rosea. „Rosea in agro Reatino campus appellatur, quod in eo arva rore humida semper sunt." Festus. Vergilius Aen. VII. 712 memorat quoque *rosea rura Velini.* Nomen antiquam formam retinuit, quum postea a *rore* adiectiva fingerentur *roreus* et *roscidus.* Hodieque ille tractus appellatur *le Roscie.*

Vixi cum Axio. Q. Axii senatoris villa Reatina ad lacum Velini memoratur apud Varronem l.l. Pro *quin etiam* dedi cum Man. et Lamb. *qui etiam,* quod Wesenbergius Emend. Epistt. p. 123 ideo probat, quod gradatio in his sit nulla. *Vivere cum aliquo* = esse apud aliquem. Cf. X. 7. 3. XIV. 20, 4.

qui etiam me ad Septem aquas duxit. 6. Redii Romam Fonteii causa a. d. VII. Idus Quint. Veni (in) spectaculum, primum magno et aequabili plausu — sed hoc ne curaris; ego ineptus, qui scripserim —, deinde Antiphonti operam. Is erat ante manumissus quam productus. Ne diutius pendeas, palmam tulit; sed nihil tam pusillum, nihil tam sine voce, nihil tam *** Verum haec tu tecum habeto. In Andromacha tamen maior fuit quam Astyanax, in ceteris parem habuit neminem. Quaeris nunc de Arbuscula: valde placuit. Ludi magnifici et grati; venatio in aliud tempus dilata. 7. Sequere nunc me in campum. Ardet ambitus; σῆμα δέ τοι ἐρέω· faenus ex triente Idib. Quint. factum erat bessibus. Dices: istuc quidem non moleste fero. O virum! o civem! Memmium Caesaris omnes opes confirmant; cum eo Domitium consules iunxerunt, qua pactione, epistolae committere non audeo.

ad Septem aquas. Alium lacum in agro Reatino, quem hodie vocant *lago di S. Susanna*, ubi fortasse Axius aliam villam habebat. Sunt τὰ ἑπτὰ ὕδατα Dionysii Hal. I. 14.

§ 6. *Fonteii causa.* Quae fuerit ignoramus. Temere Corradus suspicatur hic mentionem fieri *Pomptinii*, qui tum volebat triumphare ep. 16, 12, (mihi 18, 4) et cui Cicero favebat, Q. fr. III. 4, 6.

Veni spectaculum codd. noti. Addidi cum Malaspina aliisq. *in*, quod post *ni* facilius omitti potuit, quam *spectatum* depravari in *spectaculum.*

aequabili plausu ɔ: constanti, non interrupto sibilis. Cf. Kritz. ad Sall. Iug. 41, 1. Cogitando supplendum *exceptus sum.*

Antiphonti operam. Operam dare alicui est aliquem audire. Fam. VII. 1, 3. Ruhnk. ad Ter. Phorm. I. 2, 12. Antipho erat histrio, quem dominus manumiserat antequam in scaenam prodierat, de eius virtute securus, quum contra fieri soleret.

pendeas ɔ: dubius sis. Libenter Cicero huic verbo, ubi dubitandi vim habet, addit genitivum *animi.* cf. VIII. 5, 2. XI. 12, 1.

Nihil tam Verum haec cet. Bosius primus ita distinxit, aliquid consulto omissum putans. Ego antea defendi: *nihil tam verum*, eodem modo de simplici in agendo veritate illud dictum putans, atque id fecerat I. F. Gronovius, Observ. IV cap. 7. Vix recte. Nec placet, quod aliis in mentem venit: *nihil tam servum* aut *nihil tam ieiunum.* Non a Cicerone, sed a librariis omissum videtur: *sine arte*, quod praecedenti *sine voce* respondet, et de actore dici, qui ita prorsus pronunciat, ut vulgo loquuntur, Quintilianus I. O. II. 10, 13 docuit. cf. meae Obss. crit. p. 48. E seqq. *maior fuit quam Astyanax*, qui parvus puer erat, apparet *pusillum* dici de Antiphontis statura.

haec tu tecum habeto. Fam. VII. 25, 2. *Secreto haec audi: tecum habeto: ne Apellae quidem dixeris.*

in ceteris parem habuit neminem, ɔ: inter ceteros histriones nemo erat tam pusillus.

Arbuscula, mima, cuius dictum superbum servavit Horat. Sat. I. 10, 76.

venatio. Postridie ludos Apollinares fieri solebat. XVI. 4, 1.

§ 7. *faenus ex triente — factum erat bessibus.* Idem narrat in ep. 15, II. ad Q. fr., paucis diebus ante hanc data, his verbis: *Ambitus redit immanis. Nunquam fuit par. Id. Quint. faenus fuit — S — ex = =*, quarum notarum explicatio petenda est e L. Volusii Maeciani libello de Asse in Corp. iuris ante Iustin. edit. Bonn. 1835, p. 183, § 2 et 11. Faenus igitur duplicatum est (van 4% tot 8%), quum candidati vel dura hac conditione nummos sumerent mutuos, quos populo dividerent.

Dices: istuc quidem non moleste fero. Tangit amicum a lucro faciundo minime alienum.

qua pactione, cet. Ipse Memmius mox patefecit, ad Q. fr. III. 1, 6, ut Cicero tuto eam rem Attico nuntiare posset, quod fecit ep. 18, 2 (mihi 17, 2).

Pompeius fremit, queritur, Scauro studet; sed utrum fronte an mente dubitatur. Ἐξοχὴ in nullo est; pecunia omnium dignitatem exaequat. Messalla languet, non quo aut animus desit aut amici, sed coitio consulum et Pompeius obsunt. Ea comitia puto fore ut ducantur. Tribunicii candidati iurarunt se arbitrio Catonis petituros: apud eum HS. quingena deposuerunt, ut, qui a Catone damnatus esset, id perderet et competitoribus tribueretur. 8. Haec ego pridie scribebam, quam comitia in (foro) fore putabantur; sed ad te v. Kal. Sext. si facta erunt et tabellarius non erit profectus, tota comitia perscribam, quae si, ut putantur, gratuita fuerint, plus unus Cato potuerit quam omnes (leges omnes)que iudices. 9. Messius defendebatur a nobis de legatione revocatus — nam eum Caesari legarat Appius —: Servilius edixit ut adesset. Tribus habet Pomptinam, Velinam, Maeciam: pug-

Scauro studet. Pompeius eum postea abiecit. Q. fr. III. 8, 3.

Messalla languet. Q. fr. II. 15*b*, 4. *Messalla flaccet.*

coitio consulum. Breviter ita appellat coitionem candidatorum, Memmii et Domitii, quibus consules favebant.

ducantur ɔ: prorogentur. Comitia consularia tunc saepius dilata esse novimus ex epistt. ad Q. fr.

arbitrio Catonis. Plin. Hist. nat. praef. § 9. *Cum apud Catonem, illum ambitus hostem et repulsis tanquam honoribus ineptis* (scr. *adeptis* vel *indeptis*, quod e nonnullis libris citatur) *gaudentem, flagrantibus comitiis pecunias deponerent candidati, hoc se facere, quod tum pro innocentia rebus humanis* (hoc quoque corruptum; fortasse scribendum: *quod eo tempore innocentia eius hominis summa esset*) *summum esset, profitebantur. Inde illa nobilis M. Ciceronis suspiratio: O te felicem, M. Porci, a quo rem improbam petere nemo audet!* Cf. ad Q. fr. II. 15*b* extr.

§ 8. *quam comitia in fore putabantur.* Med. Nil latet in illo *in*, ut putabat W., sed ante *fore* omissum est *foro*. Agitur de comitiis tribuniciis, quae plerumque in campo Martio, sed nonnunquam in Capitolio, etiam *in foro* habita sunt. Vid. Liv. III, 17, or. post red. in sen., 18, et principium legis apud Frontinum de aquis urbis II. 129. Potuisse comitia tribunicia iam mense Quintili haberi scimus ex I. 1, 1, et ex Appiani B. C. I. 14. *Comitia fore* pro *habitum iri* recte dici apparet e IV. 3, 5 *comitia fore non arbitror.*

gratuita. Opp. comitia *largitione inquinata* de petit. cons. 56. Cf. Leg. III. 39. Planc. 39, quos locos debeo Marklando, Remarks on the epist. ad Brut. p. 58.

quam omnes (leges omnes)que iudices. Sic Med. nisi quod *qui* scriptum est pro *que*, omissis illis *leges omnes*, quae verba ex epist. ad Q. fr. II. 15*b*, 4, ubi eadem leguntur, Wesenbergius restituit Emend. Epistt. p. 77. Quod omnes editt. occupavit *omnes quidem iudices* pravam sententiam efficit.

§ 9. *Messius*, Pompeii familiaris. IV. 1, 7. VIII. 11*d*, 2. Postulatum eum esse lege Licinia de sodaliciis clare indicant ea, quae sequuntur: *Tribus habet P. V. M.* (quae pessime interpretantur Mongaltius: *Les Tribus P. V. et M. lui sont favorables* et Wielandus: *Er hat drey Zünfte für sich*). Illa enim lege cautum erat, ut ad iudicandum accusator quatuor tribus ederet, quarum unam reus reiiceret. Vid. Cic. Planc. 36 cum Schol. Bob. p. 261. Or. et cf. Mommsen, de collegiis p. 61 seq, — Imperf. *defendebatur* consilium indicat.

pugnatur acriter; agitur tamen satis ɔ: etsi adversarii pugnant, ut reus condemnetur, defensionem tamen sedulo paramus; defensio respondebit accusationis vehementiae. Nam *satis agere* plus est quam *nonnihil agere* in Planciana, 83 et contrarium est eius, quod dicitur *nihil agere;* de quo vid. Ruhnk. ad Rut. Lup. p. 120. Fortasse Cicero scripsit futurum *agetur*. I. F. Gronovius longe aliter haec interpretatur, *agitur satis* eadem vi nunc dictum accipiens, quam *satagere* et *rerum*

natur acriter, agitur tamen satis. Deinde me expedio ad Drusum, inde ad Scaurum: parantur orationibus indices gloriosi. Fortasse accedent etiam consules designati, in quibus si Scaurus non fuerit, in hoc iudicio valde laborabit. 10. Ex Quinti fratris litteris suspicor iam eum esse in Britannia: suspenso animo exspecto quid agat. Illud quidem sumus adepti, quod multis et magnis indiciis possumus iudicare nos Caesari et carissimos et iucundissimos esse. Dionysium velim salvere iubeas et eum roges et hortere ut quam primum veniat, ut possit Ciceronem meum atque etiam me ipsum erudire.

suarum satagere apud comicos habere solet. Sed Cicero nunquam ita usurpavit.

me expedio ad Drusum ɔ: accingo me ad defendendum Drusum, qui a Lucretio reus factus erat 16, 5. Eum de praevaricatione absolutum nuntiat ad Q. fr. II. 16, 3 et h. l. ep. 17, 5 (vulgo 16, 8).

parantur orationibus indices gloriosi. Gentes Livia et Aemilia Romae erant clarissimae. Itaque Cicero Drusum et Scaurum defendens titulos orationum suarum splendidis nominibus ornare poterat.

XVI. (*A. U. C.* 700.)

In postremis epistolis huius libri mira quaedam observatur confusio, orta e transpositione foliorum codicis archetypi, unde ad omnes libros Mss. transiit, ab editoribus aucta potius quam sublata. Ingeniose Theod. Mommsenus laceras partes composuit atque e tribus epistolis quatuor effecit in disputatione de codice epistolarum Mediceo, quae legitur in Diar. Antiq. 1845, fol. 98 sq. Ex eius dispositione epistola 16 continebit ep. 16, § 1—5, cuius ultima verba: *Senatus consultum, quod hic consules de provinciis fecerunt* QUICUNQUE POSTHAC *non mihi ut* cohaerent cum iis quae vulgo in extrema § 1, ep. 17 leguntur *detur esse valiturum,* si modo *ut detur* in *videtur* corrigas. Sequitur § 2, ep. 17, eique adiungenda sunt, quae in codicibus continuo post verba *Catone praesertim absoluto* sequuntur: *Paccianae epistolae respondi — de Eutychide quid egeris,* quae nunc ad calcem ep. 16, § 13—15 collocata sunt. Ex temporis notatione de iudicio Drusiano § 5 apparet hanc epistolam scriptam esse mense Quintili ineunte. Longum deinde silentium, cuius rationes reddit Cicero § 1, ep. 18. *Puto te existimare,* cet. quae in codd. proxime excipiunt illa: *de Eutychide quid egeris.* Habemus igitur initium epist. 17 et omnia satis recte procedunt, ad illa verba (18, § 3): *et eo magis nunc cociace dictaturam* — quae misere corrupta sunt. Finis autem epistolae, in quo de proximo Attici adventu sermo est, aperte cum initio pugnat, quum contra egregie conspiret cum iis, quae nunc leguntur ep. 17, § 1. Desinit igitur prior pars epistolae in narratione coitionis inter candidatos consulatus factae, quae facile coniungitur cum iis, quae ep. 16, § 6 restabant demptis illis *non mihi ut.* Sententia enim ita procedit: *Memmius — plane refrixerat et eo magis nunc hoc iacet* (∞ Mommseni pro *cociace,* quod est in Med.), *quod* (e Med.) *intelligebamus enunciationem illam Memmii Caesari valde displicere.* Sequuntur reliqua usque ad extrema verba § 8. Nam quominus sequentia in eandem epistolam concludantur, illud maxime obstat, quod quum in § 8 legatur: *Tres candidati fore rei putabantur,* contra § 11 *candidati consulares omnes rei ambitus* dicuntur. Erat igitur ep. 17, scripta Kal. Oct., non ultra verba — *nihil reperio* proferenda. Quae sequuntur § 9—12 a superioribus diiuncta cum § 3, ep. 17, quae in codd. sequitur, novam faciunt epistolam, ab initio tamen mancam, etiamsi statuas inepta illa: *Nunc ut opinionem habeas rerum, ferendum est* a Lambino codicis ope esse emendata. Scriptam esse mense Octobri exeunte aut ineunte Novembri apparet ex iis, quae de litteris e Britannia a. d. IX Kal. Nov. acceptis et de

Pomptini triumpho a. d. IV Non. Nov. agendo tradit. Restat § 1, ep. 17 in fine corrupta, cui addenda reliqua pars § 3, ep. 18 inde a verbis *dictaturam fruere*, quamquam de emendatione desperandum est.

Re diu multumque pensitata decrevi disponere verba secundum Mommseni praecepta, eoque minus dubitavi recedere a recepto ordine, quod eum non libris scriptis niti, sed Bosio deberi sciebam. Itaque epistt. 16—18 fragmenta aliter disposita sunt in antiquissimis editionibus, aliter in edit. Lambini priore, aliter in editione Bosii, quem Graevius, Ernestus, Schutzius, Orellius, secuti sunt. Vid. conspectus ap. Orellium ad calcem huius libri in utravis editione. Post me Mommseno obtemperarunt editores recentiores.

1. Occupationum mearum vel hoc signum erit, quod epistola librarii manu est. De epistolarum frequentia te nihil accuso, sed pleraeque tantummodo mihi nuntiabant ubi esses, vel etiam significabant recte esse, quod erant abs te; quo in genere maxime delectarunt duae, fere eodem tempore abs te Buthroto datae. Scire enim volebam te commode navigasse. Sed haec epistolarum frequentia non tam ubertate sua quam celeritate delectavit: illa fuit gravis et plena rerum, quam mihi M. Paccius, hospes tuus, reddidit. Ad eam rescribam igitur, et hoc quidem primum: Paccio et verbis et re ostendi, quid tua commendatio ponderis haberet; itaque in intimis est meis, quum antea notus non fuisset. Nunc pergam ad cetera. 2. Varro, de quo ad me scribis, includetur in aliquem locum, si modo erit locus. Sed nosti genus dialogorum meorum: ut in oratoriis, quos tu in caelum fers, non potuit mentio fieri cuiusquam ab iis, qui disputant, nisi eius, qui illis notus aut auditus esset, (ita) hanc ego de re publica, quam institui, disputationem in Africani personam et Phili et Laelii et Manilii contuli; adiunxi adolescentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duo Laelii generos, Scaevolam et Fannium; itaque cogitabam, quoniam in singulis libris utor prooemiis, ut Aristoteles in iis, quos ἐξωτερικοὺς

§ 1. *Occupationum — manu est.* Simile exordium ep. ad Q. fr. III, 3: *Occupationum mearum tibi signum sit librarii manus.* Cf. ibid. II. 16 init. *Librarii manu* dicitur pro *a librario scripta*, ut *mea manu* V. 14, 1 et saepius.

Quod erant abs te. Haec cum Schuetzio B w. post *recte esse* collocavi, quum manifesto indicent: *quod erant tua manu scriptae.* In codd. sequuntur post *ubi esses.* Temere Meutznerus ea delenda censuit.

maxime delectarunt. Non opus est, ut cum Ern. et Or. *me* inseratur. Saepe Cicero utitur hoc verbo sine obiecto, ut in hac ipsa ep. § 10: *Nulla est resp., quae delectet.* Cf. I. 11, 3, et quae Kahntius Symb. Crit. p. 7, citavit Q. fr. II. 15, 1, III. 1, 5.

celeritate e corr. Med. et R. retinui. Sed quod in M[1] est scriptum *celebritate* non minus facile oriri potuit e *crebritate*, quod a Lambino correctum sententiae aptius est.

§ 2. *Varro — includetur* cet. ɔ: Varronis mentio fiet aliquo loco operis de Re publica. Potuit id fieri in deperditorum librorum III et IV de Repb. prooemiis. *Inducetur* in Med. recte mutatum est in *includetur.* Cf. XIII. 19, 3 *includere in dialogos*, et I. 16, 10 *paene orationem in epistolam inclusi.*

ut in oratoriis — hanc ego cet. W. recte observat non posse in hac comparatione abesse adverbium *ita* vel *sic.* Ego illud addidi.

vocat, aliquid efficere, ut non sine causa istum appellarem, id quod intelligo tibi placere. Utinam modo conata efficere possim! rem enim, quod te non fugit, magnam complexus sum et gravem et plurimi otii, quo ego maxime egeo. 3. Quod in iis libris, quos laudas, personam desideras Scaevolae, non eam temere dimovi; sed fecit idem in πολιτείᾳ Deus ille noster Plato. Quum in Piraeeum Socrates venisset ad Cephalum, locupletem et festivum senem, quoad primus ille sermo habetur, adest in disputando senex, deinde quum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere neque postea revertitur; credo Platonem vix putasse satis consonum fore, si hominem id aetatis in tam longo sermone diutius retinuisset: multo ego magis hoc mihi cavendum putavi in Scaevola, qui et aetate et valetudine erat ea, qua esse meministi, et iis honoribus, ut vix satis decorum videretur eum plures dies esse in Crassi Tusculano. Et erat primi libri sermo non alienus a Scaevolae studiis, reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut scis; huic † ioculatorem senem illum, ut

conata, non *conatus*, scripserunt Caesar, Cornelius, Velleius locis laudatis in adn. ad Reisigii Scholas 133.

§ 3. *fecit idem in πολιτείᾳ — Plato.* Scripsi admonitus a Buechelero (Mus. Rhen. XI. p. 519). In Med. est *feci idem*, quod ut retinerent editores inseruerunt *quod*. Facilius una litera T intercidit, quam vocabulum *quod*.

Deus ille noster Plato. Audacia appellationis mitigatur de N. D. II. 32 *audiamus Platonem, quasi quendam Deum philosophorum*. Cf. Ellendt. ad Cic. de Orat. I. 106.

quoad — habetur, adest. In scriptis editisque libris est *haberetur*, quod repugnat rationi et usui sermonis. Cf. de Leg. III. 4 *id in re p. nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas praefuit*. Att. I. 16, 13 *quoad vivat — debeat*. de Off. I. 2 *tamdiu velle debebis, quoad te — non poenitebit*.

quum — commodissime locutus esset ɔ: ita locutus, ut oporteret. Sic de Or. I. 231 laudatur *commode scripta oratio*, quae erat ad causam apta, Verr. IV. 95 Siculis tribuitur aliquid facete et *commode dicere*. In Corn. Nep. praef. *saltare commode* est apte ad modos musicos moveri.

consonum. Hoc uno loco in Ciceronis scriptis pro eo, quod aptum est et decet, invenitur. In cod. R. pro eo est *commodum*.

multo — magis. In cod. Hisp. et Rav. ut in Med. a pr. manu est *satis*. Nec *satius* nec *potius* probandum est; sed requiritur *magis*, quoniam, ut recte observat Wesenbergius Em. Ep. p. 39 non de electione, sed de magnitudine cautionis agitur. cf. M. Hauptii Analect. § LXXIX in Hermae vol. III.

† *ioculatorem senem.* Q. Mucium Scaevolam augurem, L. Crassi socerum, de quo nunc sermo est, fuisse senem a iocis non alienum conficere licet e Laelio, 1, ubi Cicero narrat eius se *multa breviter et commode dicta* memoriae mandasse. Cf. quoque de Orat. II. 269. de Fin. I. 9. Orat. 149. Nihilominus dubito an *ioculatorem* eum a Cicerone appellatum dicamus, quod nomen nusquam repertum nimis pugnat cum iis, quae modo de Scaevolae aetate, valetudine, honoribus dicta sunt, et omnino non Latinum videtur. Recte Cicero Scaevolam removit a disputatione spinosiore, quae in exponenda arte versabatur, atque illi aetati et gravitati non conveniebat. Sed cur *ioculatorem* interesse noluit disputationi de iocis in extremo libro secundo? Ne multa, assentior Lambino illam vocem vel quod vidit in Torn. *ioculatoriae*, ut in Med. m. 2 et in cod. Hisp. legitur, expellendam esse et in eius locum revocandum, quod antiquae editt. habent *disputationi*. Verba *ut noras* sine sententiae dispendio abesse poterant. Fortasse in

noras, interesse sane nolui. 4. De re Piliae quod scribis, erit mihi curae; etenim est luculenta res, Aureliani, ut scribis, indiciis, et in eo me etiam Tulliae meae venditabo. Vestorio non desum; gratum enim tibi id esse intelligo et ut ille intelligat curo; sed scis qui? quum habeat duo faciles, nihil difficilius. 5. Nunc ad ea, quae quaeris de C. Catone: lege Iunia et Licinia scis absolutum; Fufia ego tibi nuntio absolutum iri, neque patronis suis tam libentibus quam accusatoribus. Is tamen et mecum et cum Milone in gratiam rediit. Drusus reus est factus a Lucretio. Iudicibus reiiciendis a. d. v. Non. Quinct. De Procilio rumores non boni; sed iudicia nosti. Hirrus cum Domitio in gratia est. Senatus consultum, quod hi consules de provinciis fecerunt, QVICVNQVE POSTHAC, non mihi videtur esse valiturum. 6. De

iis latet temporis indicium, scribendumque *tot horas*, ut coniecit Meutznerus in censura edit. meae p. 771 seq.

§ 4. *De re Piliae* pro *filiae* editur e certa Schuetzii emendatione. Nam quominus de Tullia cogitemus, quae de illa sequuntur, prohibent: Attico autem illo tempore filia nondum nata videtur. At Schuetzius fallitur haec alio tempore, quam superiora, scripta esse monens.

Aureliani indiciis ɔ: ut Aurelianus indicavit.

in eo — venditabo ɔ: in eo faciam, quod Tulliae quoque gratum sit. Cf. supra 4*b*, 2.

sed scis qui? quum habeat duo faciles, nihil difficilius. Locus impeditus. W. post *scis qui* excidisse coniecit *sit*, ut hoc dicatur: scis qualis homo sit Vestorius. *Duo* alii referunt ad Atticum et Ciceronem, alii ad adversarium et arbitrum, quoniam de lite agitur. Nemo verba satis expedivit. Peerlkampius mihi proposuit: *quum habeat iudices faciles* et verba sic explicat: quum iudices faveant Vestorio, in re tam facili mea defensio erit difficillima. Ego sic malim: *Sed scis, qui vicinum habeat adeo facilem, nihil eo difficilius,* suspicorque Vestorium cum vicino quodam, homine facili nec moroso, litem egisse.

§ 5. *de C. Catone.* Hic „adolescens turbulentus et audax" (Fenest. ap. Non. p. 385), quum in tribunatu a. 698 fastis diebus cum populo egisset, clam aerario leges intulisset, aliaque seditiose fecisset, ab Asinio Polione in iudicium vocatus, a Licinio Calvo et M. Scauro defensus est. Cf. Meyeri Orat. Rom. fragm. p. 478.

lege Iunia et Licinia a coss. a. 691 lata poena cautum erat, ne clam aerario lex ferretur. Memoratur eadem lex (nam una erat) Att. II. 9, 1, in Vat. 33, p. Sest. 135. Phil. V. 8. De *lege Fufia* vide adnot. nostram ad I. 16, 13. Perperam Rinkesius in disp. *de crimine ambitus* L. B. 1854, p. 182 Catonem cum Sufena et Procilio ambitus reum fuisse statuit.

cum Milone. In eum Cato trib. pl. legem rogaverat. Vid. Q. fr. II. 3, 4 et 6, 5.

Drusus cet. Cf. adnot. ad ep. 15, 9.

iudicibus reiiciendis a. d. V Non. Quinct. Suppl. *dies constitutus est.* Mutata distinctione sententiam expedivi, in qua laborabat Ernestus, quem putabat ablativum interpretans: quum iudicum reiectio fieret vel ut iudicum reiectio fieret.

De Procilio cet. Cf. ad ep. 15, 4.

Hirrus. C. Lucilius Hirrus, qui in epistola Caelii (Fam. VIII. 8, 5) male *C. Lucceius Hirrus* nominatur (cf. Nipperdeii Quaest. Caesar. p. 135 sq.), erat hoc anno tribunus plebis. Is cum Domitio consule *in gratia est* ɔ: in gratiam rediit, amice vivit, quum antea dissensissent.

QUICUNQUE POSTHAC. Sunt prima verba SCti, quod auctoribus L. Domitio Ahenobarbo et Appio Claudio Pulchro coss. factum erat. cf. Dio XL. 46. Propterea scripsi *hi consules* ɔ: huius anni consules. Inepte vulgo *hic consules.* Verbis *non mihi ut* adiunximus de Mommseni sententia ea, quae vulgo in extr. § 1, ep. 17 leguntur *detur esse valiturum.* Sic omnia recte procedunt. Sequitur § 6, quae in vulgari dispositione harum epistolarum est § 2, ep. 17. Agitur de iis, qui tunc consulatum petebant, de quibus

Messalla quod quaeris, quid scribam nescio; nunquam ego vidi tam pares candidatos. Messallae copias nosti. Scaurum Triarius reum fecit: si quaeris, nulla est magno opere commota συμπάθεια, sed tamen habet aedilitas eius memoriam non ingratam, et est pondus apud rusticos in patris memoria. Reliqui duo plebeii sic exaequantur, ut Domitius valeat amicis, adiuvetur tamen non(nihil) gratissimo munere, Memmius Caesaris commendetur militibus, Pompeii Gallia nitatur; quibus si non valuerit, putant fore aliquem, qui comitia in adventum Caesaris detrudat, Catone praesertim absoluto. 7. Paccianae epistolae respondi: cognosce cetera. Ex fratris litteris incredibilia quaedam de Caesaris in me amore cognovi eaque sunt ipsius Caesaris uberrimis litteris confirmata. Britannici belli exitus exspectatur; constat enim aditus insulae esse munitos mirificis molibus; etiam illud iam cognitum est, neque argenti scripulum esse ullum in illa insula neque ullam

rursus scribit ep. 15, 7 et 17, 3 (vulgo 16, 6). — Quattuor erant candidati, duo M. Valerius Messalla et M. Aemilius Scaurus patricii, duo plebeii Cn. Domitius Calvinus et C. Memmius. Μόλις ποτὲ τῷ ἑβδόμῳ μηνί, ut scribit Cassius Dio XL. 17, itaque mense Quintili a. 701, Domitius et Messalla consulatum inierunt. Cf. Dio XL. 45.

Scaurum Triarius reum fecit de repetundis. Scaurus in hoc iudicio quum ab aliis, tum a Cicerone defensus, fere omnibus sententiis absolutus est a. d. IV Non. Sept. Vid. Asconius in Scaurianam p. 16 et 25.

aedilitas eius, quam a. 696 magnificentissime gesserat. Cf. Off. II. 47. Aedilis fecit theatrum, quod Plinius H. N. XXXVI. 113 seqq. descripsit.

apud rusticos ɔ: apud tribus rusticas. Pater fuit ille M. Scaurus, princeps senatus, qui a C. Graccho ad Q. Varium (ɔ: ab a. 630 ad 663) seditiosis omnibus restitisse dicitur in or. p. Sest. 101.

adiuvetur tamen non(nihil) gratissimo munere. Pro *non* scripsi *nonnihil* de Wes. coniectura. cf. Em. alt. p. 100. Eandem habebis sententiam, si cum Schuetzio scripseris; *adi. etiam grat. munere;* sed ita non explicatar origo negationis, quae in libris scriptis omnibus adest.

Pompeii Gallia nitatur. Male in Med. correctum est quod Muretus coniecit *P. gratia nitatur.* Cogitandum est de coloniis a Cn. Pompeio Strabone in Galliam Cisalpinam deductis, quarum incolae erant Pompeii Magni clientes, ut, si hic vellet, Memmium suis suffragiis iuvarent. Pompeium Memmio studuisse discimus ex ep. 17, 2 (vulgo 18, 2).

Catone praesertim absoluto. Cf. sup. § 5. His verbis causa additur, quare facile aliquis tribunus pl. inveniretur, qui comitia consularia impediret. Quippe tribunatus seditiose gestus C. Catoni sine fraude fuerat.

§ 7—9. Haec omnia in codd. post ea, quae § 6 collocavimus, posita de Malaspinae sententia ad extremam partem ep. 16 translata sunt, § 13—15.

Paccianae epistolae ɔ: epistolae tuae, quam Paccius mihi reddidit. Cf. § 1.

Britannici belli exitus exspectatur. Caesar hoc anno susceperat secundam in Britannos expeditionem, quam narrat de B. G. V. 8—23.

mirificis molibus. Hi sunt *montes angusti*, quos Caesar de B. G. IV. 23 in litore Britanniae inveniri narrat.

neque argenti scripulum cet. Fam. VII. 7, 1. *In Britannia nihil esse audio neque auri neque argenti.* Caesar quoque de B. G. V. 12 dum in ea insula nasci scribit plumbum album et ferrum, importari aes, silentio suo aurum et argentum excludit. Postea haec quoque in Britanniae solo reperta. Vid. Tacitus Agric. 12 et antiquior Romano historico Strabo IV. 5, 2. — Formam autem nominis illa aetate fuisse *scripulum* sola codd. Mss. auctoritate statuitur. Charisius e Varrone affert *scriptulum*, quod legitur

spem praedae nisi ex mancipiis, ex quibus nullos puto te litteris aut musicis eruditos exspectare. 8. Paullus in medio foro basilicam iam paene † texerit iisdem antiquis columnis, illam autem, quam locavit, facit magnificentissimam. Quid quaeris? nihil gratius illo monumento, nihil gloriosius. Itaque Caesaris amici — me dico et Oppium, dirumparis licet — in monumentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus et usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus sexcenties HS.: cum privatis non poterat transigi

quoque in Volusii Maeciani lib. de asse § 32. Erat autem vicesima quarta pars unciae.

§ 8. *Paullus in medio foro* cet. Cicero h. l. recenset opera varia, quae tum ad urbem ornandam fiebant. Primum erat, quod L. Aemilius Paullus, qui a. 704 consul fuit, aedilis curulis basilicam restauravit, quam M. Aemilius Lepidus, M. Fulvius Nobilior censores a. 575 *post argentarias novas* (Liv. XL. 51) vel ut hic legimus *in medio foro* ɔ: ad mediam fori longitudinem faciendam locaverant. Eius basilicae varia feruntur nomina, Aemiliae et Fulviae, Fulviae, Aemiliae, Paulli, et quoniam saepe ab Aemilio aliquo erat restaurata, Tacitus Ann. III. 72 plurali numero eam appellat *Aemilia monumenta*. Cf. G. A. Becker in Antiq. Rom. Vol. I. p. 301 seqq. Pro corrupto *texerit* nec *texuit*, nec *erexerat*, nec *texerat* scribendum esse, sed *refecit* in Obss. crit. p. 48 monui idque nunc quoque verum puto.

illam — facit magnificentissimam. Indicatur his verbis alterum opus ab illa basilica diversum. Quum autem una tantum basilica Aemilia Romae esset et Bunsenus in Annal. societ. Archaeol. Vol. VIII. p. 228 sq. et in Descriptione urbis Romae Vol. III. p. 29 seqq. male contendat hanc Paulli basilicam cum veteri illa fuisse coniunctam, haec necessario explicanda sunt de basilica Iulia, quam Iulius Caesar absens suo sumptu exstruendam curavit, ut recte vidit Beckerus op. l. p. 303 et 460. Ea opposita basilicae Aemiliae sita erat *inter aedem Castoris et aedem Saturni*, ut constat e monumento Ancyrano tab. IV. v. 14. Sed quis eam *locavit?* Sine dubio non Paullus, sed Caesar, cuius nomen vel a Cicerone ipso vel a librario, cui haec dictavit, omissum esse suspicio est Fr. Ritteri, qui de h. l. disputavit in Museo Rhenano nov. Vol. V. p. 109 sqq. Qui autem mihi dederit *illam* corruptum esse, quum ab initio *ille* scriptum fuisset, Caesaris nomen vix desiderabit.

Itaque Caesaris amici cet. Cicero transit ad tertium opus, quod ipse cum Oppio Caesaris iussu praeparabat. Emerant enim ingenti pecunia aedes privatas, quibus sublatis area fori aperiretur versus collem Quirinalem, in quo Atrium Libertatis erat post tabernas novas. Caesar post pugnam Pharsalicam in urbem reversus iis, quae a. 700 per amicos coëmerat, alia adiecit et pristinum consilium ita immutavit, ut novum forum, quod ab ipso Iulium vocatum est, faceret. Suet. Caes. 26. Plin. H. N. XXXVI, 104. Cf. Beckerus op. l. p. 460 et in libello, quo respondit Urlichsio, Lipsiae 1845, p. 26 seqq.

dirumparis licet, non invidia, ut Manutius putat, sed dolore, quod Cicero se vocat Caesaris amicum et cum Oppio illam rem acturus est. cf. ad ep. 18, 2.

tollere laudibus et *laudibus ferre* (de rep. I. 67) et *ad coelum ferre* (Verr. IV. A. sec., 12) promiscue usurpantur pro valde laudare.

contempsimus sexcenties HS. Amplectimur explicationem huius verbi, quam Gronovius dedit ad Taciti Germ. c. 29: „vile habuimus et libenter erogavimus, impendimus, unde apparet tantum pecuniae prae monumenti istius adiectione ad aream fori Caesariani (immo: prae fori Romani explicatione) vile nobis et contemptum fuisse." Belgice dicimus *niet tellen, voor eene kleinigheid houden.* Quominus *consumpsimus* a Cicerone scriptum putemus, obstatt acc. *in illud monumentum.* Nam Cicero semper dixit: *consumere aliquid in aliqua re.* In orat. p. Plancio § 73 Orellius a. 1826 edidit: *ut omne studium meum in Cn. Plancii honorem consumerem,* sed recte Halmius in nova recensione obtemperavit optimis codd. Erf. et Teg., in quibus est *honore.* Cff. Garat. et Wunderus ad eum locum.

minore pecunia. Efficiemus rem gloriosissimam. [Nam] in Campo Martio saepta tributis comitiis marmorea sumus et tecta facturi eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur; simul adiungetur huic operi villa etiam publica. Dices: »quid mihi hoc monumentum proderit?" † Ad quid id laboramus res Romanas; non enim te puto de lustro, quod iam desperatum est, aut de iudiciis, quae lege † Coctia fiunt, quaerere. 9. Nunc te obiurgari patere, si iure; scribis enim in ea epistola, quam C. Decimius mihi reddidit Buthroto datam, in Asiam tibi eundum esse te arbitrari. Mihi mehercule nihil

Efficiemus rem gloriosissimam. Refero haec ad fori laxationem. Nam si haec cum Beckero l. c. ad sequentia potius pertinere statuas, ne otiosa sit part. *nam,* vide ne Ciceronem facias obscurius scribentem. Debuisset enim sententiam suam sic explicare: *Efficiemus etiam aliam rem gloriosissimam.* Nobis vero *nam* ortum videtur ex ultima syllaba vocabuli praecedentis; idcirco seclusimus. Prava verborum interpunctio: *Cum privatis non poterat transigi. Minore pecunia efficiemus rem gloriosissimam. Nam* cet. Manutio imposuit. Sed si cum privatis non fuisset transactum, Caesaris amici ne unum quidem nummum in illa re erogassent.

In campo Martio saepta cet. Bunsenus in Descr. Urbis III. 2, p. 75 seqq. demonstravit comitia tributa ad illud tempus in foro fuisse habita. Caesar iis locum in campo destinabat. Sed Saepta ab Agrippa demum perfecta sunt a. 728. vid. Dio LIII. 23, et *Iulia* sunt dicta. *Villa publica,* in qua Varro se anno 699 sermonem habuisse narrat in prooemio libri III operis de re rustica, postea censui agendo destinata saeptisque marmoreis inclusa esse videtur. Cf. Beckerus op. l. I. p. 623 seqq., II. p. 216 in adnot. Saepta cum villa conspiciuntur in fragmento ichnographiae Romanae, quod in Capitolio servatur. De eo disp. L. Urlichs in nova serie Mus. Rhen. I. p. 402 seqq. — *tecta* h. l. esse participium tironum causa monemus.

ut mille passuum conficiatur ɔ: ut totius operis ambitus habeat mille passus.

Ad quid — res Romanas. Codd. Med. et Oxonn. scripturam vitiosam servare malui, quam correctiones recipere, quas incertas et vix probabiles iudico. Nam ut omittam Bosii commentum ingeniosum, sed nimis recedens a codicum ductibus, veterem lectionem: *ad quid laboramus res Romanas?* Manutius et Handius in Tursell. I p. 117 frustra explicare conati sunt. Non magis placet, quod Wes. partim praeeunte Lambino edidit: *At quid id laboramus? Habes res Romanas: non enim* cet. quod ita interpr.: „At id, quid tibi hoc monumentum profuturum sit, nihil laboramus. Scripsi iam de omnibus rebus R.; non enim de lustro — puto te quaerere". Desidero in his Ciceronis urbanitatem. Non erat cur ad fictam amici quaestionem: *Quid mihi hoc m. proderit?* tam rustice responderet. Si mihi conceditur inter *laboramus* et *res* potuisse excedere *habes,* fortasse mihi dabitur verba sic restitui posse: *Atqui id laboramus (ut habeas) res Romanas.* Hoc modo Cicero affirmat: „nihil proderit tibi, sed tamen hoc agimus, ut cognoscas ea, quae Romae aguntur. *Atqui* praecedente interrogatione negativa saepe declarare ea, quae dicta sunt, ostendunt exempla Tulliana in Handii Turs. I p. 521.

de lustro. Cf. ep. 9, 1. Vix erat sperandum fore ut in civitate tam perturbata census agi lustrumque condi posset.

de iudiciis, quae lege † Coctia fiunt. Lex Coctia nulla fuit; *Cincia* autem, quam codex Faerni et Maffei ei substituunt, prorsus aliena ab h. l. Rectius utique *lex Plotia* de vi, qua lege plures saepe rei facti sunt (cf. p. Mil. 35, Fam. VIII. 8, 1), hic memorari poterat, quam aliqua lex iudiciaria sive Plotia, de qua Corradus cogitabat, sive Aurelia *Cottae,* quam Ern. et Wielandus indicari putabant, ante quos I. F. Gronovius ideo scribendum coniecit *Cottia.* Ego nihil definio. Pro *fiant* scripsi *fiunt,* quoniam praecedit *desperatum est,* neque ulla coniunctivi causa adest.

§ 9. *Si iure.* Suppl. fecero, si in Asiam profectus es.

† *ut abis toties et tam longe abesses.* Med.

videbatur esse, in quo tantulum interesset utrum per procuratores ageres an per te ipsum; † ut abis toties et tam longe abesses. Sed hoc mallem integra re tecum egisse; profecto enim aliquid egissem. Nunc reprimam susceptam obiurgationem. Utinam valeat ad celeritatem reditus tui! Ego ad te propterea minus saepe scribo, quod certum non habeo, ubi sis aut ubi futurus sis. Huic tamen nescio cui, quod videbatur is te visurus esse, putavi dandas esse litteras. Tu, quoniam iturum te in Asiam esse putas, ad quae tempora te exspectemus, facias me certiorem velim et de Eutychide quid egeris.

et Hisp. *mutabis*, littera *m* male repetita. *utabis* vel cum Ernesto in *ut abires*, vel in *ut a tuis* mutetur, vel potius cum Meutznero haec ita legantur: *ut a (no)bis tot (d)ies et tam longe abesses.*

quod videbatur is te visurus esse. Quum vitiose abundet *is* et in M[1] scriptum sit *isti*, Madvigius A. C. III p. 174 coniecit scribendum: *quod v. istic te visurus esse.*

de Eutychide quid egeris. Cf. ep. 15. 1.

XVII. (*A. U. C.* 700.)

1. Puto te existimare me nunc oblitum consuetudinis et instituti mei rarius ad te scribere, quam solebam; sed quoniam loca et itinera tua nihil habere certi video, neque in Epirum neque Athenas neque in Asiam cuiquam nisi ad te ipsum proficiscenti dedi litteras; neque enim sunt eae epistolae nostrae, quae si perlatae non sint, nihil ea res nos offensura sit, quae tantum habent mysteriorum, ut eas ne librariis quidem fere committamus, † lepidum quo excidat. 2. Consules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus pactionem in senatu recitavit, quam ipse et suus competitor Domitius cum consulibus fecissent, uti ambo HS. quadragena consulibus darent, si essent ipsi con-

Consarcinavi hanc epistolam ex iis, quae vulgo leguntur in ep. 18, § 1, 2 et primis verbis § 3, quibuscum cohaerent, quae in ep. 16, § 6 inveniebantur, tum § 7 et 8.

§ 1. *Sed quoniam — video.* Med. *sed cum* — Rav. *sed loca.* Memor eorum, quae de confusione part. *quum* et *quoniam* accurate disputantur a Wundero in Praef. ad Var. lect. cod. Erfurt. p. XCVI sqq. non dubitavi h. l. *quoniam* scribere. cf. Wesenbergius Em. Ep. p. 114. Quod deinde ante *cuiquam* coniunctionem *neque* delevi, feci admonitus ab eodem p. 115. Dederat enim Cicero litteras in Epirum (ep. 15, 3), dederat in Asiam (16, 9), sed non dederat cuiquam, nisi de quo exploratum esset eum Attico esse redditurum (15, 3).

† *lepidum quo excidat.* Verba alii aliter explicuerunt aut temptarunt. Nihil vidi melius eo, quod amicus Ursini incohavit, I. F. Gronovius perfecit: *ne dictum quod excidat* vel quod minus etiam a scriptura codicum recedit: *ne quid unquam excidat*, ut coniecit P. Starker. Excidunt autem, quae invitis nobis in vulgus exeunt. Vid. de Orat. I. 5 et 94.

§ 2. *Consules.* L. Domitius Ahenobarbus, Appius Claudius Pulcher.

fecissent non minus quam *et* inter vv. *ipse suus* recipiendum erat e cod. Maffei. Nam

sules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, quum lex curiata ferretur, quae lata non esset, et duo consulares, qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse, quum omnino ne senatus quidem fuisset. Haec pactio non verbis, sed nominibus [et] perscriptionibus, multorum tabulis quum esse facta diceretur, prolata a Memmio est nominibus inductis auctore Pompeio. Hic Appius erat idem: nihil sane iacturae; corruerat alter et plane, inquam, iacebat. 3. Memmius autem dirempta coitione invito Calvino plane refrixerat, et eo magis nunc hic iacet, quod iam intelligebamus enuntiationem illam [Memmii] valde Caesari displicere. Messalla noster

pactionem illam non Memmius et Domitius Calvinus pro se quisque, sed ambo simul fecerant. Alia res est infra § 3: *Messalla noster et eius Domitius competitor liberalis in populo valde fuit.*.

tres augures. Tot adesse debebant, quando lex curiata de imperio ferebatur. Cf. Hullmann, Ius Pontif. p. 168.

quae lata non esset. Propterea scribit ep. 18, 4 Appium *sine lege* in Ciliciam proficisci velle. Etsi autem haec e Ciceronis persona adduntur, Ernestus tamen non debuerat sollicitare coniunctivum *esset.* Nam *quae* habet vim causalem, ut statim *quum — fuisset.*

Haec pactio — auctore Pompeio. Pactio turpis non solo consensu partium aut verbis constabat, sed litterarum obligatione erat firmata. Cautum erat, ut Memmius dicebat, consulibus primum *nominibus* ɔ: debito perscripto in codicibus accepti aliorum, tum *perscriptionibus* ɔ: adsignando argentarios, qui pro debitoribus pecuniam solverent, si ea deberetur (cf. Att. XII. 51, 3. p. Flacco. 44), postremo *multorum tabulis,* qui eam pecuniam sua fide esse iuberent. Pactio ita confirmata prolata est a Memmio *auctore Pompeio,* qui verebatur, ne dictatura, quam sperabat, sibi deficeret; sed prolata est *nominibus inductis* ɔ: deletis. Cf. Att. XIII. 14, 2. Consules autem ea deleverant, non Memmius, qui iis sane parcere nolebat. Male haec interpretatur Reinius in libro de iure priv. Ro. p. 326 in adnot. „*mit falschlich oder betrüglich eingeschriebenen Posten.*" Unum superest quaerendum, quo argumento Pompeius persuaserit Memmio, ut illam pactionem in senatu recitaret. Teltingius in disp. de crimine ambitus Gron. 1854, p. 153 hoc excogitavit: „coitionem cum consulibus ipsi nihil profuturam; quum vero confiteretur, senatum populumque sibi propensum habiturum, Domitium competitorem ab honore deiectum iri." Tetigit h. l. B. Salpius in libro de novatione et delegatione sec. ius Ro., Berol. 1864, p. 94.

Hic Appius erat idem ɔ: Appius alter consul non commovebatur pactione prolata. *Nihil sane iacturae* ambigue dictum est. Nam licet vel ita interpretari: in provinciam se tamen abiturum dicebat. cf. ad Q. fr. III. 2, 3. Att. IV. 18, 4. vel sic: non amisit pudorem, quem non habebat. Summam fuisse Appii impudentiam ostendit Vatinius, quum Ciceroni scriberet, Fam. V. 10, 2: *Si — Appii os haberem — tamen hoc sustinere non possem.* I. F. Gronovius, qui verba hoc modo explicat, adscripsit quae Iustinus XXII, 1 de Agathocle scribit: *nec in fortunis quod amitteret, nec in verecundia quod inquinaret, habere videbatur.* W. Forsyth, Life of Cicero, ed. 3. p. 291 interpretatur: „The character of Appius was made no worse by the disclosure: he had in fact no character to lose."

corruerat — iacebat ɔ: alter consul L. Domitius hac plaga concidit et existimationis suae iacturam gravissime dolebat.

§ 3. Postquam dixit, qui fuerit habitus consulum post pactionem prolatam, nunc transit ad candidatos.

Memmius — plane refrixerat ɔ: „Omnem spem consulatus potiundi amiserat." Ern.

et eo magis nunc hic iacet, quod iam intelligebamus enuntiationem illam [Memmii] valde Caesari displicere. In verbis refingendis paulum discessi a Mommseno l. c. p. 70. E codd. notatur *et eo magis nunc cociace dictaturam* (Med.) *coci ace dictatum* (Z), e quibus ultimum *dicatum* vel *dictatum* alii loco reservandum est. Adiunximus verba, quae supererant in § 6, ep. 16 *qui iam intelligebamus* cet, pro

et eius [Domitius] competitor liberalis in populo valde fuit: nihil gratius; certi erant consules. At senatus decrevit, ut tacitum iudicium ante comitia fieret ab iis consiliis, quae erant † omnibus sortita, in singulos candidatos. Magnus timor candidatorum; sed quidam iudices, in his Opimius, Veiento, Rantius, tribunos pl. appellarunt, ne iniussu populi iudicarent. Res sedit: comitia dilata ex senatus consulto, dum lex de tacito iudicio ferretur. Venit legi dies: Terentius intercessit. Consules, qui illud levi brachio egissent, rem ad senatum retulerunt.

quo ZM habent *quod iam*. Quum sententia misere distracta esset, perspicuitas postulabat, ut *Memmii* nomen adderetur, quod a Cicerone scribi non poterat. — Caesarem antea Memmio favisse novimus ex ep. 16, 6 et 15, 7.

eius Domitius competitor. Ordo verborum defenditur iis locis, quos Madvigius Op. Ac. p. 170 indicavit, Arch. 6 *Metello illi Numidico et eius Pio filio*, Brut. 98 *Servius Galba, cuius Caio filio*, Cluent 25 *Aurium et eius Caium filium.* Quibus addimus N. D. III. 39 *Ino et eius Palaemonem filium*, ibid 48 *quid Medeae respondebis? — quid huius Absyrto fratri?* Assentior tamen Pluygersio nomen proprium delenti, quia Cicero paullo ante scripsit: *quam ipse* (Memmius) *et suus competitor Domitius.*

liberalis in populo v. fuit. Frustra Lamb. Ern. Sch. *in populum* desiderant. Absolute dici potest: Messalla liberalis fuit. Hoc magis definitur, si additur id, in quo liberalitas spectata est, *in populo.* Cf. Handii Turs. III. p. 291 seqq. Seyffert. ad Lael. p. 273, sed maxime Kritzius ad Sall. Cat. 9, 2, qui diversitatem huius constructionis ab altera acute ostendit. In exemplis ab eo allatis est unum simillimum nostro loco de Off. I. 42: *qui aliis nocent, ut in aliis liberales sint.* Usitatior tamen est accusativus, quem ibid. 52 omnes codd. tuentur in verbis: *facultas sit, qua in nostros simus liberales.*

certi erant consules. Ad Q. fr. III. 2, 3 *Domitius cum Messalla certus esse videbatur.*

tacitum iudicium, quod nusquam praeter h. l. memoratur — nam *iudicia tacita* in II. Off. § 24 de alia re dici facile obtinebo — lucem accipit e comparatione *SCti taciti*, quod descripsit Iulius Capitolinus in Gordian. 12. Erat iudicium, cui nemini nisi senatoribus interesse licebat, et cuius sententia non nisi post habita comitia evulgaretur. Senatus hoc decrevisse videtur ex sententia Catonis. Locum enim e Plutarchi Cat. min. 44 cum Drumanno huc referri posse putamus. In verbis distinguendis sequor Gronovium. Iudicium illud habendum erat *in singulos candidatos*, quum omnes essent suspecti de ambitu, et habendum *a consiliis* iudicum sorte ducendis.

quae erant † omnibus sortita. Cum Orellio signum vitii apposui verbis *omnibus sortita*, sed vehementer repudio, quod ille in margine adscripsit: Fort. *erant omnibus tribubus sortita.* Consilia iudicum sine dubio e solis senatoribus constabant in hoc tacito iudicio. Fortasse scribendum: *quae erunt ex omni curia* vel *ex omnibus, qui aderunt, sorte ducta. Erunt* pro *erant* Gronovius quoque scripsit.

Opimius, Veiento, Rantius. Praeclare Orellius ex uno homine, quem codd. *Veientorancium, Vietorantium* appellant, fecit duo, *Veientonem*, qui rursus nominatur Att. VII. 3, 5; non recte alterum appellavit *Antium*, quum e libris prodeat nomen *Rantius.* Idem nomen ex inscriptione latino-graeca prolatum est a Buechelero in Mus. Rhen. XI. p. 534.

Res sedit. Una littera mutata vitium abstersimus. E codd. notatur *rescidit* et *res cedit*, quod Or. recepit. Sed neque quam vim habeat haec locutio, neque quo argumento in hac narratione praesens *cedit* defendi possit perspicio. Ea res vero, quae non peragitur, *sidere* dicitur, quod verbum utrum in perfecto *sidi* faciat, an *sedi*, Priscianus certo pronunciare non ausus est. Vid. eius Instit. gramm. X. 4, 23 et 5, 29. Ergo hoc narratur, tacitum iudicium nimia nonnullorum iudicum religione impeditum vel dilatum esse. Madvigius A. C. III p. 174 corrigit: *Res cecidit.*

Terentius, tribunus plebis. Nihil aliud de eo constat.

Consules, qui illud levi brachio egissent. Non mirum consules noluisse iudicium, ex

Hic Abdera non tacente me — dices: »Tamen tu non quiescis?" ignosce, vix possum — verumtamen quid tam ridiculum? Senatus decreverat, ne prius comitia haberentur, quam lex lata esset; si qui intercessisset, res integra referretur: coepta ferri leviter, intercessum non invitis, res ad senatum: de ea re ita censuerunt comitia primo quoque tempore haberi esse e re publica. 4. Scaurus, qui erat paucis diebus illis absolutus, quum ego † patrem eius ornatissime defendissem, obnuntiationibus per Scaevolam interpositis singulis diebus usque ad pridie Kal. Octobr., quo ego haec die scripsi, sublatis, populo tributim domi suae satisfecerat; sed tamen, etsi uberior liberalitas huius (erat), gratior esse videbatur eorum, qui occuparant. Cuperem vultum videre tuum, quum haec leges; nam profecto † rem habes nullam

quo ipsi infamiam metuerent. vid. § 2. *Levi brachio* est *leviter*, ut infra ponitur. Cf. ad II. 1, 6. — *rem ad senatum retulerunt* scripsi cum W. pro codd. *detulerunt.* Nam consules non simpliciter nuntiarunt rem senatui, sed senatum consuluerunt, quid fieri censeret.

Hic Abdera ↄ: in senatu tum stultae sententiae dictae sunt. Cf. VII. 7, 4. Sic Martialis quum vellet dicere *stultus es, stolide agis*, dixit: *Abderitanae pectora plebis habes,* X. 25.

Intercessum non invitis om. *consulibus.* Hi enim legem de tacito iudicio habendo tulerant, cui ipsi adversabantur.

§ 4. *Scaurus — absolutus* in iudicio de repetundis. Cf. ad. ep. 16, 6. Accusatus fuerat e Sardinia, quam provinciam pro praetore obtinuerat. Vid. Asconii argum. Scaurianae.

quum ego † patrem eius ornatissime defendissem. Cicero Scauri patrem nunquam defendit, nec defendere per aetatem potuit. Manutius *partem* scribens locum nondum sanavit, quum Cicero *causam* non vocet *partem.* Elegans emendatio, quam Bakius proposuit in Bibl. Crit. nova III. p. 204: *quum ego patris eum ornamentis def.* solam orationis a Cicerone pro Scauro habitae perorationem significat et longius a tradita scriptura huius loci recedit. Verisimilior est correctio Heinrichii apud Beierum in fragm. Oratt. p. 228 *quum ego pro parte mea rem eius ornatissime def.*, etsi equidem malim: *quum ego pro parte mea eum ornatissime defendissem.* Ita Cicero indicaret se non solum patronum in hac causa fuisse, et reliquorum orationes non valde sibi probari significaret. *Causam aliquam ornatissime defendere* legimus quoque in Bruto, 21. Meutznerus l.l. p. 763 emendavit: *quum ego pat(ronus) rem eius o. d.*, in qua emendatione *rem* dici pro *causam* me offendit.

obnuntiationibus per Scaevolam interpositis. His ablativis designatur quomodo dies comitiales omnes ad pridie Kal. Oct. sublatae sint. Q. Mucius Scaevola trib. pl. obnuntiando fecit, ne per illud tempus cum populo agi posset. Cf. ad Q. fr. III. 3, 2: *Comitiorum quotidie singuli dies tolluntur obnuntiationibus.*

populo tributim domi suae satisfecerat ↄ: nummos pronuntiatos solverat populo. In tali largitione saepius fit *tribuum* mentio. Cf. Att. I. 16, 13.

qui occuparant. Scaurus, quamdiu reus erat, petere non potuerat. Itaque alii candidati Messala et Domitius, (cf. § 3) populi favorem suis donis ante Scaurum captaverant, priores dederant.

quum haec leges. Ut volebat Gronovius, scripsi pro *legeres*, et paulo post cum Victorio *loquetur* pro Med. *loqueretur.*

nam profecto † rem habes nullam haec negotia m. n. fore. Mongaltius et Wielandus putabant his verbis tangi faenus, quod Atticus exercebat. Sed verba illi suspicioni non favent. Corruptum esse voc. *rem* nemo negat, in sanando aliud aliis placuit. Bona sententia oritur tam ex H. A. Kochii suspicione: *Nam p. spem habuisti nullam* cet, quam e P. Starkeri coniectura: *Nam p. opinionem habes nullam haec negotia* (ↄ: comitia consulum) *m. n. fore.*

haec negotia multarum nundinarum fore. Sed senatus hodie fuerat futurus, id est, Kal. Octobribus — iam enim luciscit —: ibi loquetur praeter Antium et Favonium libere nemo; nam Cato aegrotat. De me nihil timueris, sed tamen promitto nihil. 5. Quid quaeris aliud? Iudicia credo: Drusus, Scaurus non fecisse videbantur; tres candidati fore rei putabantur, Domitius a Memmio, Messalla a Q. Pompeio Rufo, Scaurus a Triario aut a L. Caesare. »Quid poteris, inquies, pro iis dicere?" Ne vivam, si scio: in illis quidem tribus libris, quos tu dilaudas, nihil reperio.

senatus hodie fuerat futurus. Latinitas postulat: *erat futurus,* ut post me vidit Wes.

praeter Antium et Favonium. Hic satis notus est ex epistt. Att. II. 1, 9, Q. fr. II, 3, 2 aliisque locis; *Antius* paene ignotus. Nam sestertius a Borghesio descriptus (Oeuvres I p. 30), in quo leguntur nomina C· ANTIVS et in aversa parte RESTIO, etsi ad hunc referri potest, praeter nomina nihil docet. Fortasse hic est, quem Val. Max VI. 8, 7 a fideli servo, quum a triumviris proscriptus esset, servatum narrat.

§ 5. *non fecisse videbantur.* Solemnis absolvendi formula, ut contra, qui condemnabantur, *fecisse videri* pronuntiabantur. Cf. Acad. II. 146. Verr. V. 14. Pis. 97. Brissonius de Form. V. 218. Pro *videntur* scr. esse *videbantur* docet quod sequitur *putabantur.*

a Memmio, tribuno pl. cf. ad Q. fr. III. 1, 15 et 2, 3.

Ne vivam, si scio. Cf. ad VIII. 6, 3.

in illis — libris, de Oratore. *Tribus* cum Ernesto glossatoris esse puto. *Dilaudas* in simili re dicitur infra VI. 2, 9. 3, 3.

XVIII. A. U. C. 700.)

1. **** Nunc † ut opinionem habeas rerum, ferendum est. Quaeris ego me ut gesserim. Constanter et libere. »Quid? ille, inquies, ut ferebat?" Humaniter meaeque dignitatis, quoad mihi satisfactum esset, habendam sibi rationem putabat. Quo modo ergo absolutus? omnino

Componitur ex iis, quae leguntur in Orellii editt. Ep. 16, § 9—12 et ep. 17, § 3.

§ 1. **** *Nunc, ut opinionem habeas rerum. ferendum est.* Manifesto epistola non incepit ab his verbis, quae ipsa foede corrupta videntur. Nam si Cicero hoc dicere voluisset, quod Corradus ex iis extricavit: „ut meam de rebus, quae hic fiunt, opinionem scias" scripsisset: „Nunc, ut opinionem habeas de his rebus meam, faciendum est." Quum autem hoc loco agatur de iudicio maiestatis, quo A. Gabinius contra omnium opinionem absolutus est, nomen Gabinii desiderari non posse Lambinus intellexit, emendans: *Nunc de Gabinio absoluto. Verum ferendum est.* Gronovius: *Nunc ut Gabinio rem vides natam, ferendum est.* Haec non omnino placent. Aliorum iudicio commendo, quod mihi a vero propius abesse videtur: *Nunc de Gabinio. Stomachaberis: verum ferendum est.* Sic, opinor, non obscure designatur, qui fuerit iudicii exitus. De tota re vid. ad Q. fr. III. 1, 15; 2, 1 sq.; 3, 3; 4, 1—4.

ille — ut ferebat? ɔ: quomodo Pompeius, qui Gabinio favet, hoc tulit? De Pompeii animo vid. ad Q. fr. III. 1, 15: *Pompeius a me valde contendit de reditu in gratiam; sed adhuc nihil profecit nec, si ullam partem libertatis tenebo, proficiet.* ibid. 2, 2: *Ego teneo ab accusando* (Gabinio) *vix me, hercule, sed tamen teneo vel quod nolo cum Pompeio pugnare — vel quod iudices nullos habemus.* Cf. quoque ep. 4, 2 et orat. p. Rab. Post. 19. Ciceronem in illa causa oratione perpetua oppugnasse Gabinium, quem deinde in iudicio de repetundis defendit, e

† *ΠΟΡΠΑΠΥΜΝΑ:* accusatorum incredibilis infantia, id est, L. Lentuli, L. F., quem fremunt omnes praevaricatum, deinde Pompeii mira contentio, iudicum sordes. Attamen XXXII. condemnarunt, XXXIIX. absolverunt. Iudicia reliqua impendent; nondum est plane expeditus. 2. Dices: »Tu ergo haec quo modo fers?'' Belle mehercule et in eo me valde amo. Amisimus, mi Pomponi, omnem non modo sucum ac sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinae civitatis; nulla est res publica, quae (me) delectet, in qua acquiescam. »Idne igitur, inquies, facile fers?'' Id ipsum: recordor enim, quam bella paulisper nobis gubernantibus civitas fuerit, quae mihi gratia relata sit. Nullus dolor me angit unum omnia posse; dirumpuntur ii, qui me aliquid posse doluerunt; multa mihi dant solatia, nec tamen ego de meo statu demigro, quaeque vita maxime est ad naturam, ad eam me refero, ad litteras et studia nostra; dicendi laborem delectatione oratoria consolor. Domus me et rura nostra delectant: non recordor, unde ceciderim, sed unde surrexerim. Fratrem mecum et te si habebo, per me

Quintiliano I. O. XI. 1, 73, ne quis efficiat, inspiciat ad Q. fr. III, 9, 1, ubi de se et illa causa scribit: *Testis vehemens fui; praeterea quievi.* *Cf.* ibid. III. 4, 3.

Omnino † ΠΟΡΠΑ ΠΥΜΝΑ. Sic Med. Bosii emendatio quam Lambinus omnibus omnium coniecturis anteponebat, *γοργεῖα γυμνά, larvae nudae* scil. accusatores, quod nihil nisi inanem terrorem prae se ferrent, etsi rationibus palaeographicis commendatur, non placet. Mihi in mentem venit: *Omnino πορεῖα πυκνά.* Ita plura conspirasse dicuntur ad absolvendum Gabinium, quae deinceps enumerantur, *accusatorum infantia, Pompeii contentio, iudicum sordes.* De his vid. ad. Q. fr. III. 4, 1.

accusatorum — id est L. Lentuli. Recte Schuetzius hoc defendit. Cicero primum *accusatores* appellat Lentulum cum subscriptoribus (ad Q. fr. III. 4, 1), deinde quasi se corrigens eum nominat, cuius primae fuerant in accusando partes. Erat autem accusator L. Lentuli flaminis a. 698 mortui filius, quem Vettius olim coniurationis in Pompeium insimularat. Att. II. 24, 2. *Pompeii contentio et preces* in hac causa nominantur in ep. cit. ad Q. fr. et *nihil illo consilio sordidius.*

XXXII condemnarunt, XXXIIX absolverunt. ad Q. fr. 1. cit. *Sententiis condemnatus XXXII, cum LXX tulissent..*

Iudicia reliqua de repetundis, qua in causa tot hominem accusare volebant, ut divinatione opus esset, ad Q. fr. III. 1, 15. 2, 1. Eundemque de ambitu reum fecerat P. Sulla, ibid. 3, 2.

§ 2. *in eo me valde amo.* Est formula se laudantis ob rem bene factam. Sic IX. 18, 1. *At ego me amavi.* Q. fr. III. 9, 4 *De mancipiis, quod mihi polliceris, valde te amo.* Male Heindorfius eo retulit Hor. Sat. I. 2, 54 et II. 7, 31, quibus in locis *amare* aliter explicandum est.

Pristinae pro *pristinam* egregie W., ut hoc referatur ad *civitatis,* non ad *speciem.* Suco ac sanguini opponuntur color et species, non species pristina. Idem vidit ante *delectet* h. l. male deesse *me,* quum sequatur *in qua acquiescam.*

Nullus dolor me angit unum omnia posse. Recte codd. servant *angit,* non *tangit,* quod de repentino dolore dicitur. Cf. Ellendt. ad Brut. 331. In verbis distinguendis Klotzius mihi praeivit. Ad *dirumpuntur* suppl. *dolore.* Cf. VII. 12, 3. Fam. XII, 2, 2.

est ad naturam ɔ: respondet ingenio meo, mihi convenit. Cf. de hac locutione Madv. ad Fin. I. 30, qui Graece dici *κατὰ φύσιν εἶναι* monet.

dicendi laborem delectatione oratoria consolor ɔ: facile causas ago, quod ipsa eloquentiae studia me delectant.

per me isti pedibus trahantur. In altero

isti pedibus trahantur, vobis συμφιλοσοφῆσαι possum. Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitabat olim, concalluit: privata modo et domestica nos delectant. Miram securitatem videbis, cuius plurimae mehercule partes sunt in tuo reditu; nemo enim in terris est mihi tam consentientibus sensibus. 3. Sed accipe alia. Res fluit ad interregnum, et est nonnullus odor dictaturae, sermo quidem multus, qui etiam Gabinium apud timidos iudices adiuvit. Candidati consulares omnes rei ambitus; accedit etiam Gabinius, quem P. Sulla, non dubitans quin foris esset, postularat contra dicente et nihil obtinente Torquato. Sed omnes absolventur nec posthac quisquam damnabitur,

loco, ubi locutio *pedibus trahi* redit, Fam. VII. 32, 3 haec leguntur: *trahantur per me pedibus omnes rei*. Ut Malaspina inde correxit indicativum *trahuntur*, qui in libros h. l. irrepserat, omniumque assensum tulit, sic editores moniti a Guilielmo subiectum personae (*isti*) substituere debuerant subiecto reali (*ista*). Sententia haec est: „iis, qui me aliquid posse doluerunt, omnia mala eveniant, per me licet; ego non laboro, quid istis fiat." Gronovius comparavit ad illustrandum illud *pedibus trahi* dictum Megaclis ad Dionysium Syracusanum ap. Diod. Sic. XX: 78, *δεῖ τὸν ἐκ τῆς τυραννίδος ἐκπίπτοντα τοῦ σκέλους ἑλκόμενον ἀπιέναι*. Sed Cicero videtur respexisse Homeri Od. XVI. 276, ubi Ulixes filio praecipit, ut aequo animo ferat iniurias procorum patri factas, *ἤν περ καὶ διὰ δῶμα ποδῶν ἕλκωσι θύραζε*. Cf. P. Victorii Var. Lect. XXI. 24. Pro inepto *vobis ἐμφιλοσοφῆσαι* non dubitavi scribere *vobis συμφιλοσοφῆσαι*, in adnot. MS. Wyttenbachii a me inventum. cf. VII. 7, 7 et Fam. XVI. 21, 8.

Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitabat olim, concalluit. Cicero dicit illum animi locum, ubi antea solebat iracundia excitari, callo obductum esse et obduruisse. Male apud Nonium p. 90 *habitat* et *concaluit* codd. dant. *habitabat* in Med. et R. est, *concalluit* debetur Victorio. Facit huc alter locus apud Nonium e lib. III. de N. D., § 25 *callidos appello, quorum tanquam manus opere, sic animus usu concalluit*, sed magis verba ex epistola ad Varronem, Fam. IX. 2, 3: *λελυθότως consuetudo diuturna callum iam obduxit stomacho meo.*

§ 3. *Res fluit ad interregnum.* Ad Q. fr. III. 2, 3 *res videtur spectare ad interregnum.* Saepissime *res* sic indefinite ponitur. Cf Liv. I. 9. II. 18. VI. 16.

qui — adiuvit. Nolebant offendere Pompeium, qui dictator fore putabatur, condemnatione Gabinii. Suspicionem dictaturae tangit Cicero in litteris ad Q. fr. eodem tempore datis, II. 15, 5 et III. 8, 4.

Candidati consulares omnes rei ambitus. Kal. Oct. scripserat: „*Tres* candidati *fore* rei putabantur" (ep. 17, 5), nunc nuntiat *omnes* reos *esse*. Nam Q. Curtius bonus et eruditus adolescens Memmium de ambitu postulavit, Q. fr. III. 2, 3, de quo uno antea sermo non fuerat.

non dubitans quin foris esset. Plerique intt. sic explicant: non dubitans, quin Gabinius in urbem non intraret triumphum exspectans. In eam opinionem adducti sunt iis, quae legerant ad Q. fr. III. 2, 2. Sed cur illa res moverit Sullam ad Gabinii nomen deferendum, non intelligo. Multo probabilior est Lambini interpretatio, haec eadem vi nunc explicantis, qua idem ille Gabinius in Pisoniana § 12 *egere*, *foris esse* dicitur. Utroque loco *foris esse* dicitur, qui magno aere alieno laborat, qui non est solvendo. Nimirum Sulla sperabat Gabinium condemnatum iri, si iudices non posset corrumpere. Plurimum ille pecuniae, quam e Syria attulerat, effuderat in iudicio de maiestate (quo spectant *iudicum sordes*, sup. § 1), quod reliquum erat in iudicio de repetundis perderet.

contra dicente — Torquato. Ad Q. fr. III. 3, 2: *Contra dixit L. Torquatus omnibusque libentibus non obtinuit.* Idem hic adolescentulus a. 688. P. Sullam de ambitu accusavit eique eripuit consulatum, quem ad patrem suum retulit. Vid. Fin. II. 62 et Cic. orat. p. Sulla passim.

nisi qui hominem occiderit; hoc tamen agitur severius; itaque iudicia calent. M. Fulvius Nobilior condemnatus est, multi alii urbani ne respondent quidem. 4. Quid aliud novi? etiam: absoluto Gabinio stomachantes alii iudices hora post Antiochum Gabinium nescio quem e Sopolidis pictoribus, libertum, accensum Gabinii, lege Papia condemnarunt. Itaque dixit statim † resp. lege maiestatis † ***OYCOIMPICAMAΦIHI.*** — Pomptinus vult. a. d. IV. Non. Novembr. triumphare: huic obviam Cato et Servilins praetores ad portam et Q. Mucius tribunus — negant enim latum de imperio, et est latum hercule in-

nisi qui hominem occiderit. Spectat ad Procilium, ep. 15, 4.

iudicia calent ɔ: quotidie fere iudicia caedis exercentur. Verbi usum satis illustrat hic locus ex or. p. Planc. 55: *Illud crimen caluit re recenti; nunc in causa refrixit.*

M. Fulvius Nobilior, eques Ro., idem ut videtur qui inter Catilinae socios nominatur a Sallustio, Cat. 17.

multi alii urbani ne respondent quidem. Respondere dicuntur, qui in iudicio citati adsunt. Qui condemnationem metuens solum vertit, *non respondet.* Cf. Gronovii Obss. II. 4, p. 185. Hos, quum iudices cognoscendi molestia liberabant, Cicero iocose appellat *urbanos* ɔ: homines politos. Cf. Fam. III, 8, 3 et de *urbanitate,* quae cernitur in morum facilitate, ibid. 7, 5.

§ 4. *Quid aliud novi? etiam.* Codd. *et tamen.* Muretus volebat: *est tamen.* Sed melior Acidalii emendatio: *etiam,* quod in responsione sane frequens est. Vid. adnot. ad I. 13, 6 et Wesenb. ad Tusc. IV. 7.

e Sopolidis pictoribus. Plinius H. N. XXXV, 148 Sopolin et Dionysium vocat celeberrimos illa aetate imaginum pictores, quorum tabulae pinacothecas implebant.

accensum Gabinii. Saepe patroni munus accensi libertis suis deferebant. Cf. ad Q. fr. I. 1, 13, Verr. L. III. 154 et inscriptiones a Th. Mommseno collectae in Mus. Rhen. nov. VI. p. 3 seqq. Non opus est copula inter vv. *libertum accensum.*

lege Papia. C. Papius trib. pl. a. 688 peregrinos lege sua ex urbe eiecit. Cic. Off. III. 47 eos nimirum, qui civitatem Romanam usurparant. Schol. Bob. ad Archianam p. 354. Iudices Antiochum illum non merito suo, sed ut Gabinium eius patronum vexarent, ea lege condemnasse videntur. Quae sequuntur adeo obscura sunt, ut Cicero nobis ab inferis excitandus esset, ut quae scripserit explicaret. Legi omnia, quae in editione Graevii et in Lambini comm. Lucret. p. 727, quaeque a Schuetzio et Sauppio in Ind. Graec. p. 71, nuper a Madvigio A. C. III p. 174 prolata sunt, sed non multum inde profeci. Soli Tunstallo ep. ad Middlet. p. 125 aliquid in mentem venit, quod non omnino reiiciendum puto: *Itaque dixit statim reus P.* (ɔ: Papia) *lege: μοί ἐστί τι, οὐ σοί δ', Ἆρες, ἅμα Παφίῃ.* In his Ἄρης erit Gabinius, et in nomine Παφίῃ alluditur ad legem Papiam. Pro ἅμα scribi debet σύν, quod solum sententiae aptum est.

Pomptinus vult cet. Hac de re ad Q. fr. III. 4, 6 haec legimus: „*Pomptino ad triumphum a. d. III Non. Novembr. volebam adesse. Etenim erit nescio quid negotioli: nam Cato et Servilius praetores prohibituros se minantur; nec, quid possint, scio — ille enim et Appium consulem secum habebit et praetores et tribunos plebis —, sed minantur tamen imprimisque* "Ἄρη πνέων *Q. Scaevola.* Pomptinus volebat triumphare propter res in Gallia a. 693 prospere gestas et Allobroges domitos. Vid. Cic. de prov. cons., 32. Dio XXXVII. 47 sq. et triumphum adeptus est opera Servii Galbae praetoris. Vid. ibid. XXXIX. 65. Cic. in Pis. 58. — In nomine scribendo magna est varietas. Vid. Ern. in Onom. Tull. p. 483. Oudend. ad Frontini Strateg. II. 4, 7.

ad portam scil. triumphalem in campo Martio, de qua vid. Prelleri liber de regionibus urbis p. 239 seq. Male ego in pr. edit. B et Kl. veterem παραδιόρθωσιν *aperte,* natam ex *a porta* et *aperta* in deterioribus libris, servavimus.

negant — insulse. Sine imperio nemo poterat triumphare cf. Liv. XLV. 35. Atqui Ser. Galba legem de imperio Pomptini tu-

sulse — sed erit cum Pomptino Appius consul. Cato tamen affirmat se vivo illum non triumphaturum: id ego puto, ut multa eiusdem, ad nihil recasurum. Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat. 5. A Quinto fratre et a Caesare accepi a. d. IX. Kalend. Novembr. litteras, datas a litoribus Britanniae proximis a. d. VI. Kalend. Octobr, Confecta Britannia, obsidibus acceptis, nulla praeda, imperata tamen pecunia exercitum (e) Britannia reportabant. Q. Pilius erat iam ad Caesarem profectus. Tu, si aut amor in te est nostri ac tuorum aut ulla veritas aut etiam si sapis ac frui tuis commodis cogitas, adventare et prope adesse iam debes. Non mehercule aequo animo te careo: te autem quid mirum, qui Dionysium tanto opere desiderem? quem quidem abs te, quum dies venerit, et ego et Cicero meus flagitabit. Abs te proximas litteras habebam Epheso a. d. v. Id. Sext. datas.

lerat *κρύφα καὶ ὑπὸ τὴν ἕω*, ut Dio l. c. scribit.

Cato affirmat — illum non triumphaturum. In cod. Med. quum initio scriptum esset *triumphare*, ita correctum est, ut dedimus. Haasius quidem ad Reisigii scholas adn. 452 infinitivum praesentis temporis magis moribus Catonis convenire existimat; sed Catoni mores non dabant veniam soloece loquendi. Diversi generis sunt, quae Drakenb. congessit ad Livii XXVII. 3, 4; sed in Livii verbis XXXIV. 33: *Postero die Nabis Argis se cedere ac deducere praesidium, quando ita Romanis placeret, et captivos et perfugas redditurum dixit*, nulla est temporum permutatio, sed quod statim fieri poterat praesenti, quod aliquanto post futurum erat futuro designatur. Nabis ipse sic dicere poterat: „quando ita vobis placet, Argis cedo ac deduco praesidium, captivos et perfugas reddam."

ad nihil recasurum. Ut in Phil. VII. 27 legimus *ad nihilum recidere,* sic h. l. *ad nihilum r.* corrigendum videtur. Cf. Madv. A. C. III p. 174.

Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat. Ad Q. fr. III. 2, 3: *Appius sine lege curiata confirmat se Lentulo nostro successurum.* Plenius de ea re agitur in Cic. ep. ad ipsum Lentulum Fam. I. 9, 25.

Confecta Britannia — imperata tamen pecunia. In codd. haec collocantur ante verba *datas — Octobr.* Ego transposui et coniunxi cum verbis *exercitum Britannia reportabant.* Tum scripsi *e Britannia* addita praepositione ex codd. Malaspinae. Nam omissio praepositionis non potest defendi iis, quae scripsit Kritz. ad Sall. Iug. 28, 6, neque his exemplis *Italia cedere* Cic. Phil. X. 8. *Italia deportare* Tac. Ann. XIV. 45. Cf. Wesenbergius in Cic. opp. edit. Or. alt. IV. p. 367. *Reportabant* quoque suspectum est. Usitatius in ea re *deferre* et *deportare.* Cff. Duker. ad Liv. XXXVIII. 50, 3 et Drak. ad XXXIX. 38, 9. Ita Cic. p. imp. Pomp. 61 *bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit.* — *Proximo* vitiosum ratus quum ob formam adverbii insolentem, tum quia Cicero ipsum diem litterarum datarum indicat, scripsi *a litoribus Britanniae proximis.* De re cf. Caes. B. G. V. 22 extr. et 23 in. — *Confecta Britannia* est *composita*, quomodo Livius XL. 35 scripsit *confectam provinciam nuntiare.*

nulla praeda. At Strabone IV. 5, 3 teste Caesar e Britannia *ἀπήγαγεν ὅμηρα τε καὶ ἀνδράποδα καὶ τῆς ἄλλης λείας πλῆθος.* In praeda fuisse videtur thorax, quem Caesar „Veneri Genetrici in templo eius dicavit ex Britannicis margaritis factum", ut refert Plinius H. N. IX. 116.

Q. Pilius videtur fuisse frater Piliae, in cuius gratiam Cicero hoc nuntiat Attico.

veritas ɔ: fides et constantia promissi. Cf. ep. 19, 1.

quum dies venerit. Malaspina coniecit: *quo die veneris;* eaque ratione desiderii magnitudo melius indicatur. Cf. ep. 15, 10. Ernestus hic de libertate Dionysio danda agi putans, oblitus erat illum iam olim manumissum esse. Vid. ep. 15, 1.

XIX. (*A. U. C.* 700.)

1. O exspectatas mihi tuas litteras! o gratum adventum! o constantiam promissi et fidem miram! o navigationem amandam! quam mehercule ego valde timebam recordans superioris tuae transmissionis δέῤῥεις. Sed, nisi fallor, citius te quam scribis videbo. Credo enim te putasse tuas mulieres in Apulia esse; quod quum secus erit, quid te Apulia moretur? Nam Vestorio dandi sunt dies et ille Latinus ἀττικισμὸς ex intervallo regustandus. Quin tu huc advolas et invisis illius nostrae rei publicae germanam? † Putavi de nummis ante comitia tributim uno loco divisis palam, inde absolutum Gabinium. **** dictaturam fruere iustitio et omnium rerum licentia. 2. Perspice aequitatem animi mei et † ludum et contemptionem Seleucianae pro-

§ 1. *O exspectatas mihi tuas litteras!* Atticus amico nuntiaverat se adventare ex Asia.

δέῤῥεις sunt pelles, sive tegumenta e pellibus facta. Atticus hoc vocabulum olim in epistola posuisse videtur. Iis usus erat ad frigus arcendum. Temere I. F. Gronovius hoc nomine *impedimenta* indicari posse putabat. *Transmissio* est iter maritimum, traiectus maris. Cf. Phil. I. 7. Sic *transmittere* absolute ponitur, ubi de mari traiiciendo sermo est. Vid. XVI. 7, 1.

tuas mulieres, uxorem cum ancillis.

Nam Vestorio dandi sunt dies cet. Si Cicero haec scripsit, concedit Attico, ut aliquot dies Puteolis apud Vestorium degat. Sed non possunt haec conciliari cum seqq.: *Quin tu huc advolas.* Quare vix dubito, quin Ciceronis fuerit: *Num Vestorio — regustandus?* qua quaestione hoc ipsum quod quaeritur fere negatur.

Quin tu huc advolas cet. *Quin* interrogative cum prima et secunda persona indicativi positum excitandi vim habet. De hoc usu monuerunt Drak. ad Liv. I. 57, 7, Ochsnerus ad Ecl. Tull. p. 305, Kritz. ad Sall. Cat. 20, 14.

illius nostrae reipublicae germanam ɔ: rem p. simillimam illius, quam ego in libris de Re publica adumbravi, vel dempta ironia dissimillimam. *Germanam*, quod Manutius coniecit, certum est. Med. levi errore *germane.*

† *Putavi de nummis — Gabinium *** dictaturam fruere iustitio et omnium rerum licentia.* Quae post *Gabinium* in editt. sequuntur *detur esse valiturum*, iis usi sumus ad supplendam sententiam mancam in § 5, ep. 16. Contra nonnulla verba, quae male coaluerunt cum iis, quibus in ep. 17, 3 init. locum adsignavimus, ex epist. 18, 3 hic reposuimus. Totum locum misere corruptum, si hariolari licet, sic restituam: *Puto, videbis nummis ante comitia tributim populo divisis peti consulatum, videbis absolutum Gabinium, remp. in dictaturam ruere iustitio et omnium rerum licentia.* Sed manum de tabula. In alia omnia abeunt W. Em. alt. p. 102 et Madv. A. C. III p. 174.

§ 2. *Perspice aequitatem animi mei* ɔ: animum cupiditatibus solutum. Non satis appareт, quomodo haec cum iis, quae praecedunt, cohaereant, sed videntur spectare ad consilium non eundi in provinciam. Eodem retulerim quae vitiose sic circumferuntur *et ludum et contemptionem Seleucianae* (*Cecilianae R.*) *provinciae* (vel *Selicianae unciae* ɵ marg. Crat.), quae hoc modo corrigenda censeo: *et lauda meam contemptionem Selicianae provinciae.* Quum consules vel foeda pactione cum Memmio et Domitio facta provincias sibi dari vellent, Cicero contempserat provinciam opimam, ex qua divitias non minores, quam quae erant faeneratoris Selicii (I. 12, 1), sibi parare potuisset. Ciceronem tum quoque noluisse in provinciam ire, quum posset, conficio ex iis, quae eodem illo anno scripsit ad Trebatium, Fam. VII. 17, 2: *quoad opinatus sum me in provinciam exiturum. Posteaquam ea mutata ratio est,* cet.

haec — tabula delectat ɔ: hoc unum me

vinciae et mehercule cum Caesare suavissimam coniunctionem — haec enim me una ex hoc naufragio tabula delectat —, qui quidem Quintum meum tuumque, dii boni! quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia, non secus ac si ego essem imperator. Hiberna legionis eligendi optio delata commodum, ut ad me Q. scribit. Hunc tu non ames? quem igitur istorum? Sed heus tu, scripseramne tibi me esse legatum Pompeio et extra urbem quidem fore ex Idib. Ian? visum est hoc mihi ad multa quadrare. Sed quid plura? coram, opinor, reliqua, ut tu tamen aliquid exspectes. Dionysio plurimam salutem, cui quidem ego non modo servavi, sed etiam aedificavi locum: quid quaeris? ad summam laetitiam meam, quam ex tuo reditu capio, magnus illius adventu cumulus accedit. Quo die ad me venies, [tu,] si me amas, apud me cum tuis maneas.

consecutum esse e calamitate mea, quod Caesar mihi favet, gaudeo; velut naufragus tabulam, sic ego Caesaris favorem arripui.

Hiberna legionis. Ante Ern. edebatur ex libris Mss. *hibernam legionem.* Ille correxit: *hiberna legionum.* Nos secuti sumus Nipperdeium, qui in fragm. Caes. p. 769 haec citans scripsit: *hiberna legionis* eius, cui Quintus Cicero praeerat. Nam quis credat hunc omnium legionum, quae in Gallia erant, hiberna elegisse? Quod Alanus coniecit *hibernorum — eligendi optio* longius a codd. scriptura recedit.

eligendi optio. Madvigius ad Fin. I. 33 (*quum soluta nobis est eligendi optio*) observat abundantia quadam substantivum non generale (*optio*) definiri, tanquam generale sit (*potestas*), ascito gerundii genetivo. Idem tertium exemplum affert e Bruto, 189. Cff. Reisigii Scholae § 438.

commodum ɔ: paullo ante, modo. Vid. quae de hoc adverbio dixi ad II. 12, 2. Quae sequuntur in R. sic scripta sunt: *ut ad me Q. scribit.* Nomen eius qui scripsit recte additum recepi.

quadrare, aptum esse. Cf. XIII. 33, 3. Brut. 43. Cael. 69.

ut tu tamen aliquid exspectes ɔ: ne plura scribendo omne sermonis argumentum praecipiam.

Quo die ad me venies, cet. *Ad me* molestum est, quum sequitur *apud me.* In simili clausula ep. 4*a* abest. Etiam *tu* in R. omissum abesse malo.

LIBER V.

1. (*A. U. C.* 703.)

1. Ego vero et tuum in discessu vidi animum et meo sum ipse testis. Quo magis erit tibi videndum ne quid novi decernatur, ut hoc

Brevi post ultimam epistolam libri IV scriptam Atticus mense Nov. a 700 Romam venisse et diutius cum Cicerone vixisse videtur. Certe per duos annos et sex menses commercium epistolarum inter eos cessavit. Instauratum est mense Maio a. 703, quum Cicero pro consule in Ciliciam profectus est, primaque epistola libri V, ut ex initio appa-

nostrum desiderium ne plus sit annuum. 2. De Annio Saturnino curasti probe. De satisdando te rogo, quoad eris Romae, tu ut satisdes, et sunt aliquot satisdationes secundum mancipium, veluti Memmianorum praediorum vel Atilianorum. De Oppio factum est ut volui et maxime quod DCCC. aperuisti; quae quidem ego utique vel versura facta solvi volo, ne extrema exactio nostrorum nominum exspectetur. 3. Nunc venio ad transversum illum extremae epistolae tuae versiculum, in quo me admones de sorore: quae res se sic habet: ut veni in Arpinas, quum ad me frater venisset, in primis nobis sermo isque multus de te fuit, ex quo veni ad ea, quae fueramus ego et tu inter nos de sorore in Tusculano locuti. Nihil tam vidi mite, nihil tam placatum, quam tum meus frater erat in sororem tuam, ut etiam, si qua fuerat ex ratione sumptus offensio, non appareret. Illo sic die; postridie ex Arpinati profecti sumus. Ut in Arcano Quintus maneret

ret, brevi post discessum Ciceronis ab urbe ad Atticum missa est.

§ 1. *et meo sum ipse testis.* Cicero hoc dicit: „Qui meus fuerit in discessu animus, mihi ipse testis sum." Non animo suo, sed sibi de suo animo testis erat. Itaque verissime correxit aliquis apud Or. I *et de meo sum ipse testis.* De formula respondendi, qua Cicero saepius incohat epistolas, *Ego vero,* dixerunt Henr. Stephanus Schediasm. II. 23 et Cortius ad Epist. Fam. IV. 6 in.

ne quid novi decernatur ɔ: ne provincia mihi prorogetur. Idem petit iisdem verbis a Curione trib. pl. Fam. II. 7, 4, et iterum inculcat h. l. 9. 2.

§ 2. *De Annio Saturnino.* Hunc fuisse Milonis libertum non male suspicatur Wielandus III. p. 72. — *vero* in cod. R. recte abest ante *te rogo.*

et sunt aliquot satisdationes, cet. Duplicem haec verba permittunt interpretationem, quatenus statuas Ciceronem ante discessum suum ea praedia vel emisse vel vendidisse. Hoc placebat summo ICto Iac. Cuiacio, qui Observ. XXI. 15 docet *satisdationes secundum mancipium* dici, quum venditor praediorum emptori caveat se dominum esse. Quod fiebat nuda repromissione, nullis datis fideiussoribus. Vid. ibid. XI. 4. Igitur Cicero affirmat Atticum aliorum exemplo satisdare posse. Sin emisse tunc illa praedia videtur, *secundum mancipium* erit *pro mancipio, in favorem mancipii,* et hae satisdationes erunt de pretio nondum ab emptore soluto. Sic verba accepit Reinius, op. laud. p. 342, ubi eas vocat *Bürgschaft fur Bezahlung des Kaufgeldes.* Sed omnia in coniectura sunt posita.

Memmianorum vel Atilianorum. Indicatur praedia potius Atiliana quam Memmiana dici debere.

De Oppio, cet. Agitur de Caesaris nomine, cui tum Cicero debebat octies centena sestertia. Atticus Oppio Caesaris procuratori spem ostenderat, eam pecuniam solutum iri. Frequens huius rei mentio in epistolis seqq. Vidd. h. l. 4, 3. 5 extr., 6 extr., 9, 2. 10, 4. *Aperire* non minus novum in hac re, quam *exponere,* quod ep. 4, 3 legitur. Indicat utrumque: dicere ea parata esse. *Versuram facere* est pecuniam mutuam sumere, quod si fit ad vetus debitum expungendum, vocatur *versura solvere.* Cf. Festus p. 379.

ne — exspectetur ɔ: ne differatur solutio eius, quod Caesari debeam, in eum diem, quum alii, quod mihi debeant,tandem aliquando solvent.

§ 3. *ad transversum — versiculum.* Sic dicitur, quod deficiente charta in margine paginae adponitur.

in Arpinas. Sic omnes libri. At affirmat Ernestus scribi debuisse *in Arpinum* v. *in Arpinatem.* Sane solet vocari *ager, fundus, insula Arpinas;* sed cur non h. l. *praedium* cogitatione adderemus, ut in verbis *Postridie ex Arpinati profecti sumus* et in eo, quod Tusc. V. 74 est *in Arpinati nostro?*

Illo sic die, ut est in Med. correctum ab

dies fecit, ego Aquini, sed prandimus in Arcano. Nosti hunc fundum. Quo ut venimus, humanissime Quintus, »Pomponia," inquit, »tu invita mulieres, ego viros accivero." Nihil potuit, mihi quidem ut visum est, dulcius idque quum verbis, tum etiam † animo ac vultu. At illa, audientibus nobis, »Ego sum," inquit, »hic hospita" — id autem ex eo, ut opinor, quod antecesserat Statius, ut prandium nobis videret; — tum Quintus, »En," inquit mihi, »haec ego patior quotidie." 4. Dices: »Quid, quaeso, istuc erat?" Magnum: itaque me ipsum commoverat; sic absurde et aspere verbis vultuque responderat. Dissimulavi dolens. Discubuimus omnes praeter illam, cui tamen Quintus de mensa misit; illa reiecit. Quid multa? nihil meo fratre lenius, nihil asperius tua sorore mihi visum est, et multa praetereo, quae tum mihi maiori stomacho quam ipsi Quinto fuerunt. Ego inde Aquinum; Quintus in Arcano remansit et Aquinum ad me postridie mane venit mihique narravit nec secum illam dormire voluisse et, quum discessura esset, fuisse eiusmodi, qualem ego vidissem. Quid quaeris? vel ipsi hoc dicas licet humanitatem ei meo iudicio illo die defuisse. Haec ad te scripsi fortasse pluribus, quam necesse fuit, ut videres tuas quoque esse partes

ille sic dies e Crat. et Rav. scribendum sit, quaeritur, sed non multum refert. Nam utrumvis recte se habet.

dies fecit. „Non dies in vesperum iam vergens — nam et Marcum fratrem eadem causa retinuisset —, sed dies festus Arcani pagi, quem sibi Q. in suo fundo celebrandum putavit." Manutius.

ego viros accivero. Sic edidit Lambinus, libros veteres secutus, ut ait. Habent illi: *ego vero ascivero pueros.* Sed pueris hic non est locus. Dicit enim Quintus Arcanos, qui officii causa Cicerones salutatum venerant. *Pueros* igitur male ex geminatione praecedentium litterarum ortum videtur et *vero* ex *viros* corruptum. Haud scio tamen an potior sit correctio I. Fr. Gronovii: *ego accepero viros.* Accipere enim est in prandio vel cena laute tractare. Cf. Plaut. Cist. I. 1, 12. Most. I. 4, 7. De usu futuri exacti vid. Madvigii gramm. Lat. § 340, 4. Nimis audacter Klotzius *accipiam* (vel *accipio*) h. l. reponendum censuit in Adnott. P. II p. 9 sq., et ita edidit.

animo ac vultu. Quum agatur de rebus, quae sensu percipiuntur, Pluygersius intellexit *animo* non esse locum, correxitque *voce ac vultu.* Ego malim *habitu ac vultu* ut Ernestus in Tac. Agric. 43 *habitu vultuque* pro *animo vultuque* coniecit. cf. Peerlkampius ad eum locum in ed. alt.

hospita, non domina sum, sed hospitio hic excipior.

ut prandium nobis videret ɔ: provideret, curaret. Sic infra XII. 21 *talaria videamus.* de Orat. III. 2 *videndum sibi esse aliud consilium.* Tusc. III. 46 *dulciculae potionis aliquid videamus et cibi,* ubi vid. Kuhneri adnotatio. Cf. quoque Varro de L. L. VII. 12.

§ 4. *Dissimulavi dolens* ɔ: quamvis dolerem, tamen me commotum esse nec vultu nec verbis prodidi. Usitatius esset *Dissimulavi dolorem,* sed illud non esse Latinum non concedo Pluygersio. Quid vetat participium apponere verbo absolute posito, ut *dissimulare* saepius ponitur, velut Off. I, 108?

de mensa misit. Dicitur quoque *de prandio mittere* et *partes mittere,* Graece πέμπειν ἀπὸ τραπέζης. Cf. Popma ad h. l.

quum discessura esset. Pluygers volebat *discessurus.* Recte, opinor. Nam Quintus ex Arcano Aquinum se contulit, Pomponia in Arcano mansisse videtur.

§ 5. *mandata nostra exhaurias* ɔ: perficias. Eadem locutio redit ep. 6, 2. 13, 3.

Pomptinum. Unus erat e Ciceronis legatis.

instituendi et monendi. 5. Reliquum est ut ante quam proficiscare mandata nostra exhaurias, scribas ad me omnia, Pomptinum extrudas, quum profectus eris, cures ut sciam, sic habeas, nihil mehercule te mihi nec carius esse nec suavius. A. Torquatum amantissime dimisi Minturnis, optimum virum, cui me ad te scripsisse aliquid in sermone significes velim.

Cf. Fam. XV. 4, 8. De eo vid. ad IV. 18, 4. *Extrudere* in simili re usurpatur Fam. VII. 6, 2. XIV. 6. In seqq. distinctionem mutavi, ut verba *sic habeas* non minus quam coniunctivi *scribas, extrudas, cures* penderent a verbis *reliquum est ut.* Vulgo post *sciam* plene interpungebatur.

A. Torquatum, qui saepius in his epistt. memoratur, postea Cicero litteris consolatus est, quae reperiuntur inter epp. ad Fam. VI. 1—4. Cum iis, quae sequuntur, conferantur quae Cicero scripsit initio ep. 25 libri II.

II. (*A. U. C.* 703.)

1. A. d. VI. Id. Mai., quum has dabam litteras, ex Pompeiano proficiscebar, ut eo die manerem in Trebulano apud Pontium; deinde cogitabam sine ulla mora iusta itinera facere. In Cumano quum essem, venit ad me, quod mihi pergratum fuit, noster Hortensius, cui deposcenti mea mandata cetera universe mandavi, illud proprie, ne pateretur, quantum esset in ipso, prorogari nobis provinciam; in quo eum tu velim confirmes gratumque mihi fecisse dicas, quod et venerit ad me et hoc mihi praetereaque si quid opus esset promiserit. Confirmavi ad eam causam etiam Furnium nostrum, quem ad annum tribunum pl. videbam fore. 2. Habuimus in Cumano quasi pusillam Romam — tanta erat in his locis multitudo —, quum interim Rufio noster, quod se a Vestorio observari videbat, strategemate hominem percussit. Nam ad me non accessit. Itane? quum Hortensius veniret et infirmus et tam longe et Hortensius, quum maxima praeterea mul-

§ 1. *iusta itinera* ɔ: quantum procedi uno die potest. Cf. Caes. B. C. I. 23. Ulpianus in l. 3 Dig. de verb. sign. scribit XXmilia passuum in dies singulos esse peragenda.

prorogari nobis provinciam. Sic legendum ex Ursini sive codice sive coniectura. Frustra laborare Manutium in defendenda cod. Med. lectione *provincias* Wesenbergius ostendit, Emend. p. 24, in epistolis illo tempore datis Ciceronem de provincia sibi non proroganda cum amicis egisse demonstrans ex ep. 11, 1 et 17, 5 h. l., Fam. II. 9, 3.

§ 2. *Rufio noster.* Sic per iocum nominat C. Sempronium Rufum, qui cum Vestorio argentario Puteolano litem exercebat. Cf. VI. 2, 10. Fam. VIII. 8, 1.

quum Hortensius veniret — et Hortensius. Nomen cum vi repetitur ut in his: *a tribuno plebis et a Curione tribuno* (Fam. II. 7, 4) *gener et Piso gener* (Sest. 54). Cf. Ruhnk. ad Vell. II. 60, 2. *Tam longe* additur, quia Hortensii villa erat apud Baulos. vid. Acad. II. 9.

Laudari cum Kl.[2] et W. nunc recepi e Crat. et Z., quum olim *audiri* e Med. retinuissem, adscripta hac adnotatione: „cau-

titudo, ille non venit? Non, inquam. »Non vidisti igitur hominem?" inquies. Qui potui non videre, quum per emporium Puteolanorum iter facerem? in quo illum agentem aliquid, credo, salutavi, post etiam iussi valere, quum me exiens e sua villa numquid vellem rogasset. Hunc hominem parum gratum quisquam putet aut non in eo ipso laudandum, quod laudari non laborarit? 3. Sed redeo ad illud. Noli putare mihi aliam consolationem esse huius ingentis molestiae, nisi quod spero non longiorem annua fore: hoc me ita velle multi non credunt ex consuetudine aliorum; tu, qui scis, omnem diligentiam adhibebis, tum scilicet, quum id agi debebit. Quum ex Epiro redieris, de re publica scribas ad me velim, si quid erit quod odorere; nondum enim satis huc erat allatum quomodo Caesar ferret de auctoritate perscripta, eratque rumor de Transpadanis eos iussos IIIIviros creare. Quod si ita est, magnos motus timeo; sed aliquid ex Pompeio sciam.

sam agere apud me arbitrum. Audire est iudicum, audiri partium." I. F. Gron. Sed Ciceronem arbitrum in illa contioversia Rufionis et Vestorii fuisse nusquam traditur, et, ut Kl. recte vidit, si *audiri* verum esset, Cicero scripsisset *in eo laudandum,* non *in eo ipso l.* — *Non laboro* cum infin. construitur Verr. III, 127, plerumque, ut semper *laboro* sine negatione, cum *ut.* cf. Draegeri Synt. II p. 255.

§ 3. *quomodo Caesar ferret de auctoritate perscripta.* Auctoritas perscripta est senatus decretum, quod a tribunis prohibitum aliave ratione irritum, etsi SCti vim non habebat, perscribebatur tamen, ut illius consilii sententia appareret. H. l. est rogatio Marcelli cos. de Caesare e Gallia revocando, neve in consulatus petitione absentis ratio haberetur. Cf. Hofmanni disp. de orig. belli Caes. c. V. Quod ad constructionem attinet cf. ep. 8, lib. VI. *Numquid moleste fers de illo,* cet.

eos iussos IIIIviros creare ɔ: Transpadanos, qui ex lege Pompeia (a 665) ius Latii habebant, civitate donari. IIIIviri erant magistratus in municipiis. Iam antea illi de petenda civitate consilia agitaverant, Suet. Caes. 8, suamque iis operam Iulius Caesar promiserat. Praesentem rumorem de ea re vanum esse scribit Caelius ad Cic. Fam. VIII. 1, 2. Sed Caesar rem post biennium perfecit. Dio XLI, 36. Docte et accurate haec omnia exposuit Savignius in disp. de tabb. Heracleensibus, quae legitur in Diar. Iurisprud. histor. IX. 3, p. 300 seqq. Locum in quo versamur explicat p. 325, ubi tamen errore quodam hoc civitatis dandae consilium non ad Caesarem, sed ad Pompeium auctorem refertur. I. F. Gronovius negat Transpadanos cuiusquam iussu hoc fecisse, et suspicatur scribendum *ausos.* In re incerta nihil definio.

III. (*A. U. C.* 703.)

1. A. d. VI Id. Mai. veni in Trebulanum ad Pontium. Ibi mihi tuae litterae binae redditae sunt tertio abs te die; eodem autem exiens e Pompeiano Philotimo dederam ad te litteras, nec vero nunc erat

§ 1. *nec vero nunc erat sane quod scriberem* Relativum e Med. revocavit Wesenbergius Emend. p. 54, recte statuens interrogativum post formulas *non est, deest, nihil habeo* admitti non posse.

in oppidis, per quae iter faciebat Oppido-

sane quod scriberem. Qui de re publica rumores scribe quaeso; in oppidis enim summum video timorem, sed multa inania. Quid de his cogites et quando scire velim. 2. Ad quas litteras tibi rescribi velis nescio; nullas enim adhuc acceperam, praeter quae mihi binae simul in Trebulano redditae sunt, quarum alterae edictum P. Licinii habebant — erant autem Non. Mai. datae —, alterae rescriptae ad meas Minturnenses. Quam vereor, ne quid fuerit *σπουδαιότερον* in iis, quas non accepi, quibus rescribi vis. 3. Apud Lentulum ponam te in gratia. Dionysius nobis cordi est. Nicanor tuus operam mihi dat egregiam. Iam deest quod scribam, et lucet. Beneventum cogitabam hodie. Nostra continentia et diligentia † esse satis faciemus satis. A Pontio ex Trebulano a. d. v. Id. Mai.

rum nomen est generale, quo coloniae, municipia, praefecturae continentur.

Quid de his cogites et quando scire velim. „Cicero et quo Atticus proficisci cogitet quaerit et quando. Prior quaestionis pars latet sub illo *de his.* Mihi in mentem venerat *de villis,* Ussingio *de viis.*" Madv. A. C. III p. 175. In Cod. Rav. desunt *et quando.*

§ 2. *praeter quae mihi — redditae sunt. Praeter* non raro fungitur vice adverbii *praeterquam,* quo fit ut non semper accusativus sequatur. Exempla e multis scriptoribus congesserunt Gronovius ad Gell. N. A. I. 23 extr. Kritzius ad Sall. Cat. 36, 2.

edictum P. Licinii. Praeclare Manutius suspicatur agi de edicto quodam provinciali, sicut VI. 1, 15 Q. Mucii edictum Asiaticum citatur. Talia Cicero conquirebat, unde potiora capita in suum edictum transferret.

ad meas Minturnenses ɔ: ad eas litteras, quas Minturnis ad te dedi. Est epistola prima huius libri.

§ 3. *Apud Lentulum ponam te in gratia.* Semper Cicero scripsit *ponere in gratia,* ut in his epistt. V. 11, 6. VI. 1, 22. VI. 6, 4. Nolui igitur hoc uno loco in hac formula accusativum admittere, etsi ab aliis sic dictum esse videram. Caelius tamen Fam. VIII. 6, 4. si Mediceum, id est unicum testem, sequimur, scripsit quoque *ponito me in gratia.* Nimium in hac re codicibus tribuit Orellius ad Cic. de opt. gen. oratt. 17 edit. min. Cff. Hand. in Turs. III. p. 306 sq. et Madvig. ad Finn. V. 2, 5.

Nicanor. Attici servus. h. l. 20, 9.

Beneventum cet. Haec in codd. misere corrupta sunt. Habent enim Med. Torn. Hisp. Rav. *Beneventi cogitabam, hoc de nostra c. et d. esse satis faciemus satis a Pontio.* Priora recte restituta esse: *Beneventum cogitabam hodie,* e primis verbis epist. seq. apparet. Reliqua nondum sanata sunt. Graevii correctio, quam Schuetzius et Orellius I receperunt *Nostra cont. et dil. satisfaciemus cunctis* longius a litterarum ductibus recedit et improbanda est si, ut ille fecit, ad eos, qui erant in provincia, id est ad socios et publicanos haec respicere statuimus, de quibus, quum Ephesi esset, scripsit: *omnibus satisfaciemus,* infra 13, 1. Quare repudiamus quoque Kochii suspicionem (Mus. Rhen. XII. p. 270): *Nostra c. et d. sociis faciemus satis.* Immo haec non ad remotam provinciam pertinent, sed ad ea ipsa oppida, quae Cicero in itinere adiit. Quum igitur nunc Samnium ingressurus esset, puto scribendum esse: *Nostra continentia et diligentia ipsis Samnitibus faciemus satis.* (Cf. Brut. 21 *faciam vobis satis.* h. l. 18, 4 *faciam tamen satis*). Ludit, quasi infestissimi Romanorum hostes nondum veterem animi ferociam deposuissent. Wes. *esse satis* ex *ei civitati* factum esse coniecit. cf. Emend. alt. p. 102 sq.

IV. (*A. U. C.* 703).

1. Beneventum veni a. d. v. Id. Mai. Ibi accepi eas litteras, quas tu superioribus litteris significaveras te dedisse, ad quas ego eo ipso

die dederam ex Trebulano L. Pontii. Ac binas quidem tuas Beneventi accepi, quarum alteras Funisulanus multo mane mihi dedit, alteras scriba Tullius. Gratissima est mihi tua cura de illo meo primo et maximo mandato, sed tua profectio spem meam debilitat. † Ac me ille illud quidem labat, non quo, sed inopia cogimur eo contenti esse. De illo altero, quem scribis tibi visum esse non alienum, vereor adduci ut nostra possit, et tu ais δυςδιάγνωστον esse. Equidem sum facilis, sed tu aberis, et me absente † res habebis mirationem. Nam posset aliquid, si utervis nostrum adesset, agente Servilia Servio fieri probabile: nunc, si iam res placeat, agendi tamen viam non video. 2. Nunc venio ad illam epistolam, quam accepi a Tullio. De Marcello fecisti diligenter. Igitur, senatus consultum si erit factum, scribes ad me; sin minus, rem tamen conficies; mihi enim attribui oportebit,

§ 1. *eo ipso die* cum W. scripsi pro *ipso eo die.* Nam *ipse is,* quod Livio vindicavit Drak. ad II. 43, 4, consuetudini Ciceronis adversatur.

ex Trebulano L. Pontii. Pontio fuisse praenomen L. scimus ex VII. 2, 2. Retinui hic e Med., in quo est *L. Pontio.* Vulgo editur *a Pontio,* ut in subscriptione epist. praec.

scriba Tullius. Nominatur etiam Fam. V. 20 et Att. XIII. 22, 4.

Ac me ille, cet. Agitur de nova conditione Tulliae quaerenda. Verba obscura sunt, partim quia Cicero de hoc negotio plane scribere nolebat, partim culpa librariorum. Non multum lucis oritur ex comparatione eorum, quae de hac re VI. 1, 10 leguntur: *De Tullia mea tibi assentior scripsique ad eam et ad Terentiam, mihi placere. Tu enim ad me iam ante scripseras:* „ac vellem te in tuum veterem gregem retulisses." Tolerabilis sententia adest, si mihi conceditur verba sic mutare: *Alterum illum quidem laudare non queo, sed inopia cogimur eo contenti esse.* Quae ad Dolabellam sunt referenda. Conff. tamen etiam Wesenbergii Em. alt. p. 103, qui verba corrupta sic refinxit: *Ac mi ille quidem placet, non quo..., sed i. c.* cet. Pro *non quo* S. Brandt in Mus. Rhen. XXXVI p. 630 scribi volebat *non omnino.* In iis, quae sequuntur, magis mihi probatur Orellii coniectura: *sed et tu aberis et me absente quis habebit mei rationem?* quam id quod Kochius scribendum putabat: *me absente res habebit morationem.* In quo et inusitatum nomen *morationis* displicet, nec hoc ipsum convenit cum iis, quae deinde scribit: *agendi viam non video.* Kayseri — *res hăbebit mirationem,* quod W. recepit, ob easdem rationes improbamus. In II de Divin. 49 recte Bakius pro *in re nova mirationem facit* volebat *admirationem,* ut h. l. in cod. R. scriptum est.

agente Servilia. Serviliam in hac re aliquid egisse constat ex ep. 1, lib. VI. § 10. Itaque *Servilio,* ut est in codd., vere a Mureto aliisque substitutum hoc nomen putamus. Utrum *Servio* e dittographia ortum sit, an scribendum *de Servio F.,* non decerno. Illud tamen magis placet, quoniam Cicero in h. l. nominibus propriis plerumque abstinet.

si iam res placeat. Si iam est fere *etiamsi,* Belg. *zoo al.* Et sic saepius, ut Tusc. I. 50. IV. 65. ibid. 75 ubi verba *ut haec omittas* eandem sententiam continent, quae paullo ante inest in verbis: *si iam ipsa illa accusare nolis.* De *si etiam* dicam ad VIII. II D., 3.

§ 2. *De Marcello fecisti diligenter,* cet. Haec verba illustrantur iis, quae mox Brundisio scripsit ad Appium, Fam. III. 3, 1. Imminente enim bello Parthico senatores censebant in Italia supplementum scribendum esse legionibus Ciceronis et Bibuli, qui tum cum imperio Syriam obtinebat. Id quum Sulpicius consul passurum se negasset, Atticus videtur apud alterum consulem Marcellum amici rogatu operam dedisse, ut de ea re referretur. Cicero sperat fore ut supplementa scribantur, idque populo utilius esse censet; sin minus, sibi et Bibulo pecuniam attribuendam esse.

compendium ɔ: lucrum, quod ex retinendo

item Bibulo. Sed non dubito, quin senatus consultum expeditum sit, in quo praesertim sit compendium populi. De Torquato probe. De Masone et Ligure, quum venerint. De illo, quod Chaerippus — quoniam hic quoque *πρόςνευσιν* sustulisti; o provincia! etiamne hic mihi curandus est? curandus autem hactenus, ne quis ad senatum »consule" aut »numera." Nam de ceteris — sed tamen commode, quod cum Scrofa. De Pomptino, recte scribis; est enim ita, ut si ante Kalend. Iun. Brundisii futurus sit, minus urgendi fuerint M. Anneius et (L.) Tullius. 3. Quae de Sicinio audisti, ea mihi probantur, modo ne illa exceptio in aliquem incurrat bene de nobis meritum; sed considerabimus, rem enim probo. De nostro itinere, quum statuero, de quinque praefectis quid Pompeius facturus sit, quum ex ipso cognoro, faciam ut scias. De Oppio bene curasti, quod ei DCCC. exposuisti, idque, quoniam Philotimum habes, perfice et cognosce rationem, et, ut agam amplius, si me amas, prius quam proficiscaris, effice; magna me cura levaris. 4. Habes ad omnia; etsi paene praeterii

fit. Off. III. 63. *Se negat facturum compendii sui causa, quod non liceat.* Opp. *dispendium.*

De Torquato probe. Dixerat ei Atticus, quod iusserat Cicero h. l. ep. 1 extr.

De illo, quod Chaerippus. Sententiam longiore parenthesi interruptam instaurat illis: *sed tamen commode, quod cum Scrofa* sc. de illo locutus es. Chaerippus, homo Graecus, qui cum Q. Cicerone in Asia fuerat (ad Q. fr. I. 4, 14) videtur hoc tempore per Ciceronem aliquid impetrare in Asia voluisse. Hunc Cicero negligere non audebat, ne ille iratus aliquem e senatoribus ad impediendum SCtum excitaret. Verba satis expedita sunt. *πρόςνευσιν sustulisti* est non scripsisti, quid tibi placeat. *Curandus autem hactenus.* Solet *autem* etiam extra rogationem poni, ubi vocabulum cum vi repetitur. Exempla petere licet e Tursellino Handii I. p. 568. *Curare* est observare, colere. Cf. Plin. ep. I. 5, 15. *Ne quis* scripsi cum I. F. Gronovio. *Ne quid* rectum esset, si ipse Chaerippus in senatu illa *consule aut numera* clamare potuisset. Sed non poterat. Sunt enim illae voces senatoris, qui SCtum impedire vult. Vid. Festus p. 170. — *Nam de ceteris,* quos Chaerippus in me excitare posset, eos non multum curo.

M. Anneius. Nomen correctum est ex epistt. ad Fam. XIII. 55. XV. 4, ubi de varietate lectionis in codd. monuit Victorius in curis tertiis, p. 21 edit. Turic. a. 1840. Med. hic habet *Annium.* — Tullii praenomen L. a librariis hic omissum puto.

§ 3. *de Sicinio.* Malaspina haec ad edictum provinciale refert et ex sup. ep. § 2 *Licinio* legendum putat. Ego in re incerta *Sicinium* non removi.

quum statuero. Sic edidi ex certa emendatione Wesenbergii, Emend. p. 45 pro *quod statuero.*

de quinque praefectis. Cf. ep. 7 h. l.

De Oppio cet. Cf. ad ep. 1, 2 h. l.

cognosce rationem ɔ: vide quid debeam.

ut agam amplius. Haec suspecta Malaspinae, qui voc. *amplius,* quacunque ratione accipiatur, aptum esse negat. Itaque corrigit: *et, ut ne angar amplius — effice,* quod W. tam certum putat, ut recipiendum fuerit. At vero I. Fr. Gronovius (in Add. Graevii citatus) acute vulgatum tuetur explicans: „ut locupletior sim, ne sim in angustiis" laudatque versus e Plauti Sticho et Mercatore, in quibus *ampliter* dicitur pro *laute.*

§ 4. *mea captio est.* Orellius, qui in priore editione vett. editiones secutus dederat: *mea cautio est* ɔ: mihi cavendum est, ne tibi desit, recte revocavit hanc codd. lectionem a Malaspina copiose defensam. *Captio* est fraus et quod inde oritur damnum, ut apud

chartam tibi deesse; mea captio est, siquidem eius inopia minus multa ad me scribis. Tu vero aufer ducentos — etsi meam in eo parsimoniam huius paginae contractio significat — dum acta et rumores vel etiam, si qua certa habes de Caesare, exspecto. Litteras et aliis (et) Pomptino de omnibus rebus diligenter dabis.

Plaut. Most. III. 3, 19 *Ne quid captioni mihi sit.* Cf. Ernestus in Clavi s. v. Pareus in Lex. Crit. p. 172, Landgraf de Cic. elocutione p. 26.

dum acta et rumores cet. „Haec corrupta. *Dum acta et rumores* (scil. sunt) *vel etiam, si* Stinneri susp. Malim equidem: *Dudum acta et rumores* (scil. ex seqq. supplendum: exspecto) *vel etiam, si.*" Orellius „Scribendum: *Dumtaxat rumores — exspecto.* Saltem rumores perscribi vult, si certi nihil sit." Madv. A. C. III p. 175. Ego verbis aliter distinctis locum sanasse mihi videor. Ad imperativum *aufer* supple *a me. Ducentos* dicit scapos papyri, nisi potius cum W. scribendum est *ducentas* scil. chartas ex mea copia. *Acta* sunt, quae in urbe aguntur. Similis iocus de chartae penuria est in epistola ad Trebatium, Fam. VII. 18, 2. — Ultima sic scribenda censeo: *Litteras et aliis* (et) *Pomptino de omn. rebus diligenter dabis.* Med. *alias. diligentes* recte Ernestus in *diligenter* mutavit. cf. ep. 9, 2.

V. (*A. U. C.* 703.)

1. Plane deest quod scribam; nam nec quod mandem habeo — nihil enim praetermissum est —, nec quod narrem — novi enim nihil — nec iocandi locus est, ita me multa sollicitant. Tantum tamen scito, Idibus Mai. nos Venusia mane proficiscentes has dedisse; eo autem die credo aliquid actum in senatu. Sequantur igitur nos tuae litterae, quibus non modo res omnes sed etiam rumores cognoscamus: eas accipiemus Brundisii; ibi enim Pomptinum ad eam diem, quam tu scripsisti, exspectare consilium est. 2. Nos, Tarenti quos cum Pompeio διαλόγους de re publica habuerimus, ad te perscribemus, etsi id ipsum scire cupio, quod ad tempus recte ad te scribere possim, id est, quamdiu Romae futurus sis, ut aut quo dem posthac litteras sciam aut ne dem frustra. Sed antequam proficiscare, utique explicatum sit illud (de) HS. $\overline{\text{XX}}$. et $\overline{\text{DCCC}}$.: hoc velim in maximis

§ 1. *Plane deest quod scribam.* E Med. correctione aliis placet *nil est.* Sed illud propius abest a prima scriptura *id est.* Cf. ep. 3, 3. *Iam deest quod scribam,* et saepe alias. In proximis verbis pro *quid* scripsimus *quod mandem — quod narrem,* de Ernesti coni. probata Wesenbergio Emend. p. 55.

Pomptinum — exspectare consilium est. De constructione monuit Madv. Gr. Lat. § 442, adn. 2, Draeger, hist. Synt. §. 416, 7 f.

§ 2. *explicatum sit illud* (*de*) *HS.* $\overline{XX}$ *et* $\overline{DCCC}$. Explicare debitum s. nomen non minus usitatum est quam *expedire.* Cf. XIII. 29, 2 et 3. Agitur de Caesaris nomine, de quo vid. adnot. ad ep. 1, 2. HS. $\overline{\text{XX}}$, quae accedunt, ex faenore deberi suspicor. Cf. ep. 9, 2. VI. 1, 19. Inter *illud* et notam HS. cum Ern. *de* addidi.

quod — velle coepi. Haec de nomine Caesaris expediendo dicta accipio, quod Cicero

rebus et maxime necessariis habeas, ut, quod auctore te velle coepi, adiutore assequar.

tunc valde cupiebat. Nescio quid reconditi, quod ad rationes, quae Ciceroni erant cum Caesare et Pompeio, pertineret, his contineri iudicabat Wielandus, quem vide interpr. Germ. III. p. 141 sq.

VI. (*A. U. C.* 703.)

1. Tarentum veni a. d. xv. Kalend. Iun. Quod Pomptinum statueram exspectare, commodissimum duxi dies eos, quoad ille veniret, cum Pompeio consumere, eoque magis, quod ei gratum esse id videbam, qui etiam a me petierit ut secum et apud se essem quotidie: quod concessi libenter; multos enim eius praeclaros de re publica sermones accipiam, instruar etiam consiliis idoneis ad hoc nostrum negotium. 2. Sed ad te brevior in scribendo iam incipio fieri, dubitans Romaene sis an iam profectus: quod tamen quoad ignorabo, scribam aliquid potius, quam committam ut, tibi quum possint reddi a me litterae, non reddantur. Nec tamen iam habeo quod aut mandem tibi aut narrem: mandavi omnia quae quidem tu, ut polliceris, exhauries; narrabo, quum aliquid habebo novi. Illud tamen non desinam, dum adesse putabo, de Caesaris nomine rogare, ut confectum relinquas. Avide exspecto tuas litteras et maxime, ut norim tempus profectionis tuae.

§ 1. *ut secum et apud se essem* ɔ: ut cum ipso et in eius domo essem. Cf. ep. seq. *quum triduum cum Pompeio et apud Pompeium fuissem.*

§ 2. *Nec habeo quod aut mandem tibi aut narrem.* Quae seqq. *mandavi omnia* et *narrabo, quum aliquid habebo novi* liquido ostendunt verbis *nec habeo* h. l. non magis inesse dubitandi vim, quam in ep. 5, 1. Itaque *quid* e Med. mutandum erat in *quod.* Vid. Wesenb. l. c.

VII. (*A. U. C.* 703.)

Quotidie vel potius in dies singulos breviores litteras ad te mitto; quotidie enim magis suspicor te in Epirum iam profectum. Sed tamen,

Quotidie vel potius in dies singulos breviores cet. Acute Laur. Valla Eleg. III. 68 observat, quando comparativo vel verbo, quod augendi vim habet, additur *in dies singulos* vel etiam *in dies* (vid. Att. VI. 2, 10. Fam. II. 18, 1), significari res quovis die auctas. Intelligitur ergo aliquid interesse inter utramque dictionem. Quod quale sit recte expressit Handius in Turs. III. p. 342, qui haec verba ita describit: „Litterae, quas ad te quotidie mitto non modo breviores sunt quam olim, sed cum unoquoque die breviores fiunt." In fragmentis Labeonis et Ulpiani Dig. XXXIII. l. l. 17, 1 et 6 l. 13, in quibus heres iubetur *quotannis in annos singulos* vinum legatario dare ex accurate

ut mandatum scias me curasse, † quod ante, ait se Pompeius quinos praefectos delaturum novos vacationes iudiciariam causam. Ego quum triduum cum Pompeio et apud Pompeium fuissem, proficiscebar Brundisium a. d. XIII. Kal. Iunias; civem illum egregium relinquebam et ad haec, quae timentur, propulsanda paratissimum. Tuas litteras exspectabo, quum ut quid agas, tum ut ubi sis sciam.

scribendi voluntate pleonasmus excusandus est. Quae autem leguntur Att. V. 9, 3 *Dionysium semper — dilexi, sed quotidie pluris facio.* Fam. III. 4, 2. Phil. I. 2, 5 *quum quotidie magis magisque perditi homines minarentur* et similia discrimen, quod grammatici inter *quotidie* et *in dies* esse statuunt, non convellunt.

ut mandatum — iudiciariam causam. Redit ad id, de quo ep. 4, 4 scripserat: *de quinque praefectis quid Pompeius facturus sit, quum ex ipso cognoro, faciam ut scias.* Sed quae de hac re nunc amico nuntiat tam corrupta sunt, vix ut, quid ex Pompeio cognoverit, appareat. Nihil lucis affert cod. R., in quo haec ita scripta sunt: *ad se P. quinos profectos delaturus erat in novae vacationis i. c.* Singula ordine persequar. *Quod ante* Med., *quot* editores post Victorium. Refero ad *mandatum* et cum Franckenio scribendum censeo: *quo de ante*, usitata praepositionis post pron. relat. collocatione, quam exemplis Ciceronis pluribus demonstravit Menckenius in Obss. lat. ling. p. 208. In apodosi haec sunt: *ait se Pompeius quinos praefectos delaturum.* In his distributivum recte poni adversus Ernestum defendo. Indicat enim Pompeium in utraque Hispania, quas ille post tertium consulatum provincias obtinuerat, quinque novos praefectos facere velle. *Deferre praefectum* non est, ut Corradus putabat, beneficii causa ad aerarium deferre, quod neque nunc fieri poterat, quum nihil egissent, neque a Pompeio sed a Cicerone fieri debebat, si iudicaret eos bene de repub. esse meritos. Vid. Cic. Fam. V. 20, 7. Arch. 5. Balb. 63. Nihil aliud esse, quam designare s. facere praefectos apparet e verbis ep. 11, 6: *in praefectis — quos voles, deferto.* Quae sequuntur *novos vacationes iudiciariam causam* praeclare correxit Madvigius in disp. de praefectis (Revue de Philologie II p. 177): *novos vacationis iudiciariae causa.* Itaque novi illi quinque praefecti a Pompeio eo tantum consilio designabuntur, ut vacationem a iudicandi munere obtineant. Libenter multos hac vacatione usos fuisse apparet e Cic. Bruto 117 et, si altero teste opus est, e Plinii ep. X. 67.

civem — paratissimum. Cf. Fam. II. 8, 2, quas litteras eodem anno pridie Non. Quint. Athenis ad M. Caelium dedit: *Tantum habeto civem egregium esse Pompeium et ad omnia, quae providenda sunt in re publica, et animo et consilio paratum.*

VIII. (*A. U. C.* 703.)

1. Me et incommoda valetudo, e qua iam emerseram, utpote quum sine febri laborassem, et Pomptini exspectatio, de quo adhuc ne rumor quidem venerat, tenebat duodecimum iam diem Brundisii, sed cursum exspectabamus. 2. Tu si modo es Romae — vix enim puto —:

§ 1. *qua iam emerseram.* Sine dubio recte Cratander edidit *e qua*, quod sic semper in hoc verbo Tullius. Cf. h. l. 10, 3. Quare etiam in fragm. orat. in Clod. et Curion. p. 152 Or. pro *ut ille iudicio tanquam e naufragio nudus emersit* Halmius correxit: *ut illo e iudicio — emersit.* At in verbis ep. 2, VI ad Att. *Hac autem re incredibile est quantum civitates emerserint* ablativus indicat, qua re factum sit, ut civitates ex inopia emerserint.

cursum ɔ: navigandi facultatem, ut vocat Fam. III. 3 extr. cf. VIII. 3, 5.

§ 2. De eadem re haec legimus in epist. Caelii eodem mense, ut videtur, scripta,

sin es, hoc vehementer animadvertas velim. Roma acceperam litteras Milonem meum queri per litteras iniuriam meam, quod Philotimus socius esset in bonis suis. Id ego ita fieri volui de C. Duronii sententia, quem et amicissimum Miloni perspexeram et talem virum, qualem tu iudicas, cognoram. Eius autem consilium meumque hoc fuerat, primum ut in potestate nostra esset res, ne illum malus emptor alienus mancipiis, quae permulta secum habet, spoliaret, deinde, ut Faustae, cui cautum ille esse voluisset, ratum esset; erat etiam illud, ut ipsi nos, si quid servari posset, quam facillime servaremus. 3. Nunc rem totam perspicias velim — nobis enim scribuntur saepe maiora —: si ille queritur, si scribit ad amicos, si idem Fausta vult, Philotimus, ut ego ei coram dixeram mihique ille receperat, ne sit invito Milone in bonis — nihil nobis fuerat tanti —; sin haec leviora sunt, tu iudicabis, loquere cum Duronio. Scripsi etiam ad Camillum, ad Lamiam, eoque magis, quod non confidebam Romae te esse. Summa erit haec: statues, ut ex fide fama reque mea videbitur.

Fam. VIII. 3, 2: *Quod ad Philotimi liberti officium et bona Milonis attinet, dedimus operam, ut et Philotimus quam honestissime Miloni absenti eiusque necessariis satisfaceret et secundum eius fidem et sedulitatem existimatio tua conservaretur.* — *Sin es* etsi sine sententlae damno omitti potest, tamen in R. negligentia librarii omissum est.

ne — mancipiis — spoliaret. Emptor bonorum poterat uti hoc argumento servos in damnum creditorum a Milone Massiliam fuisse abductos. Nam I. F. Gronovii interpretatio verborum *quae secum habet*, de iis mancipiis, quae Milo domi suae Romae reliquisset, non potest probari.

Faustae, Sullae filiae, quam Milo uxorem duxerat. Vid. Bentl. ad Hor. Sat. I. 2, 64. Ei Milo de dote cautum volebat.

§ 3. *maiora* sc. veris. Opponuntur *leviora* ɔ: non tam magna et gravia, quam nuntiatum erat.

nihil nobis fuerat tanti ɔ: tum, quum res acta est, totum negotium non curaveram nec animadverteram, ut explicat Madvigius O. A. II. p. 190, quo loco docte vim illius formulae *tanti esse* aut *non esse* exposuit. Cf. eiusdem Grammatica Latina § 317, adn. 5.

ad Camillum, hominem iuris praediatorii peritissimum, cuius in epistolis saepe mentio fit. — *ad Lamiam.* Videtur hic esse L. ille Aelius Lamia, quem A. Gabinius consul ex urbe relegarat.

IX. (*A. U. C.* 703.)

1. Actium venimus a. d. XVII. Kal. Quint., quum quidem et Corcyrae et Sybotis muneribus tuis, quae et Araus et meus amicus Eutychides opipare et φιλοπροσηνέστατα nobis congesserant, epulati essemus Saliarem in modum. Actio maluimus iter facere pedibus, (ut)

§ 1. *Sybotis.* Parvae insulae in freto, quod insulam Corcyram ab Epiro dividit, Sybota appellabantur. Thuc. I. 47.

meus amicus Eutychides. Cf. IV. 15, 1.

Saliarem in modum ɔ: opipare, quod vocabulum vereor ne ex glossemate ad haec verba in praecedentem versum irrepserit. *Saliares dapes* notae sunt ex Horatii Carm.

qui incommodissime navigassemus, et Leucatam flectere molestum videbatur, actuariis autem minutis Patras accedere sine his impedimentis non satis visum est decorum. Ego, ut saepe tu me currentem hortatus es, quotidie meditor, praecipio meis, faciam denique, ut summa modestia et summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus. Parthus velim quiescat et fortuna nos iuvet; (nos) nostra praestabimus. 2. Tu, quaeso, quid agas, ubi quoque tempore futurus sis, quales res nostras Romae reliqueris, maxime de $\overline{\text{XX}}$. et $\overline{\text{DCCC}}$., cura ut sciamus; id unis diligenter litteris datis, quae ad me utique perferantur, consequere. Illud tamen, quoniam nunc abes, quum id non agitur, aderis autem ad tempus, ut mihi rescripsisti, memento curare per te et per omnes nostros, in primis per Hortensium, ut annus noster maneat suo statu, ne quid novi decernatur; hoc tibi ita mando, ut dubitem an etiam te rogem, ut pugnes ne intercaletur. Sed non audeo tibi omnia onera imponere: annum quidem utique teneto. 3. Cicero meus, modestissimus et suavissimus puer, tibi salutem dicit. Dionysium semper equidem, ut scis, dilexi, sed quotidie pluris facio, et mehercule imprimis, quod te amat nec tui mentionem intermitti sinit.

I. 37. Abierunt in proverbium. Cf. Appul. Metam. IX. p. 636. Oudend. et Symmach. I. 17.

iter facere pedibus ɔ: terrestre iter. Cf. ad III. 8, 1. Ante *qui* adieci *ut* de Siesbyi Dani coniectura qui in Opusc. philol. ad Madvigium missis p. 240 h. l. attigit.

Leucatam flectere molestum videbatur. Nam, ut scribit de Divin. II. 94, *qui navigant in flectendis promunturiis ventorum mutationes maximas saepe sentiunt.* Turnebus Advers. XVI. 6 comparavit κάμπτειν ἄκραν, unde Ennius in X annali dixit *Leucatam campsant.*

sine his impedimentis. „Lictoribus et aliis rebus, quae ad pompam proconsulis pertinebant." Ernest.

ut — munus hoc — traducamus ɔ: ut munere nobis molesto defungamur; *extraordinarium* appellat, quia provinciam non statim post consulatum susceperat.

(nos) nostra praestabimus. Pronomen personale adieci de Casauboni suspicione.

§ 2. *utique.* Habet particula vim restrictivam, ut non multum distet a *certe, saltem.* Saepius vel sola, vel *quidem* adiecto (ut mox *annum quidem utique teneto.* Cf. V. 1, 2) in votis declarandis usurpatur.

ut — maneat suo statu „Omittitur *in.* Sic esse *hoc statu.* Liv. XXII. 22 *ignorantem monet, quo statu sit res.* XXVI. 28 *quo statu Macedonia esset.*" Gronovius, qui ad locos citatos alia attulit, velut Cic. Fam. XV. 20: *ut existimare possimus, quo statu simus.*

ne intercaletur. Saepe hoc inculcat, ut ep. 13, 3. 21. 14. Anno superiori etiam vota fecerat, ne intercalaretur, ut quam primum M. Marium videre posset, Fam. VII. 2 extr. Ante annum enim 708, quo Iulius Caesar annum civilem ad solis cursum revocavit, intercalandi ratio pontificum arbitrio permissa erat, ut docent Censorinus, c. 20 et Plut. Caes. 59. Cf. de Legg. II. 29. et Th. Mommsen, die römische Chronologie bis auf Caesar, p. 41 seq.

X. (*A. U. C.* 703.)

1. Ut Athenas a. d. VII. Kal. Quintiles veneram, exspectabam ibi iam quartum diem Pomptinum, neque de eius adventu certi quicquam habebam, eram autem totus, crede mihi, tecum et quamquam sine iis per me ipse, tamen acrius vestigiis tuis monitus de te cogitabam: quid quaeris? non mehercule alius ullus sermo nisi de te. 2. Sed tu aliquid de me ipso scire fortasse mavis. Haec sunt: adhuc sumptus nec in me aut publice aut privatim nec in quemquam comitum; accipitur lege Iulia nihil ab hospite; persuasum est omnibus meis serviendum esse famae meae. Belle adhuc. Hoc animadversum Graecorum laude et multo sermone celebratur; quod superest, elaboratur in hoc a me, sicut tibi sensi placere; sed haec tum laudemus, quum erunt perorata. 3. Reliqua sunt eiusmodi, ut meum consilium saepe reprehendam, quod non aliqua ratione ex hoc negotio emerserim. O rem minime aptam meis moribus! o illud verum ἔρδοι τις! Dices: »Quid adhuc? nondum enim in negotio versaris." † Nescio et puto molestiora restare; etsi haec ipsa fero equidem fronte et vultu bellis, sed angor intimis sensibus; ita multa vel iracunde vel insolenter vel in omni genere stulte, insulse, arroganter et dicuntur et tacentur quoti-

§ 1. *a. d. VII Kal. Quint.* Ex ep. seq.
§ 4. Manutius numerum in codd. corruptum (XV M. XVI R.) correxit. W. erravit VI edens.

sine iis ɔ: vestigiis tuis; non intelligendum de Athenis, ut volebat Ernestus.

§ 2. *nec in me nec in quemquam comitum aut publice aut privatim.* Hoc ordine haec ponuntur in cod. R, ex quo recepi *accipitur lege I. nihil ab hospite.* Vulgo e M. scribitur: *nihil accipitur l. I., nihil ab hospite,* male *nihil* bis posito.

lege Iulia. Caput de sumptu in proconsules eorumque comites faciendo ad legem Iuliam de repetundis referendum est. Rursus memoratur in his epp. V. 16. 3. 21, 5. in Pison. 90.

serviendum esse famae meae ɔ: id agendum, ut ego propter illos bene audiam. cf. ep. 11, 5 *serviunt existimationi meae* et adnot. ad XII. 31, 2.

laudemus. Fortasse praestat *laudabimus,* ut est in Rav.

§ 3. ἔρδοι τις, ex Aristophanis Vesp. v. 1431 supplendum ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην, quod Graecorum proverbium Cicero Tusc. I. 41 interpretatur: *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.* Horat. Ep. I. 14, 44 *Quam scit uterque, libens censebo exerceat artem.*

Quid adhuc? ɔ: quid ad hunc usque diem accidit, quo te provincia offendat, in qua ne versaris quidem? Ad quae Cicero prorsus inepte responderet: *Nescio et puto molestiora restare,* quum ipse addat se moleste ferre, quod tam multa insolenter et insulse dicantur. Klotz edidit: *scio.* Probabilior est correctio Kahntii, Symb. Crit. p. 7 *sane scio* in *nescio* latere suspicantis.

fronte et vultu bellis. Codd. scriptura *ut puto et volo* inepta est. In antiquis editt. legitur *vultu* (*voltu*). *ut puto* cum W. delevi. Adi. *bellis* e Med. restitui, quum nulla iusta causa adsit, cur pro eo *bellissime* aut *bellissimo* (Kl.) aut *bellissimis,* ut ante edidi, scribatur.

et dicuntur et tacentur „a comitibus meis. — Ut de uxore difficili dicere solemus, eam neque loqui, neque tacere, quum oporteat." Man. Vide tamen an Cicero scripserit: *di-*

die; quae non quo te celem non perscribo, sed quia † *δυςεκίλλητα* sunt. Itaque admirabere meam *βαθύτητα,* quum salvi redierimus; tanta mihi *μελέτη* huius virtutis datur. 4. Ergo haec quoque hactenus, etsi mihi nihil erat propositum ad scribendum, quia quid ageres, ubi terrarum esses ne suspicabar quidem, nec hercule unquam tam diu ignarus rerum mearum fui, quid de Caesaris, quid de Milonis nominibus actum sit, ac non modo nemo domo sed ne Roma quidem quisquam **, ut sciremus in re publica quid ageretur. Quare si quid erit quod scias de iis rebus, quas putabis scire me velle, per mihi gratum erit, si id curaris ad me perferendum. 5. Quid est praeterea? nihil sane nisi illud: valde me Athenae delectarunt urbe dumtaxat et urbis ornamento et hominum amore in te, in nos quadam benevolentia, sed multum † ea philosophia sursum deorsum, si quidem est in Aristo, apud quem eram; nam Xenonem tuum vel nostrum potius Quinto concesseram, et tamen propter vicinitatem totos dies simul eramus. Tu velim, quum primum poteris, tua consilia ad me scribas,

cuntur et aguntur. Nam adverbia illa *stulte* (ut Kl. e cod. C scripsit pro *stultitiae*, ego e R. recepi), *insulse, arroganter* non optime congruunt cum *tacendi* verbo.

δυςεξίλλητα ɔ: explicatu difficilia, a. v. ἐξίλλω. Idem indicaret δυςεξέλικτα, quod Or. malebat. Utroque melius videtur δυςεκλάλητα, ut Turnebus coniecit Advers. XXVIII, 27.

βαθύτητα. Vid. ad IV. 6, 3.

§ 4. *Ergo haec quoque hactenus, etsi mihi nihil erat propositum ad scribendum,* cet. Distinctione mutata effeci, ne oratio esset ἀνακόλουθος. Sententia est: Ut iam nunc intelligas meam βαθύτητα, de his rebus plura non dicam, etsi nihil habeo quod scribam, cet. Schuetzius loci nexum perspexit.

ac non modo — quisquam ** In codd. *modo* pro *domo* scriptum et *sed* ante *ne* omissum est. In Rav. omittitur *ac* et pro *domo* scriptum est *denunciat.* Locum correxit Madvigius Adv. crit. II, 235. Wes. Emend. alt. p. 104 recte post *quisquam* verbum desiderat *curavit.*

§ 5. *valde me Athenae — benevolentia.* In his scribendis longe recessi a priore editione, secutus Kl. et W., qui modice a codd. ductibus discesserant. Ad locutionem *Athenae me delectarunt urbe* illustrandam W. usus est iis, quae leguntur VI. 1, 26 *Equidem valde ipsas Athenas amo. Urbis ornamentum* vocat quicquid urbem ornat eique decus addit.

sed multum ea philosophia sursum deorsum. „Latet sine dubio in *ea* verbum aliquod, quo cum *sursum deorsum* iuncto reprehenditur Attica, quae tum erat, philosophia, ut *commeat.* Ipsum *sed* declarat Ciceronem aliquid posuisse superioribus Athenarum laudibus contrarium." Wes. Emend. alt. p. 104. *Sursum deorsum* respondet Gr. ἄνω κάτω, quod e ficto Bosii codice huc irrepsit. De ea locutione vid. Stalbaumius ad Plat. Gorgiam p. 481 D. Boeckh. ad Simonis dial., p. XVIII. Indicatur philosophorum perversitas, qui nullam certam in disputando rationem sequebantur. cf. XIII. 25, 3 *O Academiam volaticam et sui similem, modo huc, modo illuc.*

in Aristo. Aristum Antiochi fratrem, veteris Academiae heredem, Cicero hospitem et familiarem suum vocat in Brut. 332.

Xenonem. Saepius hic memoratur in epistolis. vid. Onom. Tull. in hoc nomine, locisque citatis add. Att. XV. 21, 2. XVI. 1, 5 et 3, 2. Non male ex iis, quae de eo leguntur XVI, 1, 5., Mongaltius suspicatur eum Attici negotia Athenis curasse. Xenonem igitur nunc nominat pro Xenonis aedibus redditque Attico rationem, cur non sit apud eum.

Tu velim — scribas. Quum neque *iunctim,* quod in cod. Z. erat, neque *invicem* in aliis repertum, probari posset, in priore editione *tu velim* extricari debere e Med. *invecim* monui, idque a Kl. et Wes. probari et Ci-

ut sciam quid agas, ubi quoque tempore, maxime quando Romae futurus sis.

ceroni redditum esse libenter nunc video. Cf. ep. 11, 7 *Tu velim Piliam meis verbis consolere.* Ep. 14, 3 *Tu velim — scribas ad me omnia.* Ep. 20, 10 *Tu velim — des operam,* ne notissimae formulae plura exempla afferam.

XI. (*A. U. C.* 703.)

1. Hui, totiesne me litteras dedisse Romam, quum ad te nullas darem? At vero posthac frustra potius dabo quam, si recte dari potuerint, committam ut non dem. Ne provincia nobis prorogetur, per fortunas! dum ades, quidquid provideri potest, provide: non dici potest, quam flagrem desiderio urbis, quam vix harum rerum insulsitatem feram. 2. Marcellus foede de Comensi; etsi ille magistratum non gesserit, erat tamen Transpadanus. Ita mihi videtur non minus stomachi nostro (quam) Caesari fecisse; sed hoc ipse viderit. 3. Pompeius mihi quoque videbatur, quod scribis Varronem dicere, in Hispaniam certe iturus: id ego minime probabam, qui quidem Theophani facile persuasi nihil esse melius quam illum nusquam discedere: ergo Graecus incumbet, valet autem auctoritas eius apud illum plurimum.

§ 2. *Marcellus foede de Comensi,* cet. Rem accurate narrat Appianus, de bell. civil. II. 26, his verbis: Πόλιν δὲ Νεόκωμον ὁ Καῖσαρ ἐς Λατίου δίκαιον (ius Latii Transpadanis iam a. 665 concessum — vid. ad ep. 2, 3 h. l. — Novocomensibus, coloniae a. 695 rogatione Vatinia a se deductae (Suet. Caes. 28) extra ordinem concesserat, ut eodem, quo ceteri Transpadani iure essent. Vid. Savignii disp. laud. IX. 3, p. 312) ἐπι τῶν Ἄλπεων ᾤκίκει. ὧν ὅσοι κατ' ἔτος ἦρχον, ἐγίγνοντο Ῥωμαίων πολῖται· τόδε γὰρ ἰσχύει τὸ Λάτιον. Τῶν οὖν Νεοκώμων τινὰ ἄρχοντά τε αὐτοῖς γενόμενον καὶ παρὰ τοῦτο Ῥωμαῖον εἶναι νομιζόμενον ὁ Μάρκελλος ἐφ' ὕβρει τοῦ Καίσαρος ἔξηνε ῥάβδοις ἐφ' ὅτῳ δὴ (ɔ: nescio quam ob culpam), οὐ πασχόντων τοῦτο Ῥωμαίων (vetabat enim lex Porcia pro tergo civium lata), καὶ τὸν νοῦν ὑπ' ὀργῆς ἀνεκάλυπτε, τὰς πληγὰς εἶναι ξενίας σύμβολον, καὶ φέρειν αὐτὰς ἐκέλευε καὶ δεικνύναι τῷ Καίσαρι· οὕτω μὲν ὑβριστικῶς ὁ Μάρκελλος. Plutarchus quoque Comensem vocat ἕνα των ἐκεῖ βουλευτῶν, in Caes. 29. cf. A. W. Zumptii Comm. epigr. I p. 308 sqq. Ab his non dissentiet Cicero, dummodo retineamus Mss. lectionem *gesserit:* nam coniunctivus perfecti temporis cum *etsi* recte coniungitur ad indicandum id, quod tantum fieri potuisse cogitetur. cf. Handii Turs. II. p. 607 sq. Itaque Cicero dicit: „etsi nescio,. utrum ille gerendo magistratum civitatem adeptus sit necne, erat tamen Latinus."

nostro ɔ: Cn. Pompeio, cuius pater Transpadanos iure Latii donaverat. Quantopere autem talis iniusta saevitia Caesari displicuerit, vel inde apparet, quod is C. Pisonem in iudicio repetundarum oppugnavit propter cuiusdam Transpadani supplicium iniustum. Sal. Cat. 49, 2. *nostro Caesari* codd. scripti, quomodo Pompeium posse designari Manutius falso putabat, neque probabilis Zumptii coniectura *nostro Gnaeo* esse legendum. Vulgo editur: *nostro ac Caesari* contra usum Tullianum. cf. adnot. mea ad XIII. 2, 3. Recte Malaspina inseruit *quam.*

§ 3. *in Hispaniam certe* „si non in aliam provinciam, tamen in Hispaniam." Ern.

4. Ego has pridie Nonas Quint. proficiscens Athenis dedi, quum ibi decem ipsos fuissem dies. Venerat Pomptinus, una Cn. Volusius, aderat quaestor, tuus unus Tullius aberat. *Ἄφρακτα* Rhodiorum et *δίκροτα* Mitylenaeorum habebam et aliquid *ἐπικώπων*. De Parthis erat silentium. Quod superest, dii iuvent! 5. Nos adhuc iter per Graeciam summa cum admiratione fecimus, nec mehercule habeo, quod adhuc quem accusem meorum: videntur mihi nosse nostram causam et conditionem profectionis suae, plane serviunt existimationi meae. Quod superest, si verum illud est *οἵαπερ ἡ δέσποινα*, certe permanebunt; nihil enim a me fieri ita videbunt, ut sibi sit delinquendi locus: sin id parum profuerit, fiet aliquid a nobis severius; nam adhuc lenitate dulces sumus et, ut spero, proficimus aliquantum. Sed ego hanc, ut Siculi dicunt, *ἀνεξίαν* in unum annum meditatus sum; proinde pugna ne, si quid prorogatum sit, turpis inveniar. 6. Nunc redeo ad ea, quae mihi mandas: † in praefectis excusatio iis, quos voles, deferto; non ero tam *μετέωρος*, quam in Appuleio

§ 4. *Cn. Volusius.* Inter comites Ciceronis in provincia memoratur Q. Volusius, h. l. ep. 21, 6, eiusdemque mentionem facit Vatinius, Fam. V. 10, 2. Merito Corradus putabat praenomen h. l. corruptum esse.

tuus unus T. aberat. Sic ep. 14, 2 scribit: *Omnes iam nostri praeter Tullium tuum venerunt.* Idem nominatur V. 4, 2 et 21, 5. Fam. XV. 4, 8.

ἄφρακτα (ep. 12, 1. X. 11, 4) sunt naves non constratae, quas scriptor de bello Alex. 11 *apertas* vocat; δίκροτα (Att. XVI. 4, 4) biremes. *Et aliquid* ἐπικώπων, ut emendavit I. F. Gron. ɔ: *et aliquot naves actuarias.* Cf. Gellius X. 25. ἐπίκωποι sunt omnes, quae remis aguntur, itaque etiam δίκροτα, sed proprie sic vocabantur naves, quibus homines transvehebantur, ἐπιβάτιδες. Cf. XIV. 16, 1. Proprius ad cod. Med., in quo ΕΠΙΚΟΝΔΕΙ legitur, Peerlkampius scribi volebat: — δίκροτα *Mitylenaeorum habebam aliquot.* Ἔπειγον ἀεί ɔ: semper incitabam remiges.

§ 5. *nec m. habeo, quod adhuc quem accusem meorum. quem* pro *quemquam* recte poni in huiusmodi sententiis docuit Madv. ad Fin. p. 466.

videntur mihi nosse nostram causam et conditionem profectionis suae. Vocabulum *nos* inter *nosse* et *nostram* in codd. positum delevi, quum propterea quod ei in altero membro *se* opponi debuerat, tum quia in trimembri oratione copula ante ultimam vocem omitti solet. cf. Madv. ad Fin. p. 553.

οἵαπερ ἡ δέσποινα. Schol, Plat. ad VIII de Rep. p. 563 C. plenum proverbium affert, οἵαπερ ἡ δέσποινα, τοία χἠ κύων.

ut singuli dicunt ἀνεξίαν Med. I. F. Gronovius pro inepto *singuli* pulcre coniecit *Siculi.* Voc. ἀνεξία, quod recte ab ἀνέχεσθαι derivatur, potuit Siculis idem esse, quod reliquis Graecis ἀνεξικακία, *patientia, tolerantia.* Nam Siculi Graece loquebantur, sed non pure. Cf. Cic. divin. in Caec. 39, et Plautus in Persa III. 1, 67 sq., qui logos Atticos opponit Siculis,

§ 6. † *in praefectis excusatio iis, quos voles, deferto.* Ita Med. Editorum explicationes et correctiones excussi nec inveni, quod satis placet. Ceteris praefero I. F. Gronovii: „*in praefectis negotiator ne sit, quos* (vel *quot*) *voles, deferto.* Cf. h. l. 21, 10. VI. 1, 4 et 5." Nam quod Madvigius in disp. de praefectis p. 185 l.l. proposuit: *in praefectis excusandis, quos voles, deferto* minus a cod. recedit, sed subobscure dictum est. Mihi in mentem venit: *Nunc redeo ad ea, quae mihi mandasti: in praefectis excusatio erit; quos voles, deferto,* sed id non potest stare, nisi excusatio habet vim immunitatis. Atticus videtur in provincia Ciceronis pro aliquo amico praefecturam petere voluisse et rogasse Ciceronem qua conditione praefecti essent.

fui. Xenonem tam diligo quam tu; quod ipsum sentire certo scio. Apud Patronem et reliquos barones te in maxima gratia posui, et hercule merito tuo feci; nam mihi is † ter dixit te scripsisse ad se mihi ex illius litteris rem illam curae fuisse, quod ei pergratum erat. Sed quum Patro mecum egisset, ut peterem a vestro Ariopago ὑπομνηματισμὸν tollerent, quem Polycharmo praetore fecerant, commodius visum est et Xenoni et post ipsi Patroni me ad Memmium scribere, qui pridie, quam ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat, ut is ad suos scriberet posse id sua voluntate fieri; non enim dubitabat Xeno, quin ab Ariopagitis invito Memmio impetrari non posset. Memmius autem aedificandi consilium abiecerat, sed erat Patroni iratus. Itaque scripsi ad eum accurate, cuius epistolae misi ad te exemplum. 7. Tu velim Piliam meis verbis consolere: indicabo enim tibi, tu illi nihil dixeris. Accepi fasciculum, in quo erat epistola Piliae; abstuli, aperui, legi; valde scripta est συμπαθῶς. Brundisio quae tibi epistolae redditae sunt sine mea, tum videlicet datae sunt, quum ego me

non ero tam μετέωρος ɔ: incertus quid agam, dubius. De quo Appuleio sermo sit quaerere non vacat.

barones ɔ: homines stolidos, quos alii stipites dicunt. Iocans ita vocat Epicureos, ut ad Fam. IX. 26. De nominis scriptura (*baro — varo*) et vi accurate disputavit O. Iahnius ad Persii Sat. V. 138 in adnot. crit. et in comm. p. 203. Cf. quoque Scholion ad c. 1. p. 335. Miras nominis interpretationes omitto, quas collegit I. Rutgersius Lect. Venus. cap. 23, qui h. l. negat Epicureos contumelioso nomine appellari potuisse et emendare se eleganter putabat: *Apud Patronem et reliquos Patrones*. Ego vero nihil mutandum puto. Cf. quoque Fin. II. 77.

nam mihi is ter dixit te scripsisse ad se. Verba in codd. leviter corrupta olim sic emendavi: *Nam mihi is te dixit rescripsisse ad se* cet. Sed fateor magis mihi nunc probari hanc Meutzneri emendationem: *Nam mihi ista dixi te scripsisse atque mihi ex illis litteris rem illam curae fuisse;* neque plane displicere id quod Reyndersio, discipulo meo in mentem venit: *nam mihi bis terve dixit te scripsisse* cet.

Patro Ciceronis est, non *Patron*, ut edebatur ante W. cf. VII, 2, 4 et 5.

ὑπομνηματισμόν. Ita Ariopagitae vocabant decreta sua. Hoc decreto, Polycharmo archonte facto, C. Memmius acceperat partem aedium Epicuri, quam diruere inque eius locum novas aedes strucre volebat. Patro, qui post Phaedri mortem disciplinae Epicureae quasi princeps erat, vehementer cupiebat et per Atticum agebat, ut illud decretum abrogaretur. Cf. epistola, quam Cicero de hoc negotio ad Memmium misit, Fam. XIII. 1.

§ 7. *meis verbis.* Vulgo explicant *meo nomine.* Perperam; nam statim Atticum vetat, ne Piliae dicat eius aegritudinem sibi notam esse. *Mea verba* vocat, quibus ipse in consolando uti solebat. Videtur autem epistolam Piliae, alii destinatam, aperuisse, quae animi commoti signa continebat. Aegritudinis causam ignoramus. Sed est aliquid offensionis in v. *abstuli,* quod malitiae notionem habet. In cod. Med. et Hisp. scriptum est *attuli.* Num forte legendum: *ad Tulliam?*

συμπαθῶς. Si Pilia dolorem suum alii significabat, eius συμπάθειαν movebat, ipsa vero non erat συμπαθής, sed ἐμπαθής et scribebat ἐμπαθῶς. Ita corrigendum censeo.

tum videlicet datae sunt. Olim revocavi Med. scripturam *datas,* existimans Ciceronem antiqua constructione usum esse, qua accusativus regitur a verbo *videre,* quod in *videlicet* continetur. Id Gronovio et Graevio quoque

non belle haberem; nam illam † νομαναρία me excusationem ne acceperis. Cura ut omnia sciam, sed maxime ut valeas.

placuerat. Sed quum nusquam ita scripsisse videatur, nunc redii ad Ernesti coniecturam *datae sunt.*

† νομαναρία *me excusationem.* Posuit Cicero, opinor, aliquam vocem Graecam, quae vulgarem, usitatam occupationum excusationem indicaret. Itaque libentius concesserim Klotzio scribendum esse *nam illam* νομαίαν αἰτίαν *excusationem ne acceperis,* quam quod Muecke in disp. laud. p. 4 excogitavit: *nam illam* μονὴν Ἀρείαν *meam* (ɔ: moram in Marte sive bello comparando positam) *excusationem ne acceperis.*

XII. (*A. U. C.* 703.)

1. Negotium magnum est navigare atque id mense Quintili. Sexto die Delum Athenis venimus, pridie Nonas Quintil. a Piraeeo ad Zostera vento molesto, qui nos ibidem Nonis tenuit; a. d. VIII. Idus ad Ceo iucunde, inde Gyarum saevo vento, non adverso, hinc Syrum, inde Delum, utroque citius, quam vellemus, cursum confecimus; nam nosti ἄφρακτα Rhodiorum; nihil, quod minus fluctum ferre possit; itaque erat in animo nihil festinare, nec me Delo movere, nisi omnia ἀκρωτηρίων οὖρια vidissem. 2. De Messalla ad te statim, ut audivi, de Gyaro dedi litteras, et id ipsum consilium nostrum etiam ad Hortensium, cui quidem valde συνηγωνίων. Sed tuas de eius iudicii ser-

§ 1. *ad Zostera,* Atticae promunturium, inter Athenas et Sunium. Hinc pergit ad insulam *Ceo,* Gr. Κέῳ, inde *Gyarum,* tum *Syrum.* Ita enim legendum esse, non *Scyrum,* quae insula procul ab oriente Euboeae sita multorum dierum intervallo a Gyaro et Delo distat, nemo admonitus negabit. Errorem detexit Moserus, Symb. Crit. in Cicer. V. p. 1 sq. Eodem errore Servium ad Aen. III. 76 liberavit Wesselingius ad Simsoni Chronicon p. 584.

fluctum ferre. Similiter Caes. B. G. III. 13, 9 scripsit *tempestatem ferre,* Tac. Ann. II. 6, quem Schneiderus ibi laudavit, *fluctus tolerare.* Pro *iam nosti* cum W. recepi Pii correctionem *nam nosti,* quum his verbis explicetur cur citius quam vellet navigarit. cf. 13, 1. *navigavimus — tardius propter aphr. Rhod. imbecillitatem.*

nec me Delo movere. Pronomen habent codices et editiones veteres, estque plane necessarium. Quis enim *movere* intransitive de proficiscente dixit? *Delo,* a librariis male ante *nec* collocatum, Faernus delevit, Lambinus transposuit. Vid. Wesenberg. Emendd. p. 38 sq. qui recte videtur negare *Delo* cum verbis *nihil festinare* coniungi posse. Aliter visum erat Io. Fr. Gronovio.

nisi omnia ἀκρωτηρίων οὖρια *vidissem.* Vocabula Graeca recte interpretatur Ernestus: *signa secundae tempestatis ex vexillis in fastigiis navium et domorum.* Mureti (Var. Lect. XIV. 11), Turnebi (Advers. XXVIII. 28) et Sim. Bosii (in Lambini comm. Lucret. p. 687) coniecturis, utcunque speciosis, nihil opus est.

§ 2. *De Messalla.* M. Valerius Messalla, sororis filius Q. Hortensii a. 700 ambitus reus factus est a Q. Pompeio Rufo. Att. IV. 16, 8. Q. fr. III. 2, 3. Sed quum consul fieret a. 701, causa acta non est. Accusatio deinde renovata est et praeter opinionem iudicum sententiis absolutus est, avunculo pro eo dicente. Caelius ad Fam. VIII. 2, 1. Cf. Brut. 328. Val. Max. V. 9, 2. Sed nondum evaserat; nam statim lege Licinia de sodalitiis postulatus et condemnatus est. Cael. Fam. VIII. 4, 1. Cicero dolorem, quem ex hoc nuntio acceperat, Hortensio declaravit. Id enim est συνηγωνίων, pro quo

monibus et mehercule omni de rei publicae statu litteras exspecto, πολιτικώτερον quidem scriptas — quoniam meos cum Thallumeto nostro pervolutas libros —, eiusmodi inquam litteras, ex quibus ego, non quid fiat — nam id vel Helonius, vir gravissimus, potest efficere, cliens tuus —, sed quid futurum sit, sciam. Quum haec leges, habebimus consules, omnia perspicere poteris, de Caesare, de Pompeio, de ipsis iudiciis. 3. Nostra autem negotia, quoniam Romae commoraris, amabo te, explica. Cui rei fugerat me rescribere, de strue laterum, plane rogo, de aqua, si quid poterit fieri, eo sis animo, quo soles esse; quam ego quum mea sponte, tum tuis sermonibus aestimo plurimi: ergo tu id conficies. Praeterea, si quid Philippus rogabit, quod in tua re faceres, id velim facias. Plura scribam ad te, quum constitero; nunc eram plane in medio mari.

recentiores dicunt condolere. Ingeniose Madvigius A. C. III p. 175 haec ita correxit: *Ad Messallam... statim ut audivi, de Gyaro dedi litteras et — id ipsum consilium nostrum — etiam ad Hortensium.*

meos libros de Re publica scriptos. *Thallumetus* et *Helonius* sive *Helenius,* ut in Faerni codice appellatur, ignoti homines sunt. Alter ironice vocatur *vir gravissimus,* sive ob corporis molem, sive ob gravitatis affectationem.

habebimus consules ɔ: consules in annum sequentem erunt creati.

§ 3. *de strue laterum.* Haec et quae sequuntur obscura sunt, amissa Attici epistola, cui respondetur, paulo minus obscura, quam ante, postquam C. Mullerus in Coni. Tull. p. 10 punctum post *rogo* sustulit. Iam Cicero Atticum plane rogat de strue laterum, ut sit aequo animo, de aqua, quoniam idem plane rogare non poterat, rogat, ut tali sit animo, si fieri possit. Ingeniose porro Wielandus in adnot. ad h. l. III. p. 294 sq. coniecit agi de aqua Crabra per agrum Tusculanum ducenda. (Cf. Fam. XVI. 18, 3). Struem laterum fortasse destinabat aquaeductui. *Philippus,* qui in eadem re memoratur ep. seq. extr. videtur operis conductor fuisse.

ergo quid conficies Med. Una littera mutata Klotz. restituit: *Ergo tu id conficies;* quod magis placet, quam Aldinum *aliquid.*

in tua re ɔ: si tua res ageretur, e cod. Faerni et Med. revocavi, pro *in sua re* quod Victorio debetur. Ex illo quoque notatur *rogat* pro *rogavit;* sed praestat *rogabit* corrigere, ut fecit Corradus.

eram plane in medio mari. Delus enim Cycladum media, de qua Vergilius Aen. III. 73 *mari colitur medio.*

XIII. (*A. U. C.* 703.)

1. Ephesum venimus a. d. XI. Kal. Sext. sexagesimo et quingentesimo post pugnam Bovillanam. Navigavimus sine timore et sine nausea, sed tardius propter aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. De concursu legationum, privatorum et de incredibili multitudine,

§ 1. *Ephesum venimus a. d. XI Kal. Sext. sexagesimo et quingentesimo post pugnam Bovillanam,* in qua Clodium Milo occidit, quod Asconius ex actis factum scribit a. d. XIII Kal. Febr. superioris anni. Ab hoc autem die usque ad XI Kal. Sext. anni sequentis dies sunt, DLIX. cf. L. Moll, l. l. p. 36.

aut audisse te puto aut „quid ad me attinet?" Supplendum *dicere* vel *dicturum esse.*

decumani quasi venissem cum imperio,

quae mihi iam Sami, sed mirabilem in modum Ephesi praesto fuit, aut audisse te puto aut »quid ad me attinet?" Verumtamen decumani quasi venissem cum imperio, Graeci quasi Ephesio praetori se alacres obtulerunt: ex quo te intelligere certo scio multorum annorum ostentationes meas nunc in discrimen esse adductas; sed, ut spero, utemur ea palaestra, quam a te didicimus, omnibusque satisfaciemus et eo facilius, quod in nostra provincia confectae sunt pactiones. Sed (haec) hactenus, praesertim quum coenanti mihi nuntiarit Cestius se de nocte proficisci. 2. Tua negotiola Ephesi curae mihi fuerunt, Thermoque, tametsi ante adventum meum liberalissime erat pollicitus tuis omnibus, tamen Philogenem et Seium tradidi, Apollonidensem Xenonen commendavi: omnia se facturum recepit. Ego praeterea rationem Philogeni permutationis eius, quam tecum feci, edidi. Ergo haec quoque hactenus. 3. Redeo ad urbana: per fortunas! quoniam Romae manes, primum illud praefulci atque praemuni, quaeso, ut simus annui: ne intercaletur quidem; deinde exhauri mea mandata maximeque, si quid potest, de illo domestico scrupulo, quem non ignoras; dein de Caesare,

Graeci cet. Vulgo de Oliveti corr. editur *D. ac si venissem,* quod Klotz Latinum esse negat. Recte; nam *ac si* ab optimis scriptoribus non ponitur nisi praecedente adiectivo aut adverbio, quod similitudinem vel dissimilitudinem indicat, et scribendum erat: *aeque ac si, perinde ac si, non secus ac si.* ICti et scriptores minus probati *ac si* omissis illis scripserunt. Vid. Hand. Turs. I. 472 et Mahnii Misc. Latin. I. p. 16 sq. II p. 5 sq. In cod. Med. est: *verumtamen decumanis venissem.* Non dubitavimus, quum tamen ad coniecturam veniendum esset, pro *ac si* scribere *quasi,* quod concinne in utraque sententiae parte ponitur. Idem volebat Gronovius. *Decumani* vocantur publicani, qui Asiae decumas conduxerant. Illius enim provinciae vectigalia maxime e scriptura, decumis, portoriis constitisse Cicero ipse nos docet de imp. Cn. Pomp., 15. p. Flacco, 19.

ostentationes meas ɔ: id, quod saepe iactavi utile esse ne provinciales a publicanis vexarentur, utque his tamen aliquid concederetur, ne nimia severitate magistratuum ad res novas traherentur.

pactiones inter publicanos et provinciales fiebant. Cf. ep. seq., 1. Fam. XIII. 65, 1 et passim in Verrin. L. III. P. Burmannus, de vectig. pop. Rom. c. 9, p. 167 sq. et Rudorfii disp. de testam. Dasumii in Diar. iurispr. hist. XII. 3, p. 394.

Sed haec hactenus. Quoniam deinde legimus: *Ergo haec quoque hactenus,* sine ulla dubitatione affirmamus Ernestum bene iudicasse v. *haec* a librariis esse omissum.

§ 2. *negotiola* scripsi e marg. Crat., quum eodem duceret scriptura Med. *negotio* apud Hofm. der Krit. Apparat p. 46.

Thermo. Hic tum pro praetore Asiam obtinebat. Cf. h. l. ep. 20, 10. 21, 14. Datae ad eum litterae Laodicea Fam. II. 18 et ex Cilicia, Fam. XIII. 53—57. Hic receperat et affirmarat se omni quo posset studio eos, qui Attici negotia in illa regione curabant, adiuturum.

tradidi ɔ: valde commendavi. Cf. Fam. II. 6, 5. XIII. 1, 2. 53, 1. VII. 5, 3, ubi addit: *de manu, ut aiunt, in manum.*

§ 3. *de illo domestico scrupulo.* Non male Moserus Symb. Crit. V. p. 4 sq. *maximeque — deme illum domesticum scrupulum,* nec Fr. Schmidt — *tolle domesticum scrupulum.* Sed minus a codice recedit Ursinus, qui *scrupulum* sustulit deditque *scrupulo.* Infra ep. 17, 4 eandem rem appellat *meam domesticam curam.* Agitur autem de filiae conditione.

cuius in cupiditatem te auctore incubui, nec me piget; et, si intelligis, quam meum sit scire et curare, quid in re publica fiat: — fiat autem? immo vero etiam quid futurum sit, — perscribe ad me omnia, sed diligentissime imprimisque ecquid iudiciorum status aut factorum aut futurorum etiam laboret. De aqua, si curae est, si quid Philippus aget, animadvertes.

Vid. ad ep. 4, 1 h. l. Pro *si quid potest* fortasse cum Faerno legendum *si quid potes.* Vide tamen ad IV. 13, 1.

de Caesare ɔ: de Caesaris nomine solvendo.

quam meum sit „propter locum, quem in ea teneo et propter animum, quem erga illum habeo." I. F. Gronovius.

fiat autem? Eleganter part. *autem* ita in interrogatione ponitur, qua quod modo dictum est, corrigitur. Sic VI. 2, 1 et 8. VII. 1, 4. Fam. I. 9, 10. Cf. Ruhnken. ad Ter. Adelph. V. 8, 11. Hand. Turs. I. p. 576.

De aqua, cet. Cf. ad ep. 12, 3. Verba autem sic corrigenda arbitror: *De aqua, tibi curae esto. Quid Philippus agat, animadvertes.*

XIV. (*A. U. C.* 703.)

1. Antequam aliquo loco consedero neque longas a me neque semper mea manu litteras exspectabis; quum autem erit spatium, utrumque praestabo. Nunc iter conficiebamus aestuosa et pulverulenta via. Dederam Epheso pridie; has dedi Trallibus. In provincia mea fore me putabam Kal. Sextilibus: ex eo die, si me amas, παράπηγμα ἐνιαύσιον commoveto. Tamen interea haec mihi, quae vellem, afferebantur, primum otium Parthicum, dein confectae pactiones publicanorum, postremo seditio militum sedata ab Appio stipendiumque eis usque ad Idus Quint. persolutum. 2. Nos Asia accepit admirabiliter.

§ 1. *aestuosa — via* ɔ: solis ardori exposita, fervida, ut Horatius Carm. I. 31, 5 Calabriam appellat aestuosam. Cf. Orellius ad Hor. Carm. I. 22, 5.

ex eo die. Vulgo cum codd. *ex ea die.* Correxi ex ep. seq. initio, ubi recte: *ex hoc die.* In IX. 6, 3, ubi aliena epistola citatur, non sollicitanda sunt verba *ex ea die.* Sed Cicero non utitur gen. fem. In Bruto 88, ubi vulgo editur: *socios — illa die quaestione liberatos esse* aut cum Lambino *illo die* corrigendum, aut, quoniam illius diei mentio otiosa est, *die* expungendum est. De Divin. I. 103 Lambinus correxit.

παράπηγμα ἐνιαύσιον commoveto, ɔ: ut scribit ep. seq. *Ex hoc die clavum anni movebis.* Respicit veterem morem ex Etruria Romam translatum, ut is, qui praetor maximus esset, Idibus Sept. in dextro latere aedis Iovis O. M. clavum pangeret sive figeret, eratque haec, raris per ea tempora litteris, nota numeri annorum. Liv. VII. 3. Iubet igitur amicum, ut ex Kal. Sext. annum suum provincialem ordiatur.

Tamen interea. Particula *tamen* postulat, ut aliquid cogitatione addamus, velut „Quamvis nondum in provinciam venissem eiusque curam nondum suscepissem, tamen — afferebantur."

§ 2. *Asia* provincia constabat e Phrygia, Mysia, Caria, Lydia, p. Flacco 65, eademque appellatione continetur Ionia, teste Varrone de L. L. V. 2. Cf. Beckeri Antiq. III. 1, p. 130 seqq.

tamen magno timore sum. Praepositionem olim adieci librariorum negligentia omis-

Adventus noster nemini ne minimo quidem fuit sumptui: spero meos omnes servire laudi meae, tamen magno timore sum, sed bene speramus. Omnes iam nostri praeter Tullium tuum venerunt. Erat mihi in animo recta proficisci ad exercitum, aestivos menses reliquos rei militari dare, hibernos iurisdictioni. 3. Tu velim, si me nihilo minus nosti curiosum in re publica quam te, scribas ad me omnia quae sint, quae futura sint: nihil mihi gratius facere potes, nisi tamen id erit mihi gratissimum, si, quae tibi mandavi, confeceris imprimisque illud *ἐνδόμυχον*, quo mihi scis nihil esse carius. Habes epistolam plenam festinationis et pulveris: reliquae subtiliores erunt.

sam putans, ut VI. 1, 14 in verbis: *Equidem sum magna animi perturbatione*, ubi *in* ex uno parvae auctoritatis libro Ambrosiano notatur, et aliis in locis, ubi propter literam *m* vel praecedentem vel sequentem facilis error erat. Contra omnes addunt VIII. 12 A. 2. *Nunc scitote me esse in summa sollicitudine* et Fam. XII. 14, 1. *Cuius rei tanto in timore fui.* Copiam exemplorum suppeditant Gronovius et Drakenborchius ad Liv. II. 22, 6. Sed Madvigius, qui O. A. I p. 193, negarat nudum ablativum de affectu aliquo dici posse, quod adversus Ciceronianos sui temporis iam defenderat Henr. Stephanus, Schediasm. II. 24, sententiam mutavit in Adv. crit. II p. 237.

recta, ut VI. 8, 1. Fam. IX. 19, 1 pro *recta via*, recto itinere. Plura exempla congessit Woelfflin in Mus. philol. Rhen. XXXVII p. 119.

§ 3. *illud ἐνδόμυχον* ɔ: illud domesticum, de quo ad ep. sup. § 3 diximus. Cf. ep. 17, 4. 21, 14.

XV. (*A. U. C.* 703.)

1. Laodiceam veni pridie Kal. Sext.: ex hoc die clavum anni movebis. Nihil exoptatius adventu meo, nihil carius; sed est incredibile, quam me negotii taedeat. Non habet satis magnum campum ille tibi non ignotus cursus animi et industriae meae, praeclara opera cessat; quippe, ius Laodiceae me dicere, quum Romae A. Plotius dicat? et quum exercitum noster amicus habeat tantum, me nomen habere dua-

§ 1. *ex hoc die — movebis.* Vide ad ep. 14, 1. Desunt haec verba in cod. Hisp., sed adscripsit Cicero, quia non Kal. Sext., ut putarat, sed pridie Kal. Laodiceam, in provinciae suae urbem venit.

quippe ɔ: nec mirum. Excipit hoc vocabulum aliqua sententia causalis, plerumque cum particula *enim*, ut Att. VI. 3, 1, de Or. II. 218, Fin. IV. 7, p. Caec. 55; rarius oratio pergit ea forma, qua h. l. utitur Cicero. Nam exempla Liviana, quae attulit Krugerus in Quaestt. gramm. Lat. I. p. 52 sq. diversi sunt generis, in quibus *quippe* idem fere est, quod *enim*. In praecedenti sententia Med. dat *habeat — cesset*, quos coniunctivos addita interrogandi nota defendi posse concedo. Sed multo gravius et personae dicentis aptius esse haec indicativis affirmari plerique mihi concedent.

noster amicus. Significare videtur C. Cassium, qui pro quaestore cum M. Crasso in Syriam profectus erat et post huius cladem, ante Bibuli adventum, Parthorum copias fudit Syriamque eorum impetu liberavit. Cf. V. 20, 3. Philipp. XI. 35. Moleste autem ferebat Cicero Cassium proquaestorem ma-

rum legionum exilium? Denique haec non desidero, lucem, forum, urbem, domum, vos desidero. Sed feram, ut potero, sit modo annuum: si prorogatur, actum est. Verum perfacile resisti potest, tu modo Romae sis. 2. Quaeris quid hic agam. Ita vivam, ut maximos sumptus facio. Mirifice delector hoc instituto: admirabilis abstinentia ex praeceptis tuis, ut verear, ne illud, quod tecum permutavi, versura mihi solvendum sit. Appii vulnera non refrico, sed apparent nec occuli possunt. 3. Iter Laodicea faciebam a. d. III. Non Sext., quum has litteras dabam, in castra in Lycaoniam; inde ad Taurum cogitabam, ut cum Moeragene signis collatis, si possem, de servo tuo deciderem. »Clitellae bovi sunt impositae, plane non est nostrum onus'' sed feremus, modo sit annuum; si me amas, adsis tu ad tempus, ut senatum excites. Mirifice sollicitus sum, quod iam diu ignota sunt mihi ista

ioribus copiis praeesse quam se proconsulem. Ciceronem et hunc Cassium fuisse amicos ostendunt utriusque epistolae in libro XV ad Fam., 14—19. De Caesare aut de Pompeio cogitare absurdum est; de Bibulo, qui nondum in Syria erat (h. l. 16, 4.-18, 1), falsum.

me nomen habere duarum legionum exilium. Nam, ut scribit Appio, Fam. III. 6, 5, illud eum movebat, in tanta militum paucitate abesse tres cohortes plenissimas. *nomen* legionum, non ipsas legiones. cf. Liv. III. 65 et V. 18 *me non eundem, sed umbram nomenque P. Licinii relictum videtis.*

lucem ɔ: locum omnium oculis expositum. Simili vi Cicero dixit *in Asiae luce versari* de imp. Pomp., 7. ad Q. fr. I. 1, 9.

actum est. Formula desperantis de sua salute, qua Cicero usus est quoque p. Rosc. Am. 150 et Fam. XIV. 3, 3.

§ 2. *Ita vivam, ut m. s. facio.* Solemne votum. Cf. Fam. V. 21, 1 *nam tecum esse, ita mihi omnia quae opto contingant, ut vehementer velim.* X. 12, 1 *ita te victorem complectar, ut magnam partem mihi laetitiae tua dignitas afferat.* Catil. IV. 11. Q. Cic. ad Fam. XVI. 16, 1. Cf. Brissonius de Form. p. 684. Hand. Tursell. III. p. 494. Sumptus autem faciebat de suo, ut sequentia declarant.

quod tecum permutavi. Cf. ep. 13, 2.

Appii vulnera ɔ: ab Appio provinciae imposita vulnera. De his vid. ep. 16, 1.

§ 3. *Iter L. faciebam* ɔ: facturus eram. Cf. ad VII. 23, 2. Similiter IV. 10, 2: *ad eum postridie mane vadebam.* h. l. 17, 1 *paucis diebus habebam.*

cum Moeragene. Postea hunc certe periisse scripsit. Erat dux latronum, ad quem servus Attici fugerat, cui Terentium fuisse nomen ex ep. 1, lib. VI. § 13 coniiciunt.

Clitellae cet. Clitellas ad sarcinas ferendas imponebant asino, cf. Phaedri fab. I. 15, non bovi, unde natum proverbium *bos clitellas* apud Quintil. I. O. V. 11, 22, de onere male alicui imposito. Multi editores verba Ciceroni tribuunt, ego propter colorem poeticum esse credo trochaicum septenarium comici ignoti et scripsi, ut scribendum censuit Buechelerus in Coniectaneis, Gryphiswaldiae a. 1868 editis, p. 17 qui comparavit Ammianum Marc. XVI. 5, 10, ubi hic versus vocatur *vetus proverbium.* His respondet Italorum proverbium: All' asino non ista bene la sella.

modo sit annus, ut est in Med., non est vitiosum. Sed quum Malaspina in vetustis suis optimae notae codd. invenerit *sit annuus,* h. l. ut in § 1 scripsi *modo sit annuum* sc. onus. Verba *si me amas* in codd. inter *modo* et *sit annus* posita, post *annum* collocanda et cum sequentibus iungenda esse monui in Addendis vol. II p. 383, eoque minus dubitavi ea traiicere, quod idem vidi placuisse Wesenbergio, qui de ea re monuit in Emend. alt. p. 105. De coniunctivo *adsis* vid. ad I. 17, 11.

ut senatum totum excites se ex codd. suis scripsisse ait Bosius, et ita in Med. ex correctione legitur. Neque *totum,* neque *tum,* quod Buechelero placuit in Mus. Rhen. XI. p. 513, a Cicerone additum censeo. Satis erat: *ut senatum excites.*

omnia; quare, ut ad te ante scripsi, quum cetera, tum res publica cura ut mihi nota sit. † Plura scribam tarde tibi redituro, sed dabam familiari homini ac domestico, C. Andronico Puteolano. Tu autem saepe dare tabellariis publicanorum poteris per magistros scripturae et portus nostrarum dioecesium.

† *Plura scribam tarde tibi redituro.* Quod nonnulli libri cum Med. corr. dant *scribebam* movit Hofmannum, ut ederet: *Plura scribebam tarde tibi reddituro,* quod non probo. Cicero scripsit Attico, non tabellario qui tarde litteras erat redditurus. Quum in cod. X esset *redditu iri,* teste Lambino, verisimile est v. *redituro* corruptum esse ex *redditum iri.* Praeclare coniecit I. Fr. Gronovius *plura* ortum esse e compendio male intellecto *eplā* et corrigendum esse: *Epistolam sciebam tarde tibi redditum iri.* Ergo non opus est cogitare de lacuna post *scribam,* quam tamen Orellius satis feliciter explevit hoc modo: *Plura scribam alias: has sciebam* (Wes. *putabam*) *tarde tibi redditum iri.*

per magistros — dioecesium. Magistri in societatibus vectigalium dicebantur, qui Romae rationes societatis conficiebant et in provincias alium mittebant pro magistro, Att. XI. 10, 1. Cf. Burmannus de vectig. cap. 9, p. 163. — *Scriptura* est vectigal, quod publicani e pascuis ab iis, qui pecudes suas mittebant, exigebant. — *Portus* hic et XI. 10, 1 sing. num. ponitur pro *portoriis,* de quibus vid. Burmanni op. l. c. 5. — *Dioeceses* tres Asiae Ciceronis provinciae adiectae erant, ut scribit ad Fam. XIII. 67. Cf. Beckeri Antiq. III. 1, p. 166.

XVI. (*A. U. C.* 703.)

1. Etsi in ipso itinere et via discedebant publicanorum tabellarii et eramus in cursu, tamen surripiendum aliquid putavi spatii, ne me immemorem mandati tui putares; itaque subsedi in ipsa via, dum haec, quae longiorem desiderant orationem, summatim tibi perscriberem. 2. Maxima exspectatione in perditam et plane eversam in perpetuum provinciam nos venisse scito pridie Kal. Sextiles, moratos triduum Laodiceae, triduum Apameae, totidem dies Synnade. Audivimus nihil aliud nisi imperata ἐπικεφάλια solvere non posse, ὠνὰς omnium venditas, civitatum gemitus, ploratus, monstra quaedam non hominis sed ferae nescio cuius immanis: quid quaeris? taedet omnino eos vitae.

§ 2. *nos venisse scito pridie Kal. Sext., moratos — Synnade.* Codd. *moratus.* Correxit Faernus in Ursini adnotatione. Cicero dies commorationis non diligentissime notavit. Nam hoc lib. ep. 20, 1 scribit se Laodiceam pridie Kal. Sext. venisse, ibi moratum biduum, Apameae quinque dies, Synnadis triduum, Philomelii quinque dies, Iconii decem. Rursus Catoni (Fam. XV. 4, 2) narrat se biduum Laodiceae fuisse, Apameae quatriduum, triduum Synnadis, totidem dies Philomelii.

ἐπικεφάλια, tributa per capita solvenda, *hoofdgeld.* Fam. III. 8, 5 hoc genus tributi appellat *acerbissimam exactionem capitum.* Postea *capitatio* dici coepta est. Cf. Huschkii disp. de censu Rom. p. 21 in adn. 40.

ὠνάς ɔ: possessiones quum praediorum tum aliarum rerum, quas inopia coacti vendere et creditori ɔ: quaestori pop. Rom. pretium solvere debebant. Cf. in Andoc. Or. de mysteriis p. 35 et 45 Reisk. πρίασθαι ὠνὰς ἐκ τοῦ δημοσίου.

monstra — immanis „vastitatem, quasi leo

3. Levantur tamen miserae civitates, quod nullus fit sumptus in nos neque in legatos neque in quaestorem neque in quemquam. Scito non modo nos faenum aut quod lege Iulia dari solet non accipere, sed ne ligna quidem nec praeter quattuor lectos et tectum quemquam accipere quicquam, multis locis ne tectum quidem et in tabernaculo manere plerumque. Itaque incredibilem in modum concursus fiunt ex agris, ex vicis, ex domibus omnibus. Mehercule etiam adventu nostro reviviscunt: iustitia, abstinentia, clementia tui Ciceronis [itaque] opiniones omnium superavit. 4. Appius, ut audivit nos venire, in ultimam provinciam se coniecit Tarsum usque; ibi forum agit. De Partho silentium est, sed tamen concisos equites nostros a barbaris nuntiabant ii, qui veniebant. Bibulus ne cogitabat quidem etiamnunc in provinciam suam accedere; id autem facere ob eam causam dicebant, quod tardius vellet decedere. Nos in castra properabamus, quae aberant bidui.

Marathonius aut aper Calydonius in eas grassatus esset." I. F. Gronovius.

§ 3. *ex domibus omnibus. Mehercule* cet. Verba intacta reliqui, sana non puto. Displicet primum *etiam,* pro quo Lambinus scripsit: *et mehercule iam,* in quo acquiescit Handius Turs. III. p. 61; tum nego illa verba *adventu nostro* et *tui Ciceronis* in una sententia recte coniungi. Accedit quod notatur e cod. Med. *ex nominibus ex omnibus,* e Ball. Helmst. *ex domibus ex omnibus.* Unde mihi in mentem venit ita olim scriptum fuisse: — *ex domibus.* HOMINES *mehercule* IAM *adventu nostro reviviscunt. Iustitia, abstinentia, clementia tui Ciceronis opiniones omnium superavit.* Quod olim conieci *utique* pro *itaque,* nunc reiicio. Cum W. ex superioribus male repetitum iudico.

§ 4. *Appius — forum agit.* Cf. ep. seq. § 6. Fam. III. 6, 4, ibid. 8, 6. *Forum agere* ↄ: conventum habere, ius in provincia dicere.

ne cogitabat quidem etiam nunc — accedere. Licentia stili epistolaris adverbium *nunc* cum praeteriti temporis verbo coniungitur. Sic infra XVI. 3, 6 *Brutus erat in Neside etiam nunc.* Q. fr. III. 1, 4 *qui nunc Romae erat.*

Quae aberant bidui. Cf. ad III. 7, 1.

XVII. (*A. U. C.* 703.)

1. Accepi Roma sine epistola tua fasciculum litterarum, in quo, si modo valuisti et Romae fuisti, Philotimi duco esse culpam, non tuam. Hanc epistolam dictavi sedens in raeda, quum in castra proficiscerer, a quibus aberam bidui. Paucis diebus habebam certos homines, quibus darem litteras; itaque eo me servavi. 2. Nos, tamen etsi hoc te ex aliis audire malo, sic in provincia nos gerimus, quod ad abstinentiam attinet, ut nullus teruncius insumatur in quemquam: id fit etiam et

§ 1. *habebam.* Vid. ad ep. 15, 3 h. l.

§ 2. *tamen etsi.* Hanc formam quae multis offensioni fuit ut Ernesto et Orellio ad orat. p. Quint. 70, qui in omnibus locis contractum *tametsi* reduci cupiunt, Ellendtius ad de Orat. V. II. p. 270 sq. Tullio vindicavit.

legatorum et tribunorum et praefectorum diligentia; nam omnes mirifice συμφιλοδοξοῦσι gloriae meae. Lepta noster mirificus est. Sed nunc propero; perscribam ad te paucis diebus omnia. 3. Cicerones nostros Deiotarus filius, qui rex ab senatu appellatus est, secum in regnum: dum in aestivis nos essemus, illum pueris locum esse bellissimum duximus. 4. Sestius ad me scripsit, quae tecum esset de mea domestica et maxima cura locutus et quid tibi esset visum: amabo te, incumbe in eam rem et ad me scribe quid et possit et tu censeas. 5. Idem scripsit Hortensium de proroganda nostra provincia dixisse nescio quid: mihi in Cumano diligentissime se, ut annui essemus, defensurum receperat. Si quidquam me amas, hunc locum muni: dici non potest quam invitus a vobis absim, et simul hanc gloriam iustitiae et abstinentiae fore illustriorem spero, si cito decesserimus, id quod Scaevolae contigit, qui solos novem menses Asiae praefuit. 6. Appius noster, quum me adventare videret, profectus est Tarsum usque Laodicea; ibi forum agit, quum ego sim in provincia; quam eius iniuriam non insector — satis enim habeo negotii in sanandis vulneribus, quae sunt imposita provinciae; quod do operam ut faciam quam minima cum illius contumelia —, sed hoc Bruto nostro velim dicas illum fecisse non belle, qui adventu meo quam longissime potuerit discesserit.

Lepta praefectus fabrum in Tullii exercitu, ad Fam. III. 7, 4 et V. 20, 4, ubi Q. Lepta appellatur. Temere Martyni-Laguna ad epistt. p. 364 probare studuit plenum hominis nomen fuisse M. Tullium Leptam.

§ 4. *quid possit* sc. fieri. cf. ad IIII. 13, 1.

§ 5. *Scaevolae*, Pontifici Maximo, qui a. u. 655 pro consule in Asiam profectus videtur, eamque ante tempus reliquisse Romam ad petendum consulatum festinans. Vid Zumpt. ad Div. in Caec. 57, quem laudavit Orellius in Onom. Tull. p. 518 *a*.

§ 6. *quam minima cum illius contumelia* ɔ: sine ulla imminutione dignitatis Appii, ut scribit Fam. III. 8, 2. *cum* accessit e Med. 1, *quam inimicum* ɔ: quam minima cum. Cf. infra VI. 1, 2: *nihil a me fit cum ulla illius contumelia*.

Bruto nostro, Appii genero. Fam. III. 4, 2.

XVIII. A. U. C. 703.)

1. Quam vellem Romae esses, si forte non es — nihil enim certi habebamus nisi accepissemus tuas litteras a. d. XIIII. Kal. Sext. datas, in quibus scriptum esset te in Epirum iturum circiter Kal. Sextiles —;

§ 1. *nihil certi habebamus* de ea re, Romaene esses an in Epiro. Quae in codd. seqq. *nisi accepisse nos tuas litteras* non bene cohaerere cum illis Ernesto concedimus. At melius quam litura huic rei occurritur leni mutatione Schutzii, qui dedit: *nisi accepisse-*

sed, sive Romae es sive in Epiro, Parthi Euphratem transierunt duce Pacoro, Orodi regis Parthorum filio, cunctis fere copiis. Bibulus nondum audiebatur esse in Syria, Cassius in oppido Antiochia cum omni exercitu, nos in Cappadocia ad Taurum cum exercitu ad Cybistra, hostis in Cyrrhestica, quae Syriae pars proxima est provinciae meae. His de rebus scripsi ad senatum, quas litteras, si Romae es, videbis putesne reddendas, et multa, immo omnia, quorum *κεφάλαιον*, ne quid inter caesa et porrecta, ut aiunt, oneris mihi addatur aut temporis; nobis enim hac infirmitate exercitus, inopia sociorum, praesertim fidelium, certissimum subsidium est hiems. Ea si venerit nec illi ante in meam provinciam transierint, unum vereor, ne senatus propter urbanarum rerum metum Pompeium nolit dimittere; quodsi alium ad ver mittit, non laboro, nobis modo temporis ne quid prorogetur. 2. Haec igitur, si es Romae; sin abes aut etiam si ades, haec negotia sic se habent: stamus animis et, quia consiliis, ut videmur, bonis utimur, speramus etiam manu. Tuto consedimus, copioso a frumento, Ciliciam prope conspiciente, expedito ad mutandum loco, parvo exercitu, sed, ut spero, ad benevolentiam erga nos consentiente, quem nos Deiotari adventu cum suis omnibus copiis duplicaturi eramus. Sociis multo fidelioribus utimur, quam quisquam usus est; quibus incredibilis videtur et nostra mansuetudo et abstinentia; delectus habetur civium Romanorum, frumentum ex agris in loca tuta comportatur. Si fuerit occasio, manu, si minus, locis nos defendemus; 3. quare

mus tuas litteras. Ex iis hoc saltem constabat Atticum Roma prius abire voluisse, quam haec epistola scripta sit.

cunctis fere copiis. Quando copiarum multitudo declaratur nudus abl. ponitur vel additur *cum.* cf. Draegeri Synt. I p. 496. Madvigii Em. Liv. p. 176. Quod Cicero V. 20, 2 scripsit *cum omnibus copiis* non prohibet, quominus alibi praepositionem omiserit. Sed quum pro *fere,* quod e margine Crat. receptum est, et quod Cicero in eiusdem rei narratione Fam. XV. 1, 1 addit, Med. det *referto,* vide ne scribendum sit: *cunctis praefecto copiis.*

scripsi ad senatum. Servata est ea epistola ad Fam. XV. 1.

inter caesa et porrecta, ut aiunt. Locutio desumpta a re sacra. Nam exta quum dabant Diis, *porricere* dicebant. Varro de R. R. I. 29. Macr. Sat. III. 2, 3. Non licebat autem, dum hostia caeditur vel exta aris imponuntur, praetori fari ɔ: legitima verba pronuntiare; sed nulla religio impediebat, quominus inter exta caesa et porrecta decerneret. Varro de L. L. VI. § 31. Macrob. I. 16, 3. Proverbio utuntur ii, qui metuunt ne sibi aliqua re occupatis et dum minime exspectatur aliquid mali accidat.

dimittere ad bellum Parthicum. Cf. VI. 1, 3.

§ 2. *stamus animis* ɔ: forti animo sumus. Opponitur *iacere. Manu stare* est in acie hostis impetum sustinere. Integra sententia esset: *Speramus etiam manu* nos stare posse.

copioso a frumento. De constructione dixi ad I. 1. 2.

expedito ad mutandum. De usu gerundii vid. Madvigii Grammatica Lat. § 437. adn. 3 et 444 *a.* Draegeri Synt. § 601. 2.

usus est. Scripsi cum Wesenbergio Emend.

bono animo es. Video enim te et, quasi coram adsis, ita cerno *συμπάθειαν* amoris tui; sed te rogo, — si ullo pacto fieri poterit —, si integra in senatu nostra causa ad Kal. Ian. manserit, ut Romae sis mense Ianuario: profecto nihil accipiam iniuriae, si tu aderis. Amicos consules habemus, nostrum tribunum pl. Furnium, verum tua est opus assiduitate, prudentia, gratia. Tempus est necessarium, sed turpe est me pluribus verbis agere tecum. 4. Cicerones nostri sunt apud Deiotarum, sed, si opus erit, deducentur Rhodum. Tu, si es Romae, ut soles, diligentissime, si in Epiro, mitte tamen ad nos de tuis aliquem tabellarium, ut et tu, quid nos agamus, et nos, quid tu agas quidque acturus sis, scire possimus. Ego tui Bruti rem sic ago, ut suam ipse non ageret; sed iam exhibeo pupillum neque defendo; sunt enim negotia et lenta et inania. Faciam tamen satis tibi, cui quidem difficilius est quam ipsi, sed certe satisfaciam utrique.

p. 20, qui recte adversus Orellium monet hypotheticam locutionem *usus esset* h. l. stare non posse. Faernus iam correxerat.

quibus incredibilis videtur et nostra mansuetudo et abstinentia. Tolle prius *et*, vel pone post *nostra*.

§ 4. *tui Bruti rem,* cet. Ex iis, quae de eadem re leguntur in ep. 20, 6. VI. 1, 3 sq.; 2, 7; 3, 5 satis accurate definire licet, quam dicat Bruti rem et quomodo ei satisfecerit. A. 702 Ariobarzanes Εὐσεβής et Φιλορώμαιος patri acerbo casu exstincto in regno Cappadociae successerat. Ciceroni autem in provinciam abeunti senatus mandaverat, ut hunc regem tueretur eiusque regnum defenderet. Fam. XV. 2, 4 sqq. Hunc igitur suum *pupillum* vocat et postea scribit: *tutela me abdicare cogito.* Ingentem pecuniae summam *rex perpauper* debebat quum aliis Romanis, tum M. Bruto. Hic igitur per Ciceronem nomen suum recuperare studebat. Atque Cicero nunc quidem desperat solutionem, postquam vero sua opera Ariobarzani et regnum et vita ab insidiis defensa erat, tantum profecit, ut Bruto certe illo anno talenta circiter C. solverentur.

sed iam exhibeo pupillum neque defendo. Exhibere pupillum eadem fere ratione dicit, qua Paulus ICtus in l. 28, § 2 de iureiur. (Dig. 12, 2) de debitore in iudicium exhibendo loquitur. Conferri potest quod in eadem re scribit VI. 1, 4 *faenus et impendium recusare,* et quod legitur ad Fam. IX. 16, 7 *bonam copiam eiurare.* Quum enim *exhibere* proprie sit extra secretum habere, in publicum producere, teste Ulpiano in l. 3, § 8 de hom. lib. exhib. (Dig. 43, 29), exhibere pupillum obaeratum nihil aliud est, quam eum creditoribus tradere. Ernestus, qui in adnot. ad haec verba a Corrado decipi se passus erat, in clavi Cicer. s. v. *exhibeo* ad sanam interpretationem rediit, eoque tacite suspicionem suam *neque* in *atque* mutandum esse, revocavit.

sunt enim negotia et lenta et inania. Negotia sunt ipsi homines, Ariobarzanes cum amicis, quorum consiliis ille utebatur. Cf. ad I. 12, 1. Erant *lenta,* quod debita non solvebant; *inania,* quod unde solverent non habebant. *Nullum enim aerarium, nullum vectigal habebat; nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius.* Vid. VI. 1, 3 sq.

Faciam t. satis; tibi quidem, cui cet. Sic vulgo, sed praestat dativum adiungere verbis *faciam satis,* quo facto *quidem* post *cui* poni debet. Correxit W.

XIX. (*A. U. C.* 703.)

1. Obsignaram iam epistolam eam, quam puto te modo perlegisse, scriptam mea manu, in qua omnia continentur, quum subito Appii

tabellarius a. d. XI. Kal. Octobr. septimo quadragesimo die Roma celeriter — hui tam longe! — mihi tuas litteras reddidit, ex quibus non dubito, quin tu Pompeium exspectaris, dum Arimino rediret, et iam in Epirum profectus sis, magisque vereor, ut scribis, ne in Epiro sollicitus sis non minus, quam nos hic sumus. De Atiliano nomine scripsi ad Philotimum, ne appellaret Messallam. 2. Itineris nostri famam ad te pervenisse laetor magisque laetabor, si reliqua cognoris. Filiolam tuam tibi † iam Romae iucundam esse gaudeo eamque, quam nunquam vidi, tamen et amo et amabilem esse certo scio. Etiam atque etiam vale. 3. De Patrone et tuis condiscipulis, quae de parietinis in † militia laboravi, ea tibi grata esse gaudeo. Quod scribis

§ 1. *epistolam eam — in qua omnia continentur.* Respicere videtur eandem illam ad senatum epistolam a Cybistris datam, quam postridie demum cum ep. proxime superiori a. d. X. Kal. Oct. (cf. Att. VI. 1, 1) tabellariis perferendam dedit.

Appii tabellarius a Victorio ortus est. In M. *appelli*, in C. *appellit* scriptum est, unde in vett. edit. factum est *applicuit.* Corradus inde fecit nomen tabellarii *Apelles.* L. Moll l.l. p. 11 coniecit fuisse tabularium illius *Apellae,* qui memoratur Fam. VII. 25, ubi M. dat *appellae.*

Septimo quadragesimo die. In ordinalibus post *vicesimum* raro numerus minor maiorem sine copula praecedit. Cf. tamen Fam. XII. 25, 1 *altero vicesimo.* XV. 4, 13 *septimo quinquagesimo die* aliaque apud Zumptium, Gramm. § 118 in adnot.

quin tu Pompeium cet. In Med. quod est *quin ut* servari potest, dum *et* post *rediret* deleatur. Nam recte dicitur: „non dubito quin, licet Pompeium exspectaris, dum Arimino rediret, iam in Epirum profectus sis."

De Atiliano nomine cet. Messalla quidam debiti Atiliani, quod quale fuerit ignoramus, praes erat. Hunc, si recte coniicimus eundem esse, de quo in ep. 12, 2 sermo fuit, lege Licinia condemnatum tunc *appellari,* (cf. ad I. 8, 3) quod inhumanum foret, Cicero nolebat.

§ 3. *Itineris nostri famam* cet. „quod tam modestum fuit et minime grave sociis, per quos factum est." Gronovius.

Filiolam tuam tibi iam Romae iucundam esse gaudeo. Sane Schuetzio concedi debet, absurdum esse Atticam patri *Romae,* non ubivis iucundam fuisse futuram. Etsi puella vix quintum aetatis annum attigerat — Pomponius enim Piliam duxerat pridie Id. Febr. anni 691. vid. ad Q. Fr. II. 3, 7 — tamen ea non tum demum (*iam*) patri iucunda esse coepit. Sed poterat gradus indicari, quod obtinebimus scribendo: *Filiolam t. t. tantopere iucundam esse gaudeo.* Orellius hanc suam suspicionem in alt. edit. sprevit.

Etiam atque etiam vale. Aliquoties fit, ut scriptor post hanc vel similem clausulam quaedam addat, quae nunc vulgo *post scripta* appellant. Cf. ad Att. III. 23, 3. V. 20, 9. XI. 4, 2. Fam. XIV. 1, 6. XVI. 15, 1. VII. 18, 3. Itaque non probo Puteanum, Gronovium, Lambinum, qui cum his sequentia continuant leniter immutata: *Etiam atque etiam valedic* (*valere dic*) *Patroni et tuis condiscipulis,* aut — *valere iube Patronem et tuos condiscipulos.*

§ *quae de parietinis in militia laboravi.* Cf. Fam, XIII, 1 et quae monuimus ad ep. 11, 6 h. l. Sed. illa *in militia* mihi valde suspecta sunt. Neque enim Manutio, quem ceteri interpretes sequuntur, concedo iter in provinciam *militiam* dici potuisse. Nam quae ille affert ex ep. 2, 1. VI *in hac peregrinatione militiave nostra,* nihil efficiunt, quum Cicero ibi loquatur de illo tempore, quum in bello gerendo occupatus fuisset. Sine dubio scripsit *in Melita,* quae erat δῆμος tribus Cecropidis, de quo vidd. viri docti, quos laudat Westermannus ad Plut. Sol. c. 10 Indicat igitur illam domum, quam Epicurus testamento Hermarcho et amicis habitandam dedit, τὴν ἐν Μελίτῃ. Vid. apud Diog Laert. X. 17, ad quem locum ex Aeg. Menagii adnotatione cognovi meam correctio-

libente te repulsam tulisse eum, qui cum sororis tuae filii patruo certarat, magni amoris signum; itaque me etiam admonuisti, ut gauderem; nam mihi in mentem non venerat. »Non credo", inquis. Ut libet, sed plane gaudeo, quoniam τὸ νεμεσᾶν interest τοῦ φθονεῖν.

nem in his verbis iam a Gassendo occupatam fuisse. Quod libri scripti dant *de Tarentinis in militia* defendit P. Victorius. Var. Lect. IX. 3, sed non posse probari Schuetzius praeclare ostendit.

repulsam tulisse cet. Vulgo putant sermonem esse de C. Hirro M. Caelii in aedilitate curuli competitore. Sed L. Moll in quaestt. selectis de tempp. epist. Cic. p. 1 seqq. agi de M. Calidio oratore, qui hoc anno et sequenti (cf. VI. 8, 2) consulatum petens repulsam tulerit, probabili disputatione effecit.

qui — certarat. Libri *certaret,* quod defendi non potest. Wesenberg, Emend. p. 28 sq. correxit *certarat* hic agi putans de repulsa, quam Hirrus tulerat, quum in auguratus petitione cum Cicerone certaret. Hirro remoto tamen *certarat* verum censeo. Cum Cicerone Calidius non certaverat in honoris petitione, sed in iudicio, quum Q. Gallium a. u. 693 accusaret, quem Cicero defendit. cf. Brut. 277. — *Sororis tuae filii patruus* est ipse Cicero. Iisdem verbis se describit VI. 8, 3, et pari modo ludit XVI. 14, 4.

quoniam τὸ νεμεσᾶν interest τοῦ φθονεῖν ɔ: quoniam indignatio distat ab invidia. Gaudet igitur magis, quod honos non in indignum collatus erat, quam quia Calidii repulsi aegritudine voluptatem percipiebat. — Praeterea observandum v. *interesse* cum secundo casu coniungi, ut Graeci solent dicere διαφέρειν τινος, quod apte comparavit Handius in Enchir. stili Latini p. 147. Fortasse Cicero scripsit διαφέρει, et *interest* debetur interpreti.

XX. (*A. U. C.* 703.)

1. Saturnalibus mane se mihi Pindenissitae dediderunt, septimo et quinquagesimo die, postquam oppugnare eos coepimus. »Qui, malum! isti Pindenissitae? qui sunt? inquies: nomen audivi nunquam". Quid ego faciam? num potui Ciliciam Aetoliam aut Macedoniam reddere?

§ 1. *Saturnalibus.* Saturnalia tunc agebantur ab a. d. XIV ad XII Kal. Ian. per tres dies; *S. prima* memorat Livius XXX. 36, *secunda* Cic. Att. XIII. 52, 1, *tertia* infra § 5. Postquam Caesar annum correxit duosque dies mensi Decembri adiecit, sexto decimo die celebrari coepta sunt. Vid. Macr. Sat. I. 10, 2. — De Pindenissi oppugnatione cff. epistolae ad Caelium (Fam. II. 10, 3) et ad Catonem (ibid. XV. 4, 10), ubi deditio die *septimo quinquagesimo* facta esse narratur. Idem hoc loco e Med. restitui, quum in aliis *septimo et quadragesimo die* urbs dedita tradatur. Nam si illud oppidum captum a. d. XIV. Kal. Ian. dies XLVII oppugnatum est, oppugnari coeptum est pridie Kal. Nov. Atqui Cicero a. d. III Id. Oct. hostes vicit in Amano, h. ep. § 3. Fam. XV. 4, 8 et post quadriduum in diripiendo et vastando Amano positum, ut scribit Fam. l. c. 9 vel post quinque dies, ut scribit ad Att. l. c., ɔ: a. d. XVI vel XV Kal. Nov. exercitum ad Pindenissum adduxit. Dierum XIV vel XV, qui illum diem a Kal. Nov. separant, nulla mentio fit nec in itinere consumi potuerunt. At si oppugnationi tribuuntur dies LVII, eius initium incidit in a. d. XII Kal. Nov. et rerum cursus optime procedit. Similiter iudicabat Gruberus l. c. p. 12.

malum! Est exclamatio indignantis (Gall. *peste!*), quae vim addit quaestioni. Cf. IX. 18, 3. Off. II. 53. Verr. I. 54. Aliorum scriptorum locos congessit Ochsnerus in Ecl. Tull. p. 377.

Quid ego faciam? Ernestus et Handius in Turs. II. p. 457 scribunt: *Quid ergo?* deleto *faciam.* Sed nihil mutandum est; vulgata significat: *num mea culpa est? wat kan ik er*

Hoc iam sic habeto, nec hoc exercitu (nec) hic tanta negotia geri potuisse; quae cognosce ἐν ἐπιτομῇ, sic enim concedis mihi proximis litteris. Ephesum ut venerim nosti, qui etiam mihi gratulatus es illius diei celebritatem, qua nihil me unquam delectavit magis. Inde (in) oppidis iis, † quae erant, mirabiliter accepti Laodiceam pridie Kal. Sext. venimus. Ibi morati biduum perillustres fuimus honorificisque verbis omnes iniurias revellimus superiores, quod idem dein Apameae quinque dies morati et Synnadis triduum, Philomelii quinque dies, Iconii decem fecimus. Nihil ea iurisdictione aequabilius, nihil lenius, nihil gravius. 2. Inde in castra veni a. d. VII. Kal. Septembr. A. d. III. exercitum lustravi apud Iconium. Ex his castris, quum graves de Parthis nuntii venirent, perrexi in Ciliciam per Cappadociae partem eam, quae Ciliciam attingit, eo consilio, ut Armenius Artavasdes et ipsi Parthi Cappadocia se excludi putarent. Quum dies quinque ad Cybistra [Cappadociae] castra habuissem, certior sum factus Parthos ab illo aditu Cappadociae longe abesse, Ciliciae magis imminere; itaque confestim iter in Ciliciam feci per Tauri pylas. 3. Tarsum veni a. d. III. Non. Octobr. Inde ad Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia in aquarum divortio dividit, qui mons erat hostium plenus sempiternorum. Hic a. d. III. Idus Octobr. magnum numerum hostium

aan doen? Similiter usus est Vergilius faciendi verbo in Ecl. I. v. 41. *Quid facerem?*

nec hoc exercitu nec hic. Alterum *nec* inserui e certa correctione Wesenbergii, Emend. p. 113 sq. *Tanta* ɔ: quanta olim maioribus exercitibus in Aetolia et in Macedonia gesta sunt.

gratulatus es — celebritatem. Ante Malaspinam edebant *celebritate*, quod est in Med. aliisque (in XIV codd. vidisse se scribit Lagomarsinus ad Poggiani epist. II, p. 356), eamque constructionem defendebant ex epist. Caelii (Fam. VIII. 13, 1), ubi cod. Mediceus dat: *Gratulor tibi affinitate viri optimi.* Sed accusativum h. l. dudum restituerunt editores; in Caeliana Lambini correctionem *affinitatem* Orellius sprevit, necessariam dixit Wesenbergius, Emend. p. 113. Malaspina quoque post *qui* causale subiunctivum legitimum iudicabat, habetque sibi adsentientem Wesenbergium op. l. p. 122, qui h. l. Ciceronem *gratulatus sis* scripsisse suspicatur, et plurimis locis illum usum vindicat. Indicativus me quidem non offendit.

† *quae erant.* Ita Med. Vulgo e codice Bosii ficto edunt *qua ieram.* Me offendunt tam singularis *ieram* pluralibus *accepti — venimus* additus, quam plusquamperfectum, ubi imperfectum exspectares. Scripsitne: *qua iter erat*, an quod W. in textu posuit: *quae erant in itinere?* — De dierum ratione in seqq. dixi ad ep. 16, 2.

quod idem. Post has voces in Med. septem litterarum spatium vacuum est. In ea nomen oppidi inter Laodiceam et Apameam siti intercidisse potuit.

Nihil ea iurisdictione aequabilius ɔ: ius dixi sine discrimine personarum. Cf. ad Q. fr. I. 1, 20.

§ 2. *exercitum lustravi* ɔ: recensui et inspexi milites armatos et victima circumducta auxilium divinum imploravi. Idem se fecisse narrat Fam. XV. 4, 3.

ad Cybistra [*Cappadociae*]. Etiamsi duo loca huius nominis in iis locis fuerint, otiosam tamen h. l. regionis appellationem cum Ernesto secludere non dubitavi.

§ 3. *in aquarum divortio.* Recte hoc recepit Orellius in alt. edit. ex Med. et codd. Malaspinae. Nam ut Amanus ipse recte dicitur

occidimus, castella munitissima nocturno Pomptini adventu, nostro matutino cepimus, incendimus, imperatores appellati sumus. Castra paucos dies habuimus, ea ipsa, quae contra Dareum habuerat apud Issum Alexander, imperator haud paullo melior quam aut tu aut ego. Ibi dies quinque morati direpto et vastato Amano inde discessimus; scis enim dici quaedam πανικά, dici item τὰ κενὰ τοῦ πολέμου. Rumore adventus nostri et Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit et Parthis timor iniectus est. Itaque eos cedentes ab oppido Cassius insecutus rem bene gessit, qua in fuga magna auctoritate Osaces, dux Parthorum, vulnus accepit eoque interiit paucis post diebus. Erat in Syria nostrum nomen in gratia. 4. Venit interim Bibulus; credo, voluit appellatione hac inani nobis esse par. In eodem Amano coepit loreolam in mustaceo quaerere. At ille cohortem primam totam perdidit centurionemque primi pili, nobilem sui generis, Asinium Dentonem, et reliquos cohortis eiusdem et Sex. Lucilium, T. Gavii Caepionis, locupletis et splendidi hominis, filium, tribunum militum: sane plagam odiosam acceperat quum re, tum tempore. 5. Nos ad Pindenissum, quod oppidum munitissimum Eleutherocilicum

aquarum divortiis divisus (Fam. II. 10, 2), sic mons duas regiones aquarum divortio dividere vel separare nequit,

nocturno — matutino ɔ: praemisso de nocte legato cum parte copiarum ad loca ab hostibus neglecta occupanda, sole orto cum ceteris copiis ego accessi.

Darium codices hic sine varietate praebent. At in simili loco Fam. II. 10, 3 Med. dat *Dareum*, Fin. V. 92 codices omnes *Darei* habent, ut optimi libri Curtiani semper. Cf. Zumpt. ad Curt. III. 1.

scis enim dici quaedam πανικά, dici item τὰ κενὰ τοῦ πολέμου. His verbis rationem reddit, cur post victoriam in Amano, discesserit. Metuebat ne experiretur, quam varia et inconstans esset belli fortuna. Hoc enim indicatur verbis τὰ κενὰ τοῦ πολέμου. cf. Diod. Sic. XX. 30 et 67 et H. Stephanus ad XVII. 86. Vide etiam Wielandi adnot. p. 304 vol. III. Melius consuleretur Ciceronis gloriae, si lectio Ascensiana reciperetur: *Interim — scis enim dici.... τ πολέμου — rumore adventus nostri et Cassio.... animus accessit et Parthis timor iniectus est*, sed ea lectio, quam W. in Emend. alt. p. 106 commendat, omni librorum auctoritate caret.

Osaces. Hic pro Pacoro Orodis filio tum puero imperium exercebat. Cf. Cassius Dio XL. 28.

§ 4. *appellatione hac inani* ɔ: Imperatoris titulo.

loreolam in mustaceo quaerere. Proverbialis locutio de iis, qui ex re levi laudem captant. Propterea Cicero utitur forma plebeia *loreolam*, quae in cod. Med. servata est et a nobis reposita. (Sed nolui in § 3 ex eodem libro scribere *divercio* pro *divortio*, quum non appareat, cur Cicero in illo nomine plebis, quam elegantiorem usum sequi maluerit). *Laureola* pro victoriae insigni est ad Fam. II. 10, 2. *Mustaceus* erat placenta ex farina, musto, aniso, cumino, caseo et lauri pulvere composita, quam in lauri foliis coquebant. Cato de R. R. 121. Plin. H. N. XV. 127.

perdidit. Leniori verbo de eadem re utitur Caelius ad Fam. VIII. 6, 4. *Bibulus in Amano nescio quid cohorticularum amisit. Hoc sic nuntiatum est.* Amittimus enim aliquid fortunae vitio, perdimus nostra culpa.

nobilem sui generis ɔ: non illustri loco natum, sed qui sua virtute inclaruit.

§ 5. *Nos ad Pindenissum — cinximus* cet.

omnium memoria in armis fuit. Feri homines et acres et omnibus rebus ad defendendum parati. Cinximus vallo et fossa, aggere maximo, vineis, turre altissima, magna tormentorum copia, multis sagittariis, magno labore, apparatu; multis sauciis nostris, incolumi exercitu, negotium confecimus. Hilara sane Saturnalia, militibus quoque, quibus (captivis) exceptis reliquam praedam concessimus. Mancipia venibant Saturnalibus tertiis, quum haec scribebam; in tribunali res erat ad HS. $\overline{\text{cxx}}$. Hinc exercitum in hiberna agri male pacati deducendum Quinto fratri dabam, ipse me Laodiceam recipiebam. 6. Haec adhuc; sed ad praeterita revertamur. Quod me maxime hortaris et quod pluris est quam omnia, in quo laboras, ut etiam Ligurino μώμῳ satisfaciamus, moriar, si quidquam fieri potest elegantius; nec iam ego hanc continentiam appello, quae virtus voluptati resistere videtur. Ego in vita mea nulla unquam voluptate tanta sum affectus, quanta afficior hac integritate, nec me tam fama, quae summa est, quam res ipsa delectat. Quid quaeris? fuit tanti; me ipse non noram, nec satis scie-

In copiosa hac rerum a se gestarum narratione Cicero non subito urbis oppugnatae mentionem fecit. Nam quod in Med. legitur *Nos ad Pindenissum*, ostendit male *Pindenissum* haberi obiectum verbi *cinximus*. Interciderunt nonnulla, in quibus videtur narratum, eum accessisse ad Pindenissum. Acute Buechelerus in Mus. Rhen. XI. p. 522 ex ep. 4, § 10 l. XV ad Fam., ubi de iisdem rebus agitur, h. l. suppleri iussit: *Nos ad-[duximus deinde exercitum ad] Pindenissum, quod — fuit. Feri homines — parati. Cinximus vallo* cet.

Omnium memoria. Lambinus *omni m.*, Orell. *hominum memoria.* Utrumque Tullianum est. *Omnium memoria* praeterquam hoc loco non invenitur.

Hilara sane Saturnalia, militibus quoque, quibus (captivis) exceptis reliquam praedam concessimus. Sic dedi ex acutissima Wesenbergii correctione, Emend. p. 37 et Emend. alt. p. 106 praeclare munita.

in tribunali. Sic vocatur locus in castris elatior, plerumque e cespitibus congestus et duci destinatus. Vid. Lipsius ad Tac. Ann. I. 18. Fiebat tunc eo loco auctio mancipiorum, unde Imperatori nuntiabatur, quo res pervenisset, sive quantum pecuniae redactum esset ex auctione.

Dabam — recipiebam ɔ: dare — recipere cogitabam; quem usum imperfecti iam saepe observavimus.

§ 6. *quod pluris est quam omnia* ɔ: quod maxime me movet. Sed genetivus pretii non placet; pro eo *plus* scribendum videtur. Nec repugno Schuetzio verba *quam omnia* glossatori tribuente. Si quis ea servare malit, ei fortasse commoda videbitur Io. Fr. Gronovii coniectura, non *in quo*, sed *in quis laboras* esse scribendum.

Ligurino μώμῳ. Hoc nomine alii M. Catonem, alii Q. Hortensium, Gronovius P. Aelium Ligurem, quem inimicum suum Cicero saepius ridet p. Sest. 68, p. dom. 49, de har. resp. 5, designari putant. In re dubia nihil decerno.

moriar, si quidquam fieri potest elegantius ɔ: affirmo tibi neminem in provincia se honestius gerere posse. *Elegantius facere* eadem vi legitur in Divin. in Caec. 57 et Verr. III. 140. Cf. quoque Livius XXXVII. 1, quos locos indicavit I. F. Gronovius.

nec iam ego cet. ɔ: vulgus hoc, quod facio, appellaret continentiam, ego non utar hoc nomine. Nam continentia non est voluptas. Sed quod ago mihi summa est voluptas.

fuit tanti. Doctam de hac formula Madvigii disputationem supra ad ep. 8, 3 laudavi. Is p. 191 docet *tanti esse* hanc vim habere, ferendum aliquid esse, facile pati. Quid

bam, quid in hoc genere facere possem; recte *πεφύσημαι:* nihil est praeclarius. Interim haec *λαμπρά:* Ariobarzanes opera mea vivit, regnat; *ἐν παρόδῳ,* consilio et auctoritate et quod insidiatoribus eius *ἀπρόσιτον* me, non modo *ἀδωροδόκητον* praebui, regem regnumque servavi. Interea e Cappadocia ne pilum quidem — Brutum abiectum, quantum potui, excitavi, quem non minus amo quam tu, paene dixi quam te —, atque etiam spero toto anno imperii nostri teruncium sumptus in provincia nullum fore. 7. Habes omnia. Nunc publice litteras Romam mittere parabam: uberiores erunt, quam si ex Amano misissem. At te Romae non fore! Sed † est totum, quod Kal. Mart. futurum est; vereor enim ne, quum de provincia agetur, si Caesar resistet, nos retineamur: his tu si adesses, nihil timerem. 8. Redeo ad urbana, quae ego diu ignorans ex tuis iucundissimis litteris a. d. v. Kal. Ian. denique cognovi. Eas diligentissime Philogenes, libertus tuus, curavit perlonga et non satis tuta via perferendas; nam quas Laenii pueris scribis datas, non acceperam. Iucunda de Caesare et quae senatus decrevit et quae tu speras, quibus ille si cedit, salvi

fuerit tanti nonnunquam non additur, sed ex sententiarum nexu elicitur, ut h. l. *provinciae molestiam subire.*

πεφύσημαι scripsi a Wes. inventum, a Mueckio munitum, quum hoc a verbo *φυσᾶν* factum aptius sit et ad vestigia cod. M. propius accedat, quam quod post Victorium editur *πεφυσίωμαι.* Cicero hoc dicit se sumere superbiam quaesitam meritis.

Ariobarzanes. Cf. ad ep. 18, 4 h. l. et epistolae ad Catonem (Fam. XV. 4) haec verba § 6: *regem Ariobarzanem — praesentibus insidiis necopinantem liberavi, neque solum ei saluti fui, sed etiam curavi, ut cum auctoritate regnaret.*

ne pilum quidem sc. accepi, repudiavi quodvis etiam minimi pretii munus.

Brutum abiectum cet. Non recte multi hanc sententiam post sequentem transponunt. Ariobarzani et Cappadociae recte adiungitur mentio Bruti, qui illi regi mutuum dederat. Vid. ep. 18, 4.

§ 7. *Sed est totum, quod Kal. Mart. futurum est.* Explicant post Manutium: „Sed in eo, quod Kal. Mart. decernetur de provinciis, mihi omnia sunt, in eo cardo rei vertitur." Aegre desidero verba *in eo,* in hac locutione plane necessaria, quae adsunt ad Q. fr. III. 1, 1. *Totum in eo est, tectorium ut concinnum sit.* Displicet etiam mira horum verborum post superiorem sententiam collocatio. Scripsit Cicero, ni fallor: *At te Romae non fore!* (sc. quum meae litterae in senatu recitabuntur et per totam urbem plurimus de meis rebus gestis sermo erit). *Sed esto tum, quum Kalendae Martiae futurae sunt.* Rogat amicum, ut mense Februario extremo Romae sit ad causam suam tuendam. — Kal. Martiis consules ex SCto de provinciis relaturi erant. Fam. VIII. 8, 5.

si Caesar resistet ɔ: si exercitum dimittere nolet.

§ 8. *a. d. V Kal. Ian. denique cognovi.* Superiora scripta sunt Saturnalibus tertiis ɔ: a. d. XII Kal. Ian. Quare in numero turbatum videtur et fortasse cum Schuetzio et Grubero legendum XV. — Voc. *denique* extra conclusionem positum nonnullis solet offensioni esse, ut Bakio fuit, qui ad Cic. de Legg. p. 479 pluribus locis *demum* corrigi iussit. Handium si audiamus in Tursell. II. p. 267, hic locus erit unus e paucis, ubi *denique* id indicat, quod post longam moram *tandem* fit. Ego vero et illam mutandi libidinem et hanc interpretandi repudio, sed *denique* temporis notationi adiectum, ut in formulis *nunc denique, tum denique* proxime ad particulae *demum* vim accedere puto. Cf. Feldhüg. ad Cic. de Leg. II. 10.

Iucunda Ernesto duce scripsimus pro *iucunde.*

sumus. Incendio Plaetoriano quod Seius ambustus est, minus moleste fero. Lucceius de Q. Cassio cur tam vehemens fuerit et quid actum sit, aveo scire. 9. Ego, quum Laodiceam venero, Quinto, sororis tuae filio, togam puram iubeor dare, cui moderabor diligentius. Deiotarus, cuius auxiliis magnis usus sum, ad me, ut scripsit, cum Ciceronibus Laodiceam venturus erat. Tuas etiam Epiroticas exspecto litteras, ut habeam rationem non modo negotii verum etiam otii tui. Nicanor in officio est et a me liberaliter tractatur, quem, ut puto, Romam cum litteris publicis mittam, ut et diligentius perferantur et idem ad me certa de te et a te referat. Alexis quod mihi toties salutem adscribit, est gratum; sed cur non suis litteris idem facit, quod meus ad te Alexis facit? Phemio quaeritur κέρας. Sed haec hactenus. Cura ut valeas et ut sciam, quando cogites Romam: etiam atque etiam vale. 10. Tua tuosque Thermo et praesens Ephesi diligentissime

salvi sumus ɔ: ego quoque de provincia decedere potero.

Incendio Plaetoriano cet. Quum sermo sit de iis, quae in re publica acta essent, recte plerique interpretes haec verba tropice accipiunt, quasi Cicero scribat se non moleste ferre, quod Plaetorio condemnato de repetundis Seius quoque, ad quem pars pecuniae pervenisset, de residuis damnatus esset, quum ille alter multam solvere non posset. Manutius opportune ex Livio XXXIX. 6 adduxit locutionem *incendio alieni iudicii conflagrare*, idemque scriptor XXII. 40 L. Aemilium. dicentem facit, *se populare incendium priore consulatu semiustum effugisse.* — De Plaetorio et Seio (pro quo libri Mss. habent *Leius*) nihil constat.

Lucceius. Incertum, utrum de Marci (ep. 21, 13) an de Quinti filio cogitandum sit. *Q. Cassius*, Attici familiaris (ep. 21, 2) erat C. et L. Cassii frater, qui sequenti anno Pompeii quaestor, a. 705 trib. pl. fuit. Contentio fortasse orta erat e dissensione in re publica, quum Lucceius Pompeii, Q. Cassius Caesaris fautor esset.

§ 9. *Quinto — togam puram iubeor dare* ɔ: rogatu patris daturus sum. Quum autem satis constet, ut praetexta anno aetatis decimo sexto deponeretur, moris fuisse, cf. Beierus ad Lael. 33, Q. Cicero filius argumento huius loci a. 688 natus unoque anno maior fuit quam Marcus filius qui a. 689 natus, Att. I. 2, 1, a. 705 togam puram accepit, ibid. IX. 19, 1.

cui moderabor diligentius. Moderari alicui esse modum statuere alicui, continere, coërcere, *moderari aliquid*, instituere ac regere a Grammaticis docetur, vid. Reisig § 371. Madvig § 269 *b*. Adn. 1 confirmaturque illud praeceptum usu Ciceronis et Livii. Nam quem opponunt locum ex Livio XLII. 62: *Ita tum mos erat, in adversis vultum secundae fortunae gerere, moderari animos in secundis*, facili correctione emendo scribens *animo*, quod in dicto generali aptissimum est. In eo habeo Madvigium assentientem in Emend. Livian. p. 546. Sed ab aliis non semper observatum est. De Sallustio monuit Kritzius ad Iug. 82, 2, Tacitus sine discrimine utrumque casum posuit, Suetonius et Plinius Minor semper accusativum huic verbo adiunxerunt.

ut habeam rationem non modo negotii, verum etiam otii tui. Ita scribit cogitans fortasse praeclaram M. Catonis sententiam, qui in principio Originum scripserat: *Clarorum virorum atque magnorum non minus otii, quam negotii rationem exstare oportere.* Laudavit Cicero in Planciana, 66 et Iustinus in praefat. Hist. Philipp. § 5.

Alexis, Attici scriba, quem XII. 10 imaginem Tironis appellat, ut Tironem h. l. *suum Alexin.* De *Nicanore*, Attici servo vid. h. l. 3, 3.

Phemio quaeritur κέρας. Cf. ep. 21, 9. VI. 1, 13. Nomen homini vid. imposuisse Homericum, ut Ovidius Am. III. 7, 61. *Quid iuvet, ad surdas si cantet Phemius aures? κέρας* autem dicit instrumentum musicum.

commendaram et nunc per litteras, ipsumque intellexi esse perstudiosum tui. Tu velim, quod antea ad te scripsi, de domo Pammeni des operam et, quod tuo meoque beneficio puer habet, cures ne qua ratione convellatur. Utrique nostrum honestum existimo, tum mihi erit pergratum.

§ 10. *de domo Pammeni.* Postea scribit: *Pammenia illa mihi non placent,* VI. 2, 10, quae ad idem negotium spectant, ceteroquin ignotum. Sed illa: *Tu velim — des operam, ut — cures* nemini offensioni fuisse miror. Scribens *des operam et — cures* certum mendum sustulisse mihi videor.

Utrique n. honestum existimo. Melius esset: *Id utrique n. h. existimo,* aut ut coniecit Buechelerus l. c.: *Id quum honestum utrique n. existimo, tum mihi erit pergratum.*

XXI. (*A. U. C.* 704.)

1. Te in Epirum salvum venisse et, ut scribis, ex sententia navigasse vehementer gaudeo, non esse Romae meo tempore pernecessario submoleste fero, hoc me tamen consolor uno: spero te istic iucunde hiemare et libenter requiescere. 2. C. Cassius, frater Q. Cassii, familiaris tui, pudentiores illas litteras miserat — de quibus tu ex me requiris, quid sibi voluerint — quam eas, quas postea misit, quibus per se scribit confectum esse Parthicum bellum. Recesserant illi quidem ab Antiochia ante Bibuli adventum, sed nullo nostro εὐημερήματι; hodie vero hiemant in Cyrrhestica maximumque bellum impendet: nam et Orodi, regis Parthorum, filius in provincia nostra est, nec dubitat Deiotarus — cuius filio pacta est Artavasdis filia, ex quo sciri potest —, quin cum omnibus copiis ipse prima aestate Euphraten transiturus sit. Quo autem die Cassii litterae victrices in senatu recitatae sunt, id est, Nonis Octobribus, eodem meae tumultum nun-

§ 1. *Te — salvum venisse — gaudeo.* Est formula usitata compellandi e longinquo venientem. Cf. Fam. I. 10. *Fac, ut quam primum venias, ut possimus salvum te venisse gaudere.* Ter. Ad. I. 1, 55. Heaut. II. 4, 27. Eun. V. 5, 6.

consolor: non spero cet. E codd. omnes servarunt praeter W., qui de Madvigii coniectura edidit: *hoc me t. consolor uno: spero* cet. Cicero sperat amici commorationem in Epiro iucundam fore.

et libenter requiescee. Libenter his carebimus, etsi veteris libri, in quo Ursinus ea deesse nuntiavit, nulla est auctoritas.

§ 2. *Cassius.* Aegre ferens praenominis absentiam scribendum curavi *C. Cassius.* Cf. ad § 13.

in Cyrrhestica ɔ: in Syriae parte proxima Ciliciae, vid. ep. 18, 1. *Provincia nostra* est igitur populi Romani, non quam ipse obtinebat.

ex quo sciri potest. Nam Artavasdis, Armeniorum regis, soror nupta erat Orodi, Parthorum regis, filio, Fam. XV. 3, 1; ipse erat dubio in Romanos animo ibid. et 2, 2.

Cassii litterae victrices ɔ: laureatae, quibus victoriam nunciabat senatui (cf. Ovid. Am. I. 11, 25 *victrices lauro redimire tabel-*

tiantes. Axius noster ait nostras auctoritatis plenas fuisse, illis negat creditum. Bibuli nondum erant allatae, quas certo scio plenas timoris fore. 3. Ex his rebus hoc vereor ne, quum Pompeius propter metum rerum novarum nusquam dimittatur, Caesari a senatu nullus honos habeatur, dum hic nodus expediatur, non putet senatus nos antequam successum sit, oportere decedere nec in tanto motu rerum tantis provinciis singulos legatos praeesse. Hic, ne quid mihi prorogetur, quod ne intercessor quidem sustinere possit, horreo, atque eo magis, quod tu abes, qui consilio, gratia, studio multis rebus occurreres. Sed dices me ipsum mihi sollicitudinem struere. Cogor, et velim ita sit, sed omnia metuo, etsi bellum ἀκροτελεύτιον habet illa tua epistola, quam dedisti nauseans Buthroto: »tibi, ut video et spero, nulla ad decedendum erit mora." Mallem »ut video"; nihil opus fuit, »ut spero." 4. Acceperam autem satis celeriter Iconii per publicanorum tabellarios a Lentuli triumpho datas: in his γλυκύπικρον illud confirmas moram mihi nullam fore, deinde addis, si quid secus, te ad me esse venturum. Angunt me dubitationes tuae, simul et vides, quas acceperim litteras. Nam quas Hermoni centurionis Canulei † ipse scribis

las), non potuerunt Nonis Octobribus in senatu recitari, sed illo die datae videntur. cf. F. Hofmann in Philol. XV p. 666, qui pro *id est* coniecit *datae*, et L. Moll de tempp. epist. Tull. p. 30. Sternkopf Quaestt. chronol. p. 33.

§ 3. *dum — expediatur.* Coniunctivus, cui favent corruptelae Med. *experiantur — experiatur*, in hac constructione recte particulae *dum* additur. Cf. IV. 17, 3 (vulgo 16, 6), VII. 1, 4. Utrumque modum posuit Lentulus Fam. XII. 14, 4. Orell. edidit *expeditur*.

quod ne intercessor quidem sustinere possit. Veretur Cicero ne provincia sibi prorogetur eiusmodi SCto, cui ne tribuni plebis quidem intercedere possent, clausula addita, quae plene legitur in ep. ad Fam. VIII. 8, 6. Cf. Att. IV. 2, 4.

Cogor et velim ita sit ɔ: „non possum non facere et opto ut vanus fuerim." Gronovius. „Sententia requirit *Fortasse* (Schuetz.) simileve aliquid." Wesenbergius. Gronovii interpretatio non debet probari, quum verbis vim faciat.

§ 4. *a Lentuli triumpho* ɔ: post triumphum, quem P. Lentulus Spinther, qui ante Appium per triennium Ciliciam administrarat, Romae egit.

Esse venturum recepi cum B W Kl. e margine Crat. Vulgo e Med. *fore venturum*. Sed praeter hunc locum et alterum Livii VI. 42 infinitivi haec forma non invenitur apud antiquos scriptores, quorum quidem scripta supersunt. Nam ex orat. p. Milone, quae Sanctius hanc quaestionem tractans in Minerva I. 14 citat: *nihil horum vos visuros fore*, ea in editt. emendatis § 78 ita inveniuntur: *nihil eorum vos visuros fuisse*. Neque ullam video huius formae necessitatam et utrique loco facile librariorum errori deberi potest. Quare voc. *fore* uncinis includi iusserunt Laur. Valla Eleg. I. 26 et Madvigius, Bemerkungen p. 64. Aliter censent e recentioribus Krügerus, Untersuch. II. p. 23. Haasius ad Reisigii Scholas p. 483. Alschefskius in censura Grammat. Madvigii, quae legitur in Diar. liter Ienens. 1844, p. 1052 seq. Diversi generis sunt exempla, ubi vel *fore* cum gerundivis construitur, vel quae petita sunt e scriptoribus, qui *forem* nullo discrimine pro *essem* ponunt.

angunt. Non persuasit Klotzius *pungunt* melius esse. Subita res *pungit*; quae diutius durant animoque saepius offeruntur, *angunt.*

Canulei nomen superest in Med. *canule ipse.* Quid in *ipse* vel in *pse* lateat, dubium

te dedisse, non accepi. Laenii pueris te dedisse saepe ad me scripseras: eas Laodiceae denique, quum eo venissem, III. Id. Febr. Laenius mihi reddidit, datas a. d. X. Kal. Octobres. Laenio tuas commendationes et statim verbis et reliquo tempore re probabo. 5. Hae litterae cetera vetera habebant, unum hoc novum de Cibyratis pantheris. Multum te amo, quod respondisti M. Octavio te non putare; sed posthac omnia, quae certa non erunt, pro certo negato; nos enim et nostra sponte bene firmi et mehercule auctoritate tua inflammati vicimus omnes — hoc tu ita reperies — quum abstinentia, tum iustitia, facilitate, clementia. Cave putes quicquam homines magis unquam esse miratos quam nullum teruncium me obtinente provinciam sumptus factum esse nec in rem publicam nec in quemquam meorum, praeterquam in L. Tullium legatum. Is, ceteroqui abstinens, sed Iulia lege transitans semel tamen in diem, non, ut alii solebant, omnibus vicis [praeter eum semel nemo] accepit: facit ut mihi excipiendus sit, quum teruncium nego sumptus factum: praeter eum accepit nemo. Has a nostro Q. Titinio sordes accepimus. 6. Ego aestivis confectis Quintum fratrem hibernis et Ciliciae praefeci; Q. Volusium, tui Tiberii generum, certum hominem, sed mirifice etiam abstinentem, misi in Cyprum, ut ibi pauculos dies esset, ne cives Romani pauci, qui illic negotiantur, ius sibi dictum negarent; nam evocari ex insula Cyprios non licet. 7. Ipse in Asiam profectus sum Tarso Nonis Ianuariis,

est. Nam ipsum pronomen non potest servari. Lambinus in priore edit. posuit *lib.* ɔ: liberto, in marg. alterius correxit *scribae*; Klotzius edidit *servo*.

§ 5. *de Cibyratis pantheris.* Cf. VI. 1, 21. Caelius saepius in epistolis Ciceronem rogavit, ut e Cilicia sibi pantheras mitteret, ad ludos, quos aedilis curulis daturus erat. Vid. Fam. VIII. 2, 2. 4, 5. 6, 5. 9, 3. Eius collega M. Octavius certior fieri ab Attico voluit, num Cicero huic petitioni satisfaceret.

quae certa non erunt ɔ: quae fama et rumore feruntur. Fortasse tamen praestat *recta*, quod W. e Torn. et marg. Crat. recepit.

Is, ceteroqui abstinens, cet. Locus e bonis libris emendatus est, nondum sanatus. Adscribam verba, quomodo partim ab aliis, partim a me correcta sunt: *Is ceteroqui abstinens* EST, *sed Iulia lege transitans semel tamen indidem, non ut alii solebant in omnibus vicis, accepit:* ITA *facit ut mihi excipiendus sit*, cet. De lege Iulia monui ad ep. 10, 2 h. l. *Transitare*, quod ex hoc uno loco notatur, est uno die plura loca obire. Madvigius A. C. III p. 176 ad *accepit* obiectum requirens e *transita* (M. *transitam*, unde Manutius fecit *transitans*), quod Ascensius edidit, fecit *prandia*. Nil vidi ineptius. *accepit* absolute ponitur. vid. adnotatio mea ad I. 17, 8.

Has — sordes accepimus ɔ: hoc dedecus, hanc turpitudinem debeo Q. Titinio, qui mihi hunc hominem legatum commendavit. Ex eo tamen, quod ep. 11, 4 et 14, 2 h. l. eum appellat *Tullium tuum*, apparet hominem Ciceroni ab Attico quoque commendatum fuisse.

§ 6. *certum hominem, sed mirifice etiam abstinentem* ɔ: non modo hominem, cui rem tuto committere possum (ut Fam. I. 7. 1), sed etiam abstinentem. Cff. quae monui ad III. 15, 5. *etiam* in Med. omissum Malaspinae codices attulerunt.

§ 7. *Asiae nostrarum dioecesium.* Cf. ep. 15, 8. Si verba *nostrarum dioecesium* Cicero-

non mehercule dici potest, qua admiratione Ciliciae civitatum maximeque Tarsensium. Postea vero quam Taurum transgressus sum, mirifica exspectatio Asiae nostrarum dioecesium, quae sex mensibus imperii mei nullas meas acceperat litteras, nunquam hospitem viderat. Illud autem tempus quotannis ante me fuerat in hoc quaestu: civitates locupletes, ne in hiberna milites reciperent, magnas pecunias dabant, Cyprii talenta Attica cc., qua ex insula — non ὑπερβολικῶς, sed verissime loquor — nummus nullus me obtinente erogabitur. Ob haec beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi nisi verborum decerni sino, statuas, fana, τέθριππα prohibeo, nec sum in ulla re alia molestus civitatibus, sed fortasse tibi, qui haec praedicem de me. Perfer, si me amas; tu enim me haec facere voluisti. 8. Iter igitur ita per Asiam feci, ut etiam fames, qua nihil miserius est, quae tum erat in hac mea Asia — messis enim nulla fuerat —, mihi optanda fuerit; quacunque iter feci, nulla vi nullo iudicio nulla contumelia auctoritate et cohortatione perfeci, ut et Graeci et cives Romani, qui frumentum compresserant, magnum numerum populis pollicerentur. 9. Idibus Februariis, quo die has litteras dedi, forum institueram agere Laodiceae Cibyraticum et Apamense, ex Idibus Mart. ibidem Synnadense, Pamphylium, — tum Phemio dispiciam κέρας — Lycaonium, Isauricum: ex Idibus Mai. in Ciliciam, ut ibi Iunius consumatur, velim tranquille a Parthis. Quintilis, si erit ut volumus, in itinere est per provinciam redeuntibus consumendus. Venimus enim in provinciam Laodiceam, Sulpicio et Marcello consulibus, pridie Kal. Sextiles; inde nos oportet decedere a. d. III. Kal. Sext. Primum contendam a Quinto fratre, ut se praefici patiatur, quod et illo et me

nis sunt, explicandi causa genetivo *Asiae* addita sunt. Si alterum delendum est, malim *Asiae* abiicere et in seqq. verbis *acceperant — viderant* corrigere.

nullas meas — litteras „quibus pecunia ei imperaretur." Ern.

hospitem ɔ: aliquem e meis comitibus apud se deversantem et hospitio excipiendum.

fana. Spectat huc, quod scribit ad Q. fr. I. 1, 26 civitates ad templum monumentumque pecunias decrevisse, se vero accipiendum non putasse. Cf. Casaub. ad Suet. Aug. 52 in. — τέθριππα sunt quadrigae aeneae, quas in fastigiis templorum vel theatri vel in arcubus ponebant.

§ 8. *quacunque iter feci* cet. His verbis rationem reddit, cur fames sibi optanda fuerit. Particulae causalis omissio frequens est. Cf. Seyffert ad Cic. Lael. p. 133. Sic VI. 1, 7 *deponere volebant.*

qui frumentum compresserant ɔ: coëmerant et lucri faciundi causa in horreis suis retinebant. Cf. Verr. III. 179.

magnum numerum ɔ: magnam copiam. Sic solent veteres. Cf. Heusing. ad Off. III. 12, 3.

§ 9. *forum Cibyraticum, Apamense, Synnadense.* Quae civitates ad eos conventus convenire solerent, docet Plinius H. N. V. 105 seq.

A. d. III Kal. Sext. Vulgo IIII. Nume-

invitissimo fiet; sed aliter honeste fieri non potest, praesertim quum virum optimum, Pomptinum, ne nunc quidem retinere possim. Rapit hominem [enim] Postumius Romam, fortasse etiam Postumia. 10. Habes consilia nostra: nunc cognosce de Bruto. Familiares habet Brutus tuus quosdam creditores Salaminiorum ex Cypro, M. Scaptium et P. Matinium, quos mihi maiorem in modum commendavit. Matinium non novi; Scaptius ad me in castra venit. Pollicitus sum curaturum me Bruti causa, ut ei Salaminii pecuniam solverent. Egit gratias; praefecturam petivit. Negavi me cuiquam negotianti dare — quod idem tibi ostenderam; Cn. Pompeio petenti probaram institutum meum; quid dicam Torquato de M. Laenio tuo, multis aliis? — sin praefectus vellet esse syngraphae causa, me curaturum ut exigeret. Gratias egit, discessit. Appius noster turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salaminios coërceret, et eundem habuerat praefectum; vexabat Salaminios. Ego equites ex Cypro decedere iussi. Moleste tulit Scaptius. 11. Quid multa? ut ei fidem meam praestarem, quum ad me Salaminii Tarsum venissent et in iis Scaptius, imperavi ut pecuniam solverent. Multa de syngrapha, de Scaptii iniuriis: negavi me audire, hortatus sum, petivi etiam pro meis in civitatem beneficiis ut negotium conficerent, denique dixi me coacturum. Homines non modo non recusare sed etiam hoc dicere, se a me solvere; quod enim praetori dare consuessent, quoniam ego non acce-

rum correxit Manutius, ut res postulat et ipse Cicero VI. 2, 6 et 3, 1 suadet.

Postumia. De hac Servii Sulpicii uxore eiusque moribus parum modestis disputavit Martynius-Laguna in argum. ep. 2, lib. IV ad Fam.

§ 10. *nunc cognosce de Bruto.* Quae de hac Bruti causa leguntur hac et tribus prioribus epistolis libri sequentis, ea illustravit Savignius peculiari dissertatione, quae prodiit in Novis Comment. Acad. Berol. a. 1818. Brevius rem enarrat Abeken, Cicero in s. Briefen, p. 212—215.

maiorem in modum ɔ: valde. Cf. Fam. XIII. 21, 2 et 24, 3. Simplex *in modum* ibid. XVI. 18, 1 dicitur pro *modice.*

praefecturam petivit. Praefectos iuri dicundo, de quibus cogitabat Manutius ad h. l. et ad. Fam. II. 17, 4, in provinciis fuisse nullo argumento probatur. Petivit hic Scaptius praefecturam equitum in Cypro. Neque obstat, quod mox *turmas equitum habere* et *praefectum esse* tanquam res diversae indicantur. Poterat enim quis cum turma equitum aliquo mitti, qui praefectus non esset, aut praefectus esse, neque equites secum ducere. Vid. Savignius l. l. p. 184 seqq. *Praefecti* inter comites magistratuum provincialium nominantur in Verr. L. II. 27.

Cn. Pompeio — Torquato de M. Laenio tuo. Cf. VI. 1, 6.

sin praefectus vellet esse syngraphae causa ɔ „ut terrore mandatae iurisdictionis (immo potestatis) obsequentiores redderet debitores suos ad solvendum, quod e syngrapha ei deberetur." Gronovius.

ut exigeret ɔ: ut obtineret pecuniam sibi debitam. *Exigere* est id, quod Germani dicunt *eintreiben,* nos *innen.* Cf. Verr. I. 91 *reliqua vendidit, pecuniam exegit.*

§ 11. *et in iis Scaptius.* Sic recte dicitur, etsi Scaptius non erat Salaminius, ut opus

peram, se a me quodam modo dare, atque etiam minus esse aliquanto in Scaptii nomine quam in vectigali praetorio. Collaudavi homines. »Recte," inquit Scaptius, »sed subducamus summam." Interim quum ego in edicto tralaticio centesimas me observaturum haberem cum anatocismo anniversario, ille ex syngrapha postulabat quaternas. »Quid ais?" inquam; »possumne contra meum edictum?" At ille profert senatus consultum Lentulo Philippoque consulibus, VT, QVI CILICIAM OBTINERET, IVS EX ILLA SYNGRAPHA DICERET. 12. Cohorrui primo; etenim erat interitus civitatis. Reperio duo senatus consulta iisdem consulibus de eadem syngrapha. Salaminii quum Romae versuram facere vellent, non poterant, quod lex Gabinia vetabat. Tum iis Bruti familiares, freti gratia Bruti, dare volebant quaternis, si sibi senatus consulto caveretur. Fit gratia Bruti senatus consultum, VT NEVE SALAMINIIS, NEVE QVI EIS DEDISSET, FRAVDI ESSET. Pecuniam numerarunt. [Et] postea venit in mentem faeneratoribus nihil se iuvare illud senatus consultum, quod ex syngrapha ius dici lex Gabinia vetaret. Tum fit senatus consultum, VT EX EA SYNGRAPHA *** esset quam ceterae, sed ut eodem. Quum haec disseruissem, seducit me

non sit corrigere *et una Scaptius.* Nam *in iis* valet i. q. *inter eos.*

se a me solvere ɔ: mea pecunia vel potius pecunia, quam ego recusaram. cf. VII. 18 4. Eleganter hac locutione utitur Cicero p. Planc. 103 *sinite me, quod vobis fretus huic saepe promisi, id a vobis ei persolvere.*

centesimas — cum anatocismo anniversario. Ne faeneratores centesimis maiores usuras sumerent primus L. Lucullus edicto suo sanxit (Plut. in Luc. 20), a quo in edicta sequentium proconsulum caput hoc translatum est. Praeter centesimas (12 *pro cent*) creditoribus concessus erat anatocismus anniversarius, cui locus erat, quum usurae suo tempore ɔ: singulis mensibus non solverentur. Tunc enim usurae illae sorti addebantur eamque ita augebant, ut post annum, non vero post singulos menses, ne debitores plane opprimerentur, pro hac quoque accessione usurae pendendae essent. Cf. Savignius l. l. p. 186 seq., qui voc. *anniversario* adversus Ernestum defendit.

quaternas np. centesimas (48 *pro cent*).

Lentulo Philippoque coss. A. u. 698 factum.

§ 12. *versuram facere.* Quid sit docui ad V. 1, 2.

Lex Gabinia a. u. 686 lata vetabat, ne quis Romae provincialibus pecuniam mutuam daret; si quis dedisset, ne ex syngrapha ius redderetur.

ut neve — fraudi esset ɔ: ut ne damno esset, noceret. Cf. Gron. ad Fam. I. 5*a*, 4 in Lectt. Tull. p. 12. Kritz. ad Sall. Hist. III fragm. 81.

Tum fit SCtum, ut ex ea syngrapha — ut eodem. Supplementa Ursini, quod a Schuetzio receptum probavit Savignius, et Lambini minime placent. SCtum factum in gratiam Bruti legis Gabiniae vim coërcebat, iussitque igitur nihil aliud, nisi *ut ex ea syngrapha ius diceretur* vel, ut supra scripsit *ut, qui Ciliciam obtineret, ius ex illa syngrapha diceret.* Totidem verbis hoc testatur Cicero VI. 2, 7. Quae ibidem addit: *Nunc ista habet iuris idem, quod ceterae, nihil praecipui* satis demonstrant h. l. verba *esset quam ceterae, sed ut eodem* non SCti esse, sed Ciceronis. Integer locus ita fere se habuit: *Tum fit SCtum, ut ex ea syngrapha ius diceretur, non ut alio iure ea syngrapha esset, quam ceterae syngraphae, sed ut eodem.* Non poterat igitur Scaptius ex ea syngrapha quaternas centesimas petere, si illud faenus edicto tralatitio erat vetitum.

Scaptius, ait se nihil contra dicere, sed illos putare talenta cc. se debere, ea se velle accipere, debere autem [illos] paullo minus; rogat, ut eos ad cc. perducam. »Optime,'' inquam. Voco illos ad me remoto Scaptio. »Quid vos? quantum, inquam, debetis?'' Respondent, cvi. Refero ad Scaptium. Homo clamare. »Quid opus est?'' inquam, »rationes conferetis.'' Assidunt, subducunt; ad nummum convenit. Illi se numerare velle, urgere, ut acciperet. Scaptius me rursus seducit, rogat ut rem sic relinquam. Dedi veniam homini impudenter petenti; Graecis querentibus, ut in fano deponerent postulantibus, non concessi. Clamare omnes qui aderant nihil impudentius Scaptio, qui centesimis cum anatocismo contentus non esset; alii, nihil stultius; mihi autem impudens magis quam stultus videbatur: nam aut bono nomine centesimis contentus erat, aut, non bono, quaternas centesimas sperabat. 13. Habes meam causam, quae si Bruto non probatur, nescio cur illum amemus; sed avunculo eius certe probabitur, praesertim quum senatus consultum modo factum sit, puto, postquam tu es profectus, in creditorum causa, ut centesimae perpetuo faenore ducerentur. Hoc quid intersit, si tuos digitos novi, certe habes subductum. In quo quidem, ὁδοῦ πάρεργον, Lucceius M. F. queritur apud me per litteras summum esse periculum, ne culpa senatus his decretis res ad

Quum haec disseruissem ɔ: quum mentem et sententiam SCti exposuissem atque ostendissem modum usurarum eo non esse definitum.

seducit ɔ: seorsum ducit, ut cum me solo loqueretur. Cf. Fam. I. 9, 19, ad q. l. Gronovius in Lect. Tull. p. 23 plura exempla adscripsit.

rationes conferetis de Wesenbergii coni. scripsi. Codd. dant *conferatis.*

ad nummum convenit. Usum praep. *ad* in definienda pecuniae summa exemplis illustrat Handius in Turs. I. p. 103.

rogat ut rem sic relinquam „quia sperabat Ciceroni aliquem successurum minus iusti observantem, a quo re integra impetraret, quod vellet.'' Gronovius.

ut in fano deponerent. Quando creditor pecuniam a debitore accipere recusat, hic liberatur, quum ex sententia iudicis eam in fano deposuit. Cf. Fam. V. 20, 5. XIII. 56, 3.

nam — sperabat. Scaptius ita ratiocinabatur: Aut Salaminii bonum nomen sunt, ut de sorte securus esse possim, et tunc centesimis contentus ero; aut si solvendo non erunt, minando me sortem exacturum, quaternas centesimas exprimam. Accedebat, ut § 7 epist. seq. non obscure indicatur, spes fore ut per alium proconsulem faciliorem et Salaminiis iniquiorem, quod vellet, obtineret. Hac ratione si verba cum Savignio l. l. p. 182 explicantur, neque Orellio, qui *non impudens magis quam stultus* scribi volebat, neque Ernesto *non* ante *contentus* inserenti obtemperandum esse patet. Sed pro *contentus erat* necessario *contentus erit* scribendum. Nimis a codd. recedit haec I. F. Gronovii coniectura: *Nam bono iure centesimas contempserat, qui non bono quaternas sperabat.*

§ 13. *perpetuo faenore* ɔ: sine anatocismo. Opponitur *faenus quotannis renovatum.* VI. 2, 7. 3, 5.

si tuos digitos novi. Atticus, qui ipse nummos in faenore ponere solebat, suis digitis computare poterat, quanto minus ex hoc SCto Brutus acciperet anatocismo deducto.

Lucceius M. F. Praenomen L. addendum esse, patris nomine M. addito, vidit Ellendt ad Cic. de Orat. II. 346.

quid olim mali C. Iulius fecerit. Recte

tabulas novas perveniat; commemorat quid olim mali C. Iulius fecerit, quum dieculam duxerit; nunquam rei publicae plus. Sed ad rem redeo. Meditare adversus Brutum causam meam, si haec causa est, contra quam nihil honeste dici potest, praesertim quum integram rem et causam reliquerim. 14. Reliqua sunt domestica. De ἐνδομύχῳ, probo idem, quod tu, Postumiae filio, quoniam Pontidia nugatur; sed vellem adesses. A Quinto fratre his mensibus nihil exspectaris; nam Taurus propter nives ante mensem Iunium transiri non potest. Thermum, ut rogas, creberrimis litteris fulcio. P. Valerium negat habere quicquam Deiotarus rex eumque ait a se sustentari. Quum scies Romae intercalatum sit necne, velim ad me scribas certum, quo die mysteria futura sint. Litteras tuas minus paullo exspecto, quam si Romae esses, sed tamen exspecto.

Popma negavit hic agi de Caesare dictatore; de quo qui cogitant paene coguntur, ut cum Gronovio et Graevio verba *olim* — *fecerit* et *duxerit* ad rem futuram trahant, quum nihil eiusmodi ab eo factum fuisse ad hoc tempus constet. Sed nulla causa est, cur Cicero, si id voluisset, non usitate scripsisset: *aliquando* — *facturus sit*. Accedit quod hunc saepe vocat *C. Caesarem* nunquam *C. Iulium*. Etsi res ignota est in historia illorum temporum, verisimile est hic agi de facto quodam eius C. Iulii, qui quum rempb. turbaret a satellitibus Marii occisus est. Vid. Ascon. ad Scaurianam p. 22.

quum dieculam duxerit ɔ: quum tempus solutionis brevissimo spatio produxerit, prorogarit. *Dieculam* enim pro brevi mora usitatum fuisse ostendunt Plautus in Pseud. I. 5, 88, Terentius in Andr. IV. 2, 27. *Duxerit* autem, non e Med. *dixerit*, scribendum est e coni. Manutii. Klotzii *dieculam prodixerit* reieci in Obss. crit. p. 49.

nunquam rei publicae plus sc. mali factum esse. Turpi errore in Med. scriptum est *res publica*. Nominativus stare nequit in verbis Lucceii a Cicerone citatis. Scripsisset saltem: *nunquam remp. plus* sc. mali passam esse.

§ 14. *De* ἐνδομύχῳ. Cf. ad ep. 14, 3 h. l. et VI. 1, 10. Sequentia explicatione egent, non correctione. Hoc dicit: Probo idem quod tu, Tulliam despondendam esse Servio Sulpicio, Postumiae filio, quoniam Pontidia, quae alium commendavit, non serio agit.

Thermum — *fulcio*. Cf. ad ep. 13, 2.

P. Valerium Attici debitorem fuisse Manutius non male coniecit.

quo die mysteria futura sint. Iterum VI. 1, 26 scribit: *facies me, in quem diem Romana incidant mysteria, certiorem*. *Mysteria* dici Sacra Bonae Deae, quae quum Kal. Maiis legitime fiebant, interdum tamen illa aetate in aliud tempus incidebant, accurata disputatione probavit Gronovius, Observ. IV. 9, p. 614—623. Cur Cicero hunc diem scire voluerit, ignoramus. Locutio *scribas certum* a consuetudine Tulliana recedit. Aptissimum esset: *velim ad me scribas, ut certum sciam, quo die m. f. sint*. *Certum scire* invenitur VII. 13 b., 2, ubi alios locos indicabo.

LIBER VI.

I. (*A. U. C.* 704.)

1. Accepi tuas litteras a. d. v. Terminalia Laodiceae, quas legi libentissime plenissimas amoris, humanitatis, officii, diligentiae. Iis

igitur respondebo ***, sic enim postulas; nec *οἰκονομίαν* meam institutam, sed ordinem conservabo tuum. Recentissimas a Cybistris te meas litteras habere ais a. d. x. Kal. Octobr. datas, et scire vis tuas ego quas acceperim: omnes fere, quas commemoras, praeter eas, quas scribis Lentuli pueris et Equotutico et Brundisio datas. Quare non *οἴχεται* tua industria, quod vereris, sed praeclare ponitur, siquidem id egisti, ut ego delectarer; nam nulla re sum delectatus magis. 2. Quod meam *βαθύτητα* in Appio tibi, libertatem etiam in Bruto probo, vehementer gaudeo, ac putaram paullo secus. Appius enim ad me ex itinere bis terve *ὑπομεμψιμοίρους* litteras miserat, quod quaedam a se constituta rescinderem. Ut, si medicus, quum aegrotus alii medico traditus sit, irasci velit ei [medico] qui sibi successerit, si, quae ipse in curando constituerit, immutet ille, sic Appius, quum *ἐξ ἀφαιρέσεως* provinciam curarit, sanguinem miserit, quicquid potuit detraxerit, mihi tradiderit enectam, *προςανατρεφομένην* eam a me non libenter videt, sed modo suscenset, modo gratias agit. Nihil enim a me fit cum ulla illius contumelia, tantummodo dissimilitudo meae rationis offendit hominem; quid enim potest esse tam dissimile, quam illo imperante exhaustam esse sumptibus et iacturis provinciam,

§ 1. *a. d. V Terminalia.* Quum Terminalia agerentur a. d. VII Kal. Martias, indicatur dies m. Februarii decimus nonus. Sed, ut acute observavit Idelerus, utitur Cicero insolenti hac temporis notatione, quum nesciret essetne intercalatum necne, ideoque dubitaret, utrum a. d. XI Kal. Martias, an vero a. d. VI Kal. intercalares sibi esset scribendum. Cf. infra § 12.

*Iis igitur respondebo *** sic enim postulas.* Sane non postularat Atticus, ut omnino responderet, sed ut ad singula rescriberet. Victorius non male suspicabatur aliquod voc. Graecum excidisse post *respondebo.* Forsitan fuerit *κατὰ μίτον*, quo utitur in simili re, XIV. 16, 3. Quod in margine Lamb. adscriptum est *χρύσεα χαλκείων* e § 22 mihi quidem non probatur; certe *non* ex eodem loco iis verbis praefigi deberet, ut fecit W.

οἰκονομίαν ɔ: rerum certo ordine distributarum tractationem. Cf. § 11.

meas litteras cet. Eae nunc leguntur V. 19. Cf. ep. 18, 1.

§ 2. *βαθύτητα.* Vid. ad IV. 6, 3. — *Libertatem,* qua Scaptio iniqua petenti negarat. Lectio cod. Med. *liberalitatem* a plerisque editoribus reiecta immerito a Wesenbergio reducta est.

ac putaram paullo secus. Ac nunquam habet vim adversativam, sed nonnunquam ponitur, ubi *ac tamen* nostrae consuetudini melius responderet. Semper indicat duas res aequalem vim habere. Bene de hac re disp. Handius in Turs. I. p. 488 seqq., a quo dissentio, quum in or. p. Mur. 6 pro *Ac de officio defensionis meae ac de ratione accusationis tuae* secutus Goerenzium *At de officio* scribi iubet. Prius *ac* non magis quam alterum sollicitari debet. In verbis autem e Cat. I. 15 *Ac iam illa omitto* Cicero non *At iam*, sed *Ac tamen* videtur dedisse. Falso Muellerus h. l. volebat: *nec putaram secus.*

ei [medico], qui sibi successerit. Manifestum emblema indicasse satis erit.

προςανατρεφομένην ɔ: refocillatam. Quod Graeci dicebant *ἀνατρέφειν*, id Romanis in eadem re erat *nutrire.* Vid. I. F. Gronovius ad Liv. VII. 4, 6.

modo gratias agit. Cf. paullo post: *Sin Appius — gratias nobis agit,* sc. quod Cicero ei parcebat et tam leniter agebat.

iacturis ɔ: largitionibus, erogatione pecuniae. cf. Gronovius de sestertiis IV. 4.

nobis eam obtinentibus nummum nullum esse erogatum nec privatim nec publice? Quid dicam de illius praefectis, comitibus, legatis etiam? de rapinis? de libidinibus? de contumeliis? Nunc autem domus mehercule nulla tanto consilio aut tanta disciplina gubernatur aut tam modesta est quam nostra tota provincia. Haec nonnulli amici Appii ridicule interpretantur, qui me idcirco putant bene audire velle, ut ille male audiat, et recte facere non meae laudis sed illius contumeliae causa. Sin Appius, ut Bruti litterae, quas ad te misit, significabant, gratias nobis agit, non moleste fero; sed tamen eo ipso die, quo haec ante lucem scribebam, cogitabam eius multa inique constituta et acta tollere. 3. Nunc venio ad Brutum, quem ego omni studio te auctore sum complexus, quem etiam amare coeperam, sed † dico revocavi me, ne te offenderem. Noli enim putare me quicquam maluisse quam ut mandatis satisfacerem, nec ulla de re plus laborasse. Mandatorum autem mihi libellum dedit iisdemque de rebus tu mecum egeras. Omnia sum diligentissime persecutus. Primum ab Ariobarzane sic contendi, ut talenta, quae mihi pollicebatur, illi daret. Quoad mecum rex fuit, perbono loco res erat; post a Pompeii procuratoribus sexcentis premi coeptus est; Pompeius autem quum ob ceteras causas plus potest unus quam ceteri omnes, tum quod putatur ad bellum Parthicum esse venturus. Ei tamen sic nunc solvitur: tricesimo quoque die talenta Attica XXXIII. et hoc ex tributis; † nec id satis efficitur in usuram menstruam, sed Cnaeus noster clementer

Quid dicam de — legatis etiam? de rapinis? cet. Verba distinxi, ut W. Em. alt. p. 107 distinguenda esse monuit, quo facto dubitatio mea de fide verborum *de rapinis* tollitur.

Nunc autem domus nulla cet. Similiter Florus I, 6. narrat Servium Tullium sic ordinasse remp., *ut maxima civitas minimae domus diligentia contineretur.*

qui — putant. Scripsi cum Schuetzio pro *putent*, quoniam hoc verbum non ex Appii amicorum sententia repetitur.

§ 3. *sed revocavi me, ne te offenderem* ɔ: coeperam amare Brutum, sed revocavi me ab eo amando, ne tu ipse me amare desineres, ut scribit infra § 5. Interpositum reliquae oration *dico* multas turbas dedit. Wesenbergius, qui antea Emend. p. 49 affirmarat per *dico*, non minus quam per *inquam* ea, quae praecedunt, alio modo repeti, deinde recepit Faerni coniecturam. Ego cum Kahntio in Symb. Crit. p. 7 *ideo* vel *idcirco*, potius quam cum Orellio *cito*, aut cum Faerno *illico* verum esse existimo. Memorabilis etiam est Franckenii coni: „sed *in eo* revocavi me, ne *ceteros* offenderem."

ut mandatis satisfacerem e M² receperunt W. et Kl. Quum prima manus omisisset *satis*, Victorius edidit *ut mandat is, facere,* Ernestus *ut mandarat is, facere.* Sed correctio libri Med. probabilior est.

ab Ariobarzane cet. Vid. ad V. 18, 4.

premi coeptus est. Cat. II. 21 *qui iampridem premuntur, qui nunquam emergent, qui — in veteri aere alieno vacillant.*

† *nec id satis efficitur.* Orellius coniecit: *nec ita satis efficitur.* Verius puto: *ne sic quidem satis efficitur.*

id fert; sorte caret, usura nec ea solida contentus est. Alii neque solvit cuiquam nec potest solvere: nullum enim aerarium, nullum vectigal habet, Appii instituto tributa imperat: ea vix in faenus Pompeii quod satis sit efficiunt. Amici regis duo tresve perdivites sunt, sed ii suum tam diligenter tenent quam ego aut tu. Equidem non desino tamen per litteras rogare, suadere, accusare regem. 4. Deiotarus etiam mihi narravit se ad eum legatos misisse de re Bruti; eos sibi responsum retulisse illum non habere. Et mehercule ego ita iudico, nihil illo regno spoliatius, nihil rege egentius. Itaque aut tutela cogito me abdicare aut, ut pro Glabrione Scaevola, faenus et impendium recusare. Ego tamen, quas per te Bruto promiseram praefecturas, M. Scaptio, L. Gavio, qui in regno rem Bruti procurabant, detuli; nec enim in provincia mea negotiabantur. Tu autem meministi nos sic agere, ut, quot vellet, praefecturas sumeret, dum ne negotiatori: itaque duas ei praeterea dederam, sed ii, quibus petierat, de provincia decesserant. 5. Nunc cognosce de Salaminiis, quod video tibi etiam novum accidisse tanquam mihi: nunquam enim ex illo audivi illam pecuniam esse suam, quin etiam libellum ipsius habeo, in quo est, »Salaminii pecuniam debent M. Scaptio et P. Matinio, familiaribus meis." Eos mihi commendat, adscribit etiam et quasi calcar admovet intercessisse se pro iis magnam pecuniam. Confeceram

usura — solida est, quae tota solvitur. cf. *solidus annus* apud Liv. I. 19, *solidus dies* in Hor. I. 1, 20, *solida hora* Iuven. Sat. XI, 204, ɔ: quae tota negotiis datur.

Alii neque solvit. Fortasse: *Alii rex neque solvit.*

Appii instituto tributa imperat ɔ: ut Appius a provincialibus, sic Ariobarzanes a subditis pecuniam cogit.

§ 4. *ut pro Glabrione Scaevola.* Incertum, quos dicat. Id unum non dubito, quin agatur de re recenti, quae tum in ore hominum esset. Vix cogitandum de M' Acilio Glabrione, qui a. 688 Bithyniam pro consule obtinuit. cf. or. de imp. Pomp. 26. Sall. Hist. V. fr. 14.

faenus et impendium recusare ɔ: creditoribus declarare patrimonium pupilli neque sorti neque usuris solvendis esse idoneum, ut hanc formulam recte explicuit Gronovius de Asse p. 416. Cf. adnot. meam ad V. 18, 4. Nos dicimus *iemand in staat van faillissement verklaren.*

M. Scaptio. Hic Scaptius, qui in Cappadocia rem Bruti procurabat, diversus est a M. Scaptio illo, qui Salaminios vexarat. Alteri Cicero praefecturam detulit, alteri in sua provincia negotianti negavit. Cf. VI. 3, 5. De *Gavio* ibid. 6.

§ 5. *tibi etiam novum accidisse, tanquam mihi. Tanquam* in huiusmodi comparatione offensioni fuit Ernesto, qui *tibi tam n. a. quam mihi* correctum volebat, et Orellio, qui disiuncte edi curavit — *accidisse tam, quam mihi.* Ego Madvigii iudicium sequor, qui in Op. Acad. I. p. 494 ex hoc usu librorum scripturam in Sestiana § 120 defendit.

intercessisse se pro iis magnam pecuniam ɔ: se sponsorem intervenisse pro magna pecunia, quam illi a creditoribus mutuam sumpserant. Accusativum verbo *intercedendi* additum tuetur alter locus Ciceronis ex Phil. II. 45 *tantum* (ɔ: *sestertium sexagies*) *enim se pro te intercessisse dicebat,* quem Manutius contulit. In utroque loco *intercedere* est *spondere,* non ut Corrado visum *rogando impetrare.*

ut solverent centesimis sexennii ductis cum renovatione singulorum annorum. At Scaptius quaternas postulabat. Metui, si impetrasset, ne tu ipse me amare desineres; nam ab edicto meo recessissem et civitatem in Catonis et in ipsius Bruti fide locatam meisque beneficiis ornatam funditus perdidissem. 6. Atque hoc tempore ipso impingit mihi epistolam Scaptius Bruti, rem illam suo periculo esse — quod nec mihi unquam Brutus dixerat nec tibi —; etiam, ut praefecturam Scaptio deferrem. Id vero per te exceperamus, ne negotiatori; quod si cuiquam, huic tamen non: fuerat enim praefectus Appio, et quidem habuerat turmas equitum, quibus inclusum in curia senatum Salamine obsederat, ut fame senatores quinque morerentur. Itaque ego, quo die provinciam tetigi, quum mihi Cyprii legati Ephesum obviam venissent, litteras misi, ut equites ex insula statim decederent. His de causis credo Scaptium iniquius de me aliquid ad Brutum scripsisse. Sed tamen hoc sum animo: si Brutus putabit me quaternas centesimas oportuisse decernere, quum tota provincia singulas observarem itaque edixissem idque etiam acerbissimis faeneratoribus probaretur, si praefecturam negotiatori denegatam queretur, quod ego Torquato nostro in tuo Laenio, Pompeio ipsi in Sex. Statio negavi et iis probavi, si equites deductos moleste feret, accipiam equidem dolorem mihi illum irasci, sed multo maiorem, non esse eum talem, qualem putassem. 7. Illud quidem fatebitur Scaptius me ius dicente sibi omnem pecuniam ex edicto meo auferendi potestatem fuisse; addo etiam illud, quod vereor, tibi ipsi ut probem: consistere usura debuit, quae erat in edicto meo; deponere volebant; impetravi a Salaminiis, ut silerent.

centesimis — annorum ɔ: nummis XII annuis ad sortem additis, ex quo eam habuissent, ita ut temporis elapsi usurae sorti accederent.

in Catonis — fide locatam. Cyprus in Catonis clientela erat. Fam. XV. 4, 15.

§ 6. *impingit* ɔ: obtrudit. Adhaeret huic verbo impudentiae notio. Cf. Seneca a Forcellino citatus ep. 95, 2: *tibi ingentem epistolam impingam, quam tu si invitus leges dicito: Ego mihi hoc contraxi.*

rem illam suo periculo esse ɔ: in qua scribit, si non solvant Salaminii, sibi dependendum esse.

fuerat — praefectus Appio ɔ: Appius eum habuerat praefectum. cf. Flacc. 6 *fuit M. Pisoni quaestor.* Mur. 20 *legatus L. Lucullo fuit* aliaque plura.

itaque edixissem idque — probaretur. Constructionem duriorem non expedio et vereor, ne in his mendum lateat, quod libenter tollam scribendo: *idque* (sic correctum in Med.) *edixissem, quod — probaretur.* Nam quae post multos alios Madvigius ad Fin. I. 42 de constructionis mutatione e relativa in demonstrativam monuit, alius generis sunt.

in tuo Laenio ɔ: in tuo familiari M. Laenio, ep. 3, 5 h. l., quem paulo ante cum Attici commendatione apud Ciceronem fuisse novimus ex V. 21, 4. Cf. ibid. § 10.

§ 7. *consistere* ɔ: non amplius duci, cessare, quemadmodum labores, morbi aliaque consistere dicuntur, ubi finis iis imponitur. ICti dicunt *non currere* et *steriles esse.* Vid. lex. 7 et 35 D. de usuris.

Veniam illi quidem mihi dederunt, sed quid iis fiet, si huc Paullus venerit? Sed totum hoc Bruto dedi, qui de me ad te humanissimas litteras scripsit, ad me autem, etiam quum rogat aliquid, contumaciter, arroganter, ἀκοινωνήτως solet scribere. Tu autem velim ad eum scribas de his rebus, ut sciam, quo modo haec accipiat; facies enim me certiorem. Atque haec superioribus litteris ad te diligenter perscripseram, sed plane te intelligere volui mihi non excidisse illud, quod tu ad me quibusdam litteris scripsisses; si nihil aliud de hac provincia nisi illius benevolentiam deportassem, mihi id satis esse. Sit sane, quoniam ita tu vis, sed tamen cum eo, credo, quod sine peccato meo fiat. Igitur meo decreto soluta res Scaptio stat; quam id rectum sit, tu iudicabis; ne ad Catonem quidem provocabo. 8. Sed noli me putare ἐγκελεύσματα illa tua abiecisse, quae mihi in visceribus haerent. Flens mihi meam famam commendasti; quae epistola tua est, in qua mentionem (non) facias? Itaque irascatur, qui volet; patiar: τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ, praesertim quum sex libris tanquam praedibus me ipse obstrinxerim, quos tibi tam valde probari gaudeo; e quibus unum ἱστορικὸν requiris de Cn. Flavio, Annii F. Ille vero ante decemviros non fuit, quippe qui aedilis curulis fuerit, qui ma-

ut silerent „de pecunia in fano deponenda." Ern.

Paullus. M. Aemilius Paullus, consul huius anni, erat frater adoptivus M. Aemilii Lepidi, qui M. Bruti sororem in matrimonio habebat. Metuendum igitur erat, ne per hunc Scaptius, quae inique postularet, obtineret.

ad me — solet scribere. Eadem querela de Bruto legitur in ep. 3, 7 huius libri. Plinius Ep. III. 9, 8 utitur adi. ἀκοινώνητον, ut indicet quod alienum est a familiaritate.

facies enim me certiorem. Id est: nam tu mihi nuntiabis, quid Brutus tibi respondeat. Part. causalis male a Muellero in Philol. XIX. 326 sollicitatur.

cum eo, quod sine peccato meo fiat ɔ: ea lege, ut hoc integritati et iustitiae meae non repugnet. Locutio *cum eo, quod* seq. coni., quae non alibi apud Ciceronem invenitur, post Livium frequentari coepta est. Vid. Hand. in Turs. II. p. 166 sq. Pluygers audacius coniecit: *cum ea cautione, quod — fiat.*

Igitur meo decreto — tu iudicabis. Reiecta Wesenbergii emendatione, quam antea amplexus eram, verba nunc scripsi ut sunt in M., nisi quod cum Madvigio A. C. III p. 176 pro *statim* scripsi *stat* et aliter, quam vulgo fit, verba distinxi. Sententia haec est: Decrevi ut id quod Salaminii solverunt Scaptio integrum esset capere; te iudicem facio sitne id rectum et de tuo iudicio tam certus sum, ut non necesse sit provocare ad Catonem.

§ 8. *Flens mihi meam famam commendasti.* Plurima exempla docent, quam facile Romanis lacrimae oboriri solitae sint. vid. Cic. Verr. L. I. 14. Mil. 95. p. Sest. 26. Sall. Iug. 58. Caes. B. G. I. 39. Tac. Ann. XV. 16. Hist. V. 3. Plin. H. N. VIII, 21. Gran. Licinianus XXXV p. 27 edit. Lips. a. 1858. Poetarum exempla collegit Peerlkampius ad *siccis oculis* in Hor. Carm. I. 3, 18.

τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ. Verba ex Euripidis aliqua fabula petita, ab Aristophane in Acharnensibus v. 659 seqq. in Cleonem conversa, aliquanto plenius citantur infra VIII. 8, 2, tum apud Clementem Alex. et Suidam v. παλαμᾶσθαι.

de Cn. Flavio, Annii filio. Pater, homo libertinus, praenomen Annum vel Annium habet quoque in Plinii H. N. XXXIII. 17

gistratus multis annis post decemviros institutus est. Quid ergo profecit, quod protulit fastos? Occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis; nec vero pauci sunt auctores Cn. Flavium scribam fastos protulisse actionesque composuisse, ne me hoc vel potius Africanum — is enim loquitur — commentum putes. Οὐκ ἔλαθέ σε illud de gestu histrionis; tu sceleste suspicaris, ego ἀφελῶς scripsi. 9. De me imperatore scribis te ex Philotimi litteris cognosse; sed credo te, iam in Epiro quum esses, binas meas de omnibus rebus accepisse, unas a Pindenisso capto, alteras Laodicea, utrasque tuis pueris datas; quibus de rebus propter casum navigandi per binos tabellarios misi Romam litteras publice. 10. De Tullia mea tibi assentior scripsique ad eam et ad Terentiam mihi placere; tu enim ad me iam ante scripseras: »ac vellem te in tuum veterem gregem retulisses." Correcta vero epistola Memmiana nihil negotii fuit; multo enim malo hunc a Pontidia, quam illum a Servilia. Quare adiunges Saufeium nostrum, hominem semper aman-

et apud Gellium VI. 9. Falso codex Gellii a Corrado inspectus *Anci filium* facit. Cf. Mommsen, röm. Forsch. I. 98. De re disputant scriptores historiae iuris Romani, imprimis Schillingius ad Hugonem p. 124 seqq. Aedilis factus videtur, postquam fastos evulgaverat a. u. 449. Aediles curules primum creari coepti sunt a. 384. Cf. Niebuhr, Hist. Ro. III. p. 39 seqq.

ut dies agendi peterentur a paucis. Similiter dixit p. Mur. 25. *Posset agi lege necne, pauci quondam sciebant, a quibus etiam dies — petebantur.* Erant autem illi pauci pontifices, qui fastos ordinabant et sine eorum opera lege agi non poterat. Non opus esse, ut corrigatur *a patriciis* recte e verbis citatis defendit Schillingius l. c.; contra in seqq. non *actionesque composuisse*, sed *exposuisse* legendum esse e Cicerone de Orat. I. 186 (*expositis a Cn. Flavio primum actionibus*) aliorumque testimoniis affirmat. Librum enim de actionibus Appius Claudius *composuit*, sed populo tradidit, evulgavit, *exposuit* Cn. Flavius.

Οὐκ ἔλαθέ σε *illud de gestu histrionis,* cet. ɔ: Non fugit te, quod in illo opere de re publica scripsi de gestu histrionis et maligne putas tangi ea re Hortensium (*cuius motus et gestus etiam plus artis habebat, quam erat oratori satis,* ut est in Bruto, 303); ego tamen non cogitabam illum, quum illud scriberem. Sic haec accepit Mongaltius, quem sequitur Wielandus, interpr. Germ. V. III. p. 509, reiecta Bosii opinione, qui respici putabat ad *Ligurinum momum* in ep. V. 20, 6 memoratum. Nam ex iis quae statim sequuntur videmus Atticum ad eam epistolam nondum rescripsisse. De gestu histrionis mentio fieri potuit in libro IV, e quo Augustinus servavit quaedam fragmenta, quae ad rem scaenicam pertinent.

§ 9. *propter casum navigandi.* „Quasi non semper plures casus navigatio et pericula habeat. Scrib. *casus.*" Wesenb. Emend. p. 24. Retinui *casum* sic a Klotzio vindicatum, ut sit *propter casum, qui dominatur in navigatione.*

§ 10. *De Tullia.* Cf. ad V. 4, 1 et 21, 14.

Correcta vero epistola M. nihil negotii fuit. Verborum sententia uni Attico patuit. Wielandus haec ita fere explicat: „Quum de illo, quem epistola per Memmium mihi reddita olim mihi commendaras, sententiam ipse mutasti, non opus erat, ut de altero adeo laborares; nam *hunc* equitem malo, quam *illum* patricium." I. F. Gronovius haec adnotavit: „non fuit necesse, ut corrigeres quod scripseram in epistola ad Memmium, quam ad te miseram nondum obsignatam, ut videres priusquam ei redderetur." Haec interpretatio illi praeferenda videtur.

Saufeium nostrum pro Aufio hic restitui auctore Buechelero in Mus. Rhen. XI p. 535. Sed dubito rectene dicatur *adiungere*

tem mei, nunc, credo, eo magis, quod debet etiam fratris Appii amorem erga me cum reliqua hereditate crevisse, qui declaravit quanti me faceret, quum saepe, tum in Bursa: ne tu me sollicitudine magna liberaris. 11. Furnii exceptio mihi non placet: nec enim ego ullum aliud tempus timeo, nisi quod ille solum excipit; sed scriberem ad te de hoc plura, si Romae esses. In Pompeio te spem omnem otii ponere non miror; ita res est, removendumque censeo illud »dissimulantem.'' Sed [enim] οἰκονομία (mea) si perturbatior est, tibi assignato; te enim sequor σχεδιάζοντα. 12. Cicerones pueri amant inter se, discunt, exercentur; sed alter, uti dixit Isocrates in Ephoro et Theopompo, frenis eget, alter calcaribus. Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare: mandavit enim pater: ea sic observabo, quasi intercalatum non sit. Dionysius mihi quidem in amoribus est; pueri autem aiunt eum furenter irasci. Sed homo nec doctior nec sanctior fieri potest nec tui meique amantior. 13. Thermum, Silium vere audis laudari; valde honeste (se) gerunt. Adde M. Nonium, Bibulum, me, si voles. Iam Scrofa vellem haberet, ubi posset; est enim lautum

aliquem pro vocare in consilium, vel aliquem sibi facere socium. Desidero enim exempla verbi sic positi. Quum alibi Cicero scribat *adiungere socium*, velut p. Quintio 12, Fin. III, 9 vide ne hic ante *Saufeium* exciderit *socium*. Quem *Appium* dicat, non constat.

in Bursa ɔ: in iudicio Bursae, de quo vid. Fam. VII. 2, 2.

§ 11. *Furnii exceptio* cet. C. Furnius trib. pl. Ciceronis studiosus (V. 18, 3) videtur rogationem tulisse, ut praetores de provinciis decederent, nisi Parthi intra mensem Quintilem movissent. Haec exceptio Ciceroni reditum vehementer cupienti non placebat.

In Pompeio. Ablativum in hac constructione sollemnem codex Med. recte servat. In aliis *in Pompeium* scriptum videtur, ut casus conveniret cum participio *dissimulantem.* Sed potuit Atticus sic fere scribere: Pompeium alias dissimulantem nunc serio agere arbitror in eoque spem omnem otii pono.

σχεδιάζοντα ɔ: scribentem quicquid occurrit, nullo ordine. In verbis praecedentibus cum Wes. *enim* seclusi et *mea* addidi, sententia postulante. cff. Emend. alt. p. 107. — *assignare* pro adscribere, tribuere legitur rursus X. 4, 6, saepius apud Livium. cf. Dukerus ad III. 72, 4.

§ 12. *amant inter se* ɔ: alter alterum amat. Q. fr. III. 3, 1. Usitata formula *colere, amare, diligere inter se,* pro qua *se inter se* ne dici quidem potuit, serior aetas *invicem amare* dixit, illustratur ab Handio in Turs. III. p 397 seqq.

uti dixit Isocrates cet. Cf. Ellendt. ad Orat. III. 36.

Liberalibus ɔ: a. d. XVI Kal. Apr. sive die tertio post Idus Martias, ut canit Ovidius Fast. III. 713: *Tertia post Idus lux est celeberrima Baccho.* Anno aetatis decimo sexto pueris togam puram dari eo die moris fuisse, notum est. Poterat tamen ille ritu patris iudicio differri. Cf. Boettigeri Opusc. p. 212 seqq. Beckeri Gallus II. p. 74 sqq. edit. alt.

Dionysius, magister Ciceronum, cuius frequens in his epp. mentio fit. Formulam *in amoribus esse alicui* explicat Ruhnkenius ad Rut. Lup. p. 74.

§ 13. *Thermus* hoc tempore pro praetore Asiam, *P. Silius Nerva* Bithyniam obtinebat, *Bibulus* Syriam. *M. Nonium Sufenatem* Cretae et Cyrenis tum praefuisse nescio qua auctoritate affirmant Graevius aliique. *Cn. Tremellius Scrofa*, vir praetorius (Varro de R. R. II. 4) non habebat provinciam, ubi posset laudari. Ut ei contingat, optat Cicero; nam erat Scrofa *lautum negotium* ɔ: vir bonus, minime sordidus, homo summa reli-

negotium: ceteri infirmant πολίτευμα Catonis. Hortensio quod causam meam commendas, valde gratum. De Amiano spei nihil putat esse Dionysius; Terentii nullum vestigium agnovi; Moeragenes certe periit. Feci iter per eius possessionem, in qua animal reliquum nullum est. Haec non noram tum, cum Democrito tuo quum locutus sum. Rhosica vasa mandavi. Sed heus tu, quid cogitas? in felicatis lancibus et splendidissimis canistris olusculis nos soles pascere; quid te in vasis fictilibus appositurum putem? Κέρας Phemio mandatum est: reperietur, modo aliquid illo dignum canat. 14. Parthicum bellum impendet. Cassius ineptas litteras misit; necdum Bibuli erant allatae, quibus recitatis puto fore, ut aliquando commoveatur senatus. Equidem sum in magna animi perturbatione. Si, ut opto, non prorogatur nostrum negotium, habeo Iunium et Quintilem in metu. Esto; duos quidem menses sustinebit Bibulus: quid illo fiet, quem reliquero, praesertim si fratrem? quid me autem, si non tam cito decedo? Magna turba est; mihi tamen cum Deiotaro convenit, ut ille in meis castris esset cum suis copiis omnibus; habet autem cohortes quadringenarias nostra armatura xxx, equitum CIↃ CIↃ: erit ad susten-

gione et diligentia, ut eum appellat Cic. Verr. I. 30. Cf. adnot. ad I. 12, 1.

ceteri infirmant πολίτευμα Catonis ɔ: ceteri provinciarum rectores rationem rei publicae administrandae, quae Catoni probatur, negligunt, non gerunt se e praecepto Catonis.

causam meam, ne provincia mihi prorogetur. — *Amianus* videtur Attico debuisse. De Terentio et Moeragene vid. ad V. 15, 3.

per eius possessionem. Sic appellat praedia Moeragenis, quia provincialis soli dominium erat populi Romani, privatis tantum concedebatur *possessio* et *usus fructus,* Gai. II. § 7; quare neque mancipationem aut in iure cessionem recipiebant, ibid. § 31, neque usucapi poterant, ibid. 46. Cf. Festus p. 241.

Rhosica vasa erant fictilia, quae fiebant Rhosi, in urbe Ciliciae ad sinum Issicum. cf. Strabo XIV. 5, 19 *Felicatae lances* erant ex aere vel argento, nomenque habebant a caelatura, quae folia felicis (Belg. varenkruid) imitabatur. Parad. I. 2 similiter *fictiles urnulae felicatis pateris* opponuntur. *Felicem* et *felicatum* pro *filice* et *filicato* defendit Muellerus ad Festum p. 86 et Silligius Plinio reddidit. Cicero h. l. lepide tangit amici parsimoniam, qui in singulos menses non amplius quam terna milia aeris in coenarum apparatu expendebat, ut narrat Cornelius in Att. 13. Eodem spectat alter iocus in XVI. 3, 1 extr.

§ 14. *Parthicum bellum impendet.* Idem scribit in ep. 2, 6. 3, 2. 4, 1 *magnum in Syria bellum,* 5, 3 *quum arderet Syria bello.* Sed bellum non fuit, nam Parthi discesserunt, ep. 6, 3.

Cassius ineptas litteras misit, cet. Cf. V. 21, 2.

duos quidem menses sustinebit B. Quam vim in sententia negativa habet *ne — quidem,* eandem habent in sententia affirmante *et quidem* et rarius simplex *quidem.* Exempla petantur e Madvigii adnot. ad Fin. I. 35. Similis oratio est in Tusc. I. 102: *Esto; fortes et duri Spartiatae; — quid? Cyrenaeum Theodorum — nonne miramur?*

quadringenarias ɔ: „quadringentorum militum singulas." Man. In libro de Bello Alex. 34 Deiotarus narratur „disciplina atque armatura nostra complures annos duas legiones constitutas habere."

erit ad sustentandum ɔ: hae copiae cum meis coniunctae satis validae erunt ad sus-

tandum, quoad Pompeius veniat, qui litteris, quas ad me mittit, significat suum negotium illud fore. Hiemant in nostra provincia Parthi, exspectatur ipse Orodes: quid quaeris? aliquantum est negotii. 15. De Bibuli edicto nihil novi praeter illam exceptionem, de qua tu ad me scripseras, »nimis gravi praeiudicio in ordinem nostrum.'' Ego tamen habeo **ἰσοδυναμοῦσαν,** sed tectiorem, ex Q. Mucii P. F. edicto Asiatico, EXTRA QVAM SI ITA NEGOTIVM GESTVM EST, VT EO STARI NON OPORTEAT EX FIDE BONA; multaque sum secutus Scaevolae, in iis illud, in quo sibi libertatem censent Graeci datam, ut Graeci inter se disceptent suis legibus. Breve autem edictum est propter hanc meam **διαίρεσιν,** quod (de) duobus generibus edicendum putavi, quorum unum est provinciale, in quo est de rationibus civitatum, de aere alieno, de usura, de syngraphis, in eodem omnia de publicanis, alterum, quod sine edicto satis commode transigi non potest, de hereditatum possessionibus, de bonis [possidendis] vendendis, magistris faciendis, quae ex edicto et postulari et fieri solent; tertium, de reliquo iure dicundo **ἄγραφον** reliqui: dixi me de eo genere mea decreta ad edicta urbana accommodaturum. Itaque curo et satisfacio adhuc

tinendum Parthorum impetum. *Esse ad aliquid* dicitur de eo, quod inservit alicui rei. Cf. ad III. 7, 2.

in nostra provincia. Intelligendum ut V. 21, 2.

§ 15. *De Bibuli edicto nihil novi* cet. ɔ: quod attinet ad edictum Bibuli, in eo nihil novi est, cet. Vitiosum est *movi,* quod Man. et Lamb. coniectura inventum Bosius codicis ficti auctoritate munivit. Nam et locutio ipsa *nihil movere de edicto* durior est, et Cicero non potuit in suo edicto aliquid tollere, quod erat in Bibuli edicto. Nam ipse prior edixerat.

praeter illam exceptionem. Fortasse talem, *extra quam si quid vi aut dolo malo gestum erit,* ut Bosius acute coniecit ex edicti praetorii verbis in l. 7 Dig. *de pactis.* Atticus iudicabat ea exceptione laedi ordinem equestrem, quasi in eo essent, qui vi dolove malo agere solerent.

extra quam si — Erat haec formula exceptionis sollemnis, quam exemplis illustrant Brissonius de Formulis V. 77 et Handius in Turs. II. p. 681. Adde de Rep. I. 10. — De Q. Mucio Scaevola vid. V. 17, 5.

duobus generibus edicendum putavi ɔ: non de omnibus rebus singulatim edixi, sed duo genera rerum descripsi et quid de iis faciendum esset edixi. Wesenbergius recte addidit *de.* cf. Emend. alt. p. 108. Unum erat *provinciale* ɔ: pertinebat ad negotia provinciae, velut quid iuris esset in eos, qui pecunias civitatum administrarent, cet., et quae de controversiis inter publicanos et provinciales sibi observanda viderentur.

quod sine edicto satis commode transigi non potest ɔ: quod continet ea, quae non ex iure civili, sed ex iure praetorio transiguntur.

de bonis [possidendis] vendendis, magistris faciendis. Voc. *vendendis* in libris Mss. collocatum est post v. *magistris faciendis,* idque Mazocchius ad tab. Heracl. p. 435 ita interpretatur: *de magistris faciendis ad bona vendenda,* ut *vendendis* sit dativus. Sed otiosum tum esset illud vocabulum; magistri enim per se auctiones curare intelliguntur. Transposui igitur cum Lambino, ac Wesenbergii Emend. p. 39 iussu *possidendis* ut suspectum notavi. Quum autem bonorum venditio et magistrorum creatio ad unam rem pertineant, recte praepositio *de* alteri membro non praeponitur.

omnibus. Graeci vero exsultant, quod peregrinis iudicibus utuntur. »Nugatoribus quidem", inquies. Quid refert? tamen se *αὐτονομίαν* adeptos putant; vestri enim, credo, graves habent Turpionem sutorium et Vettium mancipem. 16. De publicanis quid agam videris quaerere: habeo in deliciis, obsequor, verbis laudo, orno; efficio, ne cui molesti sint. *Τὸ παραδοξότατον,* usuras eorum, quas pactionibus adscripserant, servavit etiam Servilius. Ego sic: diem statuo satis laxam, quam ante si solverint, dico me centesimas ducturum; si non solverint, ex pactione: itaque et Graeci solvunt tolerabili faenore et publicanis res est gratissima, si illa iam habent pleno modio, verborum honorem, invitationem crebram. Quid plura? sunt omnes ita mihi familiares, ut se quisque maxime putet; sed tamen *μηδὲν αὐτοῖς* — scis reliqua. 17. De statua Africani — *ὢ πραγμάτων ἀσυγκλώστων*! sed me

peregrinis iudicibus ɔ: Graecis, non Romanis. Ad rem cf. ep. 2, 4 et 5.

vestri enim, credo, graves habent. Ironiam prodit voc. *credo.* Vestri ɔ: Epicurei scilicet Romae graves iudices putant Turpionem sutorium ɔ: qui olim sutor fuit, et Vettium, redemptorem publicum.

§ 16. *habeo in deliciis* ɔ: eos valde amo et diligo. Cf. de Divin. I. 76.

Servilius. P. Vatia, qui Isauros domuit Ciliciamque imperio adiecit a. u. 678.

diem statuo Graecis ad solvendum. Mox *centesimas* intellige non ultra centesimas. *Ex pactione* autem solvere deberent usuras maiores.

si illa. Med. unde suspicio mihi nata est legi posse: — *publicanis res est gratissima, si illa a me habent pleno modio* ɔ: cumulate, ut verbis eos laudem et ornem, crebro ad cenam vocem. Si id quod Lambinus scripsit *sic illa* e codice esset, fortasse probarem suspicionem Orellii *scilicet illa.* Verba *pleno modio* Gronovius illustravit comparatis e Plauti Men. prol. v. 14 sq.:

Nunc argumentum vobis demensum dabo,
Non modio, neque trimodio, verum ipso horreo.

μηδὲν αὐτοῖς. Suppl. *ὑπὲρ τὸ μέτρον* vel simile quid. Ad quem versum proverbiumve respiciat, ignoramus. Indicat autem se nihil eos suo arbitrio agere pati.

§ 17. In libro VI de Repb. Cicero induxerat Laelium querentem, nullas Nasicae statuas publice in interfecti tyranni (Tiberii Gracchi) remunerationem collocatas fuisse, teste Macrobio Comm. in Somn. Scip. I. 4. Q. Caecilius Metellus Scipio, qui huius proavi sui statuam inauratam in Capitolio posuerat, in sermone vel in litteris ad Atticum datis Ciceronem erroris arguisse videtur. At ipse erraverat; nam Africani minoris imaginem Serapionis ɔ: Nasicae esse putarat, a quo errore cavere potuisset, si meminisset proavum suum nunquam censorem fuisse. Africanus contra a. 612 cum L. Mummio censor fuerat (XVI. 13, 2). Si in seqq. legimus *nisi* CENSOR, Cicero ipse Metelli errorem excusaret. Sine dubio scripsit: *nisi* CONSOL, ut nomen illud scribitur in sepulcris duorum Scipionum. Compendia Cos. et CENS. facile permutantur, ut factum est Att. XVI. 13*c*, 2 et Fam. IX. 21, 2. Pro *ab Opis* scribendum esse *ad Opis* certum est. Quod additur *per te* pessime ab aliquo editore in *parte* mutatum est. Cur negabimus Atticum antiquitatis Romanae et artis amantissimum illam statuam in excelso loco ponendam curasse, quem in Pompeii theatro signa componenda suscepisse vidimus supra IV. 9, 1? Ac si quid mutandum, fortasse non displicebit: *quae ad Opis nuper reposita in excelso est.* Cff. ea, quae de h. l. disputarunt Th. Mommsen et Bergk. in Diar. Antiq. 1845. N. 99. L. Urlichs in Mus. Rhen. noviss. Vol. V. p. 151 seqq. L. Prellerus in libro de regionibus Urbis p. 162. H. Jordan in Ephem. epigr. Vol. III p. 64 seqq. et quae ego scripsi in Obss. crit. p. 49 sq.

ὢ πραγμάτων ἀσυγκλώστων, o res non contextas. Adiectivum derivatur a *κλώθω.*

(id) ipsum delectavit in tuis litteris — ain tu? Scipio hic Metellus proavum suum nescit censorem non fuisse? Atqui nihil habuit aliud inscriptum, nisi CONSOL ea statua, quae ad Opis per te posita in excelso est; in illa autem, quae est ad *Πολυκλέους* Herculem, inscriptum est cos. quam esse eiusdem status, amictus, anulus, imago ipsa declarat. At mehercule ego quum in turma inauratarum equestrium, quas hic [Metellus] in Capitolio posuit, animadvertissem in Serapionis subscriptione Africani imaginem, erratum fabrile putavi, nunc video Metelli. *Ὢ ἀνιστορησίαν* turpem! 18. Nam illud de Flavio et fastis, si secus est, commune erratum est — et tu belle *ἠπόρησας* et nos publicam prope opinionem secuti sumus —, ut multa apud Graecos. Quis enim non dixit *Εὔπολιν, τὸν τῆς ἀρχαίας*, ab Alcibiade navigante in Siciliam deiectum esse in mare? Redarguit Eratosthenes; affert enim, quas ille post id tempus fabulas docuerit. Num idcirco Duris Samius, homo in historia diligens, quod cum multis erravit, irridetur? Quis Zaleucum leges Locris scripsisse non dixit? num igitur iacet Theophrastus, si id a Timaeo, tuo familiari, reprehensum est? Sed nescire proavum suum censorem non fuisse turpe est, praesertim quum post eum consulem nemo Cornelius illo vivo censor fuerit. 19. Quod de Philotimo et de solutione HS. $\overline{\text{XX}}$DC. scribis, Philotimum circiter Kalend. Ianuar. in Chersonesum audio venisse; at mihi ab eo nihil adhuc. Reliqua mea Camillus scribit se accepisse; ea quae sint nescio et aveo scire. Verum haec posterius et coram fortasse commodius. 20. Illud me, mi Attice, in extrema fere parte epistolae commovit: scribis enim sic, *τι λοιπόν*; deinde me obsecras amantis-

Cicero iterum hic scribit, quod iam scripserat in extrema § 11 se sequi turbatum ordinem, quem invenerat in epistola Attici, quo ipso se delectatum esse affirmat.

in Serapionis subscriptione Africani imaginem ɔ: imaginem Africani impositam basi, quae Serapionis elogio ornata erat. Cf. Mommsen. in Corp. Inscr. I. p. 278.

§ 18. *Nam illud de Flavio et fastis.* Respicit ad ea, quae § 8 adversus Attici reprehensionem defenderat. *Commune erratum* dicit, qualia multa scribentibus excidunt.

Eratosthenes in opere *περὶ κωμῳδίας*, cuius fragmenta collegit Bernhardius in Eratosthenicis p. 203 seqq. Diversas narrationes de Eupolidis morte examinarunt Meinekius, Hist. Crit. Comic. Gr. p. 105 sq. et Hullemannus in libro de Duride Samio p. 164 sq.

Quis Zaleucum, cet. Cf. de Legg. II. 15, cum iis, quae Bakius ibi adnotavit. Lectu digna sunt, quae de Zaleuci legibus summus ille Bentleius disputavit in diss. Phalar. altera p. 185 seqq. ed. Lennep.

a Timaeo, tuo familiari. Cf. II. 16, 3 *controversia est Dicaearcho, familiari tuo, cum Theophrasto, amico meo.* Non erat, quod Bakius l. cit. in hac appellatione haereret.

§ 19. *de solutione HS.* $\overline{\text{XX}}$DC. De hoc negotio *μυστικώτερον* scribit in ep. 4, 3. 5, 1 et 2. 7, 1 h. l.

§ 20. *Numquid — inaudisti.* Verbum *inaudire* de rebus occultis usurpari solet, vel de rumore incerto. Cf. Fam. IX. 24, 1. Att.

sime, ne obliviscar vigilare et ut animadvertam, quae fiant. Numquid de quo inaudisti? etsi nihil eiusmodi est — πολλοῦ γε καὶ δεῖ —, nec enim me fefellisset nec fallet; sed ista admonitio tua tam accurata nescio quid mihi significare visa est. 21. De M. Octavio iterum iam tibi rescribo te illi probe respondisse; paullo vellem fidentius. Nam Caelius libertum ad me misit et litteras accurate scriptas et de pantheris et † a civitatibus. Rescripsi alterum me moleste ferre, si ego in tenebris laterem nec audiretur Romae nullum in mea provincia nummum nisi in aes alienum erogari docuique nec mihi conciliare pecuniam licere nec illi capere monuique eum, quem plane diligo, ut, quum alios accusasset, cautius viveret; illud autem alterum alienum esse existimatione mea Cibyratas imperio meo publice venari. 22. Lepta tua epistola gaudio exultat; etenim scripta belle est meque apud eum magna in gratia posuit. Filiola tua gratum mihi fecit, quod tibi diligenter mandavit, ut mihi salutem adscriberes; gratum etiam Pilia, sed illa officiosius, quod mihi, quem [iam pridem] nun-

XV. 26, 1. XVI. 1, 2. Hic agitur de turpi facto, quod aliquis comitum in Cilicia commisisse dicebatur.

§ 21. *iterum.* Scripserat de hac re superioribus litteris V. 21, 5.

litteras accurate scriptas. Eas nunc legi inter Tullianas ad Fam. VIII. 9 nimis facile Manutius aliique, in quibus Bruno Nakius in Symb. philol. Bonn. I. p. 376 sibi persuaserunt, ideo quod ibi longior de pantheris mentio fiat (§ 3) et quod ex iis, quae de M. Feridii negotio in § 4 scribuntur, voc. *civitatibus* h. l. quodammodo explicari posse putarent. Sed non cogitarunt inter illas Caelii litteras et has Ciceronis paene sex menses praeteriisse, quum illae IV Non. Sept. 703, hae VI Kal. Mart. sequentis anni datae sint. Quamquam autem Roma in Ciliciam longum sane iter erat, sine dubio plures alias postea datas accepit a Caelio, quum his ipsis litteris respondeat ad Attici epistolam pridie Kal. Ianuarias datam (§ 22). Quare nisi Cicero h. l. respicit ad Caelii epistolam a. d. XIV. Kal. Dec. datam (Fam. VIII. 10), dicendum est illas Caelii litteras periisse, simulque fatendum maculam, quam verba *et de pantheris et a civitatibus* contraxerunt, non elui posse. Nam Mureti coniectura — *et de Cibyratis* (Var. Lect. XV. 8) locum non magis sanat, quam Bosii commentum, quod Orellius recepit: *sed de pantheris foede ac civitatibus.* Hoc ex iis, quae Cicero rescripsit Caelio, satis certo apparet, hunc postulasse, ut Ciliciae civitates pecunias ad ludos decernerent, quo vectigali aedilicio Q. Cicero iam pridem edicto suo Asiam liberarat. Vid. ad Q. fr. I. 1. 26, quo loco Wielandus egregie usus est in sua interpretatione V. III. p. 384. Poterant corrupta verba sic temptari: *Nam Caelius libertum ad me misit et litteras accurate scriptas. Ei de pantheris et de vectigalibus rescripsi* cet.

quum alios accusasset. Cicero indicat M. Caelii *acres accusationes tres easque omnes ex reipb. contentione susceptas.* Brut. 273. Cff. Ellendti Hist. eloq. Rom. § 50. Meyeri fragm. Orat. Roman. p. 458 seqq.

§ 22. *Lepta.* Vid. V. 17, 2.

quem [iam pridem] nunquam vidit. V. 19, 2 Attico scribit: *Filiolam tuam — quam nunquam vidi, amo.* Ergo non magis illa Tullium viderat. Vocabula *iam pridem* seclusi, quod cum *nunquam* nulla ratione conveniunt. Si Tullius puellam primum videret, apte dixisset: *eam pridem nunquam vidi.* Fortasse librarius, memor eorum, quae V. 19, 2 legerat, in margine adnotavit: *iam pridem,* eo modo indicans id iam antea dictum esse. F. W. Schmidt non delet, sed corrigit *coram quidem.*

Litterarum datarum dies pridie Kal.

quam vidit. Igitur tu quoque salutem utrique adscribito. Litterarum datarum dies pridie Kal. Ianuar. suavem habuit recordationem clarissimi iurisiurandi, quod ego non eram oblitus; Magnus enim praetextatus illo die fui. Habes ad omnia, non, ut postulasti, χρύσεα χαλκείων, sed paria paribus respondimus. 23. Ecce autem alia pusilla epistola, quam non relinquam ἀναντιφώνητον. Bene mehercule † potuit Lucceius Tusculanum, nisi forte — solet enim — cum suo tibicine, et velim scire, qui sit status eius. Lentulum quidem nostrum (omnia) praeter Tusculanum proscripsisse audio. Cupio hos expeditos videre, cupio etiam Sestium, adde sis Caelium, in quibus omnibus est

Ianuar. Temporis notationes, etiam quae pendent a praepositionibus *ex, in, ad,* substantive ponuntur et subiectum sententiae esse possunt. Itaque recte dixeris: *pridie Kal. Ian. suavem habuit recordationem:* sed non potest adiungi genitivus *litterarum datarum,* ut certo scribendum est pro vitio cod. Med. *litteram daturus.* Adscivi e folio codicis, quem L. Spengelius saeculo XII tribuit, et cuius varias scripturas ad ep. 1 et 3 h. l. descripsit in relatt. doct. Monac. 1846, p. 926 sq., quod sententia flagitabat, *dies.* Iam omnia plana. *Litterarum* a te *datarum dies,* qui erat *pridie Kal. Ian. — habuit* cet.

clarissimi iurisiurandi. Cf. Fam. V. 2, 7. in Pis. 6: *Ego quum in contione abiens magistratu dicere a tribuno plebis prohiberer, quae constitueram, quumque is mihi tantummodo, ut iurarem, permitteret, sine ulla dubitatione iuravi rem publicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam.*

Magnus enim praetextatus illo die fui ɔ: illo die fui Pompeius togatus. Pompeius saepe cognomine solo appellatur. Vid. I. 16, 11 et 12. 20, 5. II. 13, 2. 19, 3. Arch. 24. Leg. II. 6. Vulgo inepte *magnus* pro adiectivo habetur, tanquam si *praetextatus* per se consulem indicare possit.

paria paribus respondimus. Similiter Terentius in Phorm. I. 4, 34 *verbum verbo, par pari ut respondeas.* Potius tamen h. l. scribatur *rependimus.*

§ 23. *Bene mehercule — status eius.* Lucceius tanto aere alieno premebatur, ut Tusculanum suum (cf. Fam. V. 15, 2) vendere deberet. Hoc aperte narratur; illud incertum, qui verba sint corrigenda. Pro *potuit* Orellius coniecit *posuit.* Probarem, si alterum exemplum mihi daretur verbum *ponere* hanc vim habere, qua nos dicimus *plaatsen* pro *verkoopen.* Facilius concedam Bentivolio emendanti *proposuit,* id dici pro venale posuit, proscripsit. Qui verbum *potuit* defendunt, ellipsin statuunt infinitivi *vendere,* quod tam absurdum est quam quas statuunt ellipses in verbis *nisi forte* et *solet enim.* Non minorem difficultatem creant verba *cum suo tibicine.* Manutius de servo Lucceii, qui tibia canebat, sermonem esse putabat, Popma ad Pompeium refert, Tunstallus ad alterum Lucceium M. F., qui Q. filium sustentaverit. Nihil boni in his video. Adscribam locum, ut mihi scribendus videtur: „Bene mehercule *proposuit* Lucceius Tusculanum, nisi forte *dolet ei, quod* suo tibicine *egebit.* Velim scire, *qui* (e scidis Spengelii, *quis* in Med.) sit status eius." Minus haec recedunt a scriptura ll., quam videntur. Nam *ei* et *enī, quod* et *quom, cum* facile permutantur. Tibicinem dici puto ut in Catulli carm. 61, 158 et in Iuv. Sat. III. 193, quasi *fulcrum,* quod aedificium sustinet, *een stut.*

Lentulum quidem nostrum (omnia) praeter Tusculanum proscripsisse audio. Sic Med. et scidae Spengelii: *omnia* a Lambino recte additum est. Quod Bosius pro *praeter* scripsit *prae re,* et quod scribendum putavit *prae aere,* repudiandum est. Nam primum Cicero nunquam tali modo causam indicat, nisi in sententiis negativis, ut II. 21, 4. VI. 5, 4. IX. 12, 1. XI. 7, 6; tum inutile erat hoc addi, quoniam tam quae praecedunt de Lucceio, quam sequentia *Cupio hos expeditos videre* causam satis declarant. — De Lentuli aere alieno cf. Caes. B. C. I. 4.

adde sis Caelium scripsi cum Klotzio propius ad ductus libri Med., quam ut vulgo

αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι. De Memmio restituendo ut Curio cogitet te audisse puto. De Egnatii Sidicine nomine nec nulla nec magna spe sumus. Pinarium, quem mihi commendas, diligentissime Deiotarus curat graviter aegrum. Respondi etiam minori. 24. Tu velim, dum ero Laodiceae, id est ad Idus Mai., quam saepissime mecum per litteras colloquare, et, quum Athenas veneris — iam enim sciemus de rebus urbanis, de provinciis, quae omnia in mensem Martium sunt collata —, utique ad me tabellarios mittas. 25. Sed heus tu, iamne vos a Caesare per Herodem talenta Attica L. extorsistis? in quo, ut audio, magnum odium Pompeii suscepistis; putat enim suos nummos vos comedisse, Caesarem in Nemore aedificando diligentiorem fore: hoc ego ex P. Vedio, magno nebulone, sed Pompeii tamen familiari, audivi. Hic Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis et reda equis iuncta et lectica et familia magna, pro

si vis, imprimis accedente auctoritate scidarum Spengelii, in quibus est: *adde siscelium*. Contractum *sis* legitur quoque p. Rosc. Am. 48. Mil. 60.

in quibus omnibus est αἴδεσθεν μ. α. δ. δ' ὑ. Praepositionem praegressa littera in Med. absorptam codex Malaspinae et scidae Spengelii recte addunt. Cf. Wesenberg. Emend. p. 46. Erat in iis omnibus *pudor negandi, accipiendi timor*. Metuebant ne, si Caesaris opes acciperent, libertatem amitterent, iidemque pudore quodam prohibebantur a recusando, ne creditoribus suis nihil solvere velle viderentur.

De Memmio restituendo, qui a. 700 ambitus damnatus Athenas in exsilium abierat, deinde Patrensis factus erat. Cf. Fam. XIII. 19, 2.

De Egnatii — sumus ɔ: „ab Egnatio quod debet nos recepturos esse, nec valde certi sumus, nec tamen spes omnis decolavit." I. F. Gron. Ut dicendum est *esse in spe*, sic ubi accedit adiectivum praepositio omitti potest. Cf. Handii Turs. III. 257 et 259. Ad Q. fr. I. 2, 16 *spe sum maxima*.

§ 24. *quae — sunt collata* ɔ: quae senatus decrevit ut mense Martio agerentur.

§ 25. *Sed heus tu*. Ita Cicero semper scribit. Med. h. l. et XV. 11, 4 habet *et heus tu*. H. l. facilis error erat propter litteram finalem v. *mittas*. Deinde retinui, quod Lambinus in uno codice se vidisse scribit *iamne vos*, etsi scripturam incertam reddit corruptela Med. et aliorum *Genuarios*. Male correxerunt *Genuae vos*. Nam fac id Genuae factum esse, tamen non erat cur hoc nomen cum vi initio quaestionis poneretur.

per Herodem. Idem liber Lambini dabat: *per Erotem*. Fortasse recte. Sed nominatur *Herodes* quidam infra XIV. 18, 4. XV. 27, 3. — *extorsistis* est invitum reddere coëgistis. Caesar segnis erat in solvendo aere, quod ab Attico aliisque mutuum sumpserat.

suos nummos vocat, quos Pompeius Caesaris gener iam spe suos putabat.

comedisse pro *consumpsisse* dicebant. Cf. Fam. IX. 18, 4 *cantherium comedisti*. XI. 21, 2 *res novas quaerit, non quo veterem comederit* cet.

Caesarem in Nemore aedif. diligentiorem fore. Si Caesar in villa aedificanda, de qua vid. Suet. in Caes. 46, *diligentior* ɔ: ad rem suam attentior, parcior (cf. Verr. L. I. 126. Plin. ep. IV. 13, 8) fieret, hoc Pompeio non poterat ingratum esse. Requiritur tamen aliquid, quod Pompeius aegre ferret. Non dubito, quin ante *Caesarem* exciderit *nec*. — *in Nemore* debetur Turnebo. Cod. Med.[1] habet *in mentor*, quod alia manus non feliciter mutavit *in merito*. *Nemus* nominatur rursus XV. 4, 5. Erat lucus Dianae in agro Aricino. cf. Strabo V. 3, 12.

ex P. Vedio, magno nebulone. Vedius ille Polio, cuius luxus Augusti tempore insignis notatur a Tacito Ann. I. 10, h. l. nominari videtur. Certe *nebulo* est homo nequam, prodigus. Cf. Hor. Sat. I. 1, 104. 2, 12. Ep. I. 2, 28.

qua, si Curio legem pertulerit, HS. centenos pendat necesse est; erat praeterea cynocephalus in essedo nec deerant onagri. Nunquam vidi hominem nequiorem. Sed extremum audi. Deversatus est Laodiceae apud Pompeium Vindullum; ibi sua deposuit, quum ad me profectus est. Moritur interim Vindullus; quae res ad Magnum Pompeium pertinere putabatur. C. Vennonius domum Vindulli venit; quum omnia obsignaret, in Vedianas res incidit; in his inventae sunt quinque imagunculae matronarum, in quibus una sororis amici tui, hominis bruti, qui hoc utatur, et illius lepidi, qui haec tam negligenter ferat. Haec te volui παριστορῆσαι; sumus enim ambo belle curiosi. 26. Unum etiam velim cogites. Audio Appium προπύλον Eleusine facere: num inepti fuerimus, si nos quoque Academiae fecerimus? »Puto,'' inquies. Ergo id ipsum scribes ad me. Equidem valde ipsas Athenas amo; volo esse aliquod monumentum, odi falsas inscriptiones statua-

si Curio legem pertulerit. Significari putant legem viariam, quam Curio initio illius anni iactabat, ut novimus ex epist. Caelii, Fam. VIII. 6, 5, et hinc colligunt in ea lege vectigal constitutum fuisse in vehicula, equos, servos, quo uterentur ad vias muniendas. Sed inanem esse suspicionem satis demonstrat illud, quod Cicero non scribit *pro quibus* sed *pro qua.* Itaque pro familia, pro servis ex illa lege pendendum erat, videturque fuisse lex sumptuaria. Cf. Fr. Hofmannus de Orig. belli civ. Caesariani p. 54, qui tamen errat, quum coniiciat HS. centena milia in annum pro familia magna fuisse exacta. Nam *centenas* Med. non corrigendum est *centena,* sed *centenos,* ut Malaspina in cod. Anton., Spengelius in scidis invenerunt. Si cives Romani centum nummos quotannis pro singulis servis penderent, vectigal in magna familia satis grave erat.

cynocephalus. Genus simii. Cf. Plin. H. N. VIII. 216. Ob raritatem pretiosum erat. Nec frequentes sane in Italia *onagri* sive asini feri, de quibus ibid. 174 sq.

quae res ad Magnum Pompeium pertinere putabatur ɔ: cuius hereditas, quum intestato et sine prole mortuus esset, ad eius patronum Cn. Pompeium Magnum perventura videbatur. Mox pro *quum omnia* scribendum puto: *Is quum omnia.*

imagunculae. Recte Victorius. Paene integrum est in scidis Spengelii *iam gunculae.* Bosius ex eo, quod codex Med. habet *langunculae* fecit *plangunculae,* quod alii retinuerunt. Sed est vocabulum nullius auctoritatis, et a Gr. πλαγγών, quod *puppam* indicat, non recte formatur deminutivum Latinum feminini generis. In sequentibus Cicero ludit in nominibus Bruti et Lepidi. Vere ille brutus, qui familiarem habebat moechum sororis suae Iuniae; vere lepidus, qui adulteram uxorem suam impune patiebatur. W. morem gessit Schuetzio inserens *uxoris* ante vv. *illius lepidi.*

παριστορῆσαι, obiter cognoscere.

§ 26. προπύλον recte emendatum esse in Med., quod prima manus dederat προπλον, certum est partim ex ep. 6, 2 h. l, ubi sine varietate est προπύλῳ, partim ex inscriptione a°. 1860 Eleusine reperta, quae simul docet, quod ex illo loco dubium erat, Appium consilium non plane omisisse:
Ap. Claudius. *Ap.* *F.* *Pulcher.* *propylum.* *Cereri* et Proserpinae. *cos.* *vovit.* imperator. coepit Pulcher. Claudius. et *Rex.* *Marcius.* fecerunt. Vid. Philol. XVII. p. 372. Corp. Inscr. Lat. I. p. 181.

inepti. In scidis Speng. *in epi.* Ex hac depravatione scriptor libri Med. fecit *in epiro.*

Academiae, quae prope Athenas erat. Cf. ep. 6, 2.

ipsas Athenas. „Si recte se habet, Athenae ipsae opponuntur Eleusini. Fortasse *istas* (tuas).'' Orellius.

volo esse aliquod monumentum. Manca sententia, nisi addas *meum.*

rum alienarum. Sed ut tibi placebit, faciesque me, in quem diem Romana incidant mysteria, certiorem et quomodo hiemaris. Cura ut valeas. Post Leuctricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quinto.

odi falsas inscriptiones statuarum alienarum ɔ: poteram minore sumptu statuae alienae meum caput imponere et in basi meum nomen inscribere, sed talem fraudem odi. Id quod Cicero nolebat facere, illo tempore adulatione Graecorum factum esse docet Plut. in Ant. 60 citans τοὺς Εὐμένους καὶ Ἀττάλου κολοσσοὺς ἐπιγεγραμμένους Ἀντωνίους Ἀθήνησιν.

Romana mysteria. Cf. ad V. 21, 14.

Leuctricam pugnam appellat caedem P. Clodii in via Appia a Milonis servis perpetratam, qua otium in urbe restitutum est, ut quondam Leuctrica pugna Lacedaemoniorum vires fractae sunt et dominatio sublata. Cf. similis notatio diei litterarum datarum V. 13, 1. Clodii caedes incidit in a. d. XIII Kal. Febr. a. 702. Haec epistola data est a. d. IV Terminalia sive a. d. X Kal. Mart. a. 704, ut probabili computatione effecit C. Bardt in Quaest. Tullianis a. 1866 editis, p. 27 seqq.

II. (*A. U. C.* 704.)

1. Quum Philogenes, libertus tuus, Laodiceam ad me salutandi causa venisset et se statim ad te navigaturum esse diceret, has ei litteras dedi, quibus ad eas rescripsi, quas acceperam a Bruti tabellario. Et respondebo primum postremae tuae paginae, quae mihi magnae molestiae fuit, quod ad te scriptum est a Cincio de Statii sermone, in quo hoc molestissimum est Statium dicere a me quoque id consilium probari. Probari autem? de isto hactenus dixerim me vel plura vincla tecum summae coniunctionis optare, etsi sunt amoris artissima; tantum abest, ut ego ex eo, quo adstricti sumus, laxari aliquid velim. 2. Illum autem multa de istis rebus asperius solere loqui saepe sum expertus, saepe etiam lenivi iratum — id scire te arbitror —; in hac autem peregrinatione militiave nostra saepe incensum ira vidi, saepe placatum. Quid ad Statium scripserit nescio: quidquid acturus de tali re fuit, scribendum tamen ad libertum non fuit. Mihi autem erit maximae curae, ne quid fiat secus, quam volumus quamque oportet. Nec satis est in eiusmodi re se quemque praestare, ac maximae partes istius officii sunt pueri Ciceronis sive

§ 1. *Statii.* De hoc homine vid. ad II. 18, 4.

id consilium fratris, qui de dimittenda uxore cogitabat.

Probari autem? Cf. ad V. 13, 3.

de isto hactenus dixerim, cet. Antiquiores editores plene interpungunt post. *hactenus*, idque ego in priore ed. et Baiterus secuti sumus. Sed recte Kayserus vidit sententiam debere continuari, quo facto omnia bene procedunt, neque opus est eo, quod olim conieci esse scribendum: *De isto hoc teneas velim me* cet. — *vel plura* cum Ern. scripsit W. Codd. dant *vel plurima*. Erant Ciceroni multa vincula consuetudinis cum Attico, plura etiam optabat.

§ 2. *se quemque praestare.* Praestare aliquem est praedem esse pro aliquo et periculum, quod ex eo timetur, in se recipere.

iam adolescentis; quod quidem illum soleo hortari. Ac mihi videtur matrem valde, ut debet, amare teque mirifice; sed est magnum illud quidem, verumtamen multiplex pueri ingenium, (in) quo ego regendo habeo negotii satis. 3. Quoniam respondi postremae tuae paginae prima mea, nunc ad primam revertar tuam. Peloponnesias civitates omnes maritimas esse, hominis non nequam, sed etiam tuo iudicio probati, Dicaearchi tabulis credidi. Is multis nominibus in Trophoniana Chaeronis narratione Graecos in eo reprehendit, quod mare tam secuti sunt, nec ullum in Peloponneso locum excipit. Quum mihi auctor placeret — etenim erat *ἱστορικώτατος* et vixerat in Peloponneso —, admirabar tamen et vix accredens communicavi cum Dionysio; atque is primo est commotus, deinde, quod [tum] de isto Dicaearcho non minus bene existimabat, quam tu de C. Vestorio, ego de M. Cluvio, non dubitabat quin ei crederemus: Arcadiae censebat esse Lepreon quoddam maritimum, Tenea autem et Aliphera et Tritia

Cf. h. l. 3, 5. Q. fr. I. 1, 10. Verr. II. 28, *non solum nos, sed etiam comites nostros praestare debemus.* — Coniunctionem *ac* delevit Ern., secluserunt Orellius et Wes. Nollem factum. Ubi post negativam sententiam oratio affirmando procedit, contra nostrum morem veteres particulis *ac* vel *que* utuntur. Vid. Seyffert. ad Cic. Lael. p. 182.

pueri C. sive iam adolescentis. Sive habet vim corrigendi, ut nostrum *of wel.* cf. XIII. 52, 2. XIV. 21, 4 *haec scripsi seu dictavi.* Quando magis definire vult, Cicero scribit *sive potius*, ut VIII. 3 3, *sive etiam*, Q. fr. I. 1, 4, *sive omnino* Att. IX. 1, 2.

multiplex ɔ: non unum et simplex, sed varium, inconstans, πολλαπλοῦν. Cf. Ruhnk. ad Tim. p. 86 sq. Vocabulum illustrat Seyffertus l.l. p. 402.

in quo — regendo. Recte Ernestus negat, *quod — regendo*, ut e codd. editur, Latinum esse. Quum *in* post *m* omissum erat, *quo* a librariis in *quod* mutatum est.

§ 3. Respondet ad ea, quae Atticus in libro II de Re publica non satis accurate scripta reprehenderat. Temere F. G. Otto in adn. 431 ad grammatici incerti lib. de gener. nom. haec refert ad *Chorographiam*, quam nemo praeter Priscianum uno loco (VI. 83) Ciceroni tribuit.

hominis non nequam ɔ: non futilis, non inutilis, sed boni auctoris. Cf. Gell. VII. 11. Paullus e Festo p. 176.

tabulis, quibus adiecit brevem terrae descriptionem, quae dicitur Γῆς περίοδος, de quo opere disputavit Fr. Osannus in Symb. ad hist. liter. Vol. II. p. 65 seqq. Temere enim Max. Fuhr, de Dicaearcho p. 118 et 133 *fabulis* h. l. corrigere videtur. Aliud eiusdem scriptoris opus, ad quod provocat Cicero, inscriptum erat περὶ τῆς εἰς Τροφωνίου καταβάσεως, in quo Chaeron quidam vel, si Osanni coniectura ibid. p. 110 proposita probatur, Chaerepho, famosus helluo, narrandi partes susceperat.

accredens. Verbum rarius, quo Plautum in Asin. (V. 2, 4) et Lucretium (III. 856) usos esse Bosius monuit, est quoque in Cornelii Datame c. 3 et in Horatii Epist. I. 15, 25 et indicat alicuius dictis fidem habere, etiamsi testimonia non addantur.

quam tu de C. Vestorio, ego de M. Cluvio. Excitat per iocum duos Puteolanos (Att. V. 2, 2. Fam. XIII. 56, 1), quorum fides in re argentaria scilicet non minor erat, quam Dicaearchi in descriptione Graeciae. Sed cur hos potissimum? Quia Puteolis Graecum nomen erat Dicaearchia, hos Dicaearchios cum Dicaearcho comparat. Hinc apparet in iis, quae praecedunt *de isto Dicaearcho* nomen proprium minime esse delendum.

Arcadiae — Lepreon. Absurdum videtur, quum Arcadiae fines ad mare non pertineant. Sed vide Paus. V. 5, 3. Reliqua loca in Corinthi agro et in Achaia sita erant.

νεόκτιστα ei videbantur, idque τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ confirmabat, ubi mentio non fit istorum. Itaque istum ego locum totidem verbis a Dicaearcho transtuli. Phliasios autem dici sciebam, et ita fac ut habeas; nos quidem sic habemus. Sed primo me ἀναλογία deceperat, Φλιοῦς, Ὀποῦς, Σιποῦς, quod Ὀπούντιοι, Σιπούντιοι. sed hoc continuo correximus. 4. Laetari te nostra moderatione et continentia video: tum id magis faceres, si adesses. Atque hoc foro, quod egi ex Idibus Febr. Laodiceae ad Kalend. Mai. omnium dioecesium praeter Ciliciae, mirabilia quaedam effecimus; ita multae civitates omni aere alieno liberatae, multae valde levatae sunt; omnes suis legibus et iudiciis usae, αὐτονομίαν adeptae, revixerunt. His ego duobus generibus facultatem ad se aere alieno liberandas aut levandas dedi: uno, quod omnino nullus [in] imperio meo sumptus factus est — nullum quum dico, non loquor ὑπερβολικῶς — nullus, inquam, ne teruncius quidem: hac autem re incredibile est quantum civitates emerserint. 5. Accessit altera. Mira erant in civitatibus ipsorum furta Graecorum, quae magistratus sui fecerant. Quaesivi ipse de iis, qui annis decem proximis magistratum gesserant; aperte fatebantur: itaque sine ulla ignominia suis humeris pecunias populis retulerunt. Populi autem nullo gemitu publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil solverant, etiam superioris lustri (reliqua) reddiderunt. Itaque publicanis in oculis sumus. »Gratis, inquis, viris." Sensimus. Iam cetera iuris-

istum ego locum — a D. transtuli. Similis constructio de Fin. I. 7, ubi cf. Madvigii adn.

Phliasios. In codice rescripto ll. de Repb. II. 8 mendum, a Cicerone hic notatum, remansit. Habet enim *Philuntios* pro *Phliuntios.* Cf. de hac formae varietate Wesselingius ad Diodori XV. 19.

§ 4. *duobus generibus* ɔ: duplici ratione. Cf. I. F. Heusinger ad Cic. Off. II. 3, 4, nos ad IV. 2, 7. Mox quum exspectares *Accessit alterum* (genus), orationem variavit, respiciens ad vocc. *hac re,* quae proxime praecedunt, scripsitque *Acc. altera.* — Moseri in his refingendis licentiam non laudo. Is enim in Symb. Crit. Spec. V. p. 6 restituendum putat: *His ego duabus quidem rationibus facultatem — dedi: una, quod —.*

nullus imperio meo sumptus factus est. Nimis patienter interpretes *in imperio* tulerunt. Requiritur vel dativus, quem restitui, vel *in imperium meum.* Cf. V. 21, 5.

§ 5. *suis humeris — retulerunt* ɔ: ipsi retulerunt, nulla vi coacti. Conferri possunt similes locutiones, *comitia* et *rempb. suis humeris sustinere* in Milon. 25. Flacc. 94.

etiam superioris lustri reddiderunt. Egregie Wesenbergius Emend. p. 110 adn. ante *reddiderunt* inseruit *reliqua,* collatis iis, quae eodem tempore de eadem re scripsit ad M. Caelium, Fam. II. 13, 3, *publicanis etiam superioris lustri reliqua sine sociorum ulla querela conservaram.*

in oculis sumus ɔ: carissimi sumus. Cf. Tusc. II. 63. Similiter dicebant *aliquem in oculis ferre.* Phil. VI. 4. Q. fr. III. 1, 9. Fam. XVI. 27, 2, ubi praepositio excidit.

Gratis, inquis, viris. Ironice dictum. Atticus volebat: male beneficium collocasti apud eos. Fatetur Cicero subiungens: *sensimus* ɔ: experti sumus, quum me destituerunt in certamine cum P. Clodio.

dictio nec imperita et clemens cum admirabili facilitate; aditus autem ad me minime provinciales; nihil per cubicularium; ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus. Grata haec et magna mihique nondum laboriosa ex illa vetere militia. 6. Nonis Mai. in Ciliciam cogitabam; ibi quum Iunium mensem consumpsissem — atque utinam in pace! magnum enim bellum impendet a Parthis —, Quintilem in reditu ponere; annuae enim mihi operae a. d. III. Kalend. Sext. emerentur, magna autem in spe sum mihi nihil temporis prorogatum iri. Habebam acta urbana usque ad Nonas Martias, e quibus intelligebam Curionis nostri constantia omnia potius actum iri quam de provinciis. Ergo, ut spero, propediem te videbo. 7. Venio ad Brutum tuum, immo nostrum; sic enim mavis. Equidem omnia feci, quae potui aut in mea provincia perficere aut in regno experiri. Omni igitur modo egi cum rege et ago quotidie, per litteras scilicet; ipsum enim triduum quadriduumve mecum habui turbulentis in rebus, quibus eum liberavi; sed et tum praesens et postea creberrimis (litteris) non destiti rogare et petere mea causa, suadere et hortari sua: multum profeci, sed quantum non plane, quia longe absum, scio. Salaminios autem — hos enim poteram coërcere — adduxi, ut totum nomen Scaptio vellent solvere, sed centesimis ductis a proxima quidem syngrapha, nec perpetuis sed renovatis quotannis. Numerabantur nummi; noluit Scaptius. Tu qui ais Brutum cupere aliquid perdere? Quaternas habebat in syngrapha. Fieri non poterat, nec, si posset, ego pati possem. Audio omnino Scaptium poenitere; nam quod senatus consultum esse dicebat, ut ius ex syngrapha diceretur, eo consilio factum

Iam cetera iurisdictio cet. Obtemperabat praeceptis, quae olim dederat Quinto fratri in epist. ad eum data I. 1, 20 sq. I. F. Gronovius merito explosit augurale verbum *nec impetrita*, et tuetur script. Med. *nec imperita*, interpretans: „qualis decet hominem iuris civilis non ignarum." Nihil opus est Lambini coni. *impedita*.

minime provinciales ɔ: minime difficiles ac molesti, ut fit fere in provinciis. Exemplo ponit Tacitus Ann. XV. 31 complexu provincias obtinentium arceri foribusque adsistere.

§ 6. *emerentur* ɔ: explentur, conficiuntur. Cicero eiusque aequales *emerere* active dixerunt. Hinc scribit infra ep. 5, 3 *Nos etsi annuum tempus prope iam emeritum habebamus.*

§ 7. *ad Brutum tuum, immo nostrum.* cf. Brut. 20 *quem ego sermonem quum ad Brutum tuum vel nostrum potius detulissem.*

in regno experiri. Vid. ad V. 18, 4.

creberrimis litteris. Substantivum addidi auctoritate libri Faerni. Ellipsis, quam statuunt, durior est.

centesimis ductis a proxima quidem syngrapha, nec perpetuis sed renovatis quotannis. Cf. V. 21, 11. VI. 1, 5. Salaminii sortem et usuras solvere volebant, sed hac lege ut usurae computarentur a die, a quo currebant e syngrapha et sine anatocismo. Quod scribit *a proxima syngrapha* videtur indicare plures de illo debito syngraphas esse factas.

Tu qui ais Brutum cet. Sic e Med., aut

est, quod pecuniam Salaminii contra legem Gabiniam sumpserant: vetabat autem Auli lex ius dici de ita sumpta pecunia. Decrevit igitur senatus, ut ius diceretur (ex) ista syngrapha. Nunc ista habet iuris idem, quod ceterae, nihil praecipui. 8. Haec a me ordine facta puto me Bruto probaturum, tibine nescio, Catoni certe probabo. Sed iam ad te ipsum revertor: ain tandem, Attice, laudator integritatis et elegantiae nostrae:

Ausus es hoc ex ore tuo — —

— inquit Ennius — ut equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, me rogare? an tu, si mecum esses, qui scribis morderi te interdum quod non simul sis, paterere me id facere, si vellem? »Non amplius, inquis, quinquaginta.” Cum Spartaco minus multi primo fuerunt. Quid tandem isti mali in tam tenera insula non fecissent? non fecissent autem? immo quid ante adventum meum non fecerunt? inclusum in curia senatum habuerunt Salaminium ita multos dies, ut interierint nonnulli fame. Erat enim praefectus Appii Scaptius et habebat turmas ab Appio. Id me igitur tu, cuius mehercule os mihi ante oculos solet versari, quum de aliquo officio ac laude cogito, tu me, inquam, rogas, praefectus ut Scaptius sit? Alias hoc statueramus, ut negotiatorem neminem, idque Bruto probaramus. Habeat is turmas? cur potius quam cohortes? 9. Sumptu iam nepos evadit Scaptius. »Volunt, inquit, principes.” Scio; nam ad me Ephesum usque venerunt flentesque equitum scelera et miserias suas detulerunt; itaque

tun qui cum Bosio vulgo edunt. Neutrum verum puto. Schuetzius correxit: *Quid tu? qui ais*. Ego malim: *Ubi tu, qui ais* cet.

contra legem Gabiniam. Cf. ad V. 21, 12.

§ 8. *tibine nescio,* scripsi cum W. pro *tibi nescio,* quod vere eum observasse puto Ciceronem in disiunctivis interrogationibus pendentibus nunquam omisisse interrogandi particulam.

integritatis et elegantiae. Coniunguntur eadem in orat. p. Sulla, 79, estque elegantia morum innocentia, qua cavemus, ne ab honestate desciscamus. Belg. *kieschheid.* Cf. Halmius ad l. cit.

Cum Spartaco minus multi primo fuerunt. Florus III. 20: *Spartacus, Crixus, Oenomaus effracto Lentuli ludo cum triginta haud amplius eiusdem fortunae viris erupere Capuam.* App. B. C. I. 116 ἐς ἑβδομήκοντα ἄνδρας, Liviana perioche lib. XCV *quattuor et septuaginta gladiatores* profugisse tradunt. Cicero utitur hoc exemplo, ut ostendat parvam manum armatorum multum mali facere posse.

in iam tenera insula. Notatur Cypriorum mollities. *Tenera* = imbelli.

inclusum — habuerunt ɔ: tenuerunt. Cf. Kritz. ad Sall. Cat. 23, 4. Att. IX. 12, 3 *fossa et vallo saeptum tenet.*

Erat enim — ab Appio. His verbis continetur ratio, qui id quod modo narratum est fieri potuerit. Sine iusta causa Pluygersius haec proscripsit.

§ 9. *nepos evadit Scaptius.* Fingit Cicero se mirari, cur Scaptius equitum turmis alendis maiores sumptus facere velit, quam si peditum cohortes haberet. Scaptius ille, qui alias avarum se praebet, iam fit homo prodigus. Sic recte Victorius.

Volunt, inquit, principes ɔ: Scaptius ait, principes vel magistratus Salaminii cogunt

statim dedi litteras, ut ex Cypro equites ante certam diem decederent, ob eamque causam, tum ob ceteras Salaminii nos in caelum decretis suis sustulerunt. Sed iam quid opus equitatu? solvunt enim Salaminii; nisi forte id volumus armis efficere, ut faenus quaternis centesimis ducant. Et ego audebo legere unquam aut attingere eos libros, quos tu dilaudas, si tale quid fecero? Nimis, inquam, in isto Brutum amasti, dulcissime Attice, nos vereor ne parum. Atque haec scripsi ego ad Brutum scripsisse te ad me. 10. Cognosce nunc cetera. Pro Appio nos hic omnia facimus, honeste tamen, sed plane libenter; nec enim ipsum odimus et Brutum amamus, et Pompeius mirifice a me contendit, quem mehercule plus plusque in dies diligo. C. Caelium quaestorem huc venire audisti. Nescio quid sit, sed Pammenia illa mihi non placent. Ego me spero Athenis fore mense Septembri. Tuorum itinerum tempora scire sane velim. *Εὐήθειαν* Sempronii Rufi cognovi ex epistola tua Corcyraea: quid quaeris? invideo potentiae Vestorii. Cupiebam etiam nunc plura garrire, sed lucet, urget turba, festinat Philogenes. Valebis igitur et valere Piliam et Caeciliam nostram iubebis litteris et salvebis a meo Cicerone.

me tantos sumptus facere; non meo arbitrio sic ago. Respondet Cicero ironice *Scio; nam* cet.

Et ego audebo. Et vel *et tamen* est cum indignatione admirantis. Exempla abundant, ut p. Sest. 37. *Et causam dicit S. de vi?* p. Rosc. Am. 76. Planc. 71 *Et quemquam putas fuisse tam excordem?* ubi Wunderus male haeret. Att. VII. 23, 1. IX. 9, 2. Cf. Beierus ad Tull. § 42. Hand. in Turs. II. p. 492. Similiter apud Graecos καὶ et καὶ εἶτα dicitur.

dilaudas. Idem verbum de eadem re legitur h. l. 3, 3, neque Ciceroni eripiendum est.

§ 10. *Pro Appio nos hic omnia facimus.* Appium e Cilicia repetundarum reum fecerat Dolabella, Fam. VIII, 6, 1. Cicero, quum posset, eum opprimere noluit, sed M. Bruti et Cn. Pompeii causa, quorum ille Appii gener, hic filiae socer erat (Fam. III. 4, 2) ipsum, quantum poterat, in provincia adiuvit. Fam. II. 13, 2. III. 10. *Honeste tamen, sed plane libenter* ɔ: libenter, quatenus id honeste facere possum.

Nescio quid sit, sed Pammenia illa mihi non placent. Vulgo verba: *Nescio quid sit: sed...* ad rumorem de Caelii adventu referunt, ut Cicero dicat se nescire, quid de ea re verum sit. *Sed....* tum poneretur per ἀποσιώπησιν, quam vereor ne Atticus non felicius expleverit, quam editores. Ego plane nullam causam esse video, cur haec non cum sequentibus iungamus. Sic omnia expedita sunt, nisi quod dubitari possit *Pammenia* utrum pertineant ad eam rem, de qua verbo scripsit V. 20, 10, an ad alia quaedam, quae de rebus Pammeni, rhetoris Attici, Atticus Tullio nuntiasset.

Εὐήθειαν — *Vestorii.* De controversia inter Rufum et Vestorium cf. V. 2, 2. Fatuitatem Rufi, quam hic tangit, cognoscimus ex iis, quae scribit Caelius, Fam. VIII. 8, 1.

III. (*A. U. C.* 704.)

1. Etsi nihil sane habebam novi, quod post accidisset quam dedissem ad te Philogeni, liberto tuo, litteras, tamen quum Philotimum

Romam remitterem, scribendum aliquid ad te fuit. Ac primum illud, quod me maxime angebat, — non quo me aliquid iuvare posses: quippe, res enim est in manibus, tu autem abes longe gentium:

πολλὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ
Νότος κυλίνδει κύματ' εὐρείης ἁλός —

obrepit dies, ut vides — mihi enim a. d. III. Kal. Sext. de provincia decedendum est —, nec succeditur. Quem relinquam, qui provinciae praesit? Ratio quidem et opinio hominum postulat fratrem; primum, quod videtur esse honos: nemo igitur potior; deinde, quod solum habeo praetorium. Pomptinus enim ex pacto et convento — nam ea lege exierat — iam a me discesserat; quaestorem nemo dignum putat. Etenim est levis, libidinosus, tagax. 2. De fratre autem primum illud est: persuaderi ei non posse arbitror; odit enim provinciam — et hercule nihil odiosius, nihil molestius —; deinde, ut mihi nolit negare, quidnam mei sit officii? Quum bellum esse in Syria magnum putetur, id videatur in hanc provinciam erupturum, hic praesidii nihil sit, sumptus annuus decretus sit, videaturne aut pietatis esse meae fratrem [relinquere] aut diligentiae nugarum aliquid relinquere? Magna igitur, ut vides, sollicitudine afficior, magna inopia consilii.

§ 1. *litteras,* quae proxime praecedunt, ubi vide § 1 et 10.

res est in manibus ɔ: hoc nunc ipsum tractatur. Qui sequuntur senarii Archilocho vindicantur a Bergkio in Ind. Schol. Marburg. 1845, p. IX. Cf. Poetae lyrici Gr. p. 1047. μεταίχμιον quum proprie sit spatium inter duas acies, de quovis intervallo recte ponitur.

obrepit Ernestus merito restituit pro *obrepsit.* Dies enim decessionis appropinquabat, nondum venerat. Cf. ep. 5, 3.

ex pacto et convento. Pacta conventa quae nominantur in edicto praetoris in l. 7, § 7. Dig. de pactis, proprie erant pacta *et* conventa, ut *usus fructus* usus et fructus. Cic. p. Caec. § 51 loquitur de *pacti et conventi formula,* Seneca de Benef. III. 15 *pacta conventaque,* et tit. I. Lib. I Sententiarum Paulli inscr. *de pactis et conventis.* Itaque non licet secludere copulam. Pro *convento* vix recte in Med. est *conventu.* Certe in Rhet. ad Her. II. 20 non *pacta, quae sine legibus observantur ex conventu* legi debet, sed quod in antiquissimo codice Wurzeburgensi distincte scriptum est: *ex convento.* Vid. Anal. Tull. Halmii I. p. 12.

tagax ɔ: rerum alienarum cupidus, furunculus, ut explicat Festus. Derivatur a *ta go* = tango. Cf. ep. 4, 1. 7, 2.

§ 2. *Quum — sumptus annuus decretus sit.* Perperam vulgo interpretantur: quum sumptus in annum decretus sit ideoque exacto anno is, qui provinciae praeerit, pecunia publica destituatur. Hofmannus in disp. de belli civ. Caesar. origine p. 138 sq. intellexit haec explicanda esse ex iis, quae leguntur VII. 1, 6 hoc modo: „Quoniam senatus novi de provinciis nihil statuit, successori idem sumptus, qui mihi annuus decretus est, in alterum annum erogandus est; ille autem multo minor est, quam qui sufficiat ad repellendum hostem validissimum."

nugarum aliquid ɔ: hominem nihili. Significat Mescinium quaestorem. *Nugas* dicebant homines levissimos. Cf. hac ep. § 5, ad Q. fr. I. 2, 4. Mil. 55. Sest. 24. Prius *relinquere* melius aberit.

Quid quaeris? toto negotio nobis opus non fuit. Quanto tua provincia melior! decedes, quum voles, nisi forte iam decessisti; quem videbitur, praeficies Thesprotiae et Chaoniae. Necdum tamen ego Quintum conveneram, ut iam, si id placeret, scirem possetne ab eo impetrari, nec tamen, si posset, quid vellem habebam. 3. Hoc est igitur eiusmodi. Reliqua plena adhuc et laudis et gratiae, digna iis libris, quos tu dilaudas: conservatae civitates, cumulate publicanis satisfactum, offensus contumelia nemo, decreto iusto et severo perpauci, nec tamen quisquam, ut queri audeat, res gestae dignae triumpho, de quo ipso nihil cupide agemus, sine tuo quidem consilio certe nihil. Clausula est difficilis in tradenda provincia, sed hoc deus aliquis gubernabit. 4. De urbanis rebus — scilicet plura tu scis, saepius et certiora audis — equidem doleo non me tuis litteris certiorem fieri: huc enim odiosa afferebantur de Curione, de Paullo, non quo ullum periculum videam stante Pompeio vel etiam sedente; valeat modo: sed mehercule Curionis et Paulli, meorum familiarium, vicem doleo. Formam igitur mihi totius rei publicae, si iam es Romae aut quum eris, velim mittas, quae mihi obviam veniat, ex qua me fingere possim et praemeditari quo animo accedam ad urbem; est enim quiddam advenientem non esse peregrinum atque hospitem. 5. Et, quod paene praeterii, Bruti tui causa, ut saepe ad te scripsi, feci omnia. Cyprii numerabant; sed Scaptius centesimis, renovato in singulos

toto negotio nobis opus non fuit. Saepissime queritur Cicero, se tamdiu ab urbe abesse. Vid. imprimis Fam. II. 13, 2.

tua provincia, id quod tu agis, otium tuum et a munere publico vacatio.

§ 4. *De urbanis rebus* cet. In verbis distinguendis mihi viam indicavit amicus C. M. Francken. Hoc modo sententia melius currit, quam vulgo fit.

de Curione, de Paullo. Hi tum Caesaris pecunia (Suet. Caes. 29) gratiave corrupti eius causam in senatu susceperant. Fam. VIII. 6, 5. 11, 3. Vell. II. 48. Appian. B. C. II. 26.

stante Pompeio vel etiam sedente ɔ: dum Pompeius suam in repb. dignitatem obtinebit, etiamsi nihil agat. Cf. Fam. VI. 6, 2 *stante me* et VII. 2, 3, *qui me stante stare non poterant.* XIII. 29. 7 *per quos steterim.* *Sedere* indicat otiosum esse, nihil agere. Vid. N. Heinsius et Drakenborchius ad Sil. Ital. XII. 64.

Paulli — vicem doleo ɔ: doleo quid Curioni et Paullo acciderit, quam consilii mutationem subierint. Sic supra IV. 6, 1 *quod ipsius vicem minime dolemus.* Fam. XII. 23, 3 *tuam vicem saepe doleo.* Att. VIII. 2, 2. Servius Sulpicius ad Fam. IV. 5, 3.

ex qua me fingere possim ɔ: ad quam mea consilia accommodare, meque conformare possim. Cf. Orat. 28 *fingere se totum ad alterius arbitrium et nutum.*

§ 5. *Et, quod paene praeterii, Bruti tui causa — feci omnia.* Nullo vinculo haec cum superioribus cohaerent, ita ut copula hic stare non possit. Non magis video, quare Cicero in media epistola scripsisset, se paene omisisse de Bruti causa scribere, quae tamen illo tempore vehementer eum sollicitabat et Attico cordi erat. Hinc suspicio mihi nata est scribendum esse: *Eu, quod paene praeteriit,* hac sententia: Felicem me dico, quod illa mea peregrinatio paene praeteriit et mox ad urbem accedam. Tum transit ad alia: § 5. *Bruti tui causa — feci omnia.* Hoc ob-

annos faenore, contentus non fuit. Ariobarzanes non in Pompeium prolixior per ipsum quam per me in Brutum; quem tamen ego praestare non poteram. Erat enim rex perpauper aberamque ab eo ita longe, ut nihil possem nisi litteris, quibus pugnare non destiti. Summa haec est: pro ratione pecuniae liberalius est Brutus tractatus quam Pompeius: Bruto curata hoc anno talenta circiter c., Pompeio in sex mensibus promissa cc. Iam in Appii negotio quantum tribuerim Bruto dici vix potest. Quid est igitur quod laborem? Amicos habet meras nugas, Matinium, Scaptium, qui, quia non habuit a me turmas equitum, quibus Cyprum vexaret, ut ante me fecerat, fortasse suscenset, aut quia praefectus non est, quod ego nemini tribui negotiatori, non C. Vennonio, meo familiari, non tuo, M. Laenio; et quod tibi Romae ostenderam me servaturum, in eo perseveravi. Sed quid poterit queri is, qui auferre pecuniam quum posset, noluit? Scaptio, qui in Cappadocia fuit, puto esse satisfactum: is a me tribunatum quum accepisset, quem ego ex Bruti litteris ei detulissem, postea scripsit ad me se uti nolle eo tribunatu. 6. Gavius est quidam, cui quum praefecturam detulissem Bruti rogatu, multa et dixit et fecit cum quadam mea contumelia, P. Clodii canis. Is me nec proficiscentem Apamea prosecutus est nec, quum postea in castra venisset atque inde discederet, numquid vellem rogavit, et fuit aperte mihi nescio quare non amicus: hunc ego si in praefectis habuissem, quem tu me hominem putares? qui, ut scis, potentissimorum hominum contumaciam nunquam tulerim, ferrem huius asseculae? etsi hoc plus est, quam ferre, tribuere etiam beneficii aliquid et honoris. Is igitur Gavius, quum Apameae

stat, quod in Ciceronis scriptis nunquam alias *eu* legimus.

Ariobarzanes. Cf. de hoc negotio VI, 1, 3 sq. — De *Appii negotio* VI. 2, 10.

Matinium, Scaptium. Falso ex his duobus scidae Speng. et scriptor cod. Med. unum fecerunt *Manium Scaptium,* huius corrector *M. Scaptium.* P. Matinius et M. Scaptius memorantur V. 21, 10 et VI. 1, 5.

et quod — in eo. Varie haec temptantur in adnot. Acidalii ad Vell. Pat. II. 19. Acquiescendum puto in scriptura recepta.

Scaptio, qui in Cappadocia fuit. Agitur de altero Scaptio. Ex eo quod in scidis Wirz. est *aut Scaptius* Madv. A. C. III p. 177 eruit: *Alteri e Scaptiis.* Mihi scribendum videtur: *Aulo Scaptio.*

tribunatu. Nomen mihi suspectum, certe otiosum est.

§ 6. *P. Clodii canis,* ɔ: assecula et perpetuus comes P. Clodii. Sic L. Pisonem *Clodianum canem* appellat in Pison. 23, et in Verrinis saepius *canes* vocat eos, qui in cohorte praetoria fuerant, ut I. 126 et 133. III. 28. V. 146.

proficiscentem Apamea scripsi, non *Apameam.* Gavius enim Apameae Ciceronem vidit, sed abiit iratus, neque eum in castra proficiscentem prosecutus est.

asseculae. Ita habent optimi libri h. l., in Sest. 135, in Verr. III. 30. Deteriores plerumque *asseclae.*

ut Culleolum vix auderem de coni. Schuetzii scripsi. In MSS. deest *ut.* Sententia postu-

me nuper vidisset Romam proficiscens, me ita appellavit, ut Culleolum vix auderem: »Unde," inquit, »me iubes petere cibaria praefecti?" Respondi lenius quam putabant oportuisse, qui aderant, me non instituisse iis dare cibaria, quorum opera non essem usus. Abiit iratus. 7. Huius nebulonis oratione si Brutus moveri potest, licebit eum solus ames, me aemulum non habebis; sed illum eum futurum esse puto, qui esse debet. Tibi tamen causam notam esse volui et ad ipsum haec perscripsi diligentissime. Omnino — soli enim sumus — nullas unquam ad me litteras misit Brutus, ne proxime quidem de Appio, in quibus non inesset arrogans, *ἀκοινώνητον* aliquid. Tibi autem valde solet in ore esse:

Granius autem
Non contemnere se et reges odisse superbos:

in quo tamen ille mihi risum magis quam stomachum movere solet; sed plane parum cogitat quid scribat aut ad quem. 8. Q. Cicero puer legit, ut opinor, et certe, epistolam inscriptam patri suo — solet enim aperire, idque de meo consilio, si quid forte sit quod opus sit sciri — in ea autem epistola erat illud idem de sorore, quod ad me. Mirifice conturbatum vidi puerum; lacrimans mecum est questus: quid quaeris? miram in eo pietatem suavitatem humanitatemque perspexi, quo maiorem spem habeo nihil fore aliter ac deceat. Id te igitur scire volui. 9. Ne illud quidem praetermittam: Hortensius

lat, ut Culleolus fuerit homo infimus, non ille, ad quem datae sunt ep. 41 et 42, lib. XIII. Fam.

§ 7. *oratione* in Mediceo eiusdemque familiae libris depravatum est in *operatione*, quo substantivo rariore Ciceronem h· l. uti non potuisse Lambinus ostendit. Nihili est *obiratione*, vocabulum a Bosio inventum. Moserum, qui Symb. Crit. V. 7 *obiurgatione* restituit, recte reprehendit Iahnius in Nov. Ann. Phil. 1841. P. 12, p. 448.

soli enim sumus ɔ: hoc tibi in aurem dico, aut ut recentiores loquuntur: sub rosa dictum esto. Eleganter e sermone familiari Gr. et Rom. haec explicantur in P. Victorii Var. Lect. XXIII. 23.

Granius autem — superbos. Versus Luciliani, quorum postremum hemistichium iterum citatur II, 8, 1. De Q. Granio praecone, summis in repb. viris ob dicacitatem accepto, conferri potest Cic. in II de Orat. passim.

quid scribat aut ad quem. Quoniam Cicero queritur de arrogantia, qua utebatur Brutus in litteris ad se datis, dicendum erat: *quid ad quem scribat.* Disiunctiva particula corrumpit sententiam, nisi cum Nipperdeio in Philol. III. p. 148 corrigas: *qui scribat aut ad quem* ɔ: qualis sit ipse, qui scribit, aut ego, ad quem scribit.

§ 8. *ut opinor, et certe.* Primo dubitanter ponit, statim se corrigit et pro certo affirmat. Similiter Micio Terentianus in Adelphis IV. 5, 14. *ut opinor has non nosse te, et certo scio,* et in fragm. Cn. Matii ap. Gell. X. 24 *ut recordor, et certe.*

de sorore. Cf. ep. 2, 1 sq. h. l.

nihil fore aliter ac deceat ɔ: discidium non factum iri inter Q. fr. et uxorem. De eadem re in ep. 7, 1: *Confido rem, ut volumus, esse.*

§ 9. *gladiatoribus* i. e. quum gladiatores pugnarent, in ludo gladiatorio. Cf. ad I. 16,

filius fuit Laodiceae gladiatoribus flagitiose et turpiter. Hunc ego patris causa vocavi ad cenam, quo die venit, et eiusdem patris causa nihil amplius. Is mihi dixit se Athenis me exspectaturum, ut mecum decederet. »Recte," inquam; quid enim dicerem? Omnino puto nihil esse quod dixit; nolo quidem, ne offendam patrem, quem mehercule multum diligo: sin fuerit meus comes, moderabor ita, ne quid eum offendam, quem minime volo. 10. Haec sunt; etiam illud: orationem Q. Celeris mihi velim mittas contra M. Servilium. Litteras mitte quamprimum; si nihil † fieri vel per tuum tabellarium. Piliae et filiae salutem. Cura ut valeas.

11. Bosius temere scripsit *e gladiatoribus.* Si Hortensius fuisset inter gladiatores, Cicero eum non vocasset ad cenam. Illa aetas non vidit tam indignum spectaculum, nisi in L. Antonio, de quo vid. Phil. VI. 10 et 13.

nihil amplius sc. feci, nisi ut semel ad cenam vocarem; nullis aliis officiis eum prosecutus sum. Patri hunc filium ob nequitiam invisum fuisse narrat Val. Max. V. 9, 2, et satis indicant ea, quae h. l. scribit Cicero.

nolo quidem. Supplendum est: eum mihi comitem, nisi scribendum: *Nolo comitem.* Certe non probandum quod Ern. coniecit: *Non nolo quidem.*

§ 10. *orationem Q. Celeris — contra M. Servilium.* Sine dubio agitur de causa, quam tangit Caelius in ep. ad Cic. Fam. VIII. 8, 2. Ibi Q Pilius (Celer) necessarius Attici narratur M. Servilium de repetundis postulasse. Actum illud a. 703. Male Meyerus in Orat. Ro. fragm. p. 403 haec retulit ad Q. Caecilium Metellum Celerem cos. a. 694.

si nihil † fieri vel per tuum tabellarium. E geminatione voc. *nihil* oritur sententia paulo durior. Malim sic corrigere: *si nihil erit, vel per tuum tabellarium* ɔ: si non erit, quod scribas, nuntia hoc mihi sine litteris, si tibi videtur.

IV. (*A. U. C.* 704).

1. Tarsum venimus Nonis Iuniis. Ibi me multa moverunt: magnum in Syria bellum, magna in Cilicia latrocinia; mihi difficilis ratio administrandi, quod paucos dies habebam reliquos annui muneris, illud autem difficillimum: relinquendus erat ex senatus consulto qui praeesset. Nihil minus probari poterat quam quaestor Mescinius; nam de Caelio nihil audiebamus. Rectissimum videbatur fratrem cum imperio relinquere; in quo multa molesta, discessus noster, belli periculum, militum improbitas, sexcenta praeterea. O rem totam odiosam! sed

§ 1. *Tarsum venimus.* Scripta haec epistola, quum Laodicea ad castra proficisceretur et, ut e verbis § 3 *scripsi in itinere atque agmine* apparet, Tarso iam relicta. Temporis ordine praecedit tertiam, quae e castris data est. Vid. 3, 6.

quaestor Mescinius. „Quaestorem nemo dignum putat (qui provinciae praesit). Etenim est levis, libidinosus, tagax." Ep. 3, 1.

de Caelio. Cf. ep. 2, 10. Hunc tamen decedens provinciae praeposuit. Fam. II. 15, 4.

militum improbitas est aviditas, aut si rem vero nomine designare velis, latrocinia militum. Probarem, quod Pluygersio in men-

haec fortuna viderit, quoniam consilio non multum uti licet. 2. Tu, quando Romam salvus, ut spero, venisti, videbis ut soles omnia, quae intelliges nostra interesse, imprimis de Tullia mea; cuius de conditione quid mihi placeret, scripsi ad Terentiam, quum tu in Graecia esses; deinde de honore nostro; quod enim tu afuisti, vereor, ut satis diligenter actum in senatu sit de litteris meis. 3. Illud praeterea μυστικώτερον ad te scribam, tu sagacius odorabere: τῆς δάμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος — οἶσθα ὃν λέγω — ἔδοξέ μοι πρώην, ἐξ ὧν ἀλογενόμενος παρεφθέγγετο, πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐκ τῆς ὠνῆς τῶν ὑπαρχόντων τοῦ Κροτωνιάτου τυραννοκτόνου. δέδοικα δή, μήτι νοήσῃς· εἶς δήπου τοῦτο δὴ περισκεψάμενος τὰ λοιπὰ ἐξασφάλισαι. Non queo tantum, quantum vereor, scribere. Tu autem fac ut mihi tuae litterae volent obviae. Haec festinans scripsi in itinere atque agmine. Piliae et puellae Caeciliae bellissimae salutem dices.

tem venit, *militum paucitas,* si illa nomina a librariis permutari potuissent.

§ 2. *de Tullia mea.* Ea hoc fere tempore desponsa est P. Cornelio Dolabellae (Fam. VIII. 13, 1. Att. VI. 6, 1), a quo uxor, cui Fabiae nomen fuisse e Quintil. I. O. VI. 3, 73 suspicari licet, brevi ante discesserat. Fam. VIII. 6, 1.

de honore nostro ɔ: de supplicatione mihi decernenda. Cf. epist. Catonis, Fam. XV. 5 et Caelii VIII. 11.

§ 3. *τῆς δάμαρτος κ. τ. λ. Uxoris meae libertus — nosti quem dicam* — (Philotimus) *visus est mihi dudum ex iis, quae inconsiderate effutiebat, conturbasse rationes* (unde VII. 1, 8 φυράτης appellatur) *ex emptione bonorum tyrannicidae Crotoniatae* (ɔ: Milonis, qui Clodium interfecit et quem tam ob fortitudinem quam ob nominis similitudinem cum illo Crotoniata comparat). *Vereor igitur, ut senseris. Sane velim, hoc solus explores et reliqua in tuto ponas.* De re cf. V. 8, 2 et VI. 5, 1 sq. Pro ἀλογενόμενος, quod negabat Graecum esse, I. F. Gronovius volebat scribi ἀλλογνοούμενος, quo indicatur ὁ παραφρονῶν. Sed vide Lobeck. ad Phryn. p. 566 sqq.

V. (*A. U. C.* 704.)

1. Nunc quidem profecto Romae es, quo te, si ita est, salvum venisse gaudeo; unde quidem quamdiu afuisti, magis a me abesse videbare, quam si domi esses; minus enim mihi meae notae res erant, minus etiam publicae. Quare velim, etsi, ut spero, te haec legente aliquantum iam viae processero, tamen obviam mihi litteras quam argutissimas de omnibus rebus crebro mittas, imprimis de quo scripsi ad te antea: τῆς ξυναόρου τῆς ἐμῆς οὑξελεύθερος ἔδοξέ μοι θαμὰ

§ 1. *magis a me abesse videbare, quam si domi esses* ɔ: quamvis in Graecia minus a Cilicia abesses, quam Romae, tamen quum minus multa de rebus urbanis ex te cognoscerem, magis abesse videbare.

aliquantum iam viae processero, scripsi de coni. I. F. Gronovii, pro *aliquantum tamen v. p.*

τῆς ξυναόρου κ. τ. λ. i. e.: Uxoris meae libertus (Philotimus) visus est mihi, saepe garriens et errans in conciliabulis et

βατταρίζων καὶ ἀλύων (ἐν) τοῖς ξυλλόγοις καὶ ταῖς λέσχαις ὑπό τι πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τοῦ Κροτωνιάτου. 2. Hoc tu indaga, ut soles; † ast hoc magis: ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου στείχων παρέδωκε μνῶν κδ΄. μη΄ ὀφείλημα τῷ Καμίλλῳ, ἑαυτόν τε ὀφείλοντα μνᾶς κδ΄ ἐκ τῶν Κροτωνιατικῶν καὶ ἐκ τῶν Χεῤῥονησιτικῶν μη΄· καὶ μνάς κληρονομῆσαι χμ΄. χμ΄· τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν διευθετῆσθαι, πάντων ὀφειληθέντων τοῦ δευτέρου μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ· τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ, ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνωνος πατρὶ, μηδὲν ὁλοσχερῶς πεφροντικέναι. ταῦτα οὖν πρῶτον μὲν, ἵνα πάντα σώζηται, δεύτερον δέ, ἵνα μηδὲ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τῆς προεκκειμένης ἡμέρας. ὅσας αὐτὸν ἠνέγκαμεν, σφόδρα δέδοικα. καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασκεψόμενος καί τι 'σχεδὸν ἐλπίσας· ἀπογνοὺς δὲ ἀλόγως ἀπέστη, ἐπειπών· εἴκω. αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν —, meque obiurgavit vetere proverbio, τὰ μὲν διδόμενα. 3. Reliqua vide et quantum fieri potest perspice. Nos, etsi annuum tempus prope iam emeritum habebamus — dies enim XXXIII. erant reliqui — sollicitudine provinciae tamen vel maxime urgebamur. Quum enim arderet Syria bello et Bibulus in tanto maerore suo maximam curam belli sustineret ad

circulis, quodammodo conturbasse rationes in bonis Milonis. Cf. ep. 4, 3.

§ 2. *ast hoc magis. ast* suspectum est. Wes. pro eo malebat *sed,* Iordan l. l. ad III. 15, 6 *istuc magis.*

ἐξ ἄστεως κ. τ. λ. Quae Cicero scripsit ἐν αἰνιγμοῖς, ut ipse ait ep. 7, 1, et quae non intellecta a scribis vitiose descripta sunt, quum aliorum, tum R. Mueckii opera sic correcta sunt, ut edidimus. cf. huius commentatio de locis graecis in epp. ad Atticum p. 12 seq. Verbi παρέδωκε subiectum repetendum e praecedenti sententia est τῆς ξυνωρόρου τῆς ἐμῆς οὑξελεύθερος. Post ἐκ τῶν Χερρ. μη΄, incipit oratio obliqua, et infinitivi κληρονομῆσαι, διευθετῆσθαι, πεφροντικέναι pendent ab omisso verbo dicendi. Cononis pater fuit Timotheus. Hic autem Timotheus non videtur fuisse libertus Philotimi, sed Milonis, in quem Philotimus culpam rationum turbatarum coniicere conabatur. Reliqua facile intelliguntur. Verba emendata sic verto: „Ex urbe septicolli proficiscens (Philotimus) Camillo rationes reddidit minarum XXIV et XLVIII, quas debet et se ipsum debitorem minarum XXIV e bonis Milonis et XLVIII e praediis Chersonnesiis, (dixitque) ex hereditatibus sibi obvenisse minas bis sexcentas quadraginta: harum autem ne obolum quidem administratum esse, quum omnia debita essent a Kal. Februariis: illius autem libertum, cui idem nomen quod erat Cononis patri, nihil omnino curasse. Haec igitur primum cura, ut universa serventur; deinde, ut ne usuras negligas, quae a die praedicta currunt. Quot dies illum pertulimus, in magno timore fui. Etenim erat apud nos exploraturus et aliquid sperans, eaque spe destitutus temere abiit obmurmurans: cedo; nam turpe diu manere (et vacuum reverti)." Hoc volebat, opinor, Philotimus se abire, quoniam nihil proficiebat, sed suspectus erat Ciceroni.

Vetere proverbio τὰ μὲν διδόμενα. Erasmus Adag. IV. 1 e Platonis Gorgia p. 499 C supplevit ἀνάγκη δέχεσθαι. Philotimus ita iubet Ciceronem rationibus datis esse contentum.

§ 3. *Reliqua vide et quantum fieri potest perspice. Nos* e cod. in marg. Crat. cum W. scripsi, spreto quod est in Med. *perspiciamus,* etsi hoc mutatum in *prospiciamus* Gronovius non male explicari posse ostendit.

in tanto maerore suo. Duos Bibuli filios,

meque legati eius et quaestor et amici eius litteras mitterent, ut subsidio venirem, etsi exercitum infirmum habebam, auxilia sane bona, sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum — haec enim sunt nostra robora —, tamen esse officium meum putavi exercitum habere quam proxime hostem, quoad mihi praeesse provinciae per senatus consultum liceret; sed, quo ego maxime delectabar, Bibulus molestus mihi non erat, de omnibus rebus scribebat ad me potius, et mihi decessionis dies *λεληθότως* obrepebat; qui quum advenerit, *ἄλλο πρόβλημα,* quem praeficiam, nisi Caldus quaestor venerit, de quo adhuc nihil certi habebamus. 4. Cupiebam mehercule longiorem epistolam facere, sed nec erat res, de qua scriberem, nec iocari prae cura poteram. Valebis igitur et puellae salutem Atticulae dices nostraeque Piliae.

quorum alter augur erat (Fam. II. 17, 6), interfecerant milites in Aegypto rebellantes. Vid. Caesar. B. C. III. 110. Val. Max. IV. 1, 15, qui egregiam patris moderationem, vindictam recusantis, narrat. Animi magnitudinem in hoc casu laudat Seneca in cons. ad Marciam, 14.

Caldus. Erat is C. Caelius L. F. Caldus, de cuius adventu sperato scripsit h. l. 2, 10. Vid. inscriptio ep. 19, II. ad Fam.

Atticulae. Ita appellare ὑποκοριστικῶς Attici filiolam creditur. Sed quum in M[1] scriptum sit *asticulate,* in Z *atticolate,* veram censeo Madvigii Ἀττικωτάτῃ.

VI. (*A. U. C.* 704.)

1. Ego dum in provincia omnibus rebus Appium orno, subito sum factus accusatoris eius socer. »Id quidem," inquis, »dii approbent!" Ita velim teque ita cupere certo scio; sed crede mihi, nihil minus putaram ego, qui de Ti. Nerone, qui mecum egerat, certos homines ad mulieres miseram, qui Romam venerunt factis sponsalibus. Sed hoc spero melius. Mulieres quidem valde intelligo delectari obsequio et comitate adolescentis: cetera noli *ἐξακανθίζειν.* 2. Sed heus tu, *πυρούς εἰς δῆμον* Athenis? placet hoc tibi? etsi non impediebant

§ 1. *Appium orno,* eo maxime, quod operam do ut integra sit dignitate et deterreo Cilices a legatis ad iudicium mittendis, qui de eo querantur.

accusatoris eius socer. Cf. adn. ad ep. 2, 10 et 4, 2 h. l. Fam. III. 12, 4.

putaram ego, qui — miseram. Madvigius in Adv. crit. II, 236 pro *qui* scripsit *quin,* quod W. recepit, in adn. crit. monens posse quoque legi: — *putaram: ego de T. N. — miseram.* In eo quod vulgo legitur offendit *miseram,* pro quo Cicero scripsisset *miserim.*

Id quidem — dii approbent. Sollemne votum. Fam. II. 15, 2 de eadem re eodem tempore scribit: *Quod actum est, dii approbent.* X. 22, 1 *diis approbantibus.*

cetera noli ἐξακανθίζειν. Dolabellae vitia, quae excusat quoque Caelius, Fam. VIII. 13, 1. ἐξακανθίζειν proprie est *spinas evellere,* tum aliquid subtiliter excutere.

§ 2. πυρούς εἰς δῆμον *Athenis.* Ad hoc tempus referenda frumenti largitio, de qua scribit Cornelius in Attici vita, 2, 6; nisi forte Atticus hoc officium Atheniensibus plus semel praestitit.

placet hoc tibi? Est formula, que repre-

mei certe libri; non enim ista largitio fuit in cives, sed in hospites liberalitas. Me tamen de Academiae προπύλῳ iubes cogitare, quum iam Appius de Eleusine non cogitet? De Hortensio te certo scio dolere, equidem excrucior; decreram enim cum eo valde familiariter vivere. 3. Nos provinciae praefecimus Caelium. »Puerum," inquies, »et fortasse fatuum et non gravem et non continentem." Assentior; fieri non potuit aliter. Nam quas multo ante tuas acceperam litteras, in quibus ἐπέχειν te scripseras quid esset mihi faciendum de relinquendo, eae me pungebant; videbam enim, quae tibi essent ἐποχῆς causae et erant eaedem mihi: puero traderem? fratri autem? illud non utile nobis — nam praeter fratrem nemo erat, quem sine contumelia quaestori, nobili praesertim, anteferrem —; tamen, dum impendere Parthi videbantur, statueram fratrem relinquere aut etiam rei publicae causa contra senatus consultum ipse remanere; qui posteaquam incredibili felicitate discesserunt, sublata dubitatio est. Videbam sermones: »Hui, fratrem reliquit! Num est hoc non plus annum obtinere provinciam? quid, quod senatus eos voluit praeesse provinciis, qui non praefuissent? at hic triennium." Ergo haec ad populum. 4. Quid, quae tecum? Nunquam essem sine cura, si quid iracundius aut contumeliosius aut negligentius, quae fert vita hominum. Quid, si quid filius puer et puer bene sibi fidens? qui esset dolor? quem pater non dimittebat teque id censere moleste ferebat. At nunc Caelius, non

hendimus, quod alius facit. Vidd. intt. ad Terentii Eunuchum V. 2, 12. In deliberando rogatur *Placetne?* et *sic placet?* cf. Bentl. ad Hor. Epod. 16, 15.

largitio — liberalitas. Haec honesta, flagitiosa illa. Opponuntur quoque de Orat. II. 105. p. Mur. 77. Cf. etiam Off. II, 55.

Me tamen — non cogitet? Cf. VI. 1, 26. — Interpunctione mutata hunc locum, ut opinor, multo expeditiorem reddidi.

De Hortensio. In Bruto, 1, 1 narrat sibi e Cilicia decedenti Rhodi de Q. Hortensii morte esse allatum. Itaque cum L. Moll in disp. l. p. 44 seq. et Sternkopf Quaestt. chronol. p. 16 seqq. hanc epistolam Rhodo datam esse credimus, reiecta Tunstalli suspicione.

§ 3. *Nos provinciae pr. Caelium.* Cf. Fam. II. 15, 4, ubi Cicero consilium suum Caelii quaestoris provinciae praeponendi iisdem argumentis et paene iisdem verbis purgat.

et fortasse fatuum. Fortasse non dubitandi vim habet, sed prope accedit ad affirmationem, ut ἴσως et nostrum *wellicht.*

fratri autem? Interrogationi *puero traderem?* respondet nova quaestione, in qua *autem* cum aliqua indignatione dicitur, ut Gr. δή. cf. Handii Turs. I p. 575.

illud non utile nobis. Ernestus et Schuetzius *illud* delent. Perperam. Sententia claudicat. Recte procedit, si e simplici fit duplex. Vidit hoc Madvigius et in A. C. III p. 177 sententiam sic restituit: *Illud* (non rei publicae, hoc) *non utile nobis.*

Videbam sermones ɔ: animo prospiciebam hos de me rumores sparsum iri.

Ergo haec ad populum sc. dicerem me excusans, quod fratrem non reliquissem in provincia.

§ 4. *quae fert vita hominum* ɔ: ut sunt homines. XIII. 22, 4 *vita fert.* Comparari possunt locutiones *ut tempus fert, ut aetas illa fert* et aliae plures.

non dico equidem quid egerit. Muretus

dico equidem quid egerit, sed tamen multo minus laboro. Adde illud: Pompeius, eo robore vir, iis radicibus, Q. Cassium sine sorte delegit, Caesar Antonium; ego sorte datum offenderem, ut etiam inquireret in eum, quem reliquissem? Hoc melius et huius rei plura exempla, senectuti quidem nostrae profecto aptius. Ac te apud eum, dii boni! quanta in gratia posui, eique legi litteras non tuas sed librarii tui. Amicorum litterae me ad triumphum vocant, rem a nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν nostram non negligendam. Quare tu quoque, mi Attice, incipe id cupere, quo nos minus inepti videamur.

Var. Lect. XV. 8 legi iubet *non dico equidem*, QUICQUID *egerit* (suppl. *non laboro*), *sed tamen multo minus laboro.* Schuetzius verba gravius corrupta putabat. Sed cum Klotzio defendimus traditam scripturam, *quod* in *quid* mutato. Puto Ciceronem breviter significare se non inquirere in ea, quae Caelius prius egerit, factisne suis dignum se provincia ostenderit, quum non multum curaret, quid ille homo alienus commendationis haberet. Tyrrell I p. 237 negationem addit scribitque: *non dico equidem non quod egerit, sed tamen multo minus laboro.* Madvigius *nihil, quid egerit, sed — laboro.*

eo robore vir, iis radicibus ɔ: vir tam potens. Metaphora desumpta a quercu, quae melius procellis resistit, si truncum firmum habet et radices altos egit.

sine sorte ɔ: non sortitione sibi datum quaestorem. — Q. Cassium Longinum Pompeius praefecit Hispaniae, Hirtius de bello Alex. 48 et 50. Caesar in Gallia M. Antonium sine sorte quaestorem habuit, Phil. II. 50. Caes. B. G. VIII. 2.

ut etiam inquireret cet. ɔ: ut ille iratus observaret actiones eius, quem provinciae praeficerem, accusandi occasionem quaerens.

eique legi litteras non tuas, sed librarii tui ɔ: legi ei litteras, non tua manu, sed a librario tuo scriptas. Cicero enim finxerat se Attici litteras accepisse, in quibus erant Caelii laudes. Ipse eas dictaverat librario Attici.

Amicorum litterae. Cf. Fam. II. 12, 3, et h. l. 8, 5.

παλιγγενεσίαν Manutius recte expl. dignitatem post exsilium renascentem, iubens conferri Fam. XV. 4, 13.

inepti. Cicero se vocat ineptum, qui iam senior triumphum concupiscebat. Cf. Suet. Vesp. 12.

VII. (*A. U. C.* 704.)

1. Quintus filius pie sane, me quidem certe multum hortante sed currentem, animum patris sui sorori tuae reconciliavit; eum valde etiam tuae litterae excitarunt. Quid quaeris? confido rem, ut volumus, esse. Bis ad te antea scripsi de re mea familiari, si modo tibi redditae litterae sunt, Graece ἐν αἰνιγμοῖς. Scilicet nihil est movendum;

§ 1. *me — hortante sed currentem. Currentem hortari* (V. 9, 1) vel *incitare* (ad Q. fr. I. 1, 16 Phil. III, 19) illustravit Malaspina comparans Gr. σπεύδοντα ὀτρύνειν. Cf. Moseri Symb. Crit. V. p. 7. Ceterum inspice ep. 3, 8 h. l.

Bis — antea. h. l. 4, 3 et 5, 1 seq. ἐν αἰνιγμοῖς, ut II. 19, 5.

Scilicet nihil est movendum „ɔ: non palam improbandum est et irritum faciendum, quod uxor et Philotimus gesserunt." Gronovius.

et — hortando ɔ: et monendo Philotimum,

sed tamen ἀφελῶς percontando de nominibus Milonis, et, ut expediat, ut mihi recepit, hortando aliquid tu proficies. 2. Ego Laodiceae quaestorem Mescinium exspectare iussi, ut confectas rationes lege Iulia apud duas civitates possem relinquere. Rhodum volo puerorum causa, inde quam primum Athenas, etsi etesiae valde reflant, sed plane volo his magistratibus, quorum voluntatem in supplicatione sum expertus. Tu tamen mitte mihi, quaeso, obviam litteras, numquid putes rei publicae nomine tardandum esse nobis. Tiro ad te dedisset litteras, nisi eum graviter aegrum Issi reliquissem; sed nuntiant melius esse. Ego tamen angor: nihil enim illo adolescente castius, nihil diligentius.

ut satisfaciat, quemadmodum mihi pollicitus est.

§ 2. *ut confectas rationes — possem relinquere.* Vulgo *possim*, quod temporum consecutioni repugnans correxit Wesenbergius, Emend. p. 21. — De re cf. Fam. II. 17, 2 et 4 et imprimis V. 20, 1 sq. Deposuit rationes confectas Laodiceae et Apameae.

Rhodum volo puerorum causa. Fam. II. 17, 1. *Rhodum Ciceronum causa puerorum accessurum puto; neque id tamen certum.* Cupiebat enim insulam et rei navalis gloria et artium operibus et eloquentiae studiis claram adolescentibus ostendere.

etesiae dicuntur a Graecis venti, qui certis anni temporibus maria infestabant. Vid. Wachsmuth, Antiq. Gr. I. 1, p. 295 seqq.

tardandum esse nobis. Tardare, quod est tardum facere, non dicitur intransitive, nisi in loco dubiae auctoritatis, ep. ad Brut. I. 18, 1, ubi *tardare* et *commorari* iunguntur. H. l. supplendum puto *cursum* vel *reditum*, ut in N. D. II. 52, ubi *antecedendo* opponitur *retardando* sc. cursu.

Issi reliquissem. Latet in *esse* nomen urbis, ubi Tiro aegrotabat. *Issi* (ut volebat Manutius), etsi in ultima provincia illa urbs erat, verum puto. Nam Cicero, qui post Nonas Iunias Tarsi fuerat (ep. 4 in.), deinde in castris fuit ad fl. Pyramum Fam. III. 11, 1, unde fortasse dedit epistolam ad Atticum, quae est huius libri tertia. In ep. 5, 3 scribit se *habere exercitum quam proxime hostem* ɔ: in Syriae finibus. Nonne igitur tunc Issum venire potuit? *Sidam* (de qua urbe Lamb. hic cogitabat) postea demum accessit, Fam. III. 12, 4. Iam de *Nysa*, *Cressa* aut *Patris* qui cogitant, itineris rationem nullam habent. Neque Cicero videtur *Ipsum* Phrygiae oppidum non longe a Synnadis, quum Laodicea Tarsum proficisceretur, adiisse. Alani suspicio in *graviter* latere *gravate in itinere* sine ulla dubitatione reiicienda est.

VIII. (*A. U. C.* 704.)

1. Quum instituissem ad te scribere calamumque sumpsissem, Batonius e navi recta ad me venit domum Ephesi et epistolam tuam reddidit pridie Kal. Octobres. Laetatus sum felicitate navigationis tuae, opportunitate Piliae, etiam hercule sermone eiusdem de coniugio Tulliae meae. 2. Batonius autem miros terrores ad me attulit Caesa-

§ 1. *opportunitate Piliae* ɔ: quod uxor tibi advenienti opportune obviam fuit.

§ 2. *miros terrores.* Muretus malebat *meros*. Or. comparari iussit e lib. IV. 7, 1 *mera monstra nuntiarat.* Addo IX. 13, 1 *hic mera scelera loquuntur*, ibid. 8: *Dolabella — merum bellum loquitur.* Hor. ep. I. 7, 84 *vineta crepat mera.* Sed exempla non probant *terrores* non posse dici *miros*, θαυμασίους. Ceterum quo tempore haec scripta

rianos, cum Lepta etiam plura locutus est, spero falsa, sed certe horribilia, Caesarem exercitum nullo modo dimissurum, cum illo praetores designatos, Cassium tribunum pl., Lentulum consulem facere, Pompeio in animo esse urbem relinquere. 3. Sed heus tu, numquid moleste fers de illo, qui se solet anteferre patruo sororis tuae filii? at a quibus victus? Sed ad rem. 4. Nos etesiae vehementissime tardarunt: detraxit XX ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum. Kal. Octobr. Epheso conscendentes hanc epistolam dedimus L. Tarquitio, simul e portu egredienti, sed expeditius naviganti. Nos Rhodiorum aphractis ceterisque longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus; ita tamen properabamus, ut non posset magis. 5. De rauduseulo Puteolano gratum. Nunc velim dispicias res Romanas, videas quid nobis de triumpho cogitandum putes, ad quem amici me vocant. Ego, nisi Bibulus, qui, dum unus hostis in Syria fuit, pedem porta non plus extulit quam domo sua, adniteretur de triumpho, aequo animo essem; nunc vero *αἰσχρὸν σιωπᾶν.* Sed explora rem totam, ut, quo die congressi erimus, consilium capere possimus. Sat multa, qui et properarem et

sunt, res iam ad bellum Caesarem inter et Pompeium spectare coeperat. Cf. epist. Caelii ad Fam. VIII. 14, 2. Rumores autem illos de praetoribus designatis et de Lentulo cos. designato falsos fuisse docuit Hofmannus, de orig. belli civ. Caes. p. 91.

§ 3. *numquid moleste fers de illo, qui se solet anteferre patruo sororis tuae filii* (ɔ: mihi)? Male Corradus in Quaestura p. 365 ad Catonem haec refert, nec melius alii ad Hirrum. cf. quae notavi ad V. 19, 3. Ex iis quae Cicero in Bruto, 276 de Calidio scripsit apparet Ciceronem ei visum esse *furere et bacchari* in agendo. Calidius hoc tempore iterum consulatum petens repulsam tulit, victus a C. Claudio Marcello et L. Lentulo Crure, quos Cicero non magni faciebat. cf. VII. 20, 1.

Sed ad rem ɔ: sed satis de illo. Ille indignus est, qui diutius nos detineat; veniamus aliquando ad rem.

§ 4. *vehementissime tardarunt.* Assentior Gronovio *vehementissimi* corrigenti.

detraxit XX ipsos dies etiam aphractus Rhodiorum. Cicero Sidae navem adscendit et Rhodum vectus est. Inde quum Athenas peteret etesiis retardatus Ephesum se contulit, unde has litteras dedit. Aphractus Rhodiorum seu non veniens die dicto seu reficiendus attulit etiam moram XX dierum. Cave obtemperes Tunstallo in epist. crit. p. 144 et 258 h. l. sic scribenti: *Detraxere* (e cod. Ursini) *XX ipsos dies: et iam aphractos Rhodiorum Kal. Oct. Epheso conscendentes* cet. Primum in his offendit insolita forma perfecti et duo verba eiusdem fere potestatis ad etesias relata; tum otiosum illud *et iam*, et perturbata constructio verborum *aphractos — conscendentes,* et in hac coniunctione pluralis numerus. *Conscendere* absolute positum Graevius illustrat citans ex epist. ad Q. fr. II. 2, 4. Cf. ibid. II. 6, 2 *ut aut Labrone aut Pisis conscenderet.* Att. IX. 2. 6, 3. XVI. 3, 6. Fam. XII. 25, 5.

§ 5. *De rauduseulo Put. gratum.* „Fortasse quod pecuniam solveris C. Vestorio Puteolano a me debitam (IV. 6, 4). Pecunia certe debita videtur significari (IV. 8 a. 1)." Manut. Pari brevitate VII. 2, 7 *de rauduseulo. Numeriano multum te amo.*

de triumpho. Cf. VII. 2, 6.

quam domo sua. Acute vidit Schuetzius scribendum esse *quam consul d. s.* aut *quam olim domo sua.*

Sat multa. Dedi de Schuetzii coni. probata quoque Wesenbergio, Emend. p. 122. Ineptum est, quod vulgo legebatur *At multa.*

ei litteras darem, qui aut mecum aut paullo ante venturus esset. Cicero tibi plurimam salutem dicit: tu dices utriusque nostrum verbis et Piliae tuae et filiae.

IX. (*A. U. C.* 704.)

1. In Piraeëa quum exissem pridie Idus Octobr., accepi ab Acasto, servo meo, statim tuas litteras, quas quidem quum exspectassem iam diu, admiratus sum, ut vidi obsignatam epistolam, brevitatem eius, ut aperui, rursus *σύγχυσιν* litterularum, quae solent tuae compositissimae et clarissimae esse, ac, ne multa, cognovi ex eo, quod ita scripseras, te Romam venisse a. d. XII. Kal. Octobr. cum febri. Percussus vehementer nec magis, quam debui, statim quaero ex Acasto. Ille [et tibi] et sibi visum et ita se domi ex tuis audisse, ut nihil esset incommodi. Id videbatur approbare, quod erat in extremo, febriculam tum te habentem scripsisse; sed amavi tamen admiratusque sum, quod nihilo minus ad me tua manu scripsisses. Quare de hoc satis; spero enim, quae tua prudentia et temperantia est, et hercule, ut me iubet Acastus, confido te iam ut volumus valere. 2. A Turranio te accepisse meas litteras gaudeo. ***Παραφύλαξον,*** si me amas, ***τὴν τοῦ φυράτου φιλοτιμίαν αὐτότατα:*** hanc, quae mehercule mihi magno dolori est — dilexi enim hominem — procura, quantulacunque est, Precianam hereditatem prorsus ille ne attingat. Dices nummos mihi

§ 1. *In Piraeëa.* Cf. VII. 3, 10, unde apparet rectius dici *in Piraeëum*, ut scribitur VII. 1, 1. cf. Lachman. ad Lucr. II. 693.

acc. ab Acasto, servo meo, statim t. l. Audacius Muretus V. L. XV. 8 delevit *servo* et scripsit *meo statore*. Nusquam Cicero hunc Acastum statorem suum appellat. *Statim* addidit, quoniam sibi *de nave exeunti* Acastus cum litteris praesto fuit, ut scribit Fam. XIV. 5, 1.

compositissimae ɔ: summa cura compositae sive exaratae. Pro *quae solent* melius cum Klotzio legemus: *quia solent.* cf. eius Adnott. II, 13.

a. d. XII Kal. Octobr. Temere Hofmannus, de orig. belli Caes. p. 101 affirmat ex iis, quae de Acasti itinere narrantur Fam. XIV. 5, 1 hic corrigendum esse a. d. XV Kal. Oct.

Percussus. Sic recte in codd. Male in paucis editt. legitur *perculsus*, quod nimium est, nec iungi potest cum verbis *nec magis, quam debui.* Discrimen cognoscas licet ex aliis locis epistolarum veluti ex III. 2 et IV. 8, 3, tum ex adnotationibus interpretum, quos laudavit Peerlk. ad Hor. Epod. 7.

Ille et tibi et sibi visum. Fortasse: *Ille ait et sibi visum* cet. Certo *et tibi* otiosum est. Quid Atticus ipse de suo morbo non gravi iudicarit, declaratur sequenti sententia. Pro *incommode* scripsi *incommodi*, quod est moris Tulliani.

sed amavi. In Med. aliorumque librorum scriptura *sed clamavi* latere *exclamavi* olim credidi. Nunc cum W. ex editt. Vict. et Crat. recepi *sed amavi* et post *set* excidisse *te* cum eodem censeo. vid. Emend. alt. p. 108.

§ 2. *παραφύλαξον κ. τ. λ.* ɔ: Observa conturbatoris Philotimi rationem quam maxime. Lepide Philotimi fraudem *φιλοτιμίας* nomine indicat, ut VII. 1, 1.

Precianam hereditatem. Cf. Fam. XIV. 5, 2. Att. VII. 1, 9.

opus esse ad apparatum triumphi, in quo, ut praecipis, nec me κενόν in expetendo cognosces nec ἄτυφον in abiiciendo. 3. Intellexi ex tuis litteris te ex Turranio audisse a me provinciam fratri traditam. Adeon' ego non perspexeram prudentiam litterarum tuarum? Ἐπέχειν te scribebas: quid erat dubitatione dignum, si esset quicquam, cur placeret fratrem, et talem fratrem relinqui? ἀθέτησις ista mihi tua, non ἐποχή videbatur. Monebas de Q. Cicerone puero, ut eum quidem neutiquam relinquerem: τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί. Eadem omnia, quasi collocuti essemus, vidimus: non fuit faciendum aliter meque ἐπιχρονία ἐποχή tua dubitatione liberavit. Sed puto te accepisse de hac re epistolam scriptam accuratius. 4. Ego tabellarios postero die ad vos eram missurus, quos puto ante venturos quam nostrum Saufeium: sed eum sine meis litteris ad te venire vix rectum erat. 5. Tu mihi, ut polliceris, de Tulliola mea, id est de Dolabella, perscribes, de re publica, quam praevideo in summis periculis, de censoribus, maximeque de signis, tabulis, quid fiat, referaturne. Idibus Octobr. has dedi litteras, quo die, ut scribis, Caesar Placentiam legiones quattuor. Quaeso, quid nobis futurum est? In arce Athenis statio mea nunc placet.

Dices. „Philotimo, si se immiscere voluerit Precianae hereditatis negotio." Schuetz.

§ 3. *ex tuis litteris,* non ab Acasto, sed a Xenone mihi redditis. Vid. VII. 1, 1.

Ἐπέχειν *te scribebas.* Cf. ep. 6, 3 h. l.

ἀθέτησις — *videbatur* ɔ: illa ratione tu mihi illud magis improbare, quam assensum cohibere videbaris.

τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί, meum mihi somnium ɔ: rem narrabas, quam nemo me melius novit, narrabas, quod ipse cogitaveram.

te accepisse — epistolam, quae est huius libri sexta.

§ 5. *Tu mihi — perscribes.* Ita facilius haec corriguntur, quam si retento *perscribas* excidisse statuas *velim.* Quod scribit: *de Tulliola mea, id est de Dolabella* est se ipsum corrigentis. Gronovius comparavit e Floro IIII. 2: *de successione Caesaris senatus, id est Pompeius agitabat.* Adde ex his epistt. VII. 7, 7: *Adsentior Cn. Pompeio, id est T. Pomponio,* aliaque in adnot. Cortii ad Fam. II. 17, 6.

maximeque de signis, tabulis, quid fiat, referaturne. Scribit de eadem re Caelius, Fam. VIII. 14, 4. *Scis Appium censorem hic ostenta facere? de signis et tabulis, de agri modo, de aere alieno acerrime agere?* Videntur hoc tempore Appius Claudius Pulcher et L. Calpurnius Piso censores edixisse, ne a privatis nimii sumptus fierent in signis tabulisque emendis. Quum autem edicta censoria non haberent vim perpetuam, poterat de re constituta ad senatum referri, qui, si opus videbatur, SCtum de ea faciebat. Borghesius tamen Opp. IV. p. 46 seq. putabat agi de statuis tabulisque ab aedilibus ludorum faciendorum causa acceptis, quae dominis nondum erant redditae.

Caesar Placentiam legiones quattuor sc. ducturus erat. Rumorem eventus non confirmavit.

In arce Athenis ɔ: in ea parte Athenarum, quae dicitur Cecropia vel arx. Plin. II, N. VII. § 194. Ibi fortasse habitabat Aristus, apud quem tum deversabatur, Tusc. V. 8, — *Statio* plerumque est vocabulum militare, non tamen semper. Scribit autem se gaudere quod *nunc* Athenis esset potius, quam Romae, ubi minor erat securitas.

LIBER VII.

I. (*A. U. C.* 704.)

1. Dederam equidem L. Saufeio litteras et dederam ad te unum, quod, quum non esset temporis mihi ad scribendum satis, tamen hominem tibi tam familiarem sine meis litteris ad te venire nolebam; sed, ut philosophi ambulant, has tibi redditum iri putabam prius: sin iam illas accepisti, scis me Athenas venisse pridie Idus Octobres, e navi egressum in Piraeeum tuas ab Acasto nostro litteras accepisse, conturbatum, quod cum febri Romam venisses, bono tamen animo esse coepisse, quod Acastus ea, quae vellem, de allevato corpore tuo nuntiaret, cohorruisse autem me, quod tuae litterae de legionibus Caesaris afferrent, et egisse tecum, ut videres, ne quid φιλοτιμία eius, quem nosti, nobis noceret, et, de quo iam pridem ad te scripseram, Turranius autem secus tibi Brundisii dixerat — quod ex iis litteris cognovi, quas a Xenone, optimo viro, accepi —, cur fratrem provinciae non praefecissem, exposui breviter. Haec fere sunt in illa epistola. 2. Nunc audi reliqua. Per fortunas! omnem tuum amorem, quo me es amplexus, omnemque tuam prudentiam, quam mehercule in omni genere iudico singularem, confer iam ad eam curam, ut de omni statu meo cogites. Videre enim mihi videor [tantam] dimicationem — nisi idem deus, qui nos melius, quam optare auderemus, Parthico bello liberavit, respexerit rem publicam — sed tantam, quanta nunquam fuit. Age, hoc malum mihi commune est cum omnibus; nihil tibi

§ 1. Cf. VI. 9, cuius epistolae argumentum hic breviter recenseter.

ut philosophi ambulant. Philosophi, homines otiosi, non festinare, sed tarde iter facere solent. *Ambulare* eadem vi redit IX. 4, 3.

a Xenone. Cf. ad V. 10, 5.

exposui mutata constructione scripsit, quum potuisset ponere infinitivum *exposuisse,* qui penderet a *scis.*

§ 2. *Videre — videor.* De hac formula, quam amat Tullius, dixerunt Bentleius ad Hor. Carm. II. 1, 21 et Seyffertus ad Cic. Lael. 41, p. 279 sq. Exemplis citatis add. Fam. IV. 4, 3. IX. 15, 2. XIV. 3, 5.

[*tantam*] *dimicationem — sed tantam.* Prius *tantam* ab imperitis consuetudinis Latinae additum monuit I. F. Gronovius, comparans Plaut. Rud. III. 5, 20 *affer duas clavas, sed probas,* Phaedr. IV. 18, 19 *odore canibus anum, sed multo replent.* Mart. III. 24, 5 *ut cito testiculos, sed acuta, falce secaret.*

Age, hoc malum cet. *Age* non est alienum ab hac oratione, nec cum Ernesto in *atque,* neve cum Mosero, Symbol. Crit. V. p. 8 in *atqui* mutandum. Habet eandem vim atque *esto, concedo.* cf. Verr. III, 59. *Esto: falsam de illis habuit opinionem.* Vatin. 36 *Age, factum est horum aliquid in aliis.* Infra VIII. 3, 5 *age iam, cum fratre?* Alia collegit Handius in Turs. I p, 208.

mando, ut de eo cogites: illud meum proprium *πρόβλημα,* quaeso, suscipe. Videsne ut te auctore sim utrumque complexus? ac vellem a principio te audisse amicissime monentem:

> *ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες.*
> *[πατρίδος]*

Sed aliquando tamen persuasisti, ut alterum complecterer, quia de me erat optime meritus, alterum, quia tantum valebat: feci igitur, idque effeci omni obsequio, ut neutri illorum quisquam esset me carior. 3. Hoc enim cogitabamus nec mihi coniuncto cum Pompeio fore necesse peccare in re publica aliquando, nec cum Caesare sentienti pugnandum esse cum Pompeio; tanta erat illorum coniunctio. Nunc impendet, ut et tu ostendis et ego video, summa inter eos contentio. Me autem uterque numerat suum, nisi forte simulat alter — nam Pompeius non dubitat; vere enim iudicat ea, quae de re publica nunc sentiat, mihi valde probari —; utriusque autem accepi eiusmodi litteras eodem tempore, quo tuas, ut neuter quemquam omnium pluris facere quam me videretur. 4. Verum quid agam? non quaero illa ultima — si enim castris res geretur, video cum altero vinci satius esse quam cum altero vincere —, sed illa, quae tum agentur, quum venero, ne ratio absentis habeatur, ut exercitum dimittat. Dic M. Tulli. Quid dicam? »Exspecta, amabo te, dum Atticum conveniam?" non est locus ad tergiversandum. Contra Caesarem? ubi illae sunt tensae dexterae? Nam, ut illi hoc liceret, adiuvi rogatus ab ipso

utrumque. Pompeium et Caesarem, quae nomina in Med. et Hisp. a glossatore post *complexus* addita sunt.

ἀλλ' ἐμὸν — ἔπειθες. Legitur in Odyssea IX, 33, ubi sequuntur haec: ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πάτρίδος οὐδὲ τοκήων γίγνεται, quae usque ad πατρίδος, quod solum in Mss. hic adest, supplenda censuerunt Victorius, aliique, in quibus quoque Wesenbergius Emend. p. 3. Ego contra πατρίδος seclusi, quoniam totius loci ratio illa verba reiicit.

feci igitur, idque effeci cet. Vulgo *itaque effeci.* Correxi de Graevii coniectura. Manutius scripsit *atque.*

§ 3. *nam Pompeius non dubitat* ɔ: non dubitanter me numerat inter suos. Verba olim male distincta atque adeo inepta sola signorum mutatione correxit Bremius. Cf. Haase in Reisigii Scholis p. 573.

§ 4. *si castris res agetur* ɔ: si bellum erit. Cf. Off. II. 84 *armis et castris temptata res est.*

ne — habeatur. Quum hoc pendeat a. v. *agentur* in senatu, minus recte vulgo media distinctio ponitur post *venero.*

amabo te et simplex *amabo* sunt formulae sermonis familiaris blande rogandi, ut *quaeso.* Cf. Att. II. 2, 1. 4, 1. V. 12, 3. VII. 8, 2, ad Q. fr. I. 4 init., II. 10, 4. Fam. XV. 17, 4.

ubi illae sunt tensae dexterae? ɔ: illa amicitiae fides. Locutio vel ex aliquo poeta petita est vel fluxit ex illo Homerico Il. B. 339 seqq. πῇ δὴ συνθεσίαι τε καὶ ὅρκια βήσεται ἡμῖν; — καὶ δεξιαί ᾗς ἐπέπιθμεν. Codd. scripturam *densae* Orellius correxit. Nam illud non potest dici de dextris iunctis.

de Caelio, trib. pl. „Ut M. Caelium inducerem ad legem ferendam de habenda Cae-

Ravennae de Caelio tribuno pl. Ab ipso autem? etiam a Cnaeo nostro in illo divino tertio consulatu. Aliter sensero: *αἰδέομαι* non Pompeium modo, sed *Τρῶας καὶ Τρωάδας. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.* Quis? tu ipse scilicet, laudator et factorum et scriptorum meorum. 5. Hanc ergo plagam effugi per duos superiores Marcellorum consulatus, quum est actum de provincia Caesaris, nunc incido in discrimen ipsum. Itaque, † ut stultus primus suam sententiam dicat, mihi valde placet de triumpho nos moliri aliquid, extra urbem esse cum iustissima causa: tamen dabunt operam, ut eliciant sententiam meam. Ridebis hoc loco fortasse: quam vellem etiamnunc in provincia morari! plane opus fuit, si hoc impendebat; etsi nil miserius: nam *ὁδοῦ πάρεργον* volo te hoc scire: omnia illa prima, quae etiam tuis litteris in caelum ferebas, *ἐπίτηκτα* fuerunt. 6. Quam non est facilis virtus! quam vero difficilis eius diuturna simulatio! quum enim hoc rectum et gloriosum putarem ex annuo sumptu, qui mihi decretus esset, me C. Caelio quaestori relinquere annuum, referre in aerarium ad HS. |x|, ingemuit nostra cohors omne illud putans distribui sibi oportere, ut ego amicior invenirer Phrygum et Cilicum aerariis quam nostro. Sed me non moverunt; nam et mea laus apud

saris absentis in consulatu petendo ratione." Man.

in illo divino tertio consulatu. Epitheton ironice additum esse Manutius vidit. Pompeius enim tunc imprudens Caesaris potentiam auxit confirmavitque. Cf. VIII. 3, 3. Suet. Caes. 28 et Wielandi adnot. IV. p. 283 sq. Graeca sunt ex Iliad. XXII, 100 sq. Legimus iam in II. 5, 1.

Aliter sensero: αἰδέομαι cet. ɔ: si in alteram partem inclinabo et cum Caesare ero, vereor ne omnes me vituperent.

§ 5. *per duos s. M. consulatus* a. u. 703 et 704.

Itaque ut stultus primus suam sententiam dicat. Mongaltius interpretatur: *Laissons opiner les fous les premiers,* nec multo aliter Wielandus: *Mir scheint das klügste zu sein, irgend einen Narren seine Meinung zuerst sagen zu lassen,* quod vereor, ut illis verbis contineatur. Plerique autem critici hinc *stultum* removere conati sunt. I. F. Gronovius *Sulpicius,* Ernestus *alius,* Orellius in priore edit. *M. Tullius,* in altera *Hillus* ɔ: *Hirrus,* Peerlkampius *ultimus,* H. A. Kochius *quivis unus* pro eo legi posse putabat. Lambinus totam ῥῆσιν proscripsit. In Obss. crit. p. 50 ego conieci: *Itaque esto, alius primus s. s. d.,* idque aliorum coniecturis praefero. Sed quum senatoris sit *sententiam dicere,* neque addatur *suam,* hoc quoque vitiosum est. Quare nunc placet: Itaque esto, ut alius primus aliam sententiam dicat, mihi valde placeat — cum iust. causa, tamen dabunt operam cet. Cicero non designat certum hominem, sed cuilibet senatori primum sententiae dicendae locum libenter concedit.

omnia illa prima „quae primis literis ad te scripsi de comitum meorum continentia." Manutius.

ἐπίτηκτα, ferruminata, hic fere idem atque ἐπίπλαστα, ficta, simulata.

§ 6. *ex annuo — relinquere annuum* cet. ɔ: annuum sumptum, quem senatus mihi decrevit et quem in alterum annum exegi, relinquere Caelio, deducta pecunia quae ad usum praetoris decreta erat. Cf. Hofmann. de orig. belli civ. Caes. p. 138.

ad HS |X| ɔ: ad sestertium decies, ex emendatione Graevii. *Ad HS* M, ut est in Med., ɔ: ad sestertia mille eandem pecuniae summam indicat, sed computandi usui repugnat.

nam et mea laus — valuit, nec tamen cet.

me plurimum valuit, nec tamen quicquam honorifice in quemquam fieri potuit, quod praetermiserim. Sed haec fuerit, ut ait Thucydides, *ἐκβολὴ λόγου* non inutilis. 7. Tu autem de nostro statu cogitabis; primum quo artificio tueamur benevolentiam Caesaris, deinde de ipso triumpho, quem video, nisi rei publicae tempora impedient, *εὐπόριστον*; iudico autem quum ex litteris amicorum, tum ex supplicatione, quam qui non decrevit, plus decrevit, quam si omnes decresset triumphos; ei porro assensus est unus familiaris meus, Favonius, alter iratus, Hirrus. Cato autem et scribendo adfuit et ad me de sententia sua iucundissimas litteras misit; sed tamen gratulans mihi Caesar de supplicatione triumphat de sententia Catonis, nec scribit, quid ille sententiae dixerit, sed tantum supplicationem eum mihi non decrevisse. 8. Redeo ad Hirrum. Coeperas eum mihi placare; perfice: habes Scrofam, habes Silium; ad eos ego et iam antea scripsi ad ipsum Hirrum. Locutus enim erat cum iis commode se potuisse impedire sed noluisse, assensum tamen esse Catoni, amicissimo meo, quum is honorificentissimam in me sententiam dixisset, nec me ad se ullas litteras misisse, quum ad omnes mitterem. Verum dicebat; ad eum enim solum et ad Crassipedem non scripseram. 9. Atque haec de rebus forensibus: redeamus domum. Diiungere me ab illo volo: merus est *φυράτης*, germanus Lartidius.

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ·

Punctum post *valuit* sustuli, ut *et — nec* sibi responderent. Cf. Handius in Turs. II. p. 536.

ut ait Thucydides. I. 97. Cf. Trillerus ad Thom. Mag. in v. *ἐκβολή*. Krügerus ad Dionys. Historiogr. p. 88. In prologis Trogi Pompeii passim vocatur *excessus*. Nec minus in usu fuerunt *excursus* et *digressio*.

§ 7. *quam qui non decrevit*, cet. Spectant haec ad M. Catonem, qui sententiae suae rationes aperuit litteris ad Ciceronem datis, quae servatae sunt inter eas ad Fam. XV. 5. Sexta epistola Tullii responsum continet. De Favonio et Hirro cf. Caelii nuntius, Fam. IX. 11, 2. Caesaris gaudium de sententia Catonis iterum tangitur in ep. seq. § 7.

§ 8. *ad eos ego et iam antea scripsi ad ipsum Hirrum.* Sublato *et* ante *ad ipsum*, quod Med. non habet, *etiam* necessario in *et iam* erat mutandum. Simul ruit opinio Kahntii, qui in Symb. Crit. p. 7. *scripsi* geminari iussit. *Hirrum* a glossatore additum videtur.

honor. in me sententiam dixisset ɔ: erga me, de me. cf. Caes. B. G. I. 43 *SCta honorifica in eos facta.* Cic. Off. I. 28 *quod apud Platonem est in philosophos dictum.* cf. Ellendt. ad Cic. Brut. 160.

§ 9. *redeamus domum* ɔ: veniamus ad domestica. Quae sequuntur ad Philotimum sunt referenda.

Lartidius. Nebulo ignotus. In antiqua inscriptione quum inventum esset L. LARTIDIUS M. L. HILARUS, fuerunt qui hic quoque de Hilaro illo cogitarent, de quo sermo est ad Att. I. 12, 3. Turnebus cogitabat de Laertiade ɔ: Ulysse, et Gronovius suspicatur aliquem poetam e *Laertiade* fecisse *Lartidium.* Sententiam recte reddit Wielandi interpretatio: *ein ausgemachter Gauner.* Germano huic Lartidio melius respondet *merus* conturbator, quam *mirus*, quem codd. praebent.

reliqua expediamus. Hoc primum, (in) quo accessit cura dolori meo, sed hoc tamen, quicquid est, Precianum cum iis rationibus, quas ille meas tractat, admisceri nolo. Scripsi ad Terentiam, scripsi etiam ad ipsum, me quicquid possem nummorum ad apparatum sperati triumphi ad te redacturum: ita puto ἄμεμπτα fore; verum ut lubebit. Hanc quoque suscipe curam quemadmodum experiamur. Id et ostendisti quibusdam litteris ex Epiro an Athenis datis et in eo ego te adiuvabo.

dolori meo ex obitu hominis mihi cari suscepto. Cf. VI. 9, 2. Fam. XIV. 5, 2.

quicquid est ɔ: quantulacunque est ea hereditas.

Scripsi ad Terentiam. Epistola superest in Fam. XIV. 5.

ad te redacturum ɔ: tibi numerari iussurum. Cf. quae I. F. Gronovius de hoc verbo scripsit Observ. I. 20. *Ad te* durum esse et vix sanum Ernesto concedo.

quemadmodum experiamur, ius nostrum persequamur et Philotimum in ius vocemus, explicat Corradus. Id non credo sic enuntiari posse. Wielandus verbum dicit obscurum. Ego libenter revocabo verbum, quod paullo ante legimus, *expediamus*.

ex Epiro an Athenis. Cf. ad I. 3, 2.

II. (*A. U. C.* 704.)

1. Brundisium venimus VII. Kalend. Decembr. usi tua felicitate navigandi; ita belle nobis »flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites." Hunc σπονδειάζοντα si cui voles τῶν νεωτέρων pro tuo vendita. 2. Valetudo tua me valde conturbat; significant enim tuae litterae te prorsus laborare. Ego autem, quum sciam quam sis fortis, vehementius esse quiddam suspicor, quod te cogat cedere et propemodum infringat, etsi alteram quartanam Pamphilus tuus mihi dixit decessisse et alteram leviorem accedere; Terentia vero, quae quidem eodem tempore ad portam Brundisinam venit, quo ego in portum, mihique

§ 1. Cf. itineris descriptio a Patris Brundisium usque Fam. XVI. 9, 1. Post idus Nov. praeter necessitatem nemo mare transibat ante d. VI Id. Martias, qui vocatur natalis navigationis. Cf. Veget. V. 9. Nec Cicero mense Nov. iter fecit; sed a. d. VII Kal. Dec. anno 704 numerabant, quum revera esset a. d. VII Id. Oct. Ad *usi tua felicitate navigandi* cf. VI. 8, 1.

Onchesmites. Austrum sic dicit, qui flabat ab Onchesmo, Epiri portu. Versum spondiacum sponte natum Attico donat, qui eo pro suo utatur apud νεωτέρους ɔ: ut explicat Lachmannus ad Lucr. III. 383, apud eos, qui delicias Alexandrinorum primi in poesin Latinam invexerunt, Cinnam fortasse et Gallum. Ut Cicero h. l., sic matrona Gallica, quae ob epistolarum elegantiam laudatur, duo versus, qui sibi imprudenti exciderant, lepide risit. vid. Lettres de Mad. de Sévigné T. I. p. 113 et responsum comitis Busiani p. 117 edit. Paris. a. 1822. Eius popularis P. L. Courierius, quum sibi epistolam scribenti excidisset versus: *Je le vis de mes yeux, et ne le pouvais croire,* adscripsit: „*Prends ce vers, je te le donne; mets-le avec les tiens.*"

§ 2. *Valetudo.* In Med. h. l. et ep. 5, 1 *invalitudo* scribitur, quae forma barbara aliis quoque librariis placuit. In Livii codd.

obvia in foro fuit, L. Pontium sibi in Trebulano dixisse narrabat etiam eam decessisse: quod si ita est, est quod maxime mehercule opto, idque spero tua prudentia et temperantia te consecutum. 3. Venio ad epistolas tuas, quas ego sexcentas uno tempore accepi, aliam alia iucundiorem, quae quidem erant tua manu: nam Alexidis manum amabam, quod tam prope accedebat ad similitudinem tuae, litteras non amabam, quod indicabant te non valere. Cuius quoniam mentio facta est, Tironem Patris aegrum reliqui, adolescentem **, ut nosti, et adde, si quid vis, probum; nihil vidi melius. Itaque careo aegre, et, quamquam videbatur se non graviter habere, tamen sum sollicitus maximamque spem habeo in M'. Curii diligentia, de qua ad me scripsit Tiro et multi nuntiarunt. Curius autem ipse sensit quam tu velles se a me diligi, et eo sum admodum delectatus. Et mehercule est, quam facile diligas, αὐτόχθων in homine urbanitas. Eius testamentum deporto mecum Ciceronum signis obsignatum cohortisque praeto-

Mss. idem vitium notavit Drakenb. ad Epit. L. XIII.

decessisse — *accedere* sunt verba medicorum. Cf. Celsus de medic. III passim.

§ 3. *nam Alexidis* — *te non valere.* Vulgo: *ad similitudinem tuae litterae* et *indicabat.* Ego recepi certam Meutzneri correctionem, qui *litteras* et *indicabant* praeclare reposuit. De re cf. XVI. 15, 1.

Tironem Patris aegrum reliqui. Eo ex itinere litteras complures misit amore plenas, Fam. XVI. 1—9.

Adolescentem, ut nosti. Non assentior Alano, qui coll. VI. 7, 2 extr. scribendum putabat: *adolescentem castum, diligentem, ut nosti.* Recte tamen vidit post adolescentem excidisse adiectivum. Schuetzius supplevit *eruditum,* Wes. *doctum,* ut de Serapione X. 17, 1 dicitur: *hominem probo; nam et doctum et probum existimo.* vid. Emend. alt. p. 109. Cum seqq. cf. Hor. Sat. II. 7, 39 *Imbecillus, iners, si quid vis, adde popino.*

se non graviter habere ɔ: leviter tantummodo affectum esse. Locutio etiam ad animum transfertur, ut XI. 7, 4.

Eius testamentum deporto mecum Ciceronum signis obsignatum. Cod. Torn. *detortorium,* Med. peius etiam *detortorio.* Recte emendatur *deporto.* Incertum quid lateat in *rium.* Manutius inde eruit *Romam,* quod plane vacat; Iunius aliique *trium,* itaque edidit W. Sed quinam, quaeso, essent illi tres Cicerones? M. Cicero filius, natus a. 690 nondum id aetatis erat, ut testis esse posset. Cogitandum igitur de Q. fratre eiusque filio. Nam M. ipse, quum heres esset, non poterat esse testis. Ergo hoc quoque repudiandum. Scripsi *mecum.* Nam ut de eadem re in ep. 3, 9 legimus: *Ego a Curio tabulas accepi, quas mecum porto,* hic scribere potuit *deporto mecum.* cf. Verr. act. sec. V. 40 *Tertia illa tua, quam tecum deportabas* sc. e provincia. Praeter Cicerones quinque alii ex cohorte praetoria cives Romani tabulas obsignarant, quas Cicero Romam deportabat, ut ibi in aede sacra aliove in loco deponerentur. Cf. Heineccii Antiq. Rom. II. 10, § 11. Rein, das Röm. Privatrecht p. 376 adn.

fecit palam te ex libella, me ex teruncio. Cod. Hisp. in h. l. habet — *ex libertu, me extervacuo,* ut fere erat in cod. Med. nondum correcto. Quod editur partim correctori cod. Med. debetur (*teruncíis*), partim Iensono. Si vera est emendatio, continent haec verba specimen urbanitatis Curianae. *Fecit palam* ɔ: nuncupavit coram testibus (cf. Dig. XXVIII. 2, 21) Atticum heredem *ex libella* ɔ: e sestertii parte decima, Tullium *ex teruncio* ɔ: ex quadragesima sestertii parte. Cf. Volusii Maeciani lib. de assis distributione § 65 sq. in Corp. iuris ante Iust. Böckingii fasc. I. p. 188. Sed cum I. Fr. Gronovio de veritate verborum dubito. Is scribi iussit: *fecit palam te ex besse, me ex triente.*

riae; fecit palam te ex libella, me ex teruncio. In Actio Corcyrae Alexio me opipare muneratus est. Q. Ciceroni obsisti non potuit, quo minus Thyamim videret. 4. Filiola tua te delectari laetor et probari tibi *φυσικὴν* esse *τὴν πρὸς τὰ τέκνα*; etenim, si haec non est, nulla potest homini esse ad hominem naturae adiunctio, qua sublata vitae societas tollitur. »Bene eveniat!'' inquit Carneades; spurce, sed tamen prudentius quam Lucius noster et Patro, qui, quum omnia ad se referant, (nunquam) quicquam alterius causa fieri putent, et quum ea re bonum virum oportere esse dicant, ne malum habeat, non quo id natura rectum sit, non intelligant se de callido homine loqui, non de bono viro. Sed haec, opinor, sunt in iis libris, quos tu laudando animos mihi addidisti. 5. Redeo ad rem. Commodum exspectabam epistolam, quam Philoxeno dedisses — scripseras enim in ea esse de sermone Pompeii Neapolitano —, (quum) eam mihi Patro Brundisii

In Actio Corcyrae. Hoc additur, ne Atticus de Actio Acarnaniae urbe, quam Thucydides dicit Ἀκτίου τῆς Ἀνακτορίας γῆς, I. 29, cogitaret. H. 1. *Actium* est promunturium insulae Corcyrae. Praepositio enim non oppido praeponitur, sed loco. *Thyamis* erat fluvius Epirotes, ad quem Attici praedium fuisse ex mentione eiusdem Leg. II. 7 apparet.

muneratus est. cf. Parad. V. 39 et Inv. II. 3 *muneratur.* In or. p. Deiot. 17 sine varietate codd. dant formam verbi activam *munerare.* Ciceronis consuetudo eo loco *munerari* commendat.

§ 4. *probari tibi φυσικήν — τέκνα* ɔ: veteris Academiae et Peripateticorum placitum. Nam Xenocrates et Aristoteles „primi ex omnibus philosophis natura tributum esse docuerunt, ut ii qui procreati essent a procreatoribus amarentur." Fin. IV. 17. Neque aliter Stoici; ibid. III. 62. Epicurus hoc negaverat.

Bene eveniat. In his verbis, quae Graecis εὖ ἔστω vel εὖ πάθωμεν respondent, nihil spurci inest. Sed recte animadverterunt Bosius aliique inhonestum vocabulum a Cicerone esse suppressum. Acute Casaubonus vidit Carneadem dixisse: τυχῇ ἀγαθῇ παιδοποιῶμεν. Mox e Mediceo revocavi *prudentius*, quod Lambinus et Ernestus bene defendunt. In iis enim, quae sequuntur, nulla cernitur impudentia; sed, quum Carneades saltem sibi constaret, Epicurei erant imprudentes, non satis acuti, qui non intelligerent, se bono viro tribuere, quod esset callidi hominis, suam unice voluptatem quaerentis.

Lucius noster Torquatus, cui lib. I. de Finibus Epicuri de summo bono sententia explicanda mandatur. De eo vid. Madvigius in argum. lib. I de Fin. p. 3. Ern. et Schuetz. *Lucium* hunc esse Saufeium monent, quo Cicero minus usus esse videtur quam Torquato, etsi eum quoque VI. 9, 3 *nostrum* appellat. De *Patrone* Epicureo vid. Att. V. 11, 6. Fam. XIII. 1, 2.

(nunquam) quicquam. Adverbium inserui ex Orellii coniectura, probata quoque Wesenbergio Emend. p. 122, cum eodemque mox reposui *intelligant*, ut erat in Malasp. codd. et in Med. a prima manu. Indicativus soloecus est post *putent*, quum utrumque verbum pendeat a *qui*, causali vi posito. Vides iam nihil esse, cur coniunctivi *referant* et *dicant*, qui in protasi ponuntur, in indicativos mutentur, ut melius visum Bakio in praef. ad Cic. Leg. p. XXIII.

ne malum habeat ɔ: ne malo afficiatur, ut dolore careat. cf. Fin. II. 71. Leg. I. 42.

qaos laudando. Usitatius esset *quibus laudandis*, sed illa ratione verbi actio magis effertur, ut in Or. pro Ligario, 38 *homines ad Deos nulla re propius accedunt quam salutem hominibus dando.*

§ 5. *quum eam mihi P. B. reddidit.* Nexus sententiae et usus Tullianus (X. 16, 1. XIII. 9, 1. 19, 1. 30, 2) vix patitur abesse *quum*,

reddidit; Corcyrae, ut opinor, acceperat. Nihil potuit esse iucundius; erat enim de re publica, de opinione, quam is vir haberet integritatis meae, de benevolentia, quam ostendit eo sermone, quem habuit de triumpho; sed tamen hoc iucundissimum, quod intellexi te ad eum venisse, ut eius animum erga me perspiceres: hoc mihi, inquam, accidit iucundissimum. 6. De triumpho autem nulla me cupiditas unquam tenuit ante Bibuli impudentissimas litteras, quas amplissime supplicatio consecuta est: a quo si ea gesta essent, quae scripsit, gauderem et honori faverem; nunc illum, qui pedem porta, quoad hostis cis Euphratem fuit, non extulerit, honore augeri, me in cuius exercitu spem illius exercitus habuit, idem non assequi dedecus est nostrum, nostrum, inquam, te coniungens. Itaque omnia experiar et, ut spero, assequar: quodsi tu valeres, iam mihi quaedam explorata essent; sed, ut spero, valebis. 7. De rauduscolo Numeriano multum te amo. Hortensius quid egerit aveo scire, Cato quid agat, qui quidem in me turpiter fuit malevolus. Dedit integritatis, iustitiae, clementiae, fidei mihi testimonium, quod non quaerebam; quod postulabam, negavit. Itaque Caesar iis litteris, quibus mihi gratulatur et omnia pollicetur, quo modo exsultat Catonis in me ingratissimi iniuria! At hic idem Bibulo † DXX. Ignosce mihi, non possum haec ferre nec feram. 8. Cupio ad omnes tuas epistolas, sed nihil necesse est; iam enim te videbo. Illud tamen de Chrysippo — nam de altero illo minus sum admiratus, operario homine; sed tamen ne illo quidem quicquam improbius — Chrysippum vero, quem ego propter litteru-

quod de Ernesti sententia receperunt Schuetzius et Orellius. Cf. Wesenberg, Emend. p. 81.

de opinione — integritatis meae ɔ: quod putabat me provinciam integre rexisse vel me sincerum sibi esse amicum. cf. *opinio cupiditatis* Fam. I. 7, 3, *opinio ingenii* VI. 5, 3.

§ 6. *amplissima supplicatio* est Pii παραδιόρθωσις. Optime cod. Med. et vett. editt. *amplissime* ɔ: amplissimis verbis.

§ 7. *De rauduscolo Numeriano.* Cf. ad VI. 8, 5.

Hortensius quid egerit, aveo scire. Videtur respicere ad auctionem praediorum, quae Hortensius pater Puteolis possederat, a filio instituendam. Cf. ep. seq. 9. Nisi forte hoc referendum sit ad Hortensii patris sententiam, quam de supplicatione Ciceroni decernanda paucis ante mortem diebus in senatu dixerit. Si illud probatur, cum Ern. malim: *Cato quid agit?* ne hoc agere Catonis cum illo ex aequo iungatur.

At hic idem Bībulo DXX. Ita Med. Nota indicari putant *dies viginti* ɔ: supplicationem dierum viginti. Sed recte Gronovius negat id admitti posse, quum Caesari Gallia devicta bis XX dierum supplicatio decreta sit, vid. Caes. B. G. IV. 38 extr. et VII. 90 extr., idque Suetonius non usitatum fuisse narret, in Caes. 24. Bibulus nihil gesserat magnum. Unius diei supplicatio plus erat, quam iure postulare posset. Cum Gronovio vere ab Ursino scriptum puto: *At hic idem Bibulo decrevit* sc. supplicationem unius diei.

§ 8. *Illud tamen de Chrysippo,* cet. Ex Attici litteris cognorat libertum suum Chrysi-

larum nescio quid libenter vidi, in honore habui, discedere a puero, insciente me! Mitto alia, quae audio multa, mitto furta: fugam non fero, qua mihi nihil visum est sceleratius. Itaque usurpavi vetus illud Drusi, ut ferunt, praetoris in eo, qui eadem liber non iuraret, me istos liberos non addixisse, praesertim quum adesset nemo, a quo recte vindicarentur. Id tu, ut videbitur, ita accipies; ego tibi assentiar. Uni tuae disertissimae epistolae non rescripsi, in qua est de periculis rei publicae: quid rescriberem? valde eram perturbatus; sed, ut nihil magno opere metuam, Parthi faciunt, qui repente Bibulum semivivum reliquerunt.

pum (de quo vid. ad Q. fr. III. 4, 5 et 5, 6), quem secum in provinciam videtur duxisse Marcoque filio adiunxisse comitem, itemque alterum libertum, Romam ut opinor praemissos, aufugisse. Eos ex fuga retrahi et in poenam sceleris servitutis vinculo contineri volebat.

Itaque usurpavi vetus illud Drusi ɔ: itaque iratus in meum usum converti illud, quo primum usum ferunt Drusum, quum servus manumissus iurare nollet se quaedam officia patrono esse praestiturum, quod tamen ante manumissionem se iuraturum promiserat. Cf. l. 44 Dig. de liber. causa (40, 12). Negabo enim me istis hominibus, quos apud me manumisi, plenam libertatem dedisse. — Iam de singulis videamus. *Usurpavi* sc. tum, quum ista de Chrysippo et illo altero audivi. Est autem usurpare verbum vel dictum eo uti. cf. Divin. II. 35. Phil. I. 1. *Drusi praetoris.* M. Livius Drusus a. u. 632 tribunus pl., 641 consul fuit, eiusque praetura urbana (ad Herenn. II. 19) a Pighio non male ad a. 638 refertur. — *in eo, qui eadem liber non iuraret.* Haec verba Reinio, in libro de iure civ. Rom. p. 287 initium formulae a Druso propositae continere videbantur. Non placet, quum ipse coniunctivus *iuraret* iubeat haec tanquam Ciceronis verba accipere. — *Me istos liberos non addixisse* ɔ: me istos non cessisse vindicanti. *Addicere* enim est verbum legitimum de magistratu, qui in mancipatione aut in iure cessione vindicanti hominem cedit. cf. Gaius I. 134. II. 9 seq., 24. — *a quo recte vindicarentur. Vindicari ab aliquo* est *postulari de aliquo,* ut apparet ex his Gaii verbis: „*ab eo* (ɔ: a patre), is qui adoptat, *vindicat* apud praetorem filium suum esse, et illo (ɔ: patre) contra non vindicante a praetore vindicanti filius *addicitur.*" Cicero verbis: *praesertim quum adesset nemo, a quo recte vindicarentur* rationem affert, cur talis manumissio revocari posset. Nam ipse dominus magistratus vice fungens non simul poterat esse, a quo vindicarentur.

Id tu — assentiar. Atticus probavit Ciceronis consilium. Vid. ep. 5, 3.

sed, ut nihil m. o. metuam, Parthi faciunt ɔ: sed quum videam metum a Parthis iniectum vanum esse, non est sane, ut quicquam mihi iam magno opere metuendum videatur. Si cum Peerlkampio *sed nihil, ut* corrigimus, hoc dicitur: Sed Parthi mihi non magnum terrorem incutiunt, qui a Bibulo metu fere exanimato discesserunt. Quod mihi quidem prae illo languere videtur.

III. (*A. U. C.* 704.)

1. A. d. VIII. Id. Decembr. Aeculanum veni et ibi tuas litteras legi, quas Philotimus mihi reddidit, e quibus hanc primo adspectu voluptatem cepi, quod erant a te ipso scriptae, deinde earum accura-

§ 1. *Aeculanum* s. Eclanum est locus, in via Appia qui XV milia passuum distabat a Benevento, notatus in Antonini Itinerario et in Tab. Peutingerana.

tissima diligentia sum mirum in modum delectatus. Ac primum illud, in quo te Dicaearcho assentiri negas: etsi cupidissime expetitum a me est te approbante, ne diutius anno in provincia essem, tamen non est nostra contentione perfectum; sic enim scito verbum in senatu factum esse nunquam de ullo nostrum, qui provincias obtinuimus, quo in iis diutius quam ex senatus consulto maneremus, ut iam ne istius quidem rei culpam sustineam, quod minus diu fuerim in provincia, quam fortasse fuerit utile. 2. Sed, »quid, si hoc melius?" opportune dici videtur in hoc ipso: sive enim ad concordiam res adduci potest sive ad bonorum victoriam, utriusvis rei me aut adiutorem velim esse aut certe non expertem; sin vincuntur boni, ubicunque essem, una cum iis victus essem: quare celeritas nostri reditus *ἀμεταμέλητος* debet esse. Quodsi ista nobis cogitatio de triumpho iniecta non esset, quam tu quoque approbas, ne tu haud multum requireres illum virum, qui in VI. libro informatus est — quid enim tibi faciam, qui illos libros devorasti? —: quin nunc ipsum non dubitabo rem tantam abiicere, si id erit rectius; utrumque vero simul agi non potest, et de triumpho ambitiose et de re publica libere. Sed ne dubitaris quin quod honestius, id mihi futurum sit antiquius: 3. nam quod putas utilius esse, vel mihi quod tutius sit, vel etiam ut rei publicae prodesse possim, me esse cum imperio, id coram considerabimus quale sit; habet enim res deliberationem, etsi ex parte magna tibi assentior. De animo autem meo erga rem publicam bene facis quod non dubitas, et illud probe iudicas nequaquam satis pro meis

in quo te Dicaearcho assentiri negas. Dicaearchus τὸν πρακτικὸν βίον longe omnibus anteponebat, II. 16, 3, quum Attico contra otium placeret. Videtur igitur hic Tullium reprehendisse, quod in urbem hoc tempore redire mallet, quam in provincia manere. Cui ita se purgat Cicero, ut affirmet ex SCto sibi redeundum fuisse.

etsi — est. Vulgo *sit.* Sed sermonis ratio postulat indicativum, quum agatur de re facta. Emendavit Madvigius ad Cic. Fin. p. 444. Tum scripsi cum Crat. *te approbante,* quod praestat vulgato ab aliis.

§ 2. *quid, si hoc melius?* Cf. Fam. XIII. 47: *Utamur vulgari consolatione: quid, si hoc melius?* In seqq. delevi *saepe,* quod sola Bosii auctoritate nititur et cum Popma et Baitero expunxi *ut.* Ita sententia aptior oritur, quam e vulgari scriptura.

in VI libro de Repb., ubi Scipio antequam illud somnium narrat, docuit conscientiam ipsam bene factorum amplissimum virtutis esse praemium, atque virtutem non statuas, nec triumphos, sed stabiliora et viridiora praemiorum genera desiderare. Vid. Macrob. I. 4 et in fragm. operis de Repb. VI. 8.

quid enim tibi faciam —? ɔ: quid enim tibi informabo —? Saepe *facio* verbi praecedentis notionem refert. cf. adn. mea ad XI. 2, 3. Frustra Orellius pro *faciam infitier,* Moserus *taceam* coniecerunt.

§ 3. *vel mihi quod tutius sit.* Scripsi sublata distinctione, quoniam *mihi* pendet a *tutius.* Coniunctivus ponitur, quia haec Attici mentem reddunt. Klotzius coniecit: *quo* (e Med.) *tutius sim.* Nihil opus mutatione.

pro meis officiis ɔ: pro opera, quam Caesari praestiti in petendis honoribus. — De usu

officiis, pro ipsius in alios effusione, illum in me liberalem fuisse eiusque rei causam vere explicas, et eis, quae de Fabio Caninioque acta scribis, valde consentiunt, quae si secus essent totumque se ille in me profudisset, tamen illa, quam scribis, custos urbis me praeclarae inscriptionis memorem esse cogeret nec mihi concederet, ut imitarer Volcacium aut Servium, quibus tu es contentus, sed aliquid nos vellet nobis dignum et sentire et defendere; quod quidem agerem, si liceret, alio modo ac nunc agendum est. 4. De sua potentia dimicant homines hoc tempore periculo civitatis: nam, si res publica defenditur, cur ea consule illo ipso defensa non est? cur ego, in cuius causa rei publicae salus consistebat, defensus postero anno non sum? cur imperium illi aut cur illo modo prorogatum est? cur tanto opere pugnatum est, ut de eius absentis ratione habenda decem tribuni pl. ferrent? His ille rebus ita convaluit, ut nunc in uno civi vis ad resistendum sit, qui mallem tantas ei vires non dedisset, quam nunc tam valenti resisteret. 5. Sed quoniam res eo deducta est, non quaeram, ut scribis, *ποῦ σκάφος τὸ τῶν Ἀτρειδῶν*; mihi *σκάφος* unum erit, quod a Pompeio gubernabitur. Illud ipsum, quod ais, »Quid fiet, quum erit dictum: DIC M. TVLLI?" — *σύντομα*, CN. POMPEIO ASSENTIOR;

ipsius, quod cum vi quadam ponitur pro *sua* egit Madvigius ad III de Fin. p. 411.

quae de Fabio Caninioque acta scribis. C. Caninius Rebillus, Caesaris in Gallia legatus, saepius nominatur in ultimis libris de Bello Gall. et una cum C. Fabio legato VIII. 24—37. Quamquam quid de his actum sit non constat, id certe apparet, temere Fabii nomen, in quo codices conspirant, ab Orellio in Fadium esse mutatum. Ut vulgo haec distinguuntur, sententia terminatur in verbo *consentiunt*. Sed, ut Wes. recte observavit, sic deest huius verbi subiectum. Continetur hoc iis, quae sequuntur, etsi melius sententia procederet, si probaretur eiusdem supplementum, *quae de me acta sunt.*

illa — custos urbis ɔ: Minerva, quam ante exsilium ex sua domo in Iovis Capitolini aedem transtulerat. Leg. II. 42. Plut. in Cic. 29. Fam. XII. 25, 1. Inscriptio non est servata. Sed Cicero videtur in ea affirmasse remp. a se Deae ope esse conservatam.

Volcacium aut Servium. Cf. VIII. 1, 3. Hi viri consulares in contentione inter Caesarem et Pompeium neutram partem sequi decreverant.

§ 4. *consule illo ipso.* a. 695. C. Iulio Caesare, M. Bibulo cos. *illo* pro *isto* debetur Wesenbergio. Correxit, quoniam de eodem Caesare sequitur *illi* et *ille* et *illum* et *ille* in § 3 praecedit.

in uno civi. Hanc ablativi formam, ubique fere in optimis libris inventam, Tullio restituendam puto, ubi altera forma *cive* in editt. remansit. Cf. Wesenbergii Observ. ad Sest. p. 62. In iis, quae sequuntur, nec quod codd. dant *res —sit*, nec quod post Ern. editur *spes ad resistendum sit* Latine dici postest. Antea cum Klotzio scripsi *vires ad resistendum sint*, nunc id quod Gronovio iam placebat *vis ad res. sit.* cf. Orat. II. 258 *maiorem vim ad deterrendum habet, quam ad cohortandum.* Elegans Lambini emendatio: *ut nunc in uno civi spes reipb. sita sit* longius a scriptura tradita recedit.

§ 5. *ποῦ σκάφος τὸ τῶν Ἀτρειδῶν;* „Memoriter laudat versum Eurip. Troad. 459 *ποῦ σκάφος τὸ τοῦ στρατηγοῦ;*" Matthiae. Nescio tamen, an non praestet illam varietatem consilio Attici, quam memoriae errori tribuere.

verumtamen (ego) haec video. Klotz. re-

ipsum tamen Pompeium separatim ad concordiam hortabor. Sic enim sentio maximo in periculo rem esse. Vos scilicet plura, qui in urbe estis; verumtamen (ego) haec video, cum homine audacissimo paratissimoque negotium esse, omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione ignominiaque dignos † illac facere, omnem fere iuventutem, omnem illam urbanam ac perditam plebem, tribunos valentes addito C. Cassio, omnes, qui aere alieno premantur, quos plures esse intelligo, quam putaram — causam solum illa causa non habet, ceteris rebus abundat —, hic omnia facere omnes, ne armis decernatur, quorum exitus semper incerti, nunc enimvero in alteram partem magis timendi. Bibulus de provincia decessit, Veientonem praefecit: in decedendo erit, ut audio, tardior. Quem quum ornavit Cato, declaravit iis se solis [non] invidere, quibus nihil aut non multum ad dignitatem posset accedere. 6. Nunc venio ad privata; fere enim

vocavit Med. 1 et marg. Crat. scripturam, quia plura deinceps commemorantur. Vulgo *hoc*. Addidi *ego* de Wesenbergii coniectura, ut sit quod respondeat praecedenti *vos*.

illac facere. Sententia requirit: illas partes sequi, cum Caesare coniungi, quod dicitur *facere cum aliquo* v. *ab aliquo*. Sed vereor, ut ea locutio adv. *illac* admittat, neque scrupulum sustulerunt ea, quae Handius in Turs. III. 202 et Hofmannus in adn. de h. l. scripserunt. Corrigo *illuc*, idque pronomen mihi est, non adverbium. *Illuc facere* est *id facere, quod ille facit*. Id postulant, quae in altero membro his opponuntur: *hic omnia facere omnes*. In Crat. est *illic*, Wes. scripsit *illinc facere* ɔ: stare ab illa parte.

addito C. Cassio. C. Cassius trib. pl. a. 705 (Att. VII. 21, 2) quamdiu potuit, Pompeianus mansit. Igitur si de hoc loquitur Cicero, eius suspicio eventu non est confirmata. Fortasse tamen scripsit *Q. Cassio*, quem scimus hoc ipso tempore cum Antonio et Curione ad Caesarem profectum esse. Fam. XVI. 11, 2.

causam s. illa causa non habet ɔ: Caesariani tantummodo destituti sunt iusta causa, qua sua facta defendant. Notetur usus eiusdem voc. *causae* duplici vi positi, de quo videatur Osenbruggeni adnot. ad orat. p. Rosc. Am. c. 2. in. *His de causis ego huic causae patronus exstiti*. Simillima exempla inveniuntur in Prol. Heautont. 41 et Hecyrae, 47.

Nunc enimvero. Sic quod in Med. est *etiam vero* correxit Hofmannus, felicius quam Handius et Wesenbergius, Emend. p. 41, qui *vero etiam* scribi volebant. Librarii idem peccarunt in Quintil. I. O. IX. 4, 118.

in alteram partem magis timendi ɔ: magis timendum est, ne exitus certaminis Caesari propitius sit futurus.

Bibulus de provincia decessit — in decedendo erit tardior. Haec non inter se pugnant. Prius est imperium deposuit et provinciam reliquit; in altero *decedere* de toto itinere e provincia ad urbem intelligendum est, ut in Bruto, 1. et in Corn. Nep. Attico, 4.

[*non*] *invidere*. Negatio in omnibus libris adest. Eam hic stare non posse iudicabant Malaspina, Lambinus, Gronovius; defendunt alii, quos sequuntur Orellius et Hofmannus. Mihi delenda videtur: nam ii, quibus nihil aut non multum ad dignitatem posset accedere, sunt qui iam amplissimum dignitatis gradum consecuti sunt, quod cadit in Ciceronem, minime vero in Bibulum, qui, quamvis supplicatio ipsi esset decreta, nunquam tamen praeclarus vir haberetur. Tali igitur homini Cato non invidebat; iis invidebat qui summa essent consecuti. Seclusi igitur negationem, non sustuli, ut lectoris arbitrio permitterem, an retinenda videretur. Bosius *non* e *nunc* factum putabat.

§ 6. *Nunc venio ad privata; fere enim... scripsisti... ad privata venio*. Madvigiu

respondi tuis litteris de re publica et iis, quas in suburbano, et iis, quas postea scripsisti * * * ad privata venio, unum etiam, de Caelio. Tantum abest ut meam ille sententiam moveat, ut valde ego ipsi, quod de sua sententia decesserit, poenitendum putem. Sed quid est, quod ei vici Lucceii sint addicti? hoc te praetermisisse miror. 7. De Philotimo faciam equidem, ut mones. Sed ego mihi ab illo non rationes exspectabam, quas tibi edidit, verum id reliquum, quod ipse in Tusculano me referre in commentarium mea manu voluit, quodque idem in Asia mihi sua manu scriptum dedit: id si praestaret, quantum mihi aeris alieni esse tibi edidit, tantum et plus etiam ipse mihi deberet. Sed in hoc genere, si modo per rem publicam licebit, non accusabimur posthac, neque hercule antea negligentes fuimus, sed amicorum multitudine occupati. Ergo utemur, ut polliceris, et opera et consilio tuo, nec tibi erimus, ut spero, in eo molesti. 8. De serperastris cohortis meae nihil est quod doleas. Ipsi enim se college-

(Emend. in Cic. lib. philos. p. 192) miratur nemini displicuisse tam inelegantem repetitionem, imprimis quum illa integrae sententiae sint subiecta; quare deletis illis *venio ad privata* scribendum putat: *Nunc — fere enim.., scripsisti — ad privata venio.* Scrupulum tamen iniicit, quod, si haec sic scripta sunt, non intelligitur quid lectorem moverit, ut verba in extrema sententia posita, inverso ordine in initio iterum poneret. Quare magis nunc inclino ad opinionem Lehmanni, qui in Hermae vol. XV p. 353 retentis illis: *Nunc venio ad privata* post *scripsisti* suspicatur excidisse: *sed priusquam.* Itaque posui lacunae signum.

de Caelio. Hic, qui adhuc cum bonis steterat, nunc partim Curionis auctoritate motus, partim ut se aere alieno expediret, Caesari se addixit. Hoc est, quod Cicero in Bruto § 273 scribit: *Caelius — discessu meo discessit a sese cediditque.*

quid est, quod ei vici Lucceii sint addicti? ↄ: quid est, quod Caelius emerit Lucceii vicos? Fingit Cicero se mirari, quod homo aere alieno oppressus aedes tamen emisset, quasi nesciret, unde ipsi nummi pararentur. Si cum h. l. componimus, quod Caelius portam Flumentanam occupasse dicitur in § 9, apparebit non audiendos esse, qui h. l. *eius vici Lucceiis* scribendum arbitrentur, etsi e Med. scriptura a Mommseno descripta *euuci lucceis* hoc tam facile erui potest, quam illud. Neque propterea quod de *vicis* Lucceii nihil constat, cum Tunstallo p. 123 haec sic refingi velim: *quod mei vicini Lucceii sint addicti.* Vici sunt aedificia continua, ut supra I. 4 extr.

§ 7. Cf. VI. 4 et passim. — *hoc tempore* post *ab illo* omissa in Med. cum Hofmanno reieci, quod solo Bosianorum codd. testimonio nituntur, neque ad sententiam requiruntur. Eadem vocabula interpolatori tribuo in IX. 2 *a*, 2.

amicorum multitudine occupati ↄ: dum variis amicorum negotiis servio, in meis fui omissior.

§ 8. *De serperastris cohortis meae.* Serperastra pueris alligabant in geniculis, ut eorum depravata crura corrigerent, teste Varrone de L. L. IX. 11. Etsi autem nomen illud a *sirpando* ↄ: alligando (Varro ibid. V. 137), non a *serpendo* derivari debet, tamen in prima syllaba *e* tam recte se habet quam *o* in *soboles, u* in *tugurium*, quae dicta sunt pro *subole, tegurio* primae syllabae vocalibus secundae assimilatis. Hoc nomine Cicero nunc indicat frena, quibus legatos aliosque, quorum opera usus fuerat in provincia administranda, in officio retinere studuerat. Dure Manutius eo ipsos contubernales designari putabat.

Ipsi — se collegerunt ↄ: quum aliquamdiu cupidiores fuissent, tandem ad continentiam redierunt et animos prava cupiditate liberarunt. Ex iis, quae Cicero scribit Tusc. IV. 78

runt admiratione integritatis meae. Sed me moverat nemo magis quam is, quem tu neminem putas: idem et initio fuerat et nunc est egregius; sed in ipsa decessione significavit sperasse se aliquid, et id, quod animum induxerat, paulisper non tenuit, sed cito ad se rediit meisque honorificentissimis erga se officiis victus, pluris ea duxit quam omnem pecuniam. 9. Ego a Curio tabulas accepi, quas mecum porto. Hortensii legata cognovi: nunc aveo scire, quid hominis sit et quarum rerum auctionem instituat; nescio enim, cur, quum portam Flumentanam Caelius occuparit, ego Puteolos non meos faciam. 10. Venio ad Piraeëa, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus Piraeëa scripserim, non Piraeum — sic enim omnes nostri locuti sunt —, quam in quod addiderim. Non enim hoc ut oppido praeposui, sed ut loco, et tamen Dionysius noster et qui est nobiscum Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piraeëa. Sed de eo videro. Nostrum quidem si est peccatum, in eo est, quod non ut de oppido locutus sum, sed ut de loco, secutusque sum, non dico Caecilium,

Manu ut ex portu in Piraeum,

Quid est autem se ipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursus in suum locum cogere, apparet non unam esse omnibus locis huius locutionis vim. Cf. IX. 9, 1. XII. 35. XV. 21, 1 et Manutius ad Fam. I. 9, 10.

is, quem tu neminem putas ɔ: quem tu hominem nullius pretii, non semissis (Fam. V. 10, 1) putas. Si hic agitur de Mescinio quaestore, ut Corradus suspicatur, malam opinionem ipse Cicero excitarat iis, quae scripsit VI. 3, 1 et 4, 1.

paulisper non tenuit opponitur seqq. *cito ad se rediit.* Male vulgo *paulisper* ad praecedens verbum refertur. Correxit Wesenb. Emend. alt. p. 110.

ad se rediit, est fere idem quod modo dixit *se collegit.* Cf. Ruhnk. ad Ter. Andr. III. 5, 16.

§ 9. *tabulas*, sc. testamenti. Cf. ep. 2, 3. — *Hortensii.* Cf. ad ep. 2, 7. — *Nescio enim cur — non meos faciam.* Sententia haec est: Si M. Caelius tot vicos emit in urbe ad portam Flumentanam (de qua vid. Beckerus in Enchir. Antiq. Rom. I. p. 155 sqq.), cur mihi non liceat villam Hortensii Puteolanam emere meoque Puteolano adiicere? Quod autem nonnulli Caelium Puteolanum faciunt, nititur ea opinio corruptis verbis Caelianae, 5, de quibus prudenter disputavit H. Vollenhoven in disp. crit. L. B. 1839 defensa, p. 15 seqq.

§ 10. *Venio ad Piraeëa.* Respicit ad initium VI. 9: *In Piraeëa quum exissem.*

Nicias Cous. Hunc fuisse hominem litteratum Dolabellae et Ciceronis familiarem satis apparet ex epp. ad Att. XIII. 29, 1. XII. 51, 1 et Fam. IX. 10, 1. Non diversum fuisse a *Curtio Nicia*, de quo nonnulla memoriae prodidit Suetonius de gramm. 14 e comparatione eius loci cum ep. ad Att. XII. 26, 2 apparet. *Et* his nominibus praepositum non certa libri scripti auctoritate nititur, et melius cum Lambino verbis *qui est nobiscum* praeponitur. Paulo ante morem gessi Buechelero scribenti in Mus. Rhen. XI. p. 517 *quam* IN *quod addiderim.* Praepositio in Med. omissa facilius et melius collocatur post *quam*, quam post *quod.*

non rebatur. In Med. est *noen rebatur* et e corr. *noenu*, non, ut scribit Lachmannus ad Lucr. III. 198 *noenum. Noenum* et *noenu* priscum est pro *non.* Sed tam levi vel potius nulla auctoritate hanc formam Tullio obtrudere nolim.

Caecilium. Cf. Brut. 258 et Ellendt ad ll. de Orat. II. p. 179. — Terentii locus alter est Eun. III. 4, 1, ubi tamen recte e Mss.

— malus enim auctor Latinitatis est —, sed Terentium, cuius fabellae propter elegantiam sermonis putabantur a C. Laelio scribi:

Heri aliquot adolescentuli coiimus in Piraeum;

et idem,

Mercator hoc addebat — captam e Sunio;

quodsi δήμους oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium quam Piraeus. 11. Sed, quoniam grammaticus es, si hoc mihi ζήτημα persolveris, magna me molestia liberaris. Ille mihi litteras blandas mittit; facit idem pro eo Balbus: mihi certum est ab honestissima sententia digitum nusquam, sed scis illi reliquum quantum sit. Putasne igitur verendum esse, ne aut obiiciat id nobis aliquis, si languidius, aut repetat, si fortius? quid ad haec reperis? »Solvamus," inquis. Age, a Caelio mutuabimur. Hoc tu tamen consideres velim; puto enim, in senatu si quando praeclare pro re publica dixero, Tartessium istum tuum mihi exeunti, »Iube sodes nummos curare." 12. Quid superest? etiam: gener est suavis mihi, Tulliae, Terentiae; quantumvis vel ingenii vel humanitatis; satis est. Reliqua, quae nosti, ferenda; scis enim, quos † aperierimus, qui omnes praeter eum, de quo per te egimus, reum me facerent; ipsis enim expensum nemo

editur *in Piraeo,* alter in eadem fabula I. 2, 35 sic legitur: *Mercator hoc addebat, e praedonibus Unde emerat, se audisse abreptam e Sunio.* Similiter Plautus Bacch. 203 *Ibo in Piraeum.* Most. 63 *ire in Piraeum volo.* Trin. 1103 *Curre in Piraeum.* Neque Cicero postea hunc morem deseruit. Vid. Brut. 51 *e Piraeo eloquentia evecta est.*

§ 11. *hoc — ζήτημα.* Non de Piraeo, sed de eo, quod debebat *illi* ɔ: Caesari. Ita Manutius h. l. iam accepit. Per iocum scripsit *persolveris,* quum quaestio soleat *solvi* et *dissolvi.* Sed cogitabat de pecunia persolvenda.

scis illi reliquum quantum sit ɔ: scis, quantum pecuniae etiam Caesari debeam. Cf. ep. 8, 5 h. l. et V. 10, 4.

aut repetat. Ernestus additum volebat *ille.* Immo e superiori membro repetendum est *aliquis Caesarianus,* Balbus an alius, ut extrema verba huius § aperte declarant.

a Caelio, argentario. Cf. XII. 5, 2. 6, 1. XIII. 3, 1. — *Tartessium* vocat L. Cornelium Balbum Gaditanum. Nam Hispaniae urbs Gadir s. Gades prius dicta est Tartessus. Vid. Sall. Hist. fragm. II. 32, p. 144 Kritz.

Iube — nummos curare. Quod in X. 11, 2 est: *Curari ea tibi utique iubet,* non probat, ut Orellius videtur statuisse, Muretum h. l. vere reposuisse *curari.* Infin. activi post verba iubendi et vetandi non est vitiosus. Hic facile sententia expletur: Iube dispensatorem tuum numerare. Cf. Haase ad Reisigii Scholas, adn. 602.

§ 12. *satis est.* Scripsi cum Mommseno ap. Hofm. probante W., qui interpretatur: eo contenti esse possumus. Orellius *satis,* quod geminatione praecedentium litterarum ortum putabat, seclusit.

Reliqua — ferenda. Cf. VI. 6, 1: *Cetera noli ἐξακανθίζειν.*

scis enim, quos † aperierimus, cet. In verbo *aperierimus* haereo, quum ob inauditam perfecti formam, tum, quod gravius est, ob incertam *aperiendi* potestatem. Pro eo Ciceroni Hofmannus de Mommseni coni. restituit *appetierimus.* Ego contrarium dictum esse puto scribendumque *abiecerimus.* In seqq. difficilis optio inter emendationem Bosii, qui *reum* mutavit in *rem,* et Mommseni, qui *facerentur* vitiose scriptum putat pro *facerent.*

ferret. Sed haec coram; nam multi sermonis sunt. Tironis reficiendi spes est in M'. Curio, cui ego scripsi tibi eum gratissimum facturum. Dat. v. Id. Decembr. a Pontio ex Trebulano.

Si illud placet, verba sic explicanda sunt: Hi omnes, qui Tulliae conditionem petierant, ea spe adducti fuerant, quod credebant Ciceronem in provincia *rem facere* ɔ: divitias comparare. Credebant idcirco etiam, quod videbant magna fide Tullium valere, quae eos adeo deficiebat, ut nemo iis quicquam credere vellet: *Ipsis enim expensum nemo ferret.* Sin Mommsenum sequimur, haec oritur sententia: omnes, quos generos quaesivi — sunt homines aere alieno oppressi, quique me facerent reum debendi. Eorum ego aes alienum solvere deberem. Itaque Dolabella non deterior ceteris. Mommseni correctionem ultimorum verborum adscivi, quia illud *facere rentur* non Tullianum videtur. Unum excipit ex eo numero, de quo per Atticum egisset, quem tecte indicat V. 4, 1, *hunc a Pontidia* VI. 1, 10.

a Pontio ex Trebulano. Indidem in provinciam iter faciens profectus erat Beneventum, unde Trebula unius diei spatium distabat. V. 3, 3 et 4, 1. Erat autem oppidum Campaniae inter Capuam et Nolam situm, ut apparet ex Livio XXIII, 14 extr. et 39. Eundem locum indicari ad Fam. XI. 25, 3 certum est, quum Matius e Formiano Brundisium versus ad Caesarem profectus, huic obviam venit in agro Trebulano. Ibi enim de Trebula Mutusca in Sabinis cogitari non debet. In orat. de lege agr. II. 66 cum Venafrano et Allifano memoratur ager Trebulanus.

IV. (*A. U. C.* 704).

1. Dionysium flagrantem desiderio tui misi ad te, nec mehercule aequo animo, sed fuit concedendum: quem quidem cognovi quum doctum, quod mihi iam ante erat notum, tum sane plenum officii, studiosum etiam meae laudis, frugi hominem ac, ne (ut) libertinum laudare videar, plane virum bonum. 2. Pompeium vidi IIII. Id. Decembres; fuimus una horas duas fortasse. Magna laetitia mihi visus est affici meo adventu, de triumpho hortari, suscipere partes suas, monere, ne ante in senatum accederem, quam rem confecissem, ne dicendis sententiis aliquem tribunum alienarem: quid quaeris? in hoc officio sermonis nihil potuit esse prolixius. De re publica autem ita mecum locutus est, quasi non dubium bellum haberemus: nihil ad spem concordiae; plane illum a se alienatum quum ante intelligeret,

§ 1. *tum sane plenum officii.* Cod. Med. *sanctum plenum off.* corrector addidit *tum.* Quod vulgo editur debetur Manutio. Alanus malebat *tum castum, plenum officii.* Deinde nomini *libertinum* praeposui *ut,* quod plures addendum esse intellexerunt. *Homo frugi* dicebatur potissimum servus vel libertinus. cff. intt. ad Petronii Sat. 75.

§ 2. *horas duas fortasse.* Adverbium numeralibus additum indicat numerum non esse urgendum. Apud Ciceronem numero postponitur. Cf. Hand. Turs. II. p. 725 sq.

suscipere partes suas ɔ: promittebat, se pro virili parte operam daturum esse, ut triumphus mihi decerneretur. Ernestus merito notavit rarum dicendi genus, quum plerumque homines alterius, non suas partes suscipere dicantur. Optime tamen hoc quoque dicitur.

in hoc officio sermonis ɔ: „in hoc genere officii, quod praestatur sermone comi et liberali." Gronovius.

tum vero proxime iudicasse: venisse Hirtium a Caesare, qui esset illi familiarissimus, ad se non accessisse et, quum ille a. d. VIII. Idus Decembr. vesperi venisset, (et) Balbus de tota re constituisset a. d. VII. ad Scipionem ante lucem venire, multa de nocte eum profectum esse ad Caesarem. Hoc illi τεκμηριῶδες videbatur esse alienationis. 3. Quid multa? nihil me aliud consolatur, nisi quod illum, cui etiam inimici alterum consulatum, fortuna summam potentiam dederit, non arbitror fore tam amentem, ut haec in discrimen adducat: quodsi ruere coeperit, ne ego multa timeo, quae non audeo scribere; sed, ut nunc est, a. d. III. Nonas Ian. ad urbem cogito.

qui esset illi fam. Hoc referendum ad Hirtium.

Balbus — constituisset cet. Balbus Caesaris amicus de illis rebus statim post Hirtii adventum cum Scipione Pompeii socero agere constituerat, sed Hirtius illum congressum non exspectavit, sed statim ad Caesarem rediit. Hinc Pompeius efficiebat spem compositionis nullam esse. Post *venisset* addidi *et* monitu Madvigii in Adv. crit. II p. 236. Asyndeton durius est.

§ 3. *dederit.* Sic Pius correxit *dederat*, quod ferri non potest. Coniunctivus perfecti ponitur post *illum* ɔ: talem.

Ruere. Cf. ad II. 14, 1.

V. (*A. U. C.* 704.)

1. Multas uno tempore accepi epistolas tuas, quae mihi, quamquam recentiora audiebam ex iis, qui ad me veniebant, tamen erant iucundae; studium enim et benevolentiam declarabant. Valetudine tua moveor et Piliam in idem genus morbi delapsam curam tibi afferre maiorem sentio: date igitur operam ut valeatis. 2. De Tirone, video tibi curae esse, quem quidem ego, etsi mirabiles utilitates mihi praebet, quum valet, in omni genere vel negotiorum vel studiorum meorum, tamen propter humanitatem et modestiam malo salvum quam propter usum meum. 3. Philogenes mecum nihil unquam de Luscenio locutus est; de ceteris rebus habes Dionysium. Sororem tuam non venisse in Arcanum miror. De Chrysippo, meum consilium probari tibi non moleste fero. Ego in Tusculanum nihil sane hoc tempore: devium est τοῖς ἀπαντῶσιν et habet alia δύσχρηστα. Sed de Formiano

§ 3. *de Luscenio.* Probabilis est Corradi suspicio sermonem esse de *Q. Lucieno* senatore, qui in Varronis de re rust. II. 5 seqq. cum Attico aliisque loquens inducitur.

De Chrysippo. Cf. h. l. 2, 8. *Non moleste fero* dicit, cui aliquid gratum est. Att. XV. 2, 4. Mil. 58. Verr. act. sec. I. 2 *patior et non moleste fero.*

Ego — nihil sane ɔ: profecto ego nequaquam ibo.

inde Pomptinam summam ɔ: Tarracina me conferam ad paludem Pomptinam et ea in regione ad summam vel extremam eius partem pernoctabo. *Pomptinum*, ut Baiterus proxime ad Med. priorem scripturam *pomitinum* edidit, in iisdem locis erat, ut scimus

Tarracinam pridie Kal. Ian, inde Pomptinam summam, inde (in) Albanum Pompeii; ita ad urbem III. Nonas, natali meo. 4. De re publica quotidie magis timeo; non enim boni, ut putant, consentiunt. Quos ego equites Romanos, quos senatores vidi, qui acerrime quum cetera, tum hoc iter Pompeii vituperarent! Pace opus est: ex victoria quum multa mala, tum certe tyrannus existet. Sed haec propediem coram. Iam plane mihi deest, quod ad te scribam; nec enim de re publica, quod uterque nostrum scit eadem, et domestica nota sunt ambobus. 5. Reliquum est iocari, si hic sinat; nam ego is sum, qui illi concedi putem utilius esse, quod postulat, quam signa conferri; sero enim resistimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos. »Quid sentis igitur?" inquis. Nihil scilicet nisi de sententia tua, nec prius quidem, quam nostrum negotium aut confecerimus aut deposuerimus. Cura igitur ut valeas. Aliquando ἀπότριψαι quartanam istam diligentia, quae in te summa est.

ex ep. ad Trebatium, Fam. VII. 18, 3, sed *Pomptinum sumam* pro petam, invisam, latine non dicitur, minimeque defenditur verbis e Fam. XVI. 11, 3 a Baitero citatis *Capuam sumpsimus,* quod designat: ego Capuam tuendam suscepi. *Summam* dant M. Z.

inde in Albanum. Praepositionem addidi cum Lambino. cf. 7, 2 et 8, 2 *in Albanum venire,* in Pis. 77 *ad eum multi oratum in Albanum venerant,* Or. II. 224 *in Albano eramus.*

§ 4. *ut putant* ↄ: ut vulgo putant. Non videtur sollicitandum, etsi Cicero aliis locis scribit: *ut quidam putant.* cf. VII 9, 3 et VIII. 9, 3, quod ipsum h. l. restitui iussit P. Starker, Symb. crit. p. 46 seq.

tyrannus ex optimis libris Mss. servetur, quum sententiae aeque aptum est atque *tyrannis,* quod in aliis invenitur.

§ 5. *si hic sinat* ↄ: si per Caesarem liceat.

quid sentis? et ep. seq. 2: *Quid tu — sensurus es?* Sentire Cicero saepius posuit iudicandi notione. Exempla collegit Madv. ad II de Fin., 6.

quam — deposuerimus ↄ: quam triumphum aut egero aut non petere decrevero.

VI. (*A. U. C.* 704.)

1. Plane deest quod ad te scribam — nota omnia tibi sunt —, nec ipse habeo a te quod exspectem: tantum igitur nostrum illud solemne servemus, ut ne quem istuc euntem sine litteris dimittamus. 2. De re publica valde timeo, nec adhuc fere inveni, qui non cencedendum putaret Caesari quod postularet potius quam depugnandum.

§ 1. *nostrum illud sollemne,* nostram consuetudinem, id quod facere solemus. Ut Cicero h. l. scripsit *sollemne servare,* sic Plinius H. N. XXVIII, 135 *sollemne habere.*

istuc euntem. Ex *is tunc* in Med. vitiose scripto corrector fecit *istac,* quum una littera deleta *istuc* scribere debuisset. Non indicatur qua via, sed quo, ad quem locum aliquis iret.

§ 2. *Est illa quidem impudens p. atque op. valentior.* W. in his e marg. Med. *impudens* recepit, coll. ex ep. 9, 4 *quod — impudentissime postulat* et de coniectura inter *postulatio* et *opinione* inseruit *atque.* Recte,

Est illa quidem impudens postulatio (atque) opinione valentior. Cur autem nunc primum ei resistamus? *Οὐ γὰρ δὴ τόδε μεῖζον ἔπι κακόν*, quam quum quinquennium prorogabamus, aut quum, ut absentis ratio haberetur, ferebamus, nisi forte haec illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus. Dices: »Quid tu igitur sensurus es?" Non idem, quod dicturus; sentiam enim omnia facienda, ne armis decertetur, dicam idem, quod Pompeius, neque id faciam humili animo Sed rursus hoc permagnum rei publicae malum est, et quodam modo mihi praeter ceteros non rectum [me] in tantis rebus a Pompeio dissidere.

opinor. Contra non probo coniecturas Kochii et Smidtii, qui pro *valentior* scribendum putarunt, ille *violentior*, hic *amentior*.

mihi — non rectum [me] — dissidere. Erunt fortasse, qui dicent pron. *me* cum vi additum esse. Mihi ut verum fatear, inutile neque a Cicerone profectum videtur, etsi dissentit Madvigius ad Fin. III. 10. Paulo ante recte Klotzius rediit ad id, quod in libris inventum est: *et quodam modo*, quum post Malaspinam ederetur *at quodammodo.*

VII. (*A. U. C.* 704.)

1. »Dionysius, vir optimus, ut mihi quoque est perspectus, et doctissimus tuique amantissimus, Romam venit XV. Kal. Ian. et litteras a te mihi reddidit:" — tot enim verba sunt de Dionysio in epistola tua —: illud † putato non adscribis: »et tibi gratias egit." Atqui certe ille agere debuit, et, si esset factum, quae tua est humanitas, adscripsisses; mihi autem nulla de eo *παλινῳδία* datur propter superioris epistolae testimonium. Sit igitur sane bonus vir; hoc enim ipsum bene fecit, quod mihi sui cognoscendi penitus etiam istam facultatem dedit. 2. Philogenes recte ad te scripsit; curavit enim quod debuit. Eum ego uti ea pecunia volui, quoad liceret; itaque usus est menses XIIII. 3. Pomptinum cupio valere, et, quod scribis in urbem

§ 1. *illud † putato non adscribis.* Operam perdunt, qui *putato*, quod ex optimis libris notatur, defendere student, neque probandae correctiones *puto, puto tu, putidius, parate* (Gron.). Sententiae consuluerunt Klotzius scribens: *Illud tu tamen non adscribis*, et Kochius (Mus. Rhen. XII. p. 273): *Illud quod caput erat non adscribis*, sed pressius inhaerens traditae scripturae, suspicor in archetypo fuisse OPTATV, *illud optatum non adscribis.* Attici autem verba referenda sunt ad ea, quae Cicero de Dionysio scripserat ep. 4, 1 h. l., quod est *superioris epistolae testimonium.*

§ 2. Haec subobscura aliquid lucis accipiunt ex iis, quae de ratione permutationis Philogeni data leguntur in ep. 13 libri V. § 2.

§ 3. *Pomptinum cupio valere.* Fieri sane potest, ut rumor de valetudine Pomptini ad Ciceronem pervenerit. Si tamen per codd. liceret, mallem *P. cupio videre* et sollicite exspecto, quid sit, quod, ut tu scribis, non ad me accesserit, sed in urbem introierit. Illud si retinetur, locus sic constituatur:

introisse, vereor quid sit; nam id nisi gravi de causa non fecisset. Ego, quoniam IIII. Nonas Ianuarias compitalicius dies est, nolo eo die in Albanum venire, ne molestus familiae veniam. III. Nonas igitur; inde ad urbem pridie Nonas. Tua λῆψις quem in diem incurrat, nescio, sed prorsus te commoveri incommodo valetudinis tuae nolo. 4. De honore nostro, nisi quid occulte Caesar per suos tribunos molitus erit, cetera videntur esse tranquilla; tranquillissimus autem animus meus, qui totum istuc aequi boni facit, et eo magis, quod iam a multis audio constitutum esse Pompeio et eius consilio in Siciliam me mittere, quod imperium habeam. Id est Ἀβδηριτικόν, nec enim senatus decrevit nec populus iussit me imperium in Sicilia habere; sin hoc res publica ad Pompeium defert, qui me magis quam privatum aliquem mittat? Itaque, si hoc imperium mihi molestum erit, utar ea porta, quam primam videro. 5. Nam, quod scribis mirificam exspectationem esse mei neque tamen quemquam bonorum aut satis bonorum dubitare, quid facturus sim, ego quos tu bonos esse dicas non intelligo. Ipse nullos novi, sed ita, si ordines bonorum quaerimus; nam singulares sunt boni viri (multi); verum in dissensionibus ordines bonorum et genera quaerenda sunt. Senatum bonum putas, per quem sine imperio provinciae sunt? — nunquam enim Curio sustinuisset,

P. cupio valere. Eum (pro *et*) *quod scribis in urbem introisse, vereor* cet.

compitalicius dies. Vid. ad II. 3 extr.

ne molestus familiae veniam. III Nonas igitur. Recte *sim* abest a Med. Verbum *veniam* male solet iungi cum sequentibus; nam Cicero tunc scripsisset: *Veniam igitur III Nonas.* Buecheler in Mus. Rhen. XIII. p. 593 proscripsit quoque v. *venire.* Et sane illud interpretis esse videtur.

Tua λῆψις ɔ: febris accessio. P. Victorius comparavit usum sermonis Italici, quocum noster convenit, quum dicimus febrim cepi, quando illa accessit. Cf. IX. 2 et 10, 8.

te commoveri ɔ: te ad me in Albanum venire, ut est in ep. seq. Similiter III. 13, 1 *nec me Thessalonica commovi.* Fam. VI. 20 extr. *Tu cura ut te istinc ne temere commoveas.*

§ 4. *aequi boni facit* ɔ: in bonam partem accipit. Genetivi rationem expl. Madvigius Gr. Lat. § 318, adn. 3.

quod imperium habeam ɔ: ut id imp. habeam, ut ibi sim cum imperio.

utar ea porta, quam primam videro ɔ: abiecta triumphi spe imperioque deposito statim urbem intrabo per proximam portam. Klotzius, qui revocavit codd. scripturam *primum*, a Bosio correctam, non videtur sensisse quid inter *quam primum* et *qui primus* intersit. Garatonii adnotatio ad orat. p. Mil. c. 34 eum docere potuerat.

§ 5. *quid facturus sim.* Hoc quod in ZC. inventum est, praetuli scripturae vulgatae, *quid sensurus sim,* iudicans verbum generale hic aptius esse, quam speciale. Ceterum sententiam huius loci (§ 5 et 6) bene exposuit Fr. Hofmannus, de orig. belli Caes. p. 29.

nam singulares sunt boni viri. „Parum commode intelligitur *aliquot* et ipsa sententiarum inter se oppositio requirit significationem numeri eorum, qui singulatim erant boni. Propterea ex necessario Lambini supplemento post *viri* addendum est *multi,* quod ut alia sexcenta in Med. facile excidit." Wesenberg, Emend. p. 65.

nunquam Curio sustinuisset, cet. SCto de successoribus in provincias mittendis intercesserat C. Scribonius Curio, tribunus plebis, qui quum initio totum se contra Caesarem parasset (Fam. VIII. 8, 10), mox levissime

si cum eo agi coeptum esset, quam sententiam senatus sequi noluit, ex quo factum est, ut Caesari non succederetur —: an publicanos, qui nunquam firmi, sed nunc Caesari sunt amicissimi? an faeneratores? an agricolas? quibus optatissimum est otium, nisi eos timere putas, ne sub regno sint, qui id nunquam, dummodo otiosi essent, recusarunt. 6. Quid ergo? exercitum retinentis, quum legis dies transierit, rationem haberi placet? mihi vero ne absentis quidem; sed, quum id datum est, illud una datum est. »Annorum enim decem imperium et ita latum placet?" Placet igitur etiam me expulsum et agrum Campanum perisse et adoptatum patricium a plebeio, Gaditanum a Mitylenaeo, et Labieni divitiae et Mamurrae placent et Balbi horti et Tusculanum. Sed horum omnium fons unus est. Imbecillo resistendum fuit, et id erat facile; nunc legiones XI., equitatus tantus, quantum volet, Transpadani, plebes urbana, tot tribuni pl., tam perdita iuventus, tanta auctoritate dux, tanta audacia: cum hoc aut depugnandum est aut habenda e lege ratio. 7, »Depugna," inquis, »potius quam servias." Ut quid? si victus eris, proscribare, si viceris, tamen servias? »Quid ergo," inquis, »facturus es?" Idem quod pecudes, quae dispulsae sui generis sequuntur greges; ut bos armenta, sic ego bonos viros aut eos, quicunque dicentur boni, sequar, etiamsi ruent. Quid sit optimum male contractis rebus plane video; nemini est enim exploratum, quum ad arma ventum sit, quid futurum sit; at illud omnibus, si boni victi sint, nec in caede principum clementiorem hunc fore, quam Cinna fuerit, nec moderatiorem quam Sulla in pecuniis

transfugit ad populum (ibid. 6, 5). Quum autem ex SCto de intercessione referretur et M. Marcellus consul agendum cum tribunis pl. censeret, eosque permovere vellet, ut reipublicae causa intercessionem retractarent, frequens senatus in alia omnia ivit (ibid. 13, 2). — *Sustinuisset* absolute dicitur, ut Fam. XII. 6, 2 *Brutus Mutinae vix iam sustinebat.* Cf. Gronovius ad Liv. XXXIX. 31. Ita Graeci dicunt *ἀντέχειν*, nos *volhouden.*

§ 6. *Annorum — placet?* Sunt haec Attici, quaerentis cum admiratione, quam particula *enim* declarat, placeatne Ciceroni imperium tam magnum et in tot annos Caesari datum. Cicero respondet: *Placet igitur etiam* cet. ɔ: non magis hoc mihi placet, quam exsilium meum cet.

Gaditanum a Mitylenaeo ɔ: L. Cornelium Balbum adoptatum a Theophane Mitylenaeo, quem Pompeius civitate donarat. Cf. p. Balb. 57.

Labieni divitiae. De iis Corradus conferri iussit Caes. B. C. I. 15. Dion. XLI. 4. Graviter autem Catullus carm. 29 indignatur

Mamurram habere, quod Comata Gallia
Habebat ante et ultima Britannia.

Cf. Plinii H. N. XXXVI. 48. De *Balbi hortis* vid. Att. IX. 13, 8, de eiusdem *Tusculano* or. p. Balbo § 56.

§ 7. *Ut quid?* Male dubitavi de sanitate verborum et conieci: *quid? ut — proscribare.* Madvigius ad Fin. p. 248 monuit per *ut* interrogari de consilio, comparavit Gr. *ἵνα τί;* simile exemplum laudavit ex orat. p. Quint. 44 *ut quid praeterea?* Deinde pro *acturus es* cum W. scripsi *facturus es,* propter id quod sequitur *Idem quod pecudes,* scil. faciunt, non agunt.

locupletium. Συμπολιτεύομαί σοι iamdudum, et facerem diutius, nisi me lucerna desereret. Ad summam, DIC M. TVLLI. Assentior Cn. Pompeio, id est, T. Pomponio. Alexim, humanissimum puerum, nisi forte, dum ego absum, adolescens factus est — id enim agere videbatur —, salvere iubeas velim.

quum ad arma ventum est. Perfectum indicativi in hac sententia vitiosum esse concedo Muellero, de h. l. disputanti in Philologo, XIX. p. 624. Reposui cum eo et W. coniunctivum *ventum sit.*

Συμπολιτεύομαί σοι, de rep. tecum loquor. Ineptum est, quod vulgo editur ἐμπολιτεύομαί σοι. Correxit Fr. Buechelerus in Mus. Rhen. XIII. p. 587.

Alexim Attici libertum saepius Cicero nominat. cf. V. 20, 9. VII. 2, 3.

Id agere videbatur, ut adolescens fieret; habebat tectas prima lanugine malas.

VIII. A. U. C. 704.)

1. Quid opus est de Dionysio tam valde affirmare? an mihi nutus tuus non faceret fidem? suspicionem autem eo mihi maiorem taciturnitas tua attulerat, quod et tu soles conglutinare amicitias testimoniis tuis et illum aliter cum aliis de nobis locutum audiebam. Sed prorsus ita esse, ut scribis, mihi persuades: itaque ego is in illum sum, quem tu me esse vis. 2. Diem tuum ego quoque ex epistola quadam tua, quam incipiente febricula scripseras, mihi notaveram et animadverteram posse pro re nata te non incommode ad me in Albanum venire III. Nonas Ianuar.; sed, amabo te, nihil incommodo valetudinis feceris. Quid enim est tantum in uno aut altero die? 3. Dolabellam video Liviae testamento cum duobus coheredibus esse in triente, sed iuberi mutare nomen: est πολιτικὸν σκέμμα, rectumne sit nobili adolescenti mutare nomen mulieris testamento: sed id φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν, quum sciemus, quantum quasi sit in trientis triente.

§ 1. *de Dionysio.* Atticus liberarat Dionysium ingrati in Ciceronem animi culpa, in eiusque defensione Cicero acquiescit. Conf. ep. 7, 1. Pro *quid opus est* sequente *faceret* scribendum esse *quid opus fuit* vidit Wes. monuitque in Emend. alt. p. 111.

non faceret fidem? Explicat hanc formulam Dukerus ad Florum III. 16, 6.

§ 2. *Diem tuum* ɔ: diem, quo febris rediret. Idem recurrit IX. 2, 4 extr. 8 extr.

pro re nata. Eandem locutionem invenimus h. l. 14, 3. XIV. 6, 1. Indicat: pro rerum conditione praesenti. Alii simpliciter dicunt *pro re,* quod Madvigius Op. Acad. I. p. 497 Ciceroni tribuere conatur in loco Sestianae, 122. Sed vulgatam lectionem *pro me* egregie defenderunt Wesenbergius, Obs. crit. in Sestian. p. 52 sq. et Bakius, Schol. Hypomn. I. p. 123 sq.

§ 3. *iuberi mutare nomen.* Exempla heredum institutorum sub conditione nominis mutandi non rara sunt. Quaedam congessit Rein. in op. laud. p. 219 sq. Dolabella autem non transiit in Liviorum gentem et nomen.

quasi numeris additum est idem ac *circiter,* ὡςεί. Vid. intt. ad Ter. Heautont. I. 1, 93.

4. Quod putasti fore, ut ante quam istuc venirem, Pompeium viderem, factum est ita: nam VI. Kal. ad Lavernium me consecutus est. Una Formias venimus et ab hora octava ad vesperum secreto collocuti sumus. Quod quaeris, ecquae spes pacificationis sit, quantum ex Pompeii multo et accurato sermone perspexi, ne voluntas quidem est: sic enim existimat, si ille vel dimisso exercitu consul factus sit, *σύγχυσιν τῆς πολιτείας* fore, atque etiam putat eum, quum audierit contra se diligenter parari, consulatum hoc anno neglecturum ac potius exercitum provinciamque retenturum; sin autem ille fureret, vehementer hominem contemnebat et suis et rei publicae copiis confidebat. Quid quaeris? etsi mihi crebro *ξυνὸς Ἐνυάλιος* occurrebat, tamen levabar cura virum fortem et peritum et plurimum auctoritate valentem audiens *πολιτικῶς* de pacis simulatae periculis disserentem. 5. Habebamus autem in manibus Antonii contionem habitam X. Kal. Ianuar., in qua erat accusatio Pompeii usque a toga pura, querela de damnatis, terror armorum; in quibus ille, »Quid censes," aiebat, »facturum esse ipsum, si in possessionem rei publicae venerit, quum haec quaestor eius infirmus et inops audeat dicere?" Quid multa? non modo non expetere pacem istam sed etiam timere visus est. Ex illa autem sententia † in relinquendae urbis movet hominem, ut puto; mihi autem illud molestissimum est, quod solvendi sunt nummi Caesari

§ 4. *Lavernium,* fortasse vicus, qui a Dea Laverna nomen accepit. In itinerariis non inveni. Sed de nomine non debet dubitari et quum de loco in vicinia Formiarum sermo sit, neque cum Bosio de lacu Averno, neque cum Passeratio de Laurentio aut Lavinio cogitare licet. Iterum nominatur in Cicer. dialogo de fato apud Macr. Sat. III. 16, 4.

parari sc. copias. Eadem vi dici *comparari* docuit Gron. ad Liv. XXXVIII. 12, 7.

ξυνὸς Ἐνυάλιος ex Il. XVIII. 309 proverbii vim accepit. Romani *communem belli Martem* dicebant. Cf. Drak. ad Livii V. 12.

§ 5. *accusatio P. usque a toga pura.* Sollemne erat oratoribus Romanis adversarii mores depingere et vitam publicam a primis annis repetere. Fecit Cicero in Antonio, Philipp. II. 18, et in defendendo Caelio eodem modo versatur, ut observat Boettigerus, Opusc. Lat. p. 210.

querela de damnatis „de ambitu, lege quam Pompeius tertium consul tulerat. Qua lege damnatos Caesar, victo Pompeio, mox omnes restituit." Manutius. Cf. Caes. B. C. III. 1.

terror armorum ɔ: Antonius senatum et Pompeium armis terrere conabatur.

in quibus ille cet. Possunt haec defendi, sed Cicero disertius scripsisset: *quibus ille lectis.*

quaestor eius. M. Antonius fuerat Caesaris in Gallia quaestor, tunc erat tribunus plebis. cf. Nipperdey, die leges annales p. 31.

Ex illa autem sententia † in relinquendae urbis cet. Sic est in cod. Med. Pro *in* cod. Ambrosianus dat *nif,* cod. Hispanus *infra.* Nihil sani in his. Bonam sententiam effecit Oct. Pantagathus hac emendatione: *Mea autem sententia non relinquendae urbis movet hominem,* quam Malaspina, Lambinus, Ernestus fere probant. Neque aliter Kochius in Emendd. libello p. 20, nisi quod pro *ex illa* scribit *maxime.* I. F. Gronovius coniecit: *De illa autem sententia ita relinquendae urbis movi hominem, ut puto.* Ceteris servatis

et instrumentum triumphi eo conferendum: est enim ἄμορφον ἀντιπολιτευομένου χρεωφειλέτην esse. Sed haec et multa alia coram.

Wesenbergii coni. *indignitas relinquendae urbis* magis mihi placet quam Klotzii *causa r. u.*, sed malim tamen de mea suspicione scribere: *infamia relinquendae urbis.* Post *ut puto,* acute vidit W. addendum esse *maxime.* Quae sit *illa sententia* explicandum ex iis quae praecedunt. Pompeius nolebat in Hispaniam abire et pacem expetere consulatu Caesari concesso, maximeque eum movit infamia, quam caperet urbe relicta.

instrumentum triumphi ɔ: quae seposui ad apparatum triumphi.

IX. (*A. U. C.* 704.)

1. »Quotidiene," inquis, »a te accipiendae litterae sunt?" Si habebo cui dem, quotidie. »At iam ipse ades." Tum igitur, quum venero, desinam. Unas video mihi a te non esse redditas, quas L. Quintius familiaris meus quum ferret, ad bustum Basili vulneratus et spoliatus est. 2. Videbis igitur numquid fuerit in iis, quod me scire opus sit, et simul tu hoc διευκρινήσεις πρόβλημα sane πολιτικόν: quum si necesse aut haberi Caesaris rationem illo exercitum vel per senatum vel per tribunos pl. obtinente aut persuaderi Caesari, ut tradat provinciam atque exercitum et ita consul fiat, aut, si id ei non persuadeatur, haberi comitia sine illius ratione illo patiente atque obtinente provinciam, aut, si per tribunos pl. non patiatur (et) tamen quiescat rem adduci ad interregnum, aut, si ob eam causam, quod ratio eius non habeatur, exercitum adducat, armis (nos) cum eo contendere, illum autem initium facere armorum aut statim nobis minus paratis aut tum, quum comitiis, amicis eius postulantibus ut e lege ratio habeatur, impetratum non sit, ire autem ad arma aut hanc unam ob causam, quod ratio non habeatur, aut addita causa, si forte tribunus pl. senatum impediens aut populum incitans notatus aut senatus con-

§ 1. *quum venero.* Non male Alanus Emend. p. 13: *quum convenero te.* Cf. IX. 9, 2. X. 10, 5. XV. 29, 1.

ad bustum Basili. „Via Appia est prope urbem monumentum Basili, qui locus latrociniis fuit perinfamis, quod ex aliis quoque multis intelligi potest." Asc. Ped. in Milon. § 49.

§ 2. *notatus* ɔ: ignominia affectus. Caesar de B. C. I. 7 apud milites queritur, *novum in republica introductum exemplum, ut tribunicia intercessio notaretur atque opprimeretur.* Cf. Gron. ad Liv. XXVII. 25, 3. *Circumscriptus.* Caesar B. C. I. 32 in senatu praedicat *crudelitatem et insolentiam in circumscribendis tribunis plebis.* Quum circumscribere proprie sit certis lineis includere accedit ad vim *coërcendi,* ut in Milon, 88, ubi vid. Garatonius. — *Sublatus* ɔ: de reipublicae administratione SCto remotus, quod accidit Metello Nepoti. Suet. Caes. 16. Idem Suetonius refert Caesarem Ravennae substitisse, bello vindicaturum, *si quid de tribunis plebis intercedentibus pro se gravius a senatu constitutum esset.* Ibid. 30.

dicensve se expulsum. Cicero enim negabat

sulto circumscriptus aut sublatus aut expulsus sit dicensve se expulsum ad illum confugerit, suscepto autem bello, aut tenenda sit urbs aut, ea relicta, ille commeatu et reliquis copiis intercludendus: quod horum malorum, quorum aliquod certe subeundum est, minimum putes. 3. Dices profecto persuaderi illi, ut tradat exercitum et ita consul fiat. Est omnino id eiusmodi ut, si ille eo descendat, contra dici nihil possit, idque eum, si non obtinet ut ratio habeatur retinentis exercitum, non facere miror; nobis autem, ut quidam putant, nihil est timendum magis quam ille consul. »At sic malo," inquies, »quam cum exercitu." Certe: sed istud ipsum sic magnum malum putat aliquis, neque ei remedium est ullum. Cedendum est, si id volet. Vide consulem illum iterum, quem vidisti consulatu priore. »At tum imbecillus plus," inquis, »valuit quam tota res publica." Quid nunc putas? et eo consule Pompeio certum est esse in Hispania. O rem miseram! siquidem id ipsum deterrimum est, quod recusari non potest et quod ille si faciat iamiam a bonis omnibus summam ineat gratiam. 4. Tollamus igitur hoc, quo illum posse adduci negant: de reliquis quid est deterrimum? Concedere illi, quod, ut idem dicit, impudentissime postulat. Nam quid impudentius? tenuisti provinciam per decem annos, non tibi a senatu sed a te ipso per vim et per factionem datos; praeteriit tempus non legis, sed libidinis tuae; fac tamen legis: ut succedatur, decernitur: impedis et ais, »Habe meam rationem." Habe

Antonium et Q. Cassium ulla vi expulsos esse. Vid. Fam. XVI. 11, 2.

aut tenenda sit urbs, cet. Perspicuitatis causa orationem variavit. Nam quum omnia pendeant a v. *quum sit necesse* etiam hic infinitivos exspectares: *aut tenere urbem, aut illum commeatu intercludere.*

§ 3. *si ille eo descendat* ɔ: „si hanc conditionem accipiat. Fam. VIII. 8, 9 *alteram utram ad conditionem descendere vult.* Caes. B. C. I. 9 *ad omnia se descendere paratum.*" Gronovius. Add. Att. VIII. 1, 3 *invitus in eam causam descendo.*

ut quidam putant e M. retineri debet. Male olim secutus sum Tunstallum haec referentem ad Pompeium scribendo *putat.* In sequentibus Pompeius indicatur verbis *putat aliquis, inquit* (cf. Moserus, Symb. Crit. V. p. 10), *ut idem dicit, ut ait idem.*

ipsum sic m. m. Tunstallus p. 148 putabat in *sic o* latere *dico,* idemque retinuit *sic,* quo non est opus. *Dico* positum pro *inquam* Wesenb. munivit exemplis epp. VI. 1, 3. XIII. 25, 3. Sed mutatio non est necessaria. Retineatur *sic* deleto *o,* aut scribatur *sic malo,* ut est in iis, quae Atticus dicere fingitur. Deinde verum esse *putat,* nec scribendum *putet,* quod Or. a Bosio accepit, facile obtinebo. Hoc quoque Tunstallus monuerat.

et quod ille — ineat gratiam ɔ: nemo bonus habebit quod de Caesare queratur, si consulatum petet eumque obtinebit.

§ 4. *Tollamus — negant* ɔ: seponamus hoc, a quo ipsum Caesarem aiunt abhorrere. Temere Orellius edidit *negat* quasi hoc quoque ad Pompeium esset referendum, non ad plures pertineret.

sed libidinis tuae; fac tamen legis. Haec in Med. omissa e margine Cratandrinae Victorius supplevit. Et omittendi causa et supplendi necessitas est manifesta.

Habe meam rationem. Ita correctum in Med., nec propter sequens *nostrum* hic scri-

tu nostram. Exercitum tu habeas diutius, quam populus iussit, invito senatu? »Depugnes oportet, nisi concedis." Cum bona quidem spe, ut ait idem, vel vincendi vel in libertate moriendi. Iam si pugnandum est, quo tempore in casu, quo consilio in temporibus situm est: itaque te in ea quaestione non exerceo. Ad ea, quae dixi, affer, si quid habes; equidem dies noctesque torqueor.

bendum *mei*. At corrigendum *nostram*, quod Graevius in duobus libris scriptis invenit, Wes. recepit. Pro genetiuo obiectivo ponitur pron. poss., ut in eadem hac locutione Fam. VIII. 8, 9 *neque hoc anno sua ratio habeatur*, XVI. 12, 3 *neque se velle absente se rationem haberi suam*, Off. I. 139 *habenda ratio non sua solum, sed etiam aliorum*, aliisque locis citatis ab Hofmanno Ep. Sel. p. 183. Caesari respondetur: *Habe tu nostram.* Et sic luditur in duplici vi locutionis. Illud est: admitte me ad petendum. Hoc: noli nos despicere.

vel vincendi vel in libertate moriendi. Laudat haec Madv. ad Fin. IV. 27, ut ostendat Ciceronem aliquotiens *vel — vel* posuisse, ubi *aut — aut* usitatius esset.

quo consilio in temporibus situm est ɔ: quid sequamur, decernemus pro re nata. Pompeius varia consilia inire poterat resistendi Caesari.

X. (*A. U. C.* 705.)

Subito consilium cepi ut, antequam luceret, exirem, ne qui conspectus fieret aut sermo, lictoribus praesertim laureatis. De reliquo neque hercule quid agam nec quid acturus sim scio; ita sum perturbatus temeritate nostri amentissimi consilii. Tibi vero quid suadeam, cuius ipse consilium exspecto? Cnaeus noster quid consilii ceperit capiatve nescio; adhuc in oppidis coartatus est. Stupent omnes. Si in Italia consistet, erimus una; sin cedet, consilii res est. Adhuc certe, nisi ego insanio, stulte omnia et incaute. Tu, quaeso, crebro ad me scribe vel quod in buccam venerit.

Epistola data est Roma mane eius diei, quo urbem reliquit Capuam profecturus. Pridie Idus Ian. litteras ex urbe dederat ad Tironem (Fam. XVI. 11), unde de his rebus constat. Iam ante XII Kal. Febr. Ciceronem exiisse apparet ex ep. 12, 1.

consilium cepi ut exirem. De constructione satis dixit Kritzius ad Sall. Iug. 85, 8 *ea uti accepta mercede deseram, non est consilium.* Similis ratio est in Bruto, 84. *Est mos hominum ut nolint eundem pluribus rebus excellere.*

nostri amentissimi consilii. Consilia Pompeii primis diebus a. 705 capta discere licet e Caesaris narratione de B. C. I. 1 seqq., imprimis c. 5.

adhuc in oppidis coartatus est. Stupent omnes. Codd. *coartatus et stupens.* Emendavit Klotzius in ed. alt., quem sequor. Unus homo non magis coartari potest, quam *coacervari, coalescere, coire*, nec si posset, potest *in oppidis.* Sed dux, ut saepe, hic ponitur pro militibus diciturque, ut recte vidit Klotzius Adnott. II, 14, Pompeius nondum suas copias explicasse, sed in oppidis collocatas tenere. Id omnes, amici et inimici, stupebant. Cicero non poterat de omnibus affirmare, eos cum Pompeio futuros, si in Italia consisteret; de se solo dicit: *erimus una.* Futurum *consistet* tam necessarium est, quam *cedet.* Vulgo *consistat.* Correxit Wes.

XI. (*A. U. C.* 705.)

1. Quaeso, quid hoc est? aut quid agitur? Mihi enim tenebrae sunt. »Cingulum," inquit, »nos tenemus, Anconem amisimus. Labienus discessit a Caesare." Utrum de imperatore populi Romani, an de Hannibale loquimur? O hominem amentem et miserum, qui ne umbram quidem unquam *τοῦ καλοῦ* viderit! Atque haec ait omnia facere se dignitatis causa: ubi est autem dignitas nisi ubi honestas? [num] honestum igitur habere exercitum nullo publico consilio? occupare urbes civium, quo facilior sit aditus ad patriam? *χρεῶν ἀποκοπάς, φυγάδων καθόδους,* sexcenta alia scelera moliri,

τὴν θεῶν μεγίστην ὥστ' ἔχειν τυραννίδα —?

Sibi habeat suam fortunam! Unam mehercule tecum apricationem in illo lucrativo tuo sole malim quam omnia istiusmodi regna, vel potius mori milies quam semel istiusmodi quicquam cogitare. 2. »Quid si tu velis?" inquis. Age quis est, cui velle non liceat? sed ego hoc ipsum velle miserius esse duco quam in crucem tolli: una res est ea miserior, adipisci quod ita volueris. Sed haec hactenus; libenter enim in his molestiis *ἐνσχολάζω σοι.* 3. Redeamus ad nostrum. Per for-

§ 1. *Cingulum — tenemus.* Oppidum in agro Piceno. Cf. Caes. B. C. I. 15. Pisaurum, Fanum, Anconam singulis cohortibus Caesar occuparat, ibid. I. 11. Cf. quoque Fam. XVI. 12, 2. — *inquit* indefinite dicitur.

Anconem. W. in ep. ad Fam. XVI. 12, 2, ubi e codd. editur *Anconam,* ex h. l. scribendum putat *Anconem.* Ego contra h. l. formam Latinam veriorem puto, Graecam (cf. Strabo lib. V. saepius, Pomp. Mela II. 4 *a Graiis dicta Ancon*) poetis relinquens, ut Catullo, 36, 13, Iuvenali Sat. IV. 40, aliis.

Labienus discessit a Caesare. Rumorem hunc eventus confirmavit. Cf. epist. 12, 5. 13 *a.*, 1. 13*b.*, 7. Fam. XVI. 12, 1. Dio XLI, 4.

O hominem amentem. Haec et quae sequuntur de Caesare dicta accipias.

dignitatis causa. Hoc solent praetexere, qui rem publicam turbant. Legatur praeclara adnot. Casauboni ad Suet. Caes. 16.

(*num*) *honestum igitur* cet. *Num* est e correctione Medicei, in quo ut aliis in codd. initio scriptum erat *nisi,* quod e praecedenti quaestione male repetitum videtur. Schuetzius delevit *num;* recte, opinor.

Sibi habeat suam fortunam. Formula contemnentis, quod alter habet aut habere se putat. Cf. Sull. 26. Flacc. 104. Cat. Mai. 58. Lael. 18.

in illo lucrativo tuo sole. Lucrativo certa nititur Medicei auctoritate, et *sol lucrativus* dici potuit et is, quem Atticus negotiis surripuisset et is, quo ut frueretur aliquo loci impedimento amoto effecisset, ut monet Nipperdeius, Spicil. crit. in Corn. Nep. p. 79, qui e Quintil. I. O. X. 7, 27 demonstrat alibi quoque Ciceronem hoc adiectivum posuisse. Praedium ad montem Lucretilem (Hor. Carm. I. 17) non *Lucretinum,* ut vulgo hic scribunt, sed *Lucretilinum* dicendum erat, ut Faernus intellexit.

§ 2. *libenter — ἐνσχολάζω σοι.* Ex quo P. Victorius verba Graeca explicuit: *scholam tibi explico,* in ea explicatione editores acquievisse videntur. Recte vero Buecheleru s (Mus. Rhen. XIII. p. 587) negavit illam probari posse delevitque *σοι.* Is vid. *ἐνσχολάζω in his molestiis* interpretari: *acquiesco in his molestiis.* Quod falsum esse voc. *libenter* demonstrat. Cicero sine dubio scribere voluit se in illis molestiis libenter cum Attico de repb. confabulari, idque dicet,

tunas! quale tibi consilium Pompeii videtur? hoc quaero, quod urbem reliquerit; ego enim *ἀπορῶ.* Tum nihil absurdius. Urbem tu relinquas? Ergo idem, si Galli venirent. »Non est, inquit, »in parietibus res publica." At in aris et focis. »Fecit idem Themistocles. Fluctum enim totius barbariae ferre urbs una non poterat." At idem Pericles non fecit annum fere post quinquagesimum, quum praeter moenia nihil teneret, (et) nostri olim urbe reliqua capta arcem tamen retinuerunt:

Οὕτω που πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν.

4. Rursus autem ex dolore municipali sermonibusque eorum, quos convenio, videtur hoc consilium exitum habiturum. Mira hominum querela est — nescio istic; sed facies ut sciam —, sine magistratibus urbem esse, sine senatu; fugiens denique Pompeius mirabiliter homines movet. Quid quaeris? alia causa facta est; nihil iam concedendum putant Caesari. Haec tu mihi explica, qualia sint. 5. Ego negotio praesum non turbulento: vult enim me Pompeius esse, quem tota haec Campania et maritima ora habeat *ἐπίσκοπον*, ad quem delectus et summa negotii deferatur. Itaque vagus esse cogitabam. Te puto iam videre, quae sit *ὁρμὴ* Caesaris, qui populus, qui totius negotii status: ea velim scribas ad me et quidem, quoniam mutabilia sunt, quam saepissime; acquiesco enim et scribens ad te et legens tua.

si legimus: — συστοχάζομαί σοι, *tecum coniecturam capio,* de iis quae futura sunt tecum delibero.

§ 3. *ego enim ἀπορῶ. Tum nihil absurdius* ɔ: ego incertus sum, quid dicam: modo invenio nihil absurdius. Sequi debebat: *tum contrarium mihi probatur.* Id autem inest in verbis § 4: *Rursus — videtur hoc consilium exitum habiturum.*

Urbem tu relinquas? — κλέα ἀνδρῶν. Cum Pompeio colloqui se fingit. Pompeii sunt haec: „Fecit idem Themistocles; fluctum enim — non poterat." Inter *teneret nostri* cum Buechelero copulam adieci, quia non recte abest, ubi duo exempla eiusdem rei proferuntur.

Fecit idem Themistocles cet. Plutarchus in vita Pompeii 63 manifesto respexit hunc locum, quum scriberet: αἰτιᾶται δὲ καὶ Κικέρων (τὸν Πομπήϊον), ὅτι τὴν Θεμιστοκλέους ἐμιμήσατο στρατηγίαν μᾶλλον ἢ τὴν Περικλέους. Sed etsi ibid. 42 citat τὰς ἐπιστολὰς Ciceronis, Plutarchus non videtur eas legisse, sed ex aliquo rivulo utramque rem duxisse.

§ 4. *ex dolore municipali* ɔ: si considero indignationem municipiorum. — *videtur hoc consilium exitum habiturum.* „Consilium exitum habet, cum succedit, quod voluimus." Man. Nonnunquam additur aliquod adiectivum, ut Fam. II. 16, 6 *haec omnia meliores habebunt exitus.*

§ 5. Cf. Fam. XVI. 11 extr., *Nos Capuam sumpsimus.* 12, 5. *Ego adhuc orae maritimae praesum a Formiis.* — *deferatur* pro *referatur* debetur Wesenbergio.

quae sit ὁρμὴ *Caesaris* ɔ: quid Caesar velit assequi. Voc. ὁρμή saepius legitur et explicatur in Ciceronis scriptis philosophis, velut Acad. II. 24. Fin. III. 23. Off. I. 101.

XII. (*A. U. C.* 705.)

1. Unam adhuc a te epistolam acceperam, datam xii. Kal., in qua significabatur aliam te ante dedisse, quam non acceperam. Sed quaeso ut scribas quam saepissime, non modo si quid scies aut audieris, sed etiam si quid suspicabere, maximeque quid nobis faciendum aut non faciendum putes: nam quod rogas curem, ut scias quid Pompeius agat, ne ipsum quidem scire puto; nostrum quidem nemo. 2. Vidi Lentulum consulem Formiis x. Kal., vidi Libonem; plena timoris et erroris omnia. Ille iter Larinum; ibi enim cohortes et Luceriae et Teani reliquaque in Apulia. Inde utrum consistere uspiam velit an mare transire nescitur. Si manet, vereor ne exercitum firmum habere non possit; sin discedit, quo aut qua aut quid nobis agendum sit nescio. Nam istum quidem, cuius φαλαρισμὸν times, omnia teterrime facturum puto: nec eum rerum prolatio nec senatus magistratuumque discessus nec aerarium clausum tardabit. 3. Sed haec, ut scribis, cito sciemus. Interim velim mihi ignoscas, quod ad te scribo tam multa toties; acquiesco enim et tuas volo elicere litteras maximeque consilium, quid agam aut quo me pacto geram; demittamne me penitus in causam? — non deterreor periculo, sed dirumpor dolore, tam nullo consilio aut tam contra meum eonsilium gesta esse omnia — an cuncter et tergiverser et iis me dem, qui tenent, qui potiuntur? *Αἰδέομαι Τρῶας,* nec solum civis sed etiam amici officio revocor,

§ 1. *datam XII Kal.* Nomen mensis sequentis ut saepe reticetur, qui erat *Febr.* Nam haec scripta sunt brevi post exitum Ciceronis, de quo scripsit ep. 10. Conf. quoque adn. Corradi et Malaspinae. In Med. et libris ex eo descriptis *Iun.* propter sequens *in* additum videtur.

quod rogas curem, pro *quod rogas, ut curem* praeter morem Cicero scripsit, fortasse quia sequitur *ut scias.* Aequales rogandi verbo coniunctivum adiungunt, ut Caesar de bello Gall. I. 20 *rogat finem orandi faciat,* alii in Ep. ad Fam. XI. 1, 5. 9, 1. XII. 14, 4.

§ 2. *Inde* ɔ: deinde. Rarius ita ponitur apud Ciceronem. Vid. VIII. 11 D., 7. *Primum — prae me tuli,* cet. *Inde — duxi.* In Livio nihil frequentius. Vid. Drakenb. ad XLII. 55, 6.

quid nobis agendum sit, nescio. Quum Or. in priore edit. prudenter de h. l. disputasset, legitimamque structuram commendasset, quia sexcenties *sit* et *st* vel *est* permutarentur, nescio quid eum moverit, ut in alt. edit. Ciceronem dure et insolite scribentem inducere, quam unam litteram mutare maluerit. Recte Klotzius nimiam hanc religionem improbavit.

φαλαρισμόν. Paucis diebus post scribit, incertum esse *Phalarimne* Caesar an Pisistratum sit imitaturus. h. l. 20, 2. Pro *teterrime* libenter cum Fr. Schmidtio scriberem *celerrime,* quod sequentia commendant.

rerum prolatio ɔ: iustitium et negotiorum in urbe vacatio propter tumultum et belli metum.

§ 3. *acquiesco* ut sup. epist. est curis liberor, a dolore vaco. Cf. Oudendorpii Scholia p. 155. Supplendum autem ex iis, quae praecedunt: *scribens ad te.* Mox *demittamne me in causam* est locutio a militia desumpta, quum pugnaturi a loco edito in aequum descendunt.

etsi frangor saepe misericordia puerorum. 4. Tu igitur ita perturbato, etsi te eadem sollicitant, scribe aliquid, et maxime, si Pompeius Italia cedit, quid nobis agendum putes. M'. quidem Lepidus — nam fuimus una — eum finem statuit, L. Torquatus eundem: me quum multa, tum etiam lictores impediunt. Nihil vidi unquam, quod minus explicari posset: itaque a te nihildum certi exquiro, sed quid videatur; denique ipsam *ἀπορίαν* tuam cupio cognoscere. 5. Labienum ab illo discessisse propemodum constat. Si ita factum esset, ut ille Romam veniens magistratus et senatum Romae offenderet, magno usui causae nostrae fuisset; damnasse enim sceleris hominem amicum rei publicae causa videretur, quod nunc quoque videtur, sed minus prodest: non enim habet, cui prosit, eumque arbitror paenitere, nisi forte id ipsum est falsum discessisse illum; nos quidem pro certo habebamus. 6. Et velim, quamquam, ut scribis, domesticis te finibus tenes, formam mihi urbis exponas, ecquod Pompeii desiderium, ecquae Caesaris invidia appareat; etiam quid censeas de Terentia et Tullia, Romae eas esse an mecum an aliquo tuto loco. Et haec et si quid aliud ad me scribas velim vel potius scriptites.

puerorum, ut saepe, M. et Q. filii.

§ 4. *Tu igitur.* Scripsi cum Pio; vulgo *Ut*, quod supervacaneum est.

eum finem statuit ɔ: non ultra Pompeium sequi debere nos censet. Locutionem illustr. Gronovius ad Livii XLV. 39, 10. — Ad ea: *Me — lictores impediunt* Manutius haec adscripsit ex epistola ad Caelium (Fam. II. 16, 2): *Accedit etiam molesta haec pompa lictorum meorum nomenque imperii, quo appellor. Eo si onere carerem, quamvis parvis Italiae latebris contentus essem. Sed incurrit haec nostra laurus non solum in oculos, sed iam etiam in voculas malevolorum.*

§ 5. *magistratus et senatum.* Codd. *magistratum.* Sed antiqui scriptores de pluribus loquentes singulari numero non utuntur. Correxit Wesenbergius, Emend. p. 25.

Romae tantillo spatio post *Romam* vix a Cicerone additum puto.

non enim habet, cui prosit ɔ: Pompeiani, ad quos accedere vult, iam sunt in fuga.

eumque arbitror paenitere ɔ: quum Pompeiani in fuga sint, puto Labienum facti sui paenitere. Ipsum verbum *paenitere* vetat ne hoc de Caesare dictum putemus, ut fecit C. Nisard in adn. ad hanc ep.

§ 6. *formam urbis exponas* ɔ: describe mihi praesentem conditionem rerum urbanarum, quid illi sentiant et loquantur, qui in urbe sint. cf. Fam. III, 11, 4: *Ad me quasi formam communium temporum et totius rei publicae misisti expressam.* II. 8, 1. Att. VI. 3, 4.

Caesaris invidia opposita *Pompeii desiderio*, est odium. Rogat sitne Caesar in odio propter fugam senatus.

quid censeas de Terentia, cet. Cf. epist. a. d. VIII Kal. Febr. Minturnis data ad Terentiam et Tulliam, Fam. XIV. 14.

XIII. a. (*A. U. C.* 705.)

1. De Vennonianis rebus tibi assentior. Labienum *ἥρωα* iudico: facinus iamdiu nullum civile praeclarius; qui, ut aliud nihil, hoc tamen profecit: dedit illi dolorem. Sed etiam ad summam profectum

aliquid puto. Amo etiam Pisonem, cuius iudicium de genero suspicor visum iri grave. Quamquam genus belli quod sit vides: ita civile est, ut non ex civium dissensione, sed ex unius perditi civis audacia natum sit; is autem valet exercitu, tenet multos spe et promissis, omnia omnium concupivit. Huic tradita urbs est, nuda praesidio, referta copiis. Quid est, quod ab eo non metuas, qui illa templa et tecta non patriam sed praedam putet? quid autem sit acturus aut quo modo nescio, sine senatu, sine magistratibus: ne simulare quidem poterit quicquam πολιτικῶς. Nos autem ubi exsurgere poterimus aut quando? quorum dux quam ἀστρατήγητος, tu quoque animadvertis, cui ne Picena quidem nota fuerint; quam autem sine consilio, res testis: ut enim alia omittam decem annorum peccata, quae conditio non huic fugae praestitit? 2. Nec vero nunc quid cogitet scio, ac non desino per litteras sciscitari. Nihil esse timidius constat, nihil perturbatius; itaque nec praesidium, cuius parandi causa ad urbem retentus est, nec locum ac sedem praesidii ullam video. Spes omnis in duabus insidiose retentis, paene alienis legionibus; nam delectus adhuc quidem invitorum est et a pugnando abhorrentium, conditionum autem amissum tempus est. Quid futurum sit, non video; commissum quidem a nobis certe est sive a nostro duce, ut e portu sine guber-

§ 1. *De Vennonianis rebus* nihil constat. C. Vennonius nominatur VI. 1, 25. 3, 5.

Labienum, cet. De iisdem rebus a. d. VIII Kal. Febr. haec scribit uxori (Fam. XIV. 14): *Labienus rem meliorem fecit. Adiuvat etiam Piso, quod ad urbe discedit et sceleris condemnat generum suum* (Caesarem).

ita civile est, ut — natum sit. Forma dicendi restrictiva, quam multis exemplis Tullianis illustravit Ellendtius ad Brut. 195. Addo p. Rosc. Am. 55. *Accusatores multos esse in civitate utile est, ut metu contineatur audacia: verumtamen hoc ita est utile, ut ne plane illudamur ab accusatoribus.* Ibid. 72. *Ita vivunt, ut ducere animam de caelo non queant,* cet. p. Sulla 61. *Qui ita de suffragiis cum colonis dissenserunt, ut idem de communi salute sentirent.* Mur. § 58. de Or. II. 16. *Tum Caesar, equidem, inquit, Crasse, ita sum cupidus in illa longiore te ac perpetua disputatione audiendi, ut, si id mihi minus contingat, vel hoc sim quotidiano tuo sermone contentus:* quae verba sane stulta sunt, ut videbantur Bakio, Schol. Hypomn. vol. II. p. 122, si *ita sum cupidus — audiendi* explicantur *tam vehementer cupio audire.* Nimirum Caesar hoc dicit: Cupio equidem te audire in longiore disputatione, sed ita tamen cupio, ut vel familiari sermone contentus sim futurus. Bakius in editione operis de Orat. recte illam dubitationem abiecit. Post *ut* etiam additur *tamen*, ut p. Sulla 42. *Quum scirem ita indicium in tabulas publicas relatum, ut illae tabulae privata tamen custodia continerentur.*

sine magistratibus. Correxit Wesenbergius, ut ep. praec § 5. Error natus e compendio *mag.* non recte expleto.

cui ne Picena quidem nota fuerint. Picena „res in Piceno gestae." Haec Pii adnotatio, in quam quilibet sponte incideret, Orellium revocare debuerat a mutandi libidine. Turpe Pompeio nescire, quae tum in Piceno a Caesarianis et suis agerentur. Cf. ep. 16, 2.

§ 2. *cuius parandi causa ad urbem retentus est.* Male Kochius haec temptavit scribens: *ab urbe profectus est.* Immo illis verbis indicatur, Pompeium non abiisse in provinciam suam Hispaniam.

Spes omnis in duabus — legionibus, Caesari

21*

naculis egressi tempestati nos traderemus. 3. Itaque de Ciceronibus nostris dubito quid agam; nam mihi interdum amandandi videntur in Graeciam; de Tullia autem et Terentia, quum mihi barbarorum adventus proponitur, omnia timeo, quum autem Dolabellae venit in mentem, paullum respiro. Sed velim consideres, quid faciendum putes: primum πρὸς τὸ ἀσφαλές — aliter enim mihi de illis ac de me ipso consulendum est —, deinde ad opiniones, ne reprehendamur, quod eas Romae velimus esse in communi bonorum fuga. Quin etiam tibi et Peducaeo — scripsit enim ad me —, quid faciatis, videndum est; is enim splendor est vestrum, ut eadem postulentur a vobis, quae ab amplissimis civibus. Sed de hoc tu videbis, quippe quum de me ipso ac de meis te considerare velim. 4. Reliquum est ut et quid agatur, quoad poteris, explores scribasque ad me, et quid ipse coniectura assequare, quod etiam a te magis expeto. Nam acta omnibus nuntiantibus a te exspecto futura: μάντις δ' ἄριστος. Loquacitati ignosces, quae et me levat ad te quidem scribentem et elicit tuas litteras. 5. Aenigma [Oppiorum ex Velia] plane non intellexi; est enim numero Platonis obscurius. Iam intellexi tamen. Oppios enim »de Velia saccones" dicis. In eo aestuavi diu; quo aperto, reliqua patebant et cum Terentiae summa congruebant.

specie belli Parthici detractis. Rem narrat Hirtius de B. G. VIII. 54 sq. Cf. Caes. de B. C. I. 2. 9. 11.

§ 3. *aliter mihi de illis ac de me ipso consulendum est* ɔ: alia consilia capienda sunt, quum illarum, alia quum mea res agitur. In illis salutis tantum, in me dignitatis quoque ratio habenda est.

§ 4. *magis expeto.* Sequor scripturam libri Medicei, ab editoribus neglectam. Nam *expeto* huic loco magis convenit; *exspecto* in seq. sententia suum locum tenet.

μάντις δ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς. Senarium Euripideum vertit Cicero de Divin. II. 12. *Bene qui coniiciet, vatem hunc perhibebo optimum.*

§ 5. Hinc novae epistolae initium vulgo faciunt. Cicero superiora ipse scripsit; infra excusat se, quod epistola quam dictavit non sit longior. Hanc ego § superioribus adiiciendam censeo. Sunt autem in his plura vitia. Primum verba *Oppiorum ex Velia* e seqq. male huc traducta sunt. Continent enim ipsam aenigmatis solutionem, quam Cicero deinde profert. Scripsit, ut Gronovius partim monuit: *Aenigma tuum paene non intellexi; est enim numeris Platonis obscurius.* Plato e Pythagorica disciplina *numeros* didicerat, non *numerum.* Cf. de Repb. I. 16. Fin. I. 72. *Iam intellexi tamen. Oppios enim de Velia saccones dicis.* Atticus non nominarat Oppios, sed appellarat *de Velia saccones,* illud quia erant eius contubernales in Velia, cf. VIII. 7, 3. X. 7, 3, hoc a *saccis,* quibus illi faeneratores vel argentarii pecuniam servabant. *Saccones,* ut est in Med., neque auctore Bosio in *succones,* neque e coni. Ursini, quam Gronovius amplexus est, in *salacones* mutaverim.

reliqua patebant. „Haec duplicem admittunt sententiam et utramque huic loco necessariam. Significant enim, et cetera manifesta erant et agnoscebatur debitum. p. Rosc. Com. 5 *hoc nomen — in adversariis patere contendit.* Phil. II. 93 *ubi est septies milies, quod in tabulis — patebat.* Catull. 28, 6 *ecquidnam in tabulis patet lucelli expensum?"* I. F. Gronovius.

XIII. b. (*A. U. C.* 705.)

1. L. Caesarem vidi Minturnis a. d. VIII. Kal. Febr. mane cum absurdissimis mandatis, non hominem, sed scopas solutas, ut id ipsum mihi ille videatur irridendi causa fecisse, qui tantis de rebus huic mandata dederit, nisi forte non dedit et hic sermone aliquo arrepto pro mandatis abusus est. 2. Labienus, vir mea sententia magnus, Teanum venit a. d. IX. Kal.; ibi Pompeium consulesque convenit. Qui sermo fuerit et quid actum sit scribam ad te, quum certum sciam. Pompeius a Teano Larinum versus profectus est a. d. VIII. Kal.; eo die mansit Venafri: iam aliquantum animi videtur nobis attulisse Labienus. Sed ego nondum habeo, quod ad te ex his locis scribam; ista magis exspecto, quid illim afferatur, quo pacto de Labieno ferat, quid agat Domitius in Marsis, Iguvii Thermus, P. Attius Cinguli, quae sit populi urbani voluntas, quae tua coniectura de rebus futuris; haec velim crebro et quid tibi de mulieribus nostris placeat et quid acturus ipse sis scribas. Si scriberem ipse, longior epistola fuisset, sed dictavi propter lippitudinem.

§ 1. *L. Caesarem* cet. Hic adolescens Arimini Caesarem convenerat cum Pompeii mandatis privatis. Cum L. Roscio Fabato praetore Caesaris postulata inde ad Pompeium detulit, quae inveniuntur apud Caes. B. C. I. 9. Summa eorum, quae Pompeius respondit, refertur ibid. 10 et ep. seq. 1.

non hominem, sed scopas solutas. In proverbio erat, scopas dissolvere, quod usurpabant de eo, qui inanes res agebat Cf. Orat. 235. Itaque hominem fatuum, nullius usus, appellat scopas solutas.

§ 2. *quum certum sciam.* Sic de Leg. I. 52 *quae quamdiu adfutura sint, certum sciri nullo modo potest.* Fam. IX. 23 *quum certum sciam.* Att. XII. 23, 2 *opinor, sed certum nescio.* Simile est: *ad te falsum scripseram* ep. seq. 2, ubi cave *falsum* adverbium putes. Cf. Zumpt. ad Verr. II. 66.

iam aliquantum animi. Scripsi de correctione Buecheleri. Med. enim habet *venafriam.* Idem narratur in ep. 16, 2 h. l.

illim ɔ: ex illis locis, ubi Caesar nunc est. In Med. scriptum erat *illin,* ex correctione additum est *c.* Praestat *illim,* ut IX. 14, 2. XI. 17, 3. Sic in ep. 21, 1 quum pro *istim* in Med. *istum* esset exaratum, inde factum est *istinc.*

quid agat Domitius, cet. Ad haec omnia respondet Caesar B. C. I. 12 seqq.

XIV. (*A. U. C.* 705.)

1. A. d. VI. Kal. Febr. Capuam Calibus proficiscens, quum leviter lippirem, has litteras dedi. L. Caesar mandata Caesaris detulit ad Pompeium a. d. VIII. Kal., quum is esset cum consulibus Teani:

§ 1. *Teani.* Caesar B. C. I. 8—10 narrat L. Caesarem adolescentem cum Pompeii mandatis ad Caesarem venisse, eademque fere attulisse praetorem Roscium, hunc deinde cum mandatis Caesaris Capuam venisse ibique consulibus et Pompeio renuntiasse.

probata conditio est, sed ita, ut ille de iis oppidis, quae extra suam provinciam occupavisset, praesidia deduceret; id si fecisset, responsum est ad urbem nos redituros esse et rem per senatum confecturos. Spero posse in praesentia pacem nos habere; nam et illum furoris et hunc nostrum copiarum suppaenitet. 2. Me Pompeius Capuam venire voluit et adiuvare delectum, in quo parum prolixe respondent Campani coloni. Gladiatores Caesaris, qui Capuae sunt, de quibus ante ad te falsum ex A. Torquati litteris scripseram, sane commode Pompeius distribuit binos singulis patribus familiarum. Scutorum in ludo IↃↃ. fuerunt. Eruptionem facturi fuisse dicebantur. Sane multum in eo rei publicae provisum est. 3. De mulieribus nostris, in quibus est tua soror, quaeso videas ut satis honestum nobis sit eas Romae esse, quum ceterae illa dignitate discesserint. Hoc scripsi ad eas et ad te ipsum antea. Velim eas cohortere ut exeant, praesertim quum ea praedia in ora maritima habeamus, cui ego praesum, ut in iis pro re nata non incommode possint esse; nam si quid offendimus in genero nostro

Spero posse in praesentia pacem nos habere. Dedi ex mea coniectura. Libri Mss. habent *spero esse* cet. in quo emendando infelices fuerunt critici. *Spero posse* cum inf. praesentis temporis saepe invenitur, ubi infin. futuri temporis exspectaris. Exempla peti possunt ex Haasii adnot. ad Reisigii scholas 452. Moserus Symb. Crit. V. 13 in eandem emendationem incidit, sed, ut solet, de veritate dubitat. Itemque Buechelerus in Mus. Rhen. XIII. p. 589. *Esse* et *posse* saepius permutantur, ut Fam. IX. 16, 5, ubi pro inepto *fac esse omnia* W. egregie emendavit *fac posse omnia*. *In praesentia* = hoc tempore, est locutio apud bonos scriptores usitata. Cf. XVI. 13 c. 2. Handii Turs. III. p. 288 seq.

§ 2. *in quo parum prolixe respondent.* Respondere vocabulum legitimum est, de iis qui citati adsunt, ut nomen militiae dent.

Gladiatores Caesaris — Pompeius distribuit. Caesar de B. C. I. 14 id non a Pompeio, sed a Lentulo factum narrat, fortasse ductus odio hominis, quem ad suam causam perducere frustra conatus erat. Cf. VIII. 9, 4 et 11, 5.

scripseram. Ea epistola periit. *Torquati* praenomen in Med. abest, sed a Cratandro additum est.

patribus familiarum. Nonnulli genetivi familias pluralem postulabant, ubi de pluribus patribus sermo erat, ut Sisenna apud Varronem de L. L. VIII. 73. Cf. Reisigii Schol. § 88 ibique Haasii adn. 141.

Scutorum in ludo IↃↃ fuerunt. Quamvis mirum sit *scuta* tantum memorari, non *tela*, ut in simili Milonianae loco § 64, acquiescendum tamen in hac lectione cum Orellio et Heinrichio ad Iuven. Vol. II. p. 341. Nam multo magis mirandum esset, si aut illi gladiatores omnes fuissent *secutores*, aut si ex omnibus hos tantum indicaret. Quis denique concedat Caesari fuisse quinque milia gladiatorum in ludo Campano? Nam numerum in Med. prolatum IↃↃ retinere debemus, quum, quod cod. Z praebere dicitur, CIↃ sublesta Bosii fide nitatur.

provisum est. Quod notatur e Med. *profixum est* sane ducit ad *profectum est*, quod Or. hic scriptum fuisse coniecit. Cf. VIII. 9, 2. *Utinam aliquid profectum esset.* Sed propter consensum antiq. editt. *provisum* retinui.

§ 3. *quaeso videas ut satis honestum sit.* In his pro *ut* scribendum esse *num* indicamus vel *ut* deleto corrigendum *satin.* Nam *videre ut* pro videre quam vel quomodo, quod legimus de imp. Cn. Pomp. 68 et de leg. agr. I. 2, hoc loco non aptum est. Requiritur interrogandi particula.

si quid offendimus in genero nostro Ↄ: si quid deliquisse videmur eo, quod Dolabella cum Caesare est. *Offendere* in h. l., ut Fam. II. 18, 3 est verbum transitivum, nostrum

— quod quidem ego praestare non debeo — † sed id fit maius, quod mulieres nostrae praeter ceteras Romae remanserunt. Tu ipse cum Sexto scire velim quid cogites de exeundo de totaque re quid existimes. Equidem ad pacem hortari non desino, quae vel iniusta utilior est quam iustissimum bellum cum civibus. Sed haec, ut fors tulerit.

aanstoot geven, et passive dicitur *offenditur in aliquo,* ut Verr. L. I. 64. Sed idem verbum quoque intransitive dicitur, ut sit nostrum *zich stooten aan iemand,* improbare aliquem, velut ad Q. fr. I. 1, 14: *si quis est, in quo iam offenderis.* Mil. 99 *si in me aliquid offendistis.* Caes. B. C. II. 32 *si Caesarem probatis, in me offenditis.*

quod — ego praestare non debeo ɔ: cuius rei periculum non est in me recipiendum, quae culpa in me non potest recidere. Cf. II. 16, 2. Fam. IX. 16, 3, alia. I. F. Gronovii lect. Tull. a Suringario editae p. 10.

sed id fit maius. Merito haerent in particula *sed.* Multi eiecerunt. Orellius post parenthesin suo loco positam iudicabat; sed tum Cicero scribere debuerat *sed si quid offendimus, id fit maius.* Igitur vel cum Mosero Symb. Crit. V. 13 statuendum illa tria verba excidisse, vel *sed* mutandum in *eo,* quod ad comparativum paene necessarium est. Cff. Obs. crit. meae p. 53.

Equidem ad pacem hortari non desino. Saepius postea Cicero inculcat hac se tum mente fuisse, ut in Ligariana 28 *Pacis equidem semper auctor fui,* ubi plura collegit Soldanus. — Scripsit autem sine dubio, quod e mg. Crat. notatur *ad pacem hortari.* Nunquam enim hoc verbum cum accusativo obiecti construxit, praeterquam in pronominibus, ut supra VI. 2 *quod quidem illum soleo hortari.* VIII. 9, 1 *id quod eum hortarer.* Sed in eadem sententia praecedit: *Quum autem ad pacem hortarer* et statim sequitur: *quum eum ad salutem patriae hortabar.* Cf. quoque VII. 21, 3 *Ipse me Caesar ad pacem hortatur.* Fecerunt poetae et seriores scriptores, ut Iust. XIV. 1, 5 *bellum hortari,* Tac. Ann. XI. 3 *hortantibus inediam,* ubi vid. Gronovius. In Nepotis Dat. 8, 5 ubi vulgo editur: *Autophradates — pacem amicitiamque hortatus est, ut cum rege in gratiam rediret,* verba *pacem amicitiamque* aut cum J. A. Bosio delenda sunt, aut cum Cobeto scribendum: — *rediret et pacem amicitiamque (coniungeret).*

Cum Sexto Peducaeo. Cf. ep. 13 *a,* 3. Saepius idem in his epistolis solo praenomine designatur.

cum civibus. Haec absunt a Med. 1. Addidi ex edit. Crat. et Lamb., ubi e codd. CZ. accesserunt. In marg. Med. librarii errore scriptum est *in civibus.*

XV. (*A. U. C.* 705.)

1. Ut ab urbe discessi, nullum adhuc intermisi diem, quin aliquid ad te litterarum darem, non quo haberem magno opere, quod scriberem, sed ut loquerer tecum absens, quo mihi, quum coram id non licet, nihil est iucundius. 2. Capuam quum venissem a. d. VI. Kal. pridie quam has litteras dedi, consules conveni multosque nostri ordinis: omnes cupiebant Caesarem abductis praesidiis stare conditionibus iis, quas tulisset; uni Favonio leges ab illo nobis imponi non placebat, sed is haud auditus (est) in consilio. Cato enim ipse iam

§ 2. *is haud auditus in consilio.* Negatio quum a libris Mss. absit, ingeniose Malaspina *is* in *vix* mutari voluit. Sed quod Bosius inseruit *haud,* et facilius omitti potuit et aptius est, quum indicet Favonium omnino auditum non esse. Pius e vetustis codd.

servire quam pugnare mavult, sed tamen ait in senatu se adesse velle, quum de conditionibus agatur, si Caesar adductus sit, ut praesidia deducat: ita, quod maxime opus est, in Siciliam ire non curat, quod metuo ne obsit, in senatu esse vult. Postumius autem, de quo nominatim senatus decrevit, ut statim in Siciliam iret Furfanioque succederet, negat se sine Catone iturum, et suam in senatu operam auctoritatemque [quam] magni aestimat. Ita res ad Fannium pervenit: is cum imperio in Siciliam praemittitur. 3. In disputationibus nostris summa varietas est: plerique negant Caesarem in conditione mansurum postulataque haec ab eo interposita esse, quo minus, quod opus esset ad bellum, a nobis pararetur; ego autem eum puto facturum ut praesidia deducat; vicerit enim, si consul factus erit, et minore scelere vicerit, quam quo ingressus est. Sed accipienda plaga est: sumus enim flagitiose imparati quum a militibus, tum a pecunia, quam quidem omnem, non modo privatam, quae in urbe est, sed etiam publicam, quae in aerario est, illi reliquimus. Pompeius ad legiones

affert: *sed is adhibitus non est in consilio,* quod recepissem, si revera in codice esset inventum.

quum de conditionibus agatur. Sermo est de re futura. *ait — se adesse velle* = ait se adfuturum. Itaque requiritur fut. *agetur.*

in Siciliam ire non curat. Postea tamen M. Cato in provinciam profectus est, sed adventu Curionis cum tribus legionibus a Caesare missi fugit. Caes. B. C. I. 30.

[quam] magni aestimat. Particulae *quam, quamvis* et *sane quam* cum adiectivis et adverbiis coniunctae earum vim augent. Vid. praeter alios Ruhnk. ad Ter. Andr. I. 1, 109. Sed quaeritur fueritne consuetudinis Tullianae *quam* componere cum adiectivi positivo. Licet dubitare. Hoc loco inter *que m* facile e geminatione oriri potuit. Quem Graevius laudat ut Ciceronis locum ex ep. ad Fam. XI. 13 Bruti est et diversi generis. Att. XIV. 19, 1 ubi vulgatur *quam mihi iucundum,* Moserus Symb. Crit. VI. p. 10 coniecit: *Perquam mihi iucundum,* et eodem libro 9, 2 pro *Itaque quam severe* praestat *Itaque tam severe* cet. Haec me moverunt, ut vocem dubiam secluderem. Manutius omisit.

§ 3. *plerique negant Caesarem in cond. mansurum, postulataque haec ab eo interposita esse* nempe dicunt, quod e *negant* eliciendum est. Ellipticam loquendi rationem multi explicarunt, in quibus Fritzschium, Quaestt. Luc. p. 131 sq., Ochsnerum ad Ecl. Tull. p. 168, Kritzium ad Sall. Iug, 106, 3. Ellendtium ad Cic. de Or. II. p. 43 sq. Madvigium ad Fin. II. 25 indicasse satis habeo.

in conditione. Immo *in conditionibus,* ut modo *stare conditionibus* et *quum de conditionibus agatur. In conditione manere* esset *in suo statu manere,* quod ineptam sententiam efficeret. cf. Liv. VIII. 21.

eum puto facturum ut — deducat. Aliquanto gravius hoc est, quam si scripsisset: *eum puto praesidia esse deducturum.* Cf. III. 7, 2 *non faciam ut enumerem miserias omnes.* XI. 23, 2 *eo feci ut celeriter eunti (litteras) darem.* Ibid. 15. 3 *non faciam ut tuum animum angam querelis.* Pleonasmum illustrarunt multi, quos citat Kritzius ad Sall. Cat. 52, 23. Bene eius usum definivit Bakius in Mnemos. IX p. 301 sq. Non multum diversum est *non committere ut,* quod est infra VIII. 3, 7. XV. 11, 3 et saepe alias.

imparati a militibus. Vid. ad I. 1, 2.

ad legiones † Attianas. In hac voce vitium latet. Nam P. Attii, quem supra legimus Cinguli fuisse, ep. 13 *b*, 2, *legiones* nullae fuerunt, *cohortes,* quibus Auximum tenuit, a Caesaris copiis victae ad hunc transierunt. Caes. B. C. I. 13. Attius ille Varus deinde in Africam traiecit, ibique delectu habito

† Attianas est profectus; Labienum secum habet. Ego tuas opiniones de his rebus exspecto. Formias me continuo recipere cogitabam.

duas legiones effecit, ibid. 31. Sed illas legiones nec hic, nec in ep. 20, 1 nominari posse manifestum est. Neque hic cogitandum est de Attio Peligno, qui Sulmonem VII cohortium praesidio tenebat. Caes. B. C. I. 18. Probabiliter contra Lipsius suspicatus est designari duas legiones, quae per speciem belli Parthici a Caesare abductae erant et Pompeio traditae, quae *Appianae* dici poterant a legato, qui eas adduxerat e Gallia. Vid. Plut. in Pomp. 57 πρὸς δὲ τούτοις Ἄππιος ἀφίκετο κομίζων ἐκ Γαλατίας, ἣν ἔχρησε Πομπήϊος Καίσαρι στρατιάν.

XVI. (*A. U. C.* 705.)

1. Omnes arbitror mihi tuas litteras redditas esse, sed primas praepostere, reliquas ordine, quo sunt missae per Terentiam. De mandatis Caesaris adventuque Labieni et responsis consulum ac Pompeii scripsi ad te litteris iis, quas a. d. v. Kal. Capua dedi, pluraque praeterea in eandem epistolam conieci. 2. Nunc has exspectationes habemus duas: unam, quid Caesar acturus sit, quum acceperit ea, quae referenda ad illum data sunt L. Caesari, alteram, quid Pompeius agat, qui quidem ad me scribit paucis diebus se firmum exercitum habiturum spemque affert, si in Picenum agrum ipse venerit, nos Romam redituros esse. Labienum secum habet non dubitantem de imbecillitate Caesaris copiarum, cuius adventu Cnaeus noster multo animi plus habet. Nos a consulibus Capuam venire iussi sumus ad Nonas Febr. Capua profectus sum Formias a. d. III. Kal. Eo die quum Calibus tuas litteras hora fere nona accepissem, has statim dedi. 3. De Terentia et Tullia tibi assentior, ad quas scripseram, ad te ut referrent; si nondum profectae sunt, nihil est quod se moveant, quoad perspiciamus quo loci sit res.

§ 3. *ad te ut referrent* ɔ: ut sententiam tuam rogarent tuoque consilio uterentur. Cf. III. 24, 2. XVI. 3, 6. Fam. III. 8, 5. XII. 2 extr.

XVII. (*A. U. C.* 705.)

1. Tuae litterae mihi gratae iucundaeque sunt. De pueris in Graeciam transportandis tum cogitabam, quum fuga ex Italia quaeri videbatur; nos enim Hispaniam peteremus, illis hoc aeque commodum

§ 1. *Tuae litterae — sunt.* Ern. merito observat hic, ubi non de litteris Attici universe agitur, sed de iis, quas Cicero proxime acceperat, potius dicendum fuisse *fuerunt.*

non erat. Tu ipse cum Sexto etiamnunc mihi videris Romae recte esse posse: etenim minime amici Pompeio nostro esse debetis; nemo enim unquam tantum de urbanis praediis detraxit. Videsne me etiam iocari? 2. Scire iam te oportet L. Caesar quae responsa referat a Pompeio, quas ab eodem ad Caesarem ferat litteras; scriptae enim et datae ita sunt, ut proponerentur in publico; in quo accusavi mecum ipse Pompeium, qui, quum scriptor luculentus esset, tantas res atque eas, quae in omnium manus venturae essent, Sestio nostro scribendas dederit: itaque nihil unquam legi scriptum *σηστιωδέστερον*. Perspici tamen ex litteris Pompeii potest nihil Caesari negari omniaque ei cumulate, quae postulet, dari, quae ille amentissimus fuerit, nisi acceperit, praesertim quum impudentissime postulaverit; quis enim tu es, qui dicas: »Si in Hispaniam profectus erit, si praesidia dimiserit?" tamen conceditur: minus honeste nunc quidem, violata iam ab illo re publica illatoque bello, quam si olim de ratione habenda impetrasset, et tamen vereor, ut his ipsis contentus sit. Nam quum ista mandata dedisset L. Caesari, debuit esse paullo quietior, dum responsa referrentur; dicitur autem nunc esse acerrimus. 3. Trebatius quidem scribit se ab illo IX. Kal. Febr. rogatum esse, ut scriberet ad me, ut essem ad urbem; nihil ei me gratius facere posse: haec verbis plu-

nemo — detraxit. Urbe sine praesidio relicta, quamdiu metuebant, ne Caesar hostili animo ad eam accederet proscriptionesque Sullanas instauraret, praediorum urbanorum pretia insigniter fuisse deminuta, facile intelligitur. Hoc nunc Pompeio vitio vertit. In Med. male scriptum *praesidiis.*

§ 2. *mecum* ɔ: apud me, tacite, non coram aliis. In eiusmodi locutionibus saepe additur *ipse,* quod tamen hic cum Ernesto non suo loco positum arbitror, scribendumque: *in quo accusavi mecum Pompeium, qui, quum ipse scriptor luc. esset,* cet. — De voc. *luculentus* monui ad II. 12, 4.

σηστιωδέστερον, magis Sestianum, quod magis Sestii ingenium referat. Sestiana dicta in se conferri nolebat Cicero, Fam. VII. 32, 1, eiusque scripta perstrinxit Catullus in carm. 44. Quem autem appellat *Sestium nostrum,* neminem alium esse, nisi P. Sestium, L. F., cuius multa in his epistolis mentio est et quem Cicero a. 698 in iudicio defenderat, constat. Fuerit paulo ante in Cilicia, ut efficitur ex ep. 20, V. Fam. § 5; nunc ad Pompeium accurrerat, et *cum imperio* erat in Italia. Vid. Att. VIII. 15, 3.

omniaque ei cumulate — dari. Vulgo *et* pro *ei.* Correxit Kochius l. c. p. 274.

Si in Hispaniam profectus erit, si praesidia dimiserit. His conditionibus Caesar ab armis se discessurum promiserat. En ipsius verba: *Proficiscatur Pompeius in suas provincias, ipsi exercitus dimittant,* cet. de B. C. I. 9, — Quamvis autem illae conditiones durae sint et iniquae, *tamen conceditur.* Male distinxit Orellius; peius e scriptura cod. Med. nondum correcta *a me non conceditur* Kochius coniecit: *Omnino conceditur minus honeste nunc quidem* cet.

debuit esse p. quietior ɔ: debuit reprimere impetum, paulisper se continere; at est *acerrimus* ɔ: omni vi bellum adornat copiasque promovet. Cf. ep. 18, 2.

§ 3. *haec verbis plurimis.* Consentiunt in hac lectione codices noti omnes et recte sic dici nemo negat. Et tamen fuerunt, qui *pluribus* necessarium putarent. Quid facias homine, qui contendat dicendum esse *vrij uit-*

rimis. Intellexi ex dierum ratione, ut primum de discessu nostro Caesar audisset, laborare eum coepisse, ne omnes abessemus. Itaque non dubito, quin ad Pisonem, quin ad Servium scripserit: illud admiror non ipsum ad me scripsisse, non per Dolabellam, non per Caelium egisse, quamquam non aspernor Trebatii litteras, a quo me unice diligi scio. 4. Rescripsi ad Trebatium — nam ad ipsum Caesarem, qui mihi nihil scripsisset, nolui —, quam illud hoc tempore esset difficile; me tamen in praediis meis esse neque delectum ullum neque negotium suscepisse: in quo quidem manebo, dum spes pacis erit; sin bellum geretur, non deero officio nec dignitati meae, pueros ὑπεκθέμενος in Graeciam. Totam enim Italiam flagraturam bello intelligo: tantum mali excitatum est partim ex improbis, partim ex invidis civibus. Sed haec paucis diebus ex illius ad nostra responsa responsis intelligentur, quorsum evasura sint: tum ad te scribam plura, si erit bellum; sin autem etiam indutiae, te ipsum, ut spero, videbo. 5. Ego IIII. Non. Febr., quo die has litteras dedi, in Formiano, quo Capua redieram, mulieres exspectabam, quibus quidem scripseram tuis litteris admonitus, ut Romae manerent, sed audio maiorem quendam in urbe timorem esse. Capuae Non. Febr. esse volebam, quia consules iusserant. Quicquid huc erit a Pompeio allatum, statim ad te scribam, tuasque de istis rebus litteras exspectabo.

voerig, tibi *zeer uitvoerig* eripiat? Cf. Osannum in Cic. de Repb. I. 12. *Haec plurimis a me verbis dicta sunt* mutationem reiicientem.

ex dierum ratione ɔ: „computatis diebus, quo ille Trebatium haec scribere ad me iussit, et quo Pompeium et consules ab urbe discessisse nuntiatum est Caesari." Gronovius.

§ 4. *Partim ex improbis, partim ex invidis civibus.* Pro *ex* — *ex* non dubito, quin *ab* — *ab* scribendum sit.

Sin autem etiam indutiae. Ingeniose Schuetzius: *Sin pax aut etiam iuduciae.* Wes. *Sin aut pax aut etiam indutiae.*

XVIII. (*A. U. C.* 705.)

1. IIII. Non. Febr. mulieres nostrae Formias venerunt tuaque erga se officia plena tui suavissimi studii ad me pertulerunt. Eas ego, quoad sciremus, utrum turpi pace nobis an misero bello esset utendum, in Formiano esse volui et una Cicerones; ipse cum fratre Capuam ad consules — Nonis enim adesse iussi sumus — III. Non. profectus sum, quum has litteras dedi. Responsa Pompeii grata populo et probata contioni esse dicuntur: ita putaram. Quae quidem ille si re-

pudiarit, iacebit; si acceperit.... »Utrum igitur," inquies, »mavis?" Responderem, si quemadmodum parati essemus, scirem. 2. Cassium erat hic auditum expulsum Ancona eamque urbem a nobis teneri: si bellum futurum est, negotium utile. Caesarem quidem L. Caesare cum mandatis de pace misso tamen aiunt acerrime delectum habere, loca occupare, vinciri praesidiis. O perditum latronem! o vix ullo otio compensandam hanc rei publicae turpitudinem! Sed stomachari desinamus, tempori pareamus, cum Pompeio in Hispaniam eamus: haec optima in malis, quoniam illius alterum consulatum a re publica ne data quidem occasione repulimus. Sed haec hactenus. 3. De Dionysio fugit me ad te antea scribere, sed ita constitui, exspectare responsa Caesaris, ut, si ad urbem rediremus, ibi nos exspectaret; sin tardius id fieret, tum eum arcesseremus. Omnino quid ille facere debuerit in nostra illa fuga, quid docto homine et amico dignum fuerit, quum praesertim rogatus esset, scio, sed haec non nimis exquiro a Graecis: tu tamen videbis, si erit, quod nolim, arcessendus, ne molesti simus invito. 4. Quintus frater laborat, ut tibi, quod debet, ab Egnatio solvat; nec Egnatio voluntas deest nec parum locuples est, sed quum tale tempus sit, ut Q. Titinius — multum enim est nobiscum — viaticum se neget habere idemque debitoribus suis denuntiarit, ut eodem faenore uterentur, atque hoc idem etiam L. Ligus fecisse dicatur, nec hoc tempore aut domi nummos Quintus habeat aut exigere ab Egnatio aut versuram usquam facere possit, miratur

§ 1. *si acceperit*....... Reticet, quod vix audet scribere: *pax turpis consequetur*, pacem habebimus parum honestam.

§ 2. *Cassium*. Q. Cassium, qui paullo ante ad Caesarem profectus erat. Cf. Fam. XVI. 11, 2.

Vinciri praesidiis potest ad ipsum Caesarem referri. Frustra editores recentiores activum verbum Ciceroni obtrudunt. *Loca praesidiis vincire* nemo dixit, nec dicere potuit. Si hoc voluisset, Cicero scripsisset: *munire praesidiis*, ut Cat. I. 8. Sest. 78, quod Gronovius hic reponendum censuit.

haec optima in malis. Scripsi de Lipsii coni. Extremis litteris ob similitudinem sequentium IN MA omissis, ex OPT librarii fecerunt *opto*, Gruterus, quem multi editores secuti sunt, *optio*.

ne data quidem occasione ɔ: alieno tempore, quum illi exercitus maximi essent, nobis copiae nullae, ut Manutius recte haec explicat. Male alii: ne tum quidem repulimus, quum nobis occasio daretur.

§ 3. *scio* addidi e Z et duobus codd. Malaspinae. Nec video, cur Fr. Hofmannus l. c. 36 hoc verbum nimis languidum vocet. Gronovius hic statuit omitti: *tibi iudicandum relinquo*. Qui in margine codicis Memmiani *omitto* pro *omnino* scripsit, non vidit tum sequi non posse *sed haec non nimis exquiro a Graecis* ɔ: ab hominibus levissimis.

§ 4. *ab Egnatio solvat* ɔ: solvat pecunia a debitore suo exacta. Mense Maio Q. frater nihildum a L. Egnatio expresserat. Vid. X. 15, 4.

denuntiarit, ut eodem faenore uterentur. Q. Titinius etsi viaticum non habet, tamen pecuniam non exegit hoc tempore a debitoribus suis, sed concessit iis, ut retinerent, dummodo idem quod antea faenus persolverent

te non habuisse rationem huius publicae difficultatis; ego autem, etsi illud ψευδησιόδειον — ita enim putatur — observo, μηδὲ δίκην, praesertim in te, a quo nihil unquam vidi temere fieri, tamen illius querela movebar. Hoc, quicquid est, te scire volui.

μηδὲ δίκην. Integer versus est: μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς, quem alii Hesiodo, alii Pittheo, Phocylidi alii tribuebant. Hinc ψευδησιόδειον appellat Cicero. Plura de illo versu monet Leutschius ad Paroemiogr. Gr. II. p. 759. Respondet dicto: *Audiatur et altera pars.*

illius querela movebar ɔ: iure illum de te queri putabam. Quod in Med. est *nullius*, ortum est e prava geminatione ultimae litterae vocis praecedentis.

XIX. (*A. U. C.* 705.)

Nihil habeo quod ad te scribam, qui etiam eam epistolam, quam eram elucubratus, ad te non dederim: erat enim plena spei bonae, quod et contionis voluntatem audieram et illum conditionibus usurum putabam, praesertim suis. Ecce tibi III. Non. Febr. mane accepi litteras tuas, Philotimi, Furnii, Curionis ad Furnium, quibus irridet L. Caesaris legationem. Plane oppressi videmur, nec quid consilii capiam scio, nec mehercule de me laboro: de pueris quid agam non habeo. Capuam tamen proficiscebar haec scribens, quo facilius de Pompeii rebus cognoscerem.

qui etiam — non dederim. Cum Wesenbergio, Emend. p. 123 non dubito, quin ita scribendum sit, ut Lambinus in Tornaesiano invenit. Leviter depravatum est in aliis: *quin etiam — dederam*, pro quo is, qui cod. Med. correxit, *dedi* male reposuit. Epistola autem illa ad Atticum non data non superest.

contionis voluntatem. Cf. ep. 18, 1.

XX. (*A. U. C.* 705).

1. Breviloquentem iam me tempus ipsum facit; pacem enim desperavi; bellum nostri nullum administrant; cave enim putes quicquam esse minoris his consulibus, quorum ergo spe audiendi aliquid et cognoscendi nostri apparatus maximo imbri Capuam veni pridie Nonas,

§ 1. *bellum nostri nullum administrant* ɔ: nihil agunt, quo opus est ad bellum.

his consulibus. Sunt dativi. Nihil minus curant quam bellum.

quorum ergo spe audiendi aliquid. Etsi *ergo* non in codice inventum est, sic tamen cum Bosio pro *ego* scribere malui, quam contra Torn. et Med. auctoritatem proscribere *aliquid*, quod si *ego* retinetur, non potest defendi. *Quorum ergo* est *quorum causa* et verba *spe audiendi aliquid* cet. indicant, qua re impulsus Capuam profectus sit. Orellius

ut eram iussus; illi autem nondum venerant, sed erant venturi † inanes, imparati, Cnaeus autem Luceriae dicebatur esse et adire cohortes legionum † Attianarum, non firmissimarum. At illum ruere nuntiant et iam iamque adesse, non ut manum conserat — quicum enim? — sed ut fugam intercludat. 2. Ego autem in Italia *καὶ συναποθανεῖν,* † nec te id consulo; sin extra... Quid ago? ad manendum hiems, lictores, improvidi et negligentes duces, ad fugam hortatur amicitia Cnaei, causa bonorum, turpitudo coniungendi cum tyranno, qui quidem incertum est Phalarimne an Pisistratum sit imitaturus. Haec velim explices et me iuves consilio, etsi te ipsum istic iam carere puto, sed tamen quantum poteris. Ego si quid hic hodie novi cognoro, scies; iam enim aderunt consules ad suas Nonas. Tuas quotidie

citavit Verg. Aen. VI. 670 *illius ergo venimus.* Cf. quae monui ad III. 23, 2. Ad vv. *ut eram iussus* cf. h. l. 16, 2 et 17, 5.

inanes, imparati. Altero vocabulo facile carebimus; temporis designatio aegre desideratur, quae in marg. Crat. verbis *adhuc id est Nonis* intruditur post vv. *illi autem.* Scribe: *sed erant venturi Nonis imparati,* ut in hac ipsa epist. scripsit: *aderunt consules ad suas Nonas.* Ex *i nonis* librarii culpa est factum est *inanes.*

legionum Attianarum. Immo *Appianarum.* Cf. adn. ad ep. 15 extr.

ut fugam intercludat. Cf. Bentl. ad Ter. Eun. I. 2, 83.

§ 2. *Ego autem in Italia καὶ συναποθανεῖν,* † *nec te id consulo.* Nemo editorum haec attigit, quae mihi quidem foedissime corrupta videntur. Offendit primum ellipsis verbi, quod ad *ego* referatur, *non recuso* vel simile quid; tum *consulo* cum duplici accusativo personae et rei, cuius alterum exemplum non novi nisi Plautinum ex Menaechmis. Et quis non sentit quantopere tam inurbanum dictum a Ciceronis moribus abhorreat? Ulcus indicavi, in quo sanando mihi non satisfacio. Nam quod aptissimum esset: *Ego autem in Italia καὶ συναποθνήσκειν Cnaeo lubenter volo* (Cf. ep. 23, 2 *pro quo emori quum pie possum, tum lubenter.* VIII. 2, 4. *Ego pro Pompeio lubenter emori possum*) nimis a codd. discedit. *Cnaeo et cos.* (consulibus) *volo,* facilius in illud abire potuit, sed minus aptum est. Peerlkampius mihi roganti quid de h. l. statueret, respondit Ciceronem hic usum videri Diphili versu, quem laudant intt. ad Marci Euang. XIV. 31, locumque ita restituit: *Ego autem in Italia, κἂν ἀποθνήσκειν δέῃ με, θάνοιμ' ἑκουσίως.* Cicero pro ἐγὼ δὲ scripsit *ego autem* propter additum *in Italia.*

sin extra ɔ: sed si hoc non licet, moriar cum Pompeio extra Italiam. *Quid ago?* quid nunc faciam? quod consilium sequar? manebone an fugiam? Recte ponitur praesens in tali quaestione. Cf. Heinsius ad Verg. Aen. X. 675.

turpitudo coniungendi. Magna lis est inter grammaticos de h. l. et similibus, utrum gerundium passive ponatur, an passive poni videatur. Hoc contendunt Reisigius in schol. Gramm. § 436, ubi Haasius contrariae opinionis defensor alios citat, Handius, Enchir. stili Lat. p. 227, Teipelius in Nov. Ann. Philol. XXIV. p. 216, Madvigius Gr. Lat. § 444*a* alii multi. Illud placet Zumptio Gr. Lat. § 658, Haasio ad Reisigium, adn. 580 et 593. Kvicalae in stud. Vindobon. 1879 p. 225 seqq. Ex qua grammaticorum fluctuatione hoc collegit Weissenbornius de Gerundio et Gerundivo linguae Lat. p. 138, neutri verborum generi gerundia esse adscribenda. Cuius sententia mihi quidem nunc probatur, nec longe inde abeunt, qui in explicandis gerundiis utuntur substantivis abstractis. *Turpitudo coniungendi* = turpitudo coniunctionis, *censendi causa convenire* = ad censum convenire, cet.

Phalarimne an Pisistratum ɔ: saevamne Phalaridis an clementem Pisistrati dominationem.

carere. Recepi Mureti emendationem. Ex libris affertur *calere,* quod huic loco non

litteras exspectabo; ad has autem, quum poteris, rescribes. Mulieres et Cicerones in Formiano reliqui.

convenire statuet mecum, qui diligenter locos excusserit, ubi *calere* metaphorice ponitur. Unum afferam, ex quo vis verbi satis percipitur. *Valde metuo*, scribit Cicero ad Trebatium VII. 10, 2, *ne frigeas in hibernis, quamobrem camino luculento utendum censeo. Quamquam vos nunc istic satis calere audio.* Vides contrarium esse *frigendi.* Igitur qui *iam calet*, is antea frigebat; quod ab h. l. plane alienum. Qui agitatur et curis molestiisque conficitur, recte *aestuare* et *sudare* dicetur, *calere* non magis quam *ardere.*

XXI. (A. U. C. 705.)

1. De malis nostris tu prius audis quam ego; istim enim emanant: boni autem hinc quod exspectes, nihil est. Veni Capuam ad Nonas Febr., ita ut iusserant consules. Eo die Lentulus venit sero, alter consul omnino non venerat VII. Idus: eo enim die ego Capua discessi et mansi Calibus. Inde has litteras postridie ante lucem dedi. Haec, Capuae dum fui, cognovi: nihil in consulibus, nullum usquam delectum; nec enim conquisitores φαινοπροσωπεῖν audent, quum ille adsit, contraque noster dux nusquam sit, nihil agat; nec nomina dant; deficit enim non voluntas sed spes. Cnaeus autem noster — o rem miseram et incredibilem! — ut totus iacet! non animus est, non consilium, non copiae, non diligentia. Mittam illa, fugam ab urbe turpissimam, timidissimas in oppidis contiones, ignorationem non solum adversarii sed etiam suarum copiarum: hoc cuiusmodi est? 2. VII. Id. Febr. Capuam C. Cassius tribunus pl. venit, attulit mandata ad consules, ut Romam venirent, pecuniam de sanctiore aerario auferrent, statim exirent. Urbe relicta redeant: quo praesidio? deinde exeant: quis sinat? Consul ei rescripsit, ut prius ipse in Picenum: at illud totum erat amissum; sciebat nemo praeter me ex litteris Dolabellae.

§ 1. *ad Nonas Febr.*, non ipsis Nonis, sed *pridie Nonas*, ut legimus in ep. 20, 1 scilicet vesperi.

conquisitores sunt, qui mittuntur delectus habendi causa. Mil. 67. Hirt. de B. Alex. 2.

adsit ɔ: ubique sit, ut apparet ex opposito *nusquam sit* ɔ: ubique desideretur. Ergo *contra* non debet coniungi cum *adsit.* Scripsi autem *contraque,* quum in Med. sit *contra quem.* Similiter p. Marc. 20 *non tua ulla culpa est —, contraque summa laus.*

Mittam illa, fugam — copiarum: hoc cuiusmodi est? Ita haec distinguenda censeo.

ignorationem non *ignorantiam* Cicero dicit, nisi uno loco Acad. I. 42. Nam in Lael. 70 boni libri illud tuentur, et p. Flacco, 47 verba *ignorantiam litterarum* non esse Ciceronis, sed inepti glossatoris nunc satis constat.

§ 2. *mandata* Cn. Pompeii. Mox *consul* est Lentulus; nam Marcellus non venerat.

foret pro *esset*, ut X. 14, 3. cf. Madv. ad Fin. II. 63, vel pro *esse posset*, ut explicat Reisig. § 296.

Mihi dubium non erat, quin ille iam iamque foret in Apulia, Cnaeus noster in navi. 3. Ego quid agam? σκέμμα magnum, neque mehercule mihi quidem ullum, nisi omnia essent acta turpissime, neque ego ullius consilii particeps; sed tamen, quod me deceat. Ipse me Caesar ad pacem hortatur; sed antiquiores litterae, quam ruere coepit. Dolabella, Caelius: »me illi valde satisfacere." Mira me ἀπορία torquet. Iuva me consilio, si potes, et tamen ista, quantum potes, provide. Nihil habeo tanta rerum perturbatione quod scribam: tuas litteras exspecto.

§ 3. *σκέμμα magnum, neque mehercule mihi quidem ullum, nisi* cet. Post *ullum* videtur intercidisse *esset*, et post *sed tamen*, quibus particulis oratio instauratur, necessario e superioribus mente repetendum est *quid agam.*

XXII. (*A. U. C.* 705.)

1. Pedem in Italia video nullum esse, qui non in istius potestate sit. De Pompeio scio nihil eumque, nisi in navem se contulerit, exceptum iri puto. O celeritatem incredibilem? huius autem nostri.... Sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angor et crucior. Tu caedem non sine causa times, non quo minus quicquam Caesari expediat ad diuturnitatem victoriae et dominationis, sed video, quorum arbitrio sit acturus. Recte sit. 2. Censeo cedendum † de oppidis his. Egeo consilii. Quod optimum factu videbitur facies, cum Philotimo loquere, atque adeo Terentiam habebis Idibus. Ego quid agam? qua

§ 1. *Huius autem nostri*... Oppositio et res ipsa monet nomen a Cicerone omissum, ne Pompeium accusaret, esse *tarditatem* vel etiam *negligentiam.*

de quo angor. Recte Bakius Schol. Hypomn. III. p. 313, negavit hoc exemplo defendi, quod in Bruto § 10 editur: *ut omnis, quae me angebat de republica, cura consederit.* Nimirum distinguendum erat: — *angebat, de republica cura consederit.* Non opus esse ut corrigatur *reipublicae cura* ostendit quod legimus Fam. II. 7, 3 *de sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim.*

non quo minus quicquam C. expediat. Melius inverso ordine scriberetur: *quicquam minus.*

§ 2. *Recte sit. Censeo cedendum † de oppidis his. Egeo consilii.* Haec corrupta esse quivis videt, sed nemo adhuc probabiliter verba restituit. Unam indicabo Moseri suspicionem, ab Orellio in altera edit. non accurate laudatam. Ille igitur Symb. Crit. V. p. 13 ita scribit: *Rectene sic censeo: cedendum de oppidis his? Egeo enim consilii. Quod optimum factu videbitur, tu facies.* Quae quam inania sint, nemo non videt, qui postrema et quae cum iis cohaerent: *cum Philotimo loquere, atque adeo Terentiam habebis Idibus,* attente legit. Quid enim *faciet* Atticus? inibitne cum Ph. et T. consilium, utrum recte an secus Cicero de oppidis his cedendum censeat? aut, ut verba minus urgeam, utrum recte an secus cedat? Sed piget aliorum ineptias excutere. Equidem ex Philotimi et Terentiae mentione perspicio his verbis agi de re pecuniaria, quam Cicero absens ipse expedire non poterat, et lucem peto ex § 5, ep. 13 *a,* ubi in

aut terra aut mari persequar eum, qui ubi sit nescio? etsi terra quidem qui possum? mari quo? Tradam igitur isti me? fac posse tuto — multi enim hortantur —, num etiam honeste? nullo modo. Equidem a te petam consilium, ut soleo: explicari res non potest; sed tamen, si quid in mentem venit, velim scribas et ipse quid sis acturus.

aenigmate de Oppiis *Terentiae summa* bono casu memoratur. Quid multa? Locum sic refingo: *Recte sit. 2. Censeo cedendum Oppiis. Hic egeo tuo auxilio. Quod optimum factu videbitur, facies, cum Ph. loquere atque adeo T. habebis Idibus.* — *Recte esse* Tullianum quum sit (vid. ad I. 7, 1), non est quod votum *Recte sit,* quod in omnibus libris inventum videtur, convellamus. Victorius comparavit Demosthenis illud χρηστὰ δ' εἴη. Reliqua explicatione non egent. Ad idem negotium refero haec verba ex ep. 26 § 3. *De HS. $\overline{XX}$ Terentia tibi rescripsit.*

Equidem a te petam consilium, ut soleo. Sic scripsi cum Buechelero Mus. Rhen. XIII. p. 591 e Med., nisi quod ibi scriptum est *quidem.* Quod Bosius dedit: *Quid? a te petam consilium, ut soleo?* displicet quum ob dubitationem, tum ob *Quid?* nude positum.

XXIII. (*A. U. C.* 705.)

1. v. Id. Febr. vesperi a Philotimo litteras accepi, Domitium exercitum firmum habere, cohortes ex Piceno Lentulo et Thermo ducentibus cum Domitii exercitu coniunctas esse, Caesarem intercludi posse eumque id timere, bonorum animos recreatos Romae, improbos quasi perculsos. Haec metuo equidem ne sint somnia, sed tamen M'. Lepidum, L. Torquatum, C. Cassium tribunum pl. — hi enim sunt nobiscum, id est, in Formiano — Philotimi litterae ad vitam revocaverunt. Ego autem illa metuo ne veriora sint, nos omnes paene iam captos esse, Pompeium Italia cedere; quem quidem — o rem acerbam! — persequi Caesar dicitur. Persequi Caesar Pompeium? quid? ut interficiat? o me miserum! Et non omnes nostra corpora opponimus? — in quo tu quoque ingemiscis —; sed quid faciamus? victi, oppressi, capti plane sumus. 2. Ego tamen Philotimi litteris lectis mutavi consilium de mulieribus, quas, ut scripseram ad te, Romam remittebam; sed mihi venit in mentem multum fore sermonem me iudicium iam de causa publica fecisse, qua desperata quasi hunc gradum mei reditus esse, quod mulieres revertissent. De me autem ipso tibi assen-

§ 1. *paene iam captos esse.* Qnum sequatur *capti plane sumus,* hic quoque *plane* pro *paene* legendum esse W. intellexit. cf. IX. 6, 2.

§ 2. *quas — Romam remittebam* ɔ: remittere volebam, remissurus eram.

quasi hunc gradum. Malim *hunc quasi gra-*

tior, ne me dem incertae et periculosae fugae, quum rei publicae nihil prosim, nihil Pompeio, pro quo emori quum pie possum, tum libenter. Manebo igitur, etsi vivere.... 3. Quod quaeris, hic quid agatur, tota Capua et omnis hic delectus iacet, desperata res est, in fuga omnes sunt, nisi † quid eius fuerit, ut Pompeius istas Domitii copias cum suis coniungat; sed videbamur omnia biduo triduove sciturі. Caesaris litterarum exemplum tibi misi; rogaras enim: cui nos valde satisfacere multi ad me scripserunt, quod patior facile, dum ut adhuc nihil faciam turpiter.

dum, ut in simili dicto in orat. II de leg. agr., 38.

ne me dem — fugae. Verr. IV Act. sec. 95 *dant sese in fugam — milites.*

Manebo igitur, etsi vivere...... Dura aposiopesis. *Non libet, taedet, turpe est* vel tale quid omissum videtur.

§ 3. *nisi † quid eius fuerit.* Retinui id, quod cod. Med. praebet, sed vitiosum arbitror, etsi scio Latinum esse: *quid eius est,* et *nescio quid eius sit.* Cf. Att. XVI. 4, 3. Sed illud non est huius loci. Non dubito, quin Ciceronis sit: *nisi qui deus fecerit, ut* cet. Ita demum fut. exactum recte ponitur, ut in simillimis locutionibus, Att. I. 16, 6. VII. 1, 2. Fam. XVI. 12, 1, quo loco in Med. *quideius* scriptum est pro *qui deus.*

multi — scripserunt. In his Dolabella et Caelius. Cf. ep. 21, 3.

XXIV. (*A. U. C.* 705.)

Philotimi litterae me quidem non nimis, sed eos, qui in his locis erant, admodum delectarunt. Ecce postridie Cassii litterae Capua a Lucretio, familiari eius, Nigidium a Domitio Capuam venisse, eum dicere Vibullium cum paucis militibus e Piceno currere ad Cnaeum, confestim insequi Caesarem, Domitium non habere militum III. milia. Idem scripsit Capua consules discessisse. Non dubito quin Cnaeus in fuga sit, modo effugiat: ego a consilio fugiendi, ut tu censes, absum.

Cassii litterae. Sic libri scripti. Recte. Cf. initio ep. seq. et adnot. mea ad II. 13, 1. Similiter quae Nonius p. 83 affert ex *epistola Paeti,* desumpta sunt e Ciceronis epist. ad Paetum, quae servata est inter Fam. IX, 20. Male h. l. editores secuti sunt Bosium e codd. suis scribentem *Cassio.*

XXV. (*A. U. C.* 705.)

Quum dedissem ad te litteras tristes et metuo ne veras de Lucretii ad Cassium litteris Capua missis, Cephalio venit a vobis, attulit etiam a te litteras hilariores, nec tamen firmas, ut soles. Omnia facilius

a vobis ɔ: ex urbe.

nec tamen firmas ɔ: incerta, dubia nuntiantes, quae rumores continent, non res exploratas.

credere possum, quam quod scribitis Pompeium exercitum habere; nemo huc ita affert omniaque, quae nolim. O rem miseram! malas causas semper obtinuit, in optima concidit. Quid dicam nisi illud eum scisse — neque enim erat difficile —, hoc nescisse? erat enim ars difficilis recte rem publicam regere. Sed iam iamque omnia sciemus et scribemus ad te statim.

omniaque, quae nolim ɔ: sed omnes afferunt omnia, *quae nolim*. De usu particularum *que* vel *ac* in adiungenda sententia affirmante neganti monuit Madv. Gr. Lat. § 175, adn. 2. Exemplis citatis addi possunt ad Att. VIII. 11 *d*, 1 *non exspectavi, dum mihi a te litterae redderentur, confestimque — iter ad te facere coepi*, ubi vid. Matthiae, IX. 2 A, 1. Liv. XXI. 4. *Pauci ac ferme optimus quisque Hannoni adsentiebantur*. Cf. Kritze ad Sall. Iug. 107, 3. — De subiecto *quisque* vel *omnes* e praecedenti *nemo* assumendo dixerunt intt. ad Hor. Serm. I. 1, 1.

O rem miseram. Torn. et liber Malasp. *O* deest in Med. Cicero solet addere. Vid. VII. 9, 3. 21, 1. 23, 1. VIII. 3, 6. 8, 2 et saepius.

malas causas semper obtinuit. Obtinere causas est in causis superiorem esse. cf. Brut. 233. Or. 69. Dolor et desperatio hic Ciceronem iniustum reddit.

rem p. regere. Perperam Graevius e libro Helmst. nullius pretii edidit, *rempb. gerere*. *Regnare* et *regnum* sunt eorum, qui in civitate libera abutuntur sua potentia: vid. Iac. Gronov. et Drak. ad Liv. XXIV. 29, 7; quorum autem potestas late patet, hi *regunt remp*. Cf. Cic. Off. I. 92. Acad. II. 115.

XXVI. (*A. U. C.* 705.)

1. Non venit idem usu mihi, quod tu tibi scribis: »Quoties exorior!" Ego enim nunc paullum exorior, et maxime quidem iis litteris, quae Roma afferuntur, de Domitio, de Picentium cohortibus. Omnia erant facta hoc biduo laetiora: itaque fuga, quae parabatur, repressa est, Caesaris interdicta,

si te secundo lumine hic offendero,

respuuntur, bona de Domitio, praeclara de Afranio fama est. 2. Quod me amicissime admones, ut me integrum, quoad possim, servem, gratum est; quod addis, ne propensior ad turpem causam videar, certe

§ 1. *Non venit*, cet. *Nunc venit*, quod Iunius in optimo codice legisse testatur, ut bene observat Orellius, reiiciendum est vel propter sequens *nunc*. „Immo hoc dicit: Non possum de me dicere, quod tu de te scribis: *Quoties exorior!* i. e. quoties ad spem meliorem revocor! Nunc demum paullum recreatus sum." Orell. in edit. priore. De locutione *usu venire*, quae in his epistolis redit IX. 18, 1, in aliis Ciceronis scriptis saepius, disputavit Orellius ad Fr. A. Wolfii Scholas in Cic. Tusc. p. 355 seq. Ut h. l., sic in A. Gellii N. A. XIX. 12 sollemnis ordo negligitur.

exorior ɔ: ad spem redeo, emergo ut sol e nebulis.

si te secundo lumine hic offendero, moriere. Versus Ennii ex Medea citatur iterum in Orat. p. Rab. Post. 29. Expressit poeta hunc versum ex Euripidis Medea: εἰ σ' ἐπιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ — θανεῖ. v. 352.

§ 2. *certe videri possum* „quia cum Pompeio et consulibus non sum." Gronovius. Madvigius negat Ciceronem ad turpem cau-

videri possum. Ego me ducem in civili bello, quoad de pace ageretur, negavi esse, non quin rectum esset, sed quia, quod multo rectius fuit, id mihi fraudem tulit. Plane eum, cui noster alterum consulatum deferret et triumphum — at quibus verbis! »pro tuis rebus gestis amplissimis" — inimicum habere nolueram. Ego scio et quem metuam et quam ob rem: sin erit bellum, ut video fore, partes meae non desiderabuntur. 3. De HS. $\overline{xx}$. Terentia tibi rescripsit. Dionysio, dum existimabam vagos nos fore, nolui molestus esse: tibi autem crebro ad me scribenti • de eius officio nihil rescripsi, quod diem ex die exspectabam, ut statuerem, quid esset faciendum: nunc, ut video, pueri certe in Formiano videntur hiematuri. Et ego? nescio: si enim erit bellum, cum Pompeio esse constitui. Quod habebo certi faciam ut scias. Ego bellum foedissimum futurum puto, nisi qui, ut tu † scis, Parthicus casus exstiterit.

sam propensiorem voluisse videri et ex eo, quod est in M. *videre* fecit *ridere*. vid. A. C. III p. 178.

Ego me ducem — negavi esse. Ex eo quod Med. dat *navi* Victorius fecit *negavi*, idque nunc post alios edidi. Quod vulgo edebatur *nolui*, longius ab illa codicis scriptura recedit.

quod multo rectius fuit, id mihi fraudem tulit. Recte Man. interpretatur de Catilinae coniuratione oppressa, quae res Ciceroni perniciem attulit. Pro mercede reipb. conservatae tulit exsilium.

§ 3. *diem ex die exspectabam.* Graeci dicunt ἐξ ἡμέρας ἐς ἡμέραν ἀναβάλλεσθαι (Herod. IX. 8), Latini etiam *diem ex die* (Caes. B. G. I. 16) et *diem de die differre* (Liv. XXV. 25, 4). Sed *de die in diem* barbarum est. Cf. Hand. in Turs. II. p. 207.

nisi qui, ut tu † scis, Parthicus casus exstiterit. „Malim *ut tu scribis*. Sic supra pro *ad me scribenti* Med. et Oxon. ψ habent *ad me scienti*." Orell. Quem Cicero dicat *casum Parthicum* bene intellexit Schuetzius, cuius haec verba sunt: „ut opinor, respicit repentinum illum et insperatum Parthorum ex Bibuli provincia discessum, ut dicat: nisi, ut Bibulo, sic Pompeio Parthicus casus exstiterit, ut Caesar dimisso Pompeio sic in Galliam redeat, ut Parthi infectis rebus domum redierunt. Locus est simillimus VII. 1, 2. *Videre enim mihi videor*, cet. Addo ep. 2 extr. *Sed, ut nihil magnopere metuam, Parthi faciunt, qui repente Bibulum semivivum reliquerunt.*

LIBER VIII.

I. (*A. U. C.* 705.)

1. Quum ad te litteras dedissem, redditae mihi litterae sunt a Pompeio: cetera de rebus in Piceno gestis, quae ad se Vibullius scripsisset, de delectu Domitii — quae sunt vobis nota, nec tamen

tam laeta erant in iis litteris, quam ad me Philotimus scripserat: ipsam tibi epistolam misissem, nisi tam subito fratris puer proficiscebatur; cras igitur mittam, — sed in ea Pompeii epistola erat in extremo ipsius manu: »Tu censeo Luceriam venias; nusquam eris tutius.'' Id ego in eam partem accepi, haec oppida atque oram maritimam illum pro derelicto habere, nec sum miratus eum, qui caput ipsum reliquisset, reliquis membris non parcere. 2. Ei statim rescripsi hominemque certum misi de comitibus meis, (me) non quaerere, ubi tutissimo essem; si me vellet sua aut rei publicae causa Luceriam venire, statim esse venturum; hortatusque sum, ut oram maritimam retineret, si rem frumentariam sibi ex provinciis suppeditari vellet. Hoc me frustra scribere videbam; sed, uti in urbe retinenda tunc, sic nunc in Italia non relinquenda testificabar sententiam meam: sic enim parari video, ut Luceriam omnes copiae contrahantur, ut ne is quidem locus stabilis (sit), sed ex eo ipso, si urgeamur, paretur fuga. 3. Quo minus mirere, si invitus in eam causam descendo, in qua neque pacis neque victoriae ratio quaesita unquam est, semper flagitiosae et calamitosae fugae: eundum, ut, quemcunque fors tulerit casum, subeam potius cum iis, qui dicuntur esse boni, quam videar a bonis dissentire, etsi propediem video bonorum, id est lautorum et locupletium, urbem refertam fore, municipiis vero his relictis refertissimam; quo ego in numero essem, si hos lictores molestissimos non haberem, nec me M'. Lepidi, L. Volcacii, Ser. Sulpicii comitum poeniteret, quorum nemo nec stultior est quam L. Domitius, nec incon-

§ 1. *litterae — a Pompeio.* Non est brevis epistola Pompeii, quae legitur h. l. post ep. II A., ut apparebit argumentum hic a Cicerone indicatum cum illa epistola, clausulam harum litterarum cum illa comparanti.

pro derelicto habere „ɔ: non posse tueri et Caesari occupanda relinquere." Gronovius. *Derelinquere* gravius est, quam simplex *relinquere,* prorsus relinquere et deserere. Cf. Halm. ad orat. p. Caec. 103.

caput ipsum ɔ: Romam.

§ 2. *non quaerere.* Subiectum infinitivi deest in codd. et ab aliis alio loco additur.

ut ne is quidem locus stabilis (sit). Codd. *et — stabilis.* Ernestus vidit addendum esse *sit,* Wesenbergius Emend. p. 17 pro *et* scripsit *ut.* Utrumque recepi. *Ut — contrahantur* est subiectum v. *parari, ut sit* pendet a *sic.* Temere Madvigius A. C. III p. 178 negat locum, in quo aliquis consistat, *stabilem* dici posse et *standi* reponit. Contrarium docet quod est in Plauti Mercatore v. 652 seq. *qui finis fugae? quae patria aut domus tibi stabilis esse poterit?*

§ 3. *quaesita unquam est, semper* cet. Sic proxime ad ductum cod. Med., in quo *est* ab initio erat omissum, sed post *unquam* scriptum *si.* Hoc ego mutavi in *est. Sed* e correctione ante *semper* positum, ut inutile abieci.

eundum. Manutius adscripsit: *Luceriam.* Gronovius: „ita breviter, ut sit: tamen oportet me illis accedere." Neutrum placet. *Eundum* mihi e *faciendum* decurtatum videtur.

locupletium. Hanc formam h. l. et VII. 7, 7 retinui, etsi e cod. Med. *locupletum* notatur. Nam meliores libri *ium* in hoc nomine praebent Tusc. V. 58. Off. II. 27 et

stantior quam App. Claudius. 4. Unus Pompeius me movet beneficio, non auctoritate: quam enim ille habeat auctoritatem in hac causa? qui, quum omnes Caesarem metuebamus, ipse eum diligebat, postquam ipse metuere coepit, putat omnes hostes illi oportere esse. Ibimus tamen Luceriam, nec eum fortasse delectabit noster adventus; dissimulare enim non potero mihi, quae adhuc acta sunt, displicere. Ego si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderem: tu, si tibi eadem causa est, me remunerere sane velim.

cod. Poggianus in his epistolis I. 19, 4 non aliter habere videtur, quum in Rav. sit *locupletum*.

§ 4. *si tibi eadem causa est* ɔ: si te quoque insomnia vexat, si ea, quae nunc fiunt, tibi somnum eripiunt.

II. (*A. U. C.* 705.)

1. Mihi vero omnia grata, et quod scripsisti ad me quae audieras, et quod non credidisti quae digna diligentia mea non erant, et quod monuisti quod sentiebas. Ego ad Caesarem unas Capua litteras dedi, quibus ad ea rescripsi, quae mecum ille de gladiatoribus suis egerat, breves, sed benevolentiam significantes, non modo sine contumelia, sed etiam cum maxima laude Pompeii: id enim illa sententia postulabat, qua illum ad concordiam hortabar; eas si quo ille misit, in publico proponat velim. Alteras eodem die dedi, quo has ad te: non potui non dare, quum et ipse ad me scripsisset et Balbus. Earum exemplum ad te misi: 2. nihil arbitror fore, quod reprehendas; si qua erunt, doce me, quo modo † esse effugere possim. »Nihil,'' inquies, »omnino scripseris.'' Qui magis effugias eos, qui volent fingere? verumtamen ita faciam, quoad fieri poterit. Nam quod me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, scriptorum etiam meorum, facis amice tu quidem mihique gratissimum, sed mihi videris aliud tu honestum meque dignum in hac causa iudicare atque ego existimo:

§ 1. *quod non credidisti quae digna diligentia mea non erant* ɔ: quod fidem negasti iis, quae de me ferebantur, ut qui nimis blande ad Caesarem scripsissem cum offensione Pompeii.

de gladiatoribus suis. Cf. VII. 14, 2.

cum maxima laude Pompeii. Quod in Med. pro *cum* scriptum est *huius*, non tanti est, ut id reponatur deleto nomine *Pompeii*, ut placuit Faerno et Martinio Lagunae in adnot. ad Fam. I. 1, 3.

si quo ille misit. Immo *si quoi, si cui.* Cicero non recusat, quominus ea epistola, si cum alio communicata sit, pervulgetur. Id factum esse nuntiat Attico infra 9, 1.

§ 2. *quo modo † esse effugere possim.* Sententia salva est, si pro *esse* cum Malasp. reponitur *ea*. Sed *esse* et corr. Med. *enim* magis commendant I. F. Gronovii suspicionem esse haec vestigia vocabuli Graeci, scribendumque: *quo modo μέμψιν effugere possim.* Cf. XIII. 49, 1. S. Brandtii suspicio, pro-

mihi enim nihil ulla in gente unquam, ab ullo auctore rei publicae ac duce turpius factum esse videtur, quam a nostro amico factum est, cuius ego vicem doleo, qui urbem reliquit, id est patriam, pro qua et in qua mori praeclarum fuit. 3. Ignorare mihi videris haec quanta sit clades: es enim etiamnunc domi tuae, sed invitis perditissimis hominibus esse diutius non potes. Hoc miserius, hoc turpius quidquam? vagamur egentes cum coniugibus et liberis, in unius hominis quotannis periculose aegrotantis anima positas omnes nostras spes habemus, non expulsi, sed evocati ex patria, quam non servandam ad reditum nostrum, sed diripiendam et inflammandam reliquimus: ita multi nobiscum sunt, non in suburbanis, non in hortis, non in ipsa (urbe), et si non sunt, non erunt. Nos interea ne Capuae quidem, sed Luceriae, et oram quidem maritimam iam relinquemus, Afranium exspectabimus et Petreium; nam in Labieno parum est dignitatis. Hic tu in me illud desideras. Nihil de me dico, alii viderint; hic quidem quae est? Domi vestrae estis et eritis omnes boni. Quis tunc

lata in Mus. Rhen. XXXVI p. 631 *esse* ortum esse ex *e nassa* vel *ex ea nassa* caret probabilitate.

ab ullo auctore rei pub. ɔ: ab ullo, cuius consilio plurima in rep. geruntur. In orat. p. Flacc. 36 Asclepiades Acmonensis appellatur per iocum *praeclarus auctor suae civitatis* et in Sest. 139 e Gulielmi emendatione laudantur *auctores huius civitatis atque imperii.*

id est patriam. Omissa nemo desideraret.

§ 3. *quotannis periculose aegrotantis.* Hoc alio teste confirmare non possum. Sed Pompeium a. 704 in gravem morbum incidisse in Campania et publice tum municipia vota pro eius salute fecisse multi narrant, ut Cic. Tusc. I. 86. Vell. II. 48. Iuven. Sat. X. 283 seqq. Eo respicit Cicero Att. VIII. 16, 1 extr., IX. 5 extr.

non expulsi a Caesare, *sed evocati* a Pompeio. Cum proximis cff., quae Cicero scripsit paulo ante ad Tironem, Fam. XVI. 12, 1: *domos nostras et patriam ipsam vel diripiendam vel inflammandam reliquimus.*

ita multi nobiscum — erunt. Verba dedi, ut in Med. inveniri dicuntur, sed Victorio et Ernesto assentior ea tam obscura esse, ut dubitari non possit quin corrupta sint. Partim I. F. Gronovium secutus sic emendo: „Ita multi nobiscum sunt, *ut nunc* in suburbanis, *nunc* in hortis, *nunc* in ipsa *urbe sint*, et *qui nunc* sunt (nobiscum), non erunt." Quibus verbis queritur scriptor multos esse, qui causam Pompeii non satis strenue amplectantur, sed crebro revisant relicta; eos porro qui nunc praesto sint, non semper fore. Itaque redit ad id, quod scripsit in ep. sup. § 3. *Etsi propediem video* cet.

Nos — Luceriae sc. sumus, stare volumus. *Afranium et Petreium*, Pompeii legatos in Hispania, qui bene ibi pugnasse dicebantur et iam adventare. Cf. VII. 26, 1. VIII. 3, 7. *In Labieno parum est dignitatis*, quia, qui olim fortis in armis Caesaris fuerat, nunc transfuga vilis erat, ut scribit Lucanus, Phars. V. 345 sq.

Hic tu in me illud desideras. Sic Med. spatio post *me* vacuo relicto, quod critici vocabulo aliquo Graeco, velut πρέπον, καλόν, σέμνον implendum putabant. Miras vero turbas excitavit Bosianum commentum in optimo cod. se vidisse *des id feras.* Iam scimus quantum codici illi tribuendum sit. Sed Lambinus negat lacunam esse in Torn., qui in ceteris cum Med. consentit. Praeclare Gronovius: „Scribe: *Hic tu me illum desideras* ɔ: quereris me non esse illum, qui debeam esse et qui fui."

hic quidem quae est? „mea dignitas, ubi me nemo consilium rogat; si sponte offero, nemo audit." Gronov.

Quis tunc se mihi non ostendit. Propius a vero abest, quod dat Med. *quis tu*, quam

se mihi non ostendit? quis nunc adest hoc bello? sic enim iam appellandum est. 4. Vibullii res gestae sunt adhuc maximae; id ex Pompeii litteris cognosces, in quibus animadvertito illum locum, ubi erit διπλῆ: videbis de Cnaeo nostro ipse Vibullius quid existimet. Quo igitur haec spectat oratio? Ego pro Pompeio libenter emori possum: facio pluris omnium hominum neminem, sed non sitam, (ut tu), in eo iudico spem de salute rei publicae; significas enim aliquanto secus quam solebas, ut etiam Italia, si ille cedat, putes cedendum: quod ego nec rei publicae puto esse utile nec liberis meis, praeterea neque rectum neque honestum. † Sed cur? »poterisne igitur videre tyrannum?" — Quasi intersit audiam an videam, aut locupletior mihi sit quaerendus auctor quam Socrates, qui, quum XXX. tyranni essent, pedem porta non extulit. Est mihi praeterea praecipua causa manendi, de qua utinam aliquando tecum loquar! Ego XIII. Kalend., quum eadem lucerna hanc epistolam scripsissem, qua inflammaram

Lamb., e quo *quis istic* notatur. Manifesta est oppositio inter hanc quaestionem et sequentem, in qua *nunc* adest. Sententia haec: quis bonus in meo consulatu aut tempore Clodiano non obtulit se mihi adiutorem? quis nunc ad me concurrit, quum bellum iam sit?

§ 4. *Vibullii res gestae* in Piceno. Cf. h. l. 1, 1 et 11 B., l. Caes. B. C. I. 15. In Pompeii litteris, quae illo tempore scriptae supersunt, nihil de iis legitur. Perierunt, quibus ille intexuerat locum e Vibullii epistola, quem nota ad marginem adscripta indicabat continere aliena verba. Διπλῆ enim > eundem veteribus usum praestabat, atque hodie notae citandi, quas Galli appellant *des guillemets*. Hinc apparet *ex Pompeii litteris* Vibullii iudicium de illo cognosci potuisse et inutilem esse Lambini coni. *ex eius ad Pompeium litteris.*

Ego pro Pompeio l. emori possum. Idem scripsit ad M. Caelium, Fam. II. 15, 3, ubi e Med. editur: *Faveo Curioni, Caesarem honestum esse cupio, pro Pompeio emori possum; sed tamen ipsa re p. nihil mihi est carius,* sed sine dubio e marg. Crat. scribendum est, quod gradatio postulat: *Caesari honestissime cupio.* Alterum debetur librario formulam *cupere alicui* ignoranti. *Emori* est mortem oppetere, ut VII. 23, 2. p. Planc. 90, Phil. IX. 6.

Sed non sitam, ut tu, in eo iudico spem cet. Codices in his corrupti. Minime ab iis recessit Manutius scribens: *sed non sitam in eo iudico* cet. Sed quae sequuntur; *significas enim* indicant aliquam hic quoque iudicii, quod Atticus sequebatur, mentionem esse factam. Propterea inserui *ut tu.* Fortasse tamen melior est suspicio Wesenbergii: *Sed non ita, ut tu, uno in eo iudico sitam spem* cet.

significas — cedendum. Negavit Atticus hoc se sentire in epist. XI Kal. Mart. data, ex qua verba laudantur infra IX. 10, 6.

Sed cur? Bosius haec ita explet: „Sed cur ita existimem nunc taceo et tibi iudicandum relinquo." Gronovius: „Sed cur eadem toties inculco, vel, cur te moror." Schuetzius Attico tribuenda putabat ita correcta: *Sed, heus tu, poterisne* cet. Mihi in mentem venit: *Sed quaeris*: *Poterisne* cet.

Quasi intersit audiam an videam. Non semper Cicero ita iudicavit. In epist. ad Torquatum, Fam. VI. 4, 3, affirmat *in malis omnibus acerbius esse videre quam audire.* Cf. quoque Fam. IV. 4, 5 et VII. 30, 1.

Est mihi pr. praecipua causa manendi cet. Recte Mongaltius haec ad Terentiam spectare putavit, cuius fides Ciceroni de provincia redeunti suspecta esse coepit.

Formiis ad Pompeium. Pompeius erat tunc Luceriae, unde dedit litteras ad Domitium, quae leguntur post ep. 12 C. et D. Postridie

tuam, Formiis ad Pompeium, si de pace ageretur, profecturus, si de bello, quid ero?

Cicero nuntiavit Attico se, quum profectus esset, tuto Luceriam non potuisse venire. vid. ep. seq. § 5.

si de pace ageretur, profectus. Ita Med. Sed quum haec scripsit, nondum erat profectus ad Pompeium, sed erat in eo, ut proficisceretur. Itaque adscivi ex antiquis editt. *profecturus.* Erat profecturus ad colloquium de pace habendum, ut ei rei operam daret. *Si* vero *de bello* ageretur, pacis spe sublata, *ego quid ero?* Cicero ita rogans affirmat se tum nihil fore, imperium militare nec suo ingenio nec suae voluntati aptum esse.

III. (*A. U. C.* 705.)

1. Maximis et miserrimis rebus perturbatus, quum coram tecum mihi potestas deliberandi non esset, uti tamen tuo consilio volui. Deliberatio autem omnis haec est: si Pompeius Italia cedat, quod eum facturum esse suspicor, quid mihi agendum putes, et, quo facilius consilium dare possis, quid in utramque partem mihi in mentem veniat, explicabo brevi. 2. Quum merita Pompeii summa erga salutem meam familiaritasque, quae mihi cum eo est, tum ipsa rei publicae causa me adducit, ut mihi vel consilium meum cum illius consilio, vel fortuna (mea cum illius fortuna) coniungenda esse videatur. Accedit illud: si maneo et illum comitatum optimorum et clarissimorum civium desero, cadendum est in unius potestatem, qui, etsi multis rebus significat se nobis esse amicum — et ut esset a me est — tute scis — propter suspicionem huius impendentis tempestatis multo ante provisum —, tamen utrumque considerandum est, et quanta fides ei sit habenda et, si maxime exploratum sit eum nobis amicum fore, sitne viri fortis et boni civis esse in ea urbe, in qua, quum summis honoribus imperiisque usus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo praeditus, non futurus *** subeundumque periculum sit

§ 2. *vel fortuna (mea cum illius fortuna) coniungenda.* Aequabilitas orationis commendat supplementum a Klotzio repertum, quum ante de Malasp. coniectura *cum fortuna* adderetur.

cadendum est in unius potestatem. Cf. de rep. I. 68 *nimia libertas in nimiam servitutem cadit,* ubi Maius male *cedit* scribendum iudicavit.

non futurus — subeundumque periculum sit. Rursus Klotzium sequor nihil in verbis mutantem, sed lacunae signum apponentem, quamquam non concedo eidem plura verba post *futurus* excidisse. Cicero considerat quid futurum sit, si in unius Caesaris potestatem incidat, quid, si Pompeius rem p. recuperarit. Sententiae satisfacit interpolatio Iensoniana *non futurus sit sui iuris,* sed pugnat cum consuetudine Tulliana. Iac. Gronovii emendatio *nomen futurus* durior mihi videtur, neque Kochio concedo pro *non futurus* scribi posse *sine honore futurus.* Hofmannus edidit: *non futurus sit idem idemque periculum sit cum maiore dedecore,* quod longius a codice recedit. Peerlkampius volebat *non idem futurus,* in ceteris nihil mutat. Infinitivus *fore* ɔ:

cum aliquo † fore dedecore, si quando Pompeius rem publicam recuperarit. 3. In hac parte haec sunt; vide nunc quae sint in altera. Nihil actum est a Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter, addo etiam, nihil nisi contra consilium auctoritatemque meam. Omitto illa vetera, quod istum in rem publicam ille aluit, auxit, armavit, ille legibus per vim et contra auspicia ferendis auctor, ille Galliae ulterioris adiunctor, ille gener, ille in adoptando P. Clodio augur, ille restituendi mei quam retinendi studiosior, ille provinciae prorogator, ille absentis in omnibus adiutor, idem etiam tertio consulatu, postquam esse defensor rei publicae coepit, contendit, ut decem tribuni pl. ferrent, ut absentis ratio haberetur, quod idem ipse sanxit lege quadam sua, Marcoque Marcello consuli finienti provincias Gallias Kalendarum Mart. die restitit — sed, ut haec omittam, quid foedius, quid perturbatius hoc ab urbe discessu sive potius turpissima fuga? quae conditio non accipienda fuit potius quam relinquenda patria? Malae conditiones erant, fateor, sed numquid hoc peius? 4. »At recuperabit rem publicam.'' Quando? aut quid ad eam spem est parati? non ager Picenus amissus? non patefactum iter ad urbem? non pecunia omnis et publica et privata adversario tradita? denique nulla causa, nullae vires, nulla sedes, quo concurrant qui rem publicam defensam

cum fore, non recte pendet a. v. *periculum.* Sequi debebat *ne.* Cff. exempla in Menckenii Obss. ling. Lat. p. 735 sq. Scribendum videtur: *non futurus tutus subeundumque ei periculum sit cum aliquo suo dedecore.* Non accipio *forte* ex antiquis editionibus, quoniam dubitationi non est locus. S. Brandtii coni. pro *fore* reponentis *certe* mihi quidem non placet, longiusque a codd. ductibus recedit Hofmanni suspicio: *cum aliqua labe dedecoris.*

§ 3. *ille — auctor.* Spectat imprimis ad agrariam Iuliam. Cf. Att. II. 16, 2. Vell. II. 44.

Galliae ult. adiunctor. Pompeio suffragante senatus Galliae Cisalpinae, quam Caesar lege Vatinia acceperat, adiecit Comatam, materiam triumphi. Vid. Suet. Caes. 22.

ille gener. Indicat hoc quoque imprudenter a Pompeio factum esse, quod Iuliam Caesaris uxorem duxit.

ille provinciae prorogator. Cf. VII. 3, 4. Hoc dicitur, quoniam a. 799 annuente Pompeio lex lata est, quae provincias Caesari in quinquennium prorogavit. Fines imperii propagantur, imperium et provincia prorogatur. Cf. Cic. Att. V. 17, 5. VII. 3, 4. intt. ad Suet. Caes. 24. Ideo in deteriore codice Maffeiano recte scriptum puto *prorogator,* male in ceteris *propagator.* De propagatis enim provinciae finibus iam ante aliquid dictum est.

postquam esse defensor rei p. coepit ɔ: ut scribit Vell. II. 47, postquam „reconciliatis sibi optimatibus maxime a Caesare alienatus est."

idem ipse sanxit lege quadam sua. Cf. Suet. Iul. 28. Dio XL. 56. — *M. Marcello — restitit.* De hac re consulantur Appian. B. C. II. 26. Dio XL. 59. Plut. Pomp. 52, laudati a Matthiaeo ad h. l. — Formulam *finire provincias die* illustravit Hofmannus verbis Livii I. 17, 6 *quinum dierum spatio-finiebatur imperium.*

turpissima fuga. Hofmannus e scriptura Med. *turpissimamq. sum fuga* acute eruit *turpissima nequissima fuga.*

§ 4. *nulla causa.* Cf. VII. 3, 5 *causam solum illa causa* (sc. Caesaris) *non habet.* Quum vero hic agatur de Pompeio, Cicero non poterat idem de eo affirmare. Fortasse scripsit *nulla castra,* ut coniecit F. G. Schmidt in Novis ann. philol. CIX p. 741 collatis

velint. Apulia delecta est, inanissima pars Italiae et ab impetu huius belli remotissima; fuga et maritima opportunitas visa quaeri desperatione. † In te cepi Capuam, non quo munus illud defugerem, sed † sine causa, in qua nullus esset ordinum, nullus apertus privatorum dolor, bonorum autem esset aliquis, sed hebes, ut solet et, ut ipse sensi, esset multitudo et infimus quisque propensus in alteram partem, multi mutationis rerum cupidi, dixi ipsi me nihil suscepturum sine praesidio et sine pecunia. Itaque habui nihil omnino negotii, quod ab initio vidi nihil quaeri praeter fugam. 5. [Eam] si nunc sequor, quonam? Cum illo non; ad quem quum essem profectus, cognovi in iis locis esse Caesarem, ut tuto Luceriam venire non possem. Infero mari nobis, incerto cursu, hieme maxima navigandum est. Age iam, cum fratre an sine eo cum filio? at quo modo? in utraque enim re summa difficultas erit, summus animi dolor. Qui autem impetus illius erit in nos absentes fortunasque nostras? acrior quam in ceterorum, quod putabit fortasse in nobis violandis aliquid se habere populare. Age iam, has compedes, fasces, inquam, hos laureatos efferre ex Italia quam molestum est! qui autem locus erit nobis tutus,

iis, quae leguntur in epistola Pompeii h. l. 12 C., 2: *neque castra-facere possum.*

Apulia, inanissima pars Italiae ɔ: regio, ubi pauca admodum belli gerendi praesidia sunt. Noli referre ad soli naturam, ariditate insignem. Eadem erat longissime dissita ab iis locis, quae impetum Caesaris primum exceptura erant.

† *In te cepi Capuam* cet. Corruptam cod. Med. lectionem dare malui, quam pessimam recipere ex margine illius libri emendationem *invite*, quo adverbio Cicero nusquam utitur. Cicero nec *cepit Capuam*, nec *accepit*, sed a se reiecit, non vitandi oneris causa, sed quod videbat teneri illam urbem sine exercitu non posse, ut scribit ad Pompeium in epist. addita VIII. 11 D., 5. Cf. 12, 2. *Nam certe neque tum peccavi, quum imparatam Capuam — accipere nolui.* Utrumque locum qui considerarit, aut mihi credet scribendum esse: *Non accepi Capuam, non quo munus illud* (cf. VII. 11, 5) *defugerem, sed* — aut a Klotzio accipiet: *Reieci Capuam*, ut est in ep. 11 D., 5 *quum a me Capuam reiiciebam.* Pro *sine causa* utrum cum Lamb. corrigam *in ea causa*, an cum I. F. Gronovio *timens causae* dubito. Pro *sensissem*, quod olim defendi, scripsi cum Or. et W. *sensi, esset.* Quid Kochius in h. l. ausus sit, qui volet quaerat in Mus. Rhen. XII. p. 274. Melius sane nonnulla Buechelerus, ibid. XIII. p. 592 eleganter de h. l. disputans.

§ 5. *Eam si nunc sequor.* Fugam sequi pro fugam capessere, fugientem comitari nullo exemplo confirmare possum, atque suspicor *eam* non esse Ciceronis, sed ortum e mala repetitione ultimae syllabae vocabuli *fugam.*

Cum illo non omittitur *possum* vel *licet.*

Infero mari — navigandum est. Cf. IX. 19, 3 *infero* (*mari*) *navigabimus*, et ibid. 5, 1 *navigatio infero.* Ablativum eidem verbo iunxit Plinius H. N. VI, 126 *si Tigri navigetur.* Accusativum posuit Cicero in locutione poetica Fin. II. 112 *si Xerxes — maria ambulasset, terram navigasset.* Scriptores post Augustum saepius accusativum usurparunt, velut Suet. in Claud. 1.

cum fratre, an sine eo cum filio? at quo modo? Ita haec verba scribenda et distinguenda videntur. Pronomen *eo* non posse abesse vidit Schellerus, Observ. p. 187. Nam *sine* nunquam adverbii vim habet. Atque ipsa depravatio in Med. *si nec*, quodque correctum est *sine et* ad verum inveniendum ducit. *Cum filio an quomodo?* in eodem libro vitiose scriptum est. Handius in Turs. I. p.

ut iam placatis utamur fluctibus, antequam ad illum venerimus? qua autem aut quo, nihil scimus. 6. At si restitero et fuerit nobis in hac parte locus, idem fecero, quod in Cinnae dominatione L. Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mucius, quoquo modo ea res huic quidem cecidit, qui tamen ita dicere solebat, se id fore videre, quod factum est, sed malle quam armatum ad patriae moenia accedere. Aliter Thrasybulus et fortasse melius; sed est certa quaedam illa Mucii ratio atque sententia, est illa etiam [Philippi], et, quum sit necesse, servire tempori et non amittere tempus, quum sit datum. Sed in hoc ipso habent tamen iidem fasces molestiam; sit enim nobis amicus, quod incertum est, sed sit, deferet triumphum: non accipere, † ne periculosum sit, invidiosum ad bonos. »O rem," inquis, »difficilem et inexplicabilem!" Atqui explicanda est; qui † enim fieri potest? Ac ne me existimaris ad manendum esse propensiorem, quod plura in eam partem verba fecerim, potest fieri, quod fit in multis quaestionibus, ut res verbosior haec fuerit, illa verior; quamobrem ut maxima de re aequo animo deliberanti, ita mihi des consilium velim. Navis et in Caieta est parata nobis et Brundisii. 7. Sed ecce nuntii scribente me haec ipsa noctu in Caleno, ecce litterae Caesarem ad Corfi

551 defendit *aut*, quod Bosio debetur. Ego scripsi *at quomodo?* secutus iudicium Gronovii. Supplendum est: eum mecum traham in tantum periculum.

ut iam placatis utamur fluctibus ɔ: licet porro tranquillo mari utamur. Similiter *ut iam* ponitur Fam. I. 9, 13 *ut iam sit in iis culpa*. cf. Madv. ad Fin. IV. 66.

§ 6. *Q. Mucius* pontifex maximus a. 672 ex voluntate C. Marii iunioris per Damasippum e curia fugiens in vestibulo aedis Vestae est interfectus. Vid. Cic. de N. D. III. 80. Liv. Epit. lib. 86, Appian. B. C. I. 88.

est illa etiam [Philippi]. L. Marcius Philippus, L. Valerius Flaccus, Q. Mucius Scaevola in Cinnae dominatione in urbe restiterunt, eadem omnium fuit ratio atque sententia. Non potest igitur Philippus opponi Mucio et nomen *Philippi* delendum est. Neque opus est, ut quod volebat Orellius, pro *illa* scribatur *alia*. Mucii sententiae opponitur Thrasybuli consilium, quod explicatur verbis *non amittere tempus, quum sit datum*. Hoc itaque dicit: Est ubi praevaleat Mucii consilium, est ubi Thrasybulum imitari [melius sit.

non accipere cet. Excidit aliquid. Recte W. coniecit: *Non accipere (vereor) ne periculosum sit, (accipere) invidiosum ad bonos.* Invidiae, invisum, invidiosum esse ad aliquem usitate dici ostendit Madv. in Emend. Liv. p. 379. Hofmannus nihil deesse censet, sed signo interrogandi post *bonos* posito interpretatur: Nonne accipere triumphum invidiosum est ad bonos, etiamsi non sit periculosum? Ad rem idem iussit conferri IX. 2. 1: „*Et de triumpho erit*", *inquis*, „*integrum*". *Quid, si hoc ipso premar? accipiam? quid foedius? negem? repudiari se totum — putabit.*

qui † enim fieri potest? Praeclare Orellius in alt. edit. corrigit *autem* pro *enim*, invocans Wunderum, qui Var. Lect. p. XXXVIII docuit has particulas ob simile scribendi compendium saepe permutari.

in Caieta. Bosius recte comparavit Att. XIV. 7, 1 *Paullum in Caieta vidi* et I. 3, 2 *signa sunt ad Caietam exposita*, non recte designari Ciceronis villam prope Caietam monuit.

§ 7. *a Fausto conscriptam.* Dativum non simpliciter iungi verbis passivis ad indican-

nium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu et pugnare cupiente. Non puto etiam hoc Cnaeum nostrum commissurum ut Domitium relinquat, etsi Brundisium Scipionem cum cohortibus duabus praemiserat, legionem a Fausto conscriptam in Siciliam sibi placere a consule duci scripserat ad consules; sed turpe Domitium deseri implorantem eius auxilium. Est quaedam spes, mihi quidem non magna, sed in his locis firma, Afranium in Pyrenaeo cum Trebonio pugnasse, pulsum Trebonium, etiam Fabium tuum transisse cum cohortibus; summa autem, Afranium cum magnis copiis adventare. Id si est, in Italia fortasse manebitur: ego autem, quum esset incertum iter Caesaris, quod vel ad Capuam vel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompeium misi et litteras, ipse, ne quo inciderem, reverti Formias. Haec te scire volui scripsique sedatiore animo, quam proxime scripseram, nullum meum iudicium interponens, sed exquirens tuum.

dum eum, a quo aliquid fiat, sed naturam suam conservare multi docuerunt. Vid. Kritz. ad Sall. Iug. 46, 3. Madv. ad Fin. p. 27. Quare quum Faustus non sibi, sed Pompeio legionem conscripserat, cum Manutio et Lambino scribendum erat: *a Fausto conscriptam.* Cf. Wesenberg. Emend. p. 22.

a consule. Ita emendavit Man. ex epist. Pompeio 12 A., 3. Libri habent *a consulibus,* contrario errore illi, de quo notatum ad VII. 12, 5.

Domitium deseri ex Orelliana retinui, quoniam id quod Med. a prima manu habet *deserit,* lenius et melius sic emendatur, quam ut in codice correctum est *deserere erit.*

Fabium tuum. Caesaris legatum, de quo vide ad VII. 3, 3, et Borghesi Oeuvres I 278 seqq.

Leptam. Cf. ad. V, 17, 2.

nullum meum iudicium interponens. cf. Divin. II. 150 *proprium est Academiae iudicium nullum interponere.* Brut. 53 *populi Romani iudicium multis rebus interpositum.*

IV. (*A. U. C.* 705).

1. Dionysius quidem tuus potius quam noster, cuius ego quum satis cognossem mores, tuo tamen potius stabam iudicio quam meo, ne tui quidem testimonii, quod ei saepe apud me dederas, veritus, superbum

§ 1. *tuo potius stabam iudicio quam meo.* Stare alicuius iudicio est aliquem auctorem sequi, alicui credere. Cf. XII. 21, 5. Off. III. 110. Orat. 237.

tui testimonii — veritus. Unicum exemplum, ubi apud Romanum scriptorem *vereri* cum genetivo construitur paene cum vett. editt. correxi accusativos reponens. Veteribus poetis illa constructio in usu erat, Afranio, Attae, Pacuvio, Attio, quorum testimonia citavit Nonius p. 496 sq. Sed respuit Terentius, ut idem grammaticus observat, laudans e Phormione haec: *Non simultatem meam vereri saltem.* Vid. II. 1 init., ubi tamen legitur *revereri,* ut Ciceronis quoque codd. afferunt supra II. 19, 1. Sed vide Phorm. II. 2, 1 et alibi. Nam quem ex eadem fabula afferunt locum V. 8, 78, in eo *feminae primariae* est dativus, qui pendet a vv. *facere contumeliam, huius* genetivus pretii, et verba sic sunt distinguenda:

Neque huius sis veritus, feminae primariae
Quin novo modo ei faceres contumeliam.

Abstinui tamen a mutando, quoniam gene-

se praebuit in fortuna, quam putavit nostram fore, cuius fortunae nos, quantum humano consilio effici poterit, motum ratione quadam gubernabimus: cui qui noster honos, quod obsequium, quae etiam ad ceteros contempti cuiusdam hominis commendatio defuit? ut meum iudicium reprehendi a Quinto fratre vulgoque ab omnibus mallem quam illum non efferre me laudibus, Ciceronesque nostros meo potius labore subdoceri quam me alium iis magistrum quaerere. Ad quem ego quas litteras, dii immortales, miseram, quantum honoris significantes, quantum amoris! Dicaearchum mehercule aut Aristoxenum diceres arcessi, non hominem omnium loquacissimum et minime aptum ad docendum. 2. »Sed est memoria bona." Me dicet esse meliore. Quibus litteris ita respondit, ut ego nemini, cuius causam non reciperem: semper enim »si potero, si ante suscepta causa non impediar," nunquam reo cuiquam, tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno tam praecise negavi, quam hic mihi plane nulla exceptione praecidit. Nihil cognovi ingratius, in quo vitio nihil mali non inest. Sed de hoc nimis multa. 3. Ego navem paravi; tuas litteras tamen exspecto, ut sciam quid respondeant consultationi meae. Sulmone C. Atium Pelignum aperuisse Antonio portas, quum essent cohortes

tivus *testimonii* mihi verus videtur. Sed in *tui* accusativum latere puto, unde ille genetivus pendeat. Nam quum addatur *quod — dederas,* facile obtinebo *tui* esse otiosum. Pro eo Cicero scribere potuit *vim.* Certe id, quod vulgo legitur, non est Tullianum.

motum ɔ: conversionem, mutationem. Cf. III. 8, 3.

contempti cuiusdam hominis. Pro *cuiusdam* scribendum esse *quondam* male Orellius putabat. *Quidam* adiectivi vim temperat. Non nude vult Dionysium appellare *contemptum hominem,* sed paulo lenius vocat *contemptum quendam hominem.* Falso multi docent *quidam* semper intendere vim adiectivi praecedentis, ut Beierus ad Off. I. p. 115. II. p. 75. Meliora praeceperunt Kuhner. ad Tusc. II. 11. Seyff. ad Lael. p. 199 et 322. Hand. Lehrb. des lat. Stils p. 440, alii. Pro *ad ceteros* videtur scrib. *apud ceteros.*

meo labore subdoceri ɔ: a me ὑποδιδασκάλου munere functo doceri, quoties ille abesset.

§ 2. *Me dicet esse meliore.* Nunquam enim obliviscar, quam ingratus in me fuerit.

tam humili cet. Ellipticum usum observavit Ferd. Becher in Mus. Rhen. XXXVII p. 591 laudans similia ex I de Or., 226 et in Pis. 10, et cogitatione addendum monuit, *quam qui humillimus* cet. De Or. I. 41 *tam temere* eodem modo dicitur, ubi Bakius male *tam* seclusit.

quam hic mihi plane nulla exceptione praecidit. Haec una sententia continuare praestat, quam a. v. *plane* novam ordiri. Et *nulla* cum Ursino scripsi, quum facilius littera unica intercidit, quam *sine,* quod in margine Medicei libri adscriptum est. Iunius quoque et Graevius *nulla* in codd. vidisse se affirmarunt. *Praecidere* pro negare legitur quoque X. 16, 1. *Negavi* autem absolute positum est id, quod Belgice dicitur: *ik heb neen gezegd.* Pro *praecise* ponitur ἀποτόμως infra X. 11, 5.

in quo vitio nihil mali non inest. Cf. Xenoph. Cyrop. I. 2, 7.

§ 3. *Ego navem paravi.* Cf. ep. praec. § 6.

consultationem suam Cicero vocat ea, quae leguntur ibidem § 2—6.

Sulmone — effugisse. Aliter haec narrantur a Caesare de B. C. I. 18.

Cnaeum ire Brundisium † desertum. Domitium excidisse Lipsius putabat. Concinnius

quinque, Q. Lucretium inde effugisse ***: scis Cnaeum ire Brundisium † desertum. Confecta res est.

certe esset, quod excogitavit Orellius: *deseri Domitium.* Possis quoque legere: *deserto Domitio.* Sed vereor ne plura hic turbata sint, quae sine melioribus libris restitui nequeunt. Mihi satis placet: *Cn. aiunt ire Brundisium.* *Deserto Domitio confecta res est.* Post *effugisse* W. omissum esse putat: *credo te audisse* et *scis* dictum accipit pro *scisne,* ut IX. 11, 1 aliisque locis. cff. Emend. alt. p. 113.

V. (*A. U. C.* 705.)

1. Quum ante lucem IIX. Kal. litteras ad te de Dionysio dedissem, vesperi ad nos eodem die venit ipse [Dionysius] auctoritate tua permotus, ut suspicor: quid enim putem aliud? etsi solet eum, quum aliquid furiose fecit, poenitere; nunquam autem cerritior fuit quam in hoc negotio. Nam, quod ad te non scripseram, postea audivi a tertio miliario tum eum isse

πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα·

multa, inquam, mala eum dixisse, suo capiti, ut aiunt. Sed meam mansuetudinem! Conieceram in fasciculum una cum tua vementem ad illum epistolam: hanc ad me referri volo, nec ullam ob aliam causam Pollicem servum a pedibus meis Romam misi; eo autem ad te

§ 1. *de Dionysio.* Retinui Malaspinae hoc additamentum e codd., ut affirmat, depromptum, quoniam sententia flagitat. Sed si haec praecedunt, recte sequitur *ipse,* non *ipse Dionysius.*

cerritior debetur Bosio, qui tamen ipse sprevit, et id quod in Med. scriptum est *certior* defendit. Certus est, qui firmiter manet in proposito, pertinax, ut infra X. 11, 3. Sed non apte dicitur de eo, *qui aliquid furiose facit,* qui *furenter irascitur* (VI. I, 12), qui propterea Ciceroni *male sanus* videbatur IX. 15, 5. Is appellatur *cerritus* in Plauti Amph. 776. Men. 890, in Hor. Sat. II. 3, 278, et sine dubio hoc loco. cf. Haupt. Ind. lect. Berol. Univ. a. 1855 p. 14.

πολλὰ — θυμήναντα. Nondum inventus est auctor versus, quo depingitur taurus furens, quem pulchre depinxit Vergilius Georg. III, 232 sqq. et in comparatione Aen. XII, 103 seqq.

Mugitus veluti quum prima in proelia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua temptat,
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, et sparsa ad pugnam proludit arena.

Quod ante hunc versum ponebatur ῥίψαι recte sprevit Hauptius l. l. p. 15 eique praetulit quod in Med. scriptum est *isse.* Idem suspicatur versum Graecum esse poetae Alexandrini, fortasse Callimachi.

eum dixisse quod pendet ab *audivi,* etsi non munitur libri scripti auctoritate, praetuli scripturae Med. et Oxon. ll. *cum dixisset.*

suo capiti, ut aiunt. Imprecandi formula, qua utitur Caelius in epist. ad Cic. Fam. VIII. 1, 4 *Te subrostrani — quod illorum capiti sit — dissiparant perisse.* Eandem Bentleius ingeniose restituit in Ter. Phorm. III. 2, 6. *Metuo lenonem ne quid — G. suo capiti fuat.*

vementem. Ita scribendum est contracte, non cum Ernesto *vehementem,* quum in codd. scriptis et editis *venientem* exstet, quod ipsum nullo modo defendi potest. cf. Lachmannus ad Lucr. II. 1024. Gellii locis ibi laudatis add. XI, 18. *vementibus et illustribus verbis.* — Paulo ante scripsi *sed meam mansuetudinem,* quum in Med. *o* non inveniatur.

Pollicem servum a pedibus meis Romam misi. Pollicis mentio fit Fam. XIV. 6. Att.

scripsi, ut, si tibi forte reddita esset, mihi curares referendam, ne in illius manus perveniret. 2. Novi si quid esset scripsissem. Pendeo animi exspectatione Corfiniensi, in qua de salute rei publicae decernetur. Tu fasciculum, qui est M'. CVRIO inscriptus, velim cures ad eum perferendum, Tironemque Curio commendes, et ut det ei, si quid opus erit in sumptum, roges.

XIII. 46, 47, 48. Hunc ille servum suum ante pedes domini iacentem vel ad pedes stantem subito Romam misit ad epistolam illam repetendam. Recte vindicavit hanc locutionem Klotzius comparans or. p. Deiot. 2, ubi Castor dicitur *avi servum a legatorum pedibus* abduxisse. *ad pedes stare* servi et inferioris gradus homines dicuntur in Suetonii Galba 22 et in Senecae de benef. III. 27, ipse Cicero in Verr. A. S. I. 92 nominat homines *circum pedes*. Male Victorius *meis* in *meum* mutaverat. Nam tales officii designationes Ciceronis aetate nondum in usu erant.

§ 2. *exspectatione Corfiniensi* ɔ: exspectatione eorum, quae ad Corfinium gesta sunt et geruntur. cf. ep. 3, 7. Sed *in qua* quum non possit referri ad *exspectationem*, vel scribendum est *exspectatione rei Corfiniensis*, vel servatis illis, ut sunt, *in qua re.*

M' Curio. Certe inscriptus erat *M' Curio,* non *des M' Curio,* quod tum demum ferendum est, si reliqua in hunc modum corrigas: *cui est* DES M' CURIO *inscriptum.* Quid lateat in litteris DE quae in codd. nomen praecedunt, si in illis aliquid latet, aliis divinandum relinquo. — De M'. Curio, qui Tironem aegrum Patris curaverat, vid. VII. 2, 3. 3, 12. Fam. XVI. 4, 2. 9, 3. 11, 1.

Et ut det ei, si quid opus erit in sumptum, roges. Scripsi ex mea emendatione, minus a vestigiis cod. Med. recedens, quam vulgo fit. Nam sic est in codice: *ut ut peti — roges.* Lamb. illa mutavit in: *ut ei, ut petii,* Manutius pro *roges* scripsit *eroget.*

VI. (*A. U. C.* 705.)

1. Obsignata iam ista epistola, quam de nocte daturus eram, sicut dedi — nam eam vesperi scripseram — C. Sosius praetor in Formianum venit ad M. Lepidum, vicinum nostrum, cuius quaestor fuit. Pompeii litterarum ad consules exemplum attulit:

2. »Litterae mihi a L. Domitio a. d. XIII. Kalend. Mart. allatae sunt; earum exemplum infra scripsi. Nunc, ut ego non scribam, tua sponte te intelligere scio, quanti rei publicae intersit omnes copias in unum locum primo quoque tempore convenire. Tu, si tibi

§ 1. *Obsignata iam ista epistola.* Quod in Med. 1 scriptum est *obsignatam ista* ostendit male deinde *ista* esse expunctum, quum recte restitutum esset *obsignata iam. Ista epistola* est epistola ad te scripta.

ad M. Lepidum. M'. Lepidum, Cons. a. 688, hic intelligendum esse Pighius putabat Sed Mss. nominant *M. Lepidum.* Orellius in Onom. p. 14 locos ex epistolis ad Att. VII—IX. 1, retulit ad Mamercum Lepidum, cons. a. 677, fratrem Manii. Difficilis optio est in Lepidorum aequalium multitudine. Vid. stemma Lepidorum in Onom. Tull. p. 15 sq. — *C. Sosius* illo anno in urbe ius dixit. Vid. IX, 1, 2.

ad consules. Nihil muto, etsi Pompeius in litteris singulari numero utitur. Potuit enim easdem litteras ad utrumque consulem dare et confirmatur plur. num. ep. 8, 2, ubi eaedem litterae *ad consules* datae dicuntur. In ultimis verbis pluralis *constitueritis* probari non potest.

videbitur, dabis operam quam primum ad nos venias, praesidii Capuae, quantum constitueris satis esse, relinquas."

3. Deinde supposuit exemplum epistolae Domitii, quod ego ad te pridie miseram: Dii immortales, qui me horror perfudit! quam sum sollicitus quidnam futurum sit! hoc tamen spero magnum nomen imperatoris fore magnum in adventu terrorem. Spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, † nihil mutasset nec tegentia hoc, quod quum fortiter et diligenter, tum etiam mehercule; modo enim audivi quartanam a te discessisse. Moriar, si magis gauderem, si id mihi accidisset. Piliae dic non esse aequum eam diutius habere nec id esse vestrae concordiae. Tironem nostrum ab altera relictum audio; sed eum video in sumptum ab aliis mutuatum: ego autem Curium nostrum, si quid opus esset, rogaram. Malo Tironis verecundiam in culpa esse quam illiberalitatem Curii.

§ 3. *spero magnum nomen imperatoris fore, magnum in adventu terrorem.* Sic vulgo haec eduntur. Sed Cicero non poterat sperare famam Pompeii magnam *fore*, quam sciebat *esse* magnam. Ego distinctione post *fore* sublata scribendum censeo: *Spero magnum nomen imperatoris fore magnum adversariis terrorem.*

Spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, † *nihil mutasset nec tegentia hoc, quod quum fortiter et diligenter, tum etiam mehercule; modo enim audivi* cet. Dedi verba misere corrupta, ut in Med. esse dicuntur. Critici varie temptarunt. Nemo feliciter vel sic, ut mediocriter locum restituisse videatur. Inspice, quaeso, Victorii aliorumque adnott. in edit. Graeviana et I. F. Gronovii commentum in Add. vol. II, p. 313, quod tam longe a vero abest, quam quod coniecit Tunstallus p. 259. Ceteris accedat mea hariolatio: *Spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit* NISI LEVITAS ET NEGLEGENTIA, *hoc quod* NUNC FIT *fortiter et diligenter* GES*tum (iri)*. *Etiam mehercule (gaudeo); modo enim audivi* cet. Madvigius A. C. III p. 178 plura hic omissa censet.

Moriar, si magis gauderem, cet. Saepe Cicero in epistolis utitur his asseverandi formulis e sermone familiari desumptis *Moriar, ne vivam, peream si* vel *ni.* Vid. IV. 17, 5 (vulgo 16, 8) V. 20, 6. Fam. VII. 13, 1. VIII. 15, 2. Sequitur im membro conditionali praesens indicativi. Hic locus ab illis specie tantum diversus est. Nam quum Cicero proprie scribere debuisset: *Moriar, ni gaudeo; non magis gauderem, si id mihi accidisset,* liberius ea in unam sententiam contraxit.

eam diutius habere sc. quartanam.

ab altera. Explicant: *quartana,* qua laborasse Tironem mense Ianuario ineunte novimus ex epist. ad ipsum Tom. XVI. 11, 1. Sed hoc obscure dicitur. Orellius coniecit *ab alterna,* quo nomine febris intermittens appellari potuisse videtur, etsi exempla non afferuntur.

VII. (*A. U. C.* 705.)

1. Unum etiam restat amico nostro ad omne dedecus, ut Domitio non subveniat. »At nemo dubitat, quin subsidio venturus sit." Ego non puto. »Deseret igitur talem civem et eos, quos una scis esse, quum habeat praesertim et ipse cohortes XXX?" Nisi me omnia

fallunt, deseret: incredibiliter pertimuit; nihil spectat nisi fugam, cui tu — video enim quid sentias — me comitem putas debere esse. 2. Ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo; quod enim tu me laudas et memorandum ducis, malle quod dixerim me cum Pompeio vinci quam cum istis vincere, ego vero malo, sed cum illo Pompeio, qui tum erat aut qui mihi esse videbatur; cum hoc vero, qui ante fugit, quam scit aut quem fugiat aut quo, qui nos tradidit, qui patriam reliquit, Italiam relinquit, si malui, contigit, victus sum. Quod superest, nec ista videre possum, quae nunquam timui ne viderem, nec mehercule istum, propter quem mihi non modo meis, sed memet ipso carendum est. 3. Ad Philotimum scripsi de viatico,

§ 1. *eos, quos una scis esse.* „Senatorii ordinis erant P. Lentulus Spinther, L. Vibullius Rufus, S. Quintilius Varus, L. Rubrius, praeterea filius Domitii aliique complures adolescentes et magnus numerus equitum Romanorum et decurionum, quos ex municipiis Domitius evocaverat." Caes. B. C. I, 23.

quum habeat p. et ipse cohortes XXX. Latine nesciunt, qui hoc de Domitio dictum accipiunt. Domitius fere XXX cohortes habebat, ut certo novimus ex Pompeii epist. h. l. 11 A et e Caesaris narratione B. C. I. 17. Pompeius *ipse* eundem fere militum numerum coegisse hic traditur. Quae ipse Pompeius scripsit in litteris epistolae 12 h. l. adiectis A. 2, C. 2, D. 1, de suarum cohortium numero non pugnant cum hac mentione. *quum praesertim* et *praesertim quum* sine discrimine poni pro *idque quum tamen* vel *quamvis* plurimis exemplis Tullianis demonstravit Madvig. ad II de Fin., 25, idemque hic ut supra IV. 5, 2 non *et ipse,* sed simplex *ipse* Ciceronis esse censuit ad V. 64 operis laudati.

cui tu — me comitem putas debere esse. Dativus pendet a vv. *me comitem esse,* ut VII, 9, 3 *ei* a verbis *remedium est ullum.* Utroque loco poterat quoque genetivus poni a substantivo pendens.

§ 2. *Ego vero — non habeo.* Acerbe dictum, quod ex Ciceronis dictorum libris repetierunt Domitius Marsus apud Quint. I. O. VI. 3, 109. Plut. in Apophtegm. p. 205. C. Macrob. Sat. VI, 3. Apud Quint. l. l. et VIII. 5, 18 verba sic disponuntur: *Habeo quem fugiam; quem sequar non habeo.* Sed h. l., ubi *ego vero* praecedit, ordo, quem libri Mss. omnes tenent, melior est, ne tria deinceps vocabula in eodem sono desinant.

quod enim tu me laudas et memorandum ducis. Codd. *meum laudas,* quod ut de dicto accipi posset, Wes. de suo adiecit *illud.* Sed tum otiosa sunt in sequentibus verba *quod dixerim,* quae Cobetus expungi iussit. Ego locum correxi in Obss. crit. p. 53 pro *meum* scribendo *me.* Deinde cum Bosio scripsi *ducis;* male in Med. *dicis.* Neque enim nunc de nomine, quod dicto Ciceronis imponi posset, sed de opinione et iudicio Attici sermonem esse apertum est. cf. de discrimine inter ea, quae *dicuntur* et *ducuntur* Bakius ad Cic. Leg. p. 383 et 453.

qui nostra tradidit in codd. non integrum existimans scripsi: *qui nos tradidit.* Idem placuit Gronovio, qui adscripsit: „qui nos tantum non Caesari in manum dedit." Conf. eiusdem Obss. III. 23 p. 496. Seqq. idem tuetur hac interpretatione: „qui urbe excessit, in eo est ut etiam excedat Italia."

si malui, contigit, ɔ: si malui vinci, factum est, quod volui.

nec ista videre possum — nec istum ɔ: nec ea, quae nunc Romae geruntur, nec Caesarem adspicere possum.

§ 3. *a Moneta.* „Mandarat Philotimo, ut aut a Moneta, ubi numi cudebantur, viaticum sibi pararet, auro argentove infecto pro ea permutato, aut ut ab argentariis faenori acciperet." Bosius. Erat autem *aedes et officina Monetae* in arce Capitolina. Liv. VI, 20 coll. V, 47, et cf. Becker. Ant. Rom. I p. 392 seq. — De Oppiis vid. VII. 13 A, 5.

cetera apposita ɔ: apta ad profectionis consilium. Quoniam praecedit viatici mentio, hic non additur *ad iter. Apposite,* ut Orellius scripsit pro opportuno tempore, nec dicitur, nec h. l. in codice noto legitur.

sive a Moneta — nemo enim solvit — sive ab Oppiis, tuis contubernalibus; cetera apposita tibi mandabo.

VIII. A. U. C. 705.)

1. O rem turpem et ea re miseram! sic enim sentio id demum aut potius id solum esse miserum, quod turpe sit: aluerat Caesarem, eundem repente timere coeperat, conditionem pacis nullam probarat, nihil ad bellum pararat, urbem reliquerat, Picenum (sua) amiserat culpa, in Apuliam se compegerat, ibat in Graeciam, omnes nos *ἀπροσφωνήτους*, expertes sui tanti, tam inusitati consilii relinquebat. 2. Ecce subito litterae Domitii ad illum, ipsius ad consules: fulsisse mihi videbatur *τὸ καλὸν* ad oculos eius et exclamasse ille vir, qui esse debuit:

Πρὸς τοῦθ᾽ ὅ τι χρὴ καὶ παλαμάσθων,
καὶ πᾶν ἐπ᾽ ἐμοὶ τεκταινέσθων·
τὸ γὰρ εὖ μετ᾽ ἐμοῦ.

At ille tibi *πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ* dicens pergit Brundisium. Domitium autem aiunt re audita et eos, qui una essent, se tradidisse. O rem lugubrem! Itaque intercludor dolore, quo minus ad te plura scribam: tuas litteras exspecto.

§ 1. *ea re* ɔ: ideo. Gronovius elegantius scribi putabat *vere miseram.*

Picenum (sua) amiserat eulpa ɔ: non virtute adversarii, sed imprudentia sua, quod non mature eo praesidia duxit. *sua* ab Ernesto est additum. *Alere* in eadem re legitur h. l. 3, 3.

in Apuliam se compegerat, tanquam in pistrinum aliquod aut in carcerem. Vid. Ellendt. ad Cic. de Orat. II. p. 37.

§ 2. Πρὸς τοῦθ᾽ ὅ τι χρὴ κ. τ. λ. Versus Euripidis sunt, quos servarunt Suidas et Clemens Alex., Aristophanes vero paulum mutatos in Acharnenses transtulit. Apud illos haec adduntur:

τὸ γὰρ εὖ μετ᾽ ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον σύμμαχον ἔσται
κοὐ μή ποθ᾽ ἁλῶ κακά πράσσων.

πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ dicens. cf. Eurip. Hippol. 113 τὴν σὴν δὲ Κύπριν πολλ᾽ ἐγὼ χαίρειν λέγω. Latine similiter dicitur: multam salutem honestati dicens. Cf. Fam. VII. 33, 2: *Ego vero multam salutem et foro dicam et curiae.* De τῷ καλῷ vid. Obbarius ad Hor. Epist. I. 2, 3.

Domitium aiunt — se tradidisse. cf. Caesar de B. C. I. 17. 19—23.

intercludor dolore ɔ: impedior dolore, dolor plura scribere vetat.

IX. (*A. U. C.* 705.)

1. Epistolam meam quod pervulgatam scribis esse, non fero moleste: quin etiam ipse multis dedi describendam; ea enim et acciderunt iam et impendent, ut testatum esse velim de pace quid senserim. Quum

autem ad eam hortarer eum praesertim hominem, non videbar ullo modo facilius moturus, quam si id, quod eum hortarer, convenire eius sapientiae dicerem. Eam si admirabilem dixi, quoniam eum ad salutem patriae hortabar, non sum veritus, ne viderer assentari, cui tali in re lubenter me ad pedes abiecissem. Quod autem est, »aliquid impertias temporis," non est de pace, sed de me ipso et de meo officio ut aliquid cogitet; nam quod testificor me expertem belli fuisse etsi id re perspectum est, tamen eo scripsi, quo in suadendo plus auctoritatis haberem, eodemque pertinet, quod causam eius probo. 2. Sed quid haec nunc? utinam aliquid profectum esset! Ne ego istas litteras in contione recitari velim, siquidem ille ipse ad eundem scribens in publico proposuit epistolam illam, in qua est, »pro tuis rebus gestis amplissimis:" — amplioribusne quam suis, quam Africani? ita tempus ferebat — siquidem etiam vos duo tales ad quintum miliarium, quid nunc ipsum de se recipienti, quid agenti, quid acturo? Quanto autem ferocius ille causae suae confidet, quum vos, quum vestri similes non modo frequentes sed laeto vultu gratulantes viderit?

§ 1. *Epistolam meam,* quam Capua ad Caesarem dederat, et de qua scripsit supra 2, 1.

Quod autem est scripsi a Wesenbergio edoctus *qua* pro *in qua parte epistolae* non potuisse a Cicerone scribi. *Quod est* dicitur pro Quod attinet ad id, quod in epistola mea scriptum est. *Esse* eadem vi redit in § 2 *in qua est.* XI. 7, 2 *exemplum — litterarum, in quibus erat.*

§ 2. *ille ipse ad eundem scribens* ɔ: Pompeius ad Caesarem scribens.

pro tuis rebus gestis amplissimis. Cf. VII. 26, 2.

quam Africani. Semper sic dici sine additamento eum, qui Africam perdomuit, Carthaginis eversorem, monuit Madvigius, Op. Ac. I. p. 194. Cicero in epist. ad Pompeium a. 692 data (Fam. V. 7) hunc *multo maiorem* dicit, *quam Africanus fuit.* Sed et illud tempus ferebat.

ita tempus ferebat. Revocavi lectionem, quae libri Med. auctoritate certa nititur. Quod Bosio placuit *tempestas* hoc significatu Ciceronianum non est.

siquidem etiam. Male plenam distinctionem ante haec verba ponunt. Pergit in eadem sententia: Sane ego meas litteras in concione recitari velim, siquidem Pompeius olim ad eum scripsit, cet.: siquidem etiam *vos duo tales* ɔ: tu et S. Peducaeus, (quem in his rebus saepe Attico adiungit, ut VII. 13 a. 3. 14, 3. 17, 1) ad quintum ab urbe miliarium Caesari obviam ire voluistis, vel potius obviam ivistis. Pessime Bosius Lipsii iussu *Cales* scripsit, verba *ad quintum miliarium* non curans. Nam Cales plus C milia passuum ab urbe distabant.

quid nunc ipsum de se recipienti, quid agenti, quid acturo? Sic scripsi ex mea correctione. *Nunc ipsum* recte iam explicuit Corradus *hoc ipso tempore,* citans Ep. VII. 3, 2. Add. XII. 16. *Nunc tamen ipsum sine te esse non possum.* ibid. 40, 2 et saepius. — *de se recipere* est *promittere se facturum.* Vid. ad II. 22, 2 et cf. Liv. XL. 35. *Si neque de fide barbarorum quidquam recipere aut affirmare nobis potes.* — Vides, quam recte omnia procedant: „Obviam ivistis Caesari, quid nunc ipsum pollicenti, quid agenti, quid acturo?" Rursus vide vulgatam lectionem: *Quid nunc ipsum unde se recipienti, quid agenti, quid acturo?* in qua primum offendit *quid,* diversa vi positum, semel ut sit διά τι, tum bis τι; tum *recipere se ex aliquo loco* inepte dicitur de Caesare victore ad urbem accedente, quum illud verbum non nisi de fugientibus, aut de iis, qui ex terrore respirant, usurpetur: postremo illud falsum Caesarem se tum re-

»Num igitur peccamus?" Minime vos quidem, sed tamen signa conturbantur, quibus voluntas a simulatione distingui posset. Quae vero senatus consulta video? Sed apertius, quam proposueram. 3. Ego Arpini volo esse pridie Kal., deinde circum villulas nostras errare, quas visurum me postea desperavi. *Εὐγενῆ* tua consilia et tamen pro temporibus non incauta mihi valde probantur. Lepido quidem — nam fere *συνδιημερεύομεν,* quod gratissimum illi est — nunquam placuit ex Italia exire, Tullo multo minus — crebro enim illius litterae ab aliis ad nos commeant —; sed me illorum sententiae minus movebant — minus multa dederant illi rei publicae pignora —, tua mehercule auctoritas vehementer movet; affert enim et reliqui temporis recuperandi rationem et praesentis tuendi. Sed, obsecro te, quid hoc miserius quam alterum plausus in foedissima causa quaerere, alterum offensiones in optima? alterum existimari conservatorem inimicorum, alterum desertorem amicorum? Et mehercule quamvis amemus Cnaeum nostrum, ut et facimus et debemus, tamen hoc, quod talibus viris non subvenit, laudare non possum; nam sive timuit, quid ignavius? sive, ut quidam putant, meliorem suam causam illorum caede fore putavit, quid iniustius? Sed haec omittamus; augemus enim dolorem retractando. 4. VI. Kal. vesperi Balbus minor ad me venit occulta via currens ad Lentulum consulem, iussu Caesaris, cum litteris, cum mandatis, cum promissione provinciae, Romam ut redeat, cui persua-

cipere *e bello cum civibus gesto,* ut explicant illud *unde.* Nam erat in medio bello. *Unde,* quod tantas turbas dedit, ortum est e prava repetitione duarum litterarum, quae praecedens voc. claudunt.

quibus — posset. Imperf. coni. in sententia relativa post praesens *conturbantur* non debet sollicitari. Omissa est enim enuntiatio conditionalis: *si non conturbarentur, si certa essent.* W. coniecit *potest.*

Quae vero SCta video? quam honorifica de Caesare et plane ad eius arbitrium scripta.

Sed apertius, quam proposueram ɔ: sed apertius de his rebus scribo, quam ab initio decreveram.

§ 3. *affert — tuendi* ɔ: Si tuum consilium sequar, potero et tempus quod paene elapsum est ad pacem faciendam adhibere et periculum quod adest vitare.

quaerere offensiones dicitur Pompeius, quod homines a se alienabat.

quod talibus viris non subvenit. Cf. supra ad ep. 7, 1.

meliorem — putavit ɔ: putavit illorum caede Caesarem sibi conflaturum invidiam.

§ 4. *currens.* Magis placet verbum simplex, quod in eadem re legitur IX. 2, 3. et 3, 1, quam compositum *accurrens,* quod Orellius reposuit, quum e Med. et libris Oxon. notetur *occurrens.* In Cod. Hisp. esse traditur *occultavit currens.*

iussu Caesaris. Libri consentiunt in *missu C.,* qua dictione ipse Caesar utitur B. G. V. 27. VI. 7. Sed quum alibi apud Ciceronem non legatur et saepe haec nomina a librariis permutata sint, e vett. editt. revocavi *iussu.*

cui persuaderi posse non arbitror, nisi erit conventus. Nipperdeius in Philol. III. p. 148 iussit restitui: *cui persuaderi posse arbitror, si erit conventus.* Cave audias. Corradus acute vidit esse iocum Ciceronis, similem Plautino in Aulul. (II. 4, 57): *te scio facile abstinere*

deri posse non arbitror, nisi erit conventus. Idem aiebat nihil malle Caesarem, quam ut Pompeium assequeretur — id credo — et rediret in gratiam: id non credo et metuo ne omnis haec clementia ad † unam illam crudelitatem colligatur. Balbus quidem maior ad me scribit nihil malle Caesarem quam principe Pompeio sine metu vivere: tu puto hoc credis. Sed, quum haec scribebam v. Kalend., Pompeius iam Brundisium venisse poterat: expeditus enim antecesserat legiones XI (Kal.) Luceria. Sed hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia est: plane quid futurum sit nescio.

posse, si nihil obviam est. Verba sic sunt explicanda: Lentulum non credo morem Caesari esse gesturum, nisi Balbus cum eo collocutus fuerit; ea est hominis levitas, ut cum Caesare in gratiam rediturus sit, si Balbus eum convenerit. Putabat autem Cicero Lentulum ante tramissurum, quam posset conveniri, epist. 11, 5. Et sic factum est. IX. 6, 1.

ut Pompeium assequeretur. Balbus indicabat Caesarem cum Pompeio de pace agere velle; Cicero huic verbo aliam vim tribuit, quasi Caesar Pompeium capere vellet. Propterea scribit: *id credo.*

ad † unam illam crudelitatem. „Malim: *ad Sullanam illam crud.* Cf. mox ep. 11, 2." Or. Potius putarim Caesarem cum Cinna comparari, scripserimque *ad Cinnanam illam crudelitatem.* Cf. imprimis VII. 7, 7. *Illud omnibus exploratum est, si boni victi sint, nec in caede principum clementiorem hunc fore quam Cinna fuerit, nec moderatiorem quam Sulla in pecuniis locupletium.* Plurimis locis Cinnae *crudelitas* a Cicerone reprehenditur, Sullae magis *vehementia* vel *regnum.*

tu puto hoc credis. Puto sententiae interiicitur ad ironiam declarandam, ut *opinor, scilicet,* alia. Exemplis poetarum hunc usum illustrarunt intt. ad VII. 7, 1. raro apud Tullium inveni, ut XII. 11 *puto nosti. Hoc* scripsi cum W., quum de uno illo *nihil malle — vivere* agatur.

antecesserat legiones XI (Kal.) Luceria. In omnibus codd. notis post *legiones* inventum est XI; quae nota numeralis ad *legiones* pertinere quum non possit, Orellius egregie suspicatus est addendum esse temporis indicium.

X. (*A. U. C.* 705.)

Dionysius quum ad me praeter opinionem meam venisset, locutus sum cum eo liberalissime, tempora exposui, rogavi ut diceret quid haberet in animo, me nihil ab ipso invito contendere. Respondit se, quod in nummis haberet, nescire quo loci esset, alios non solvere, aliorum diem nondum esse. Dixit etiam alia quaedam de servulis suis, quare nobiscum esse non posset. Morem gessi, dimisi a me, ut magistrum Ciceronum non libenter, ut hominem ingratum non invitus. Volui te scire quid ego de eius facto iudicarem.

Dionysius. Cf. h. l. ep. 4 et 5, 1.

quod in nummis haberet. Lambino aliisque placet *quod in nominibus haberet.* Sed observavit Ernestus *habere in nummis* dici de pecunia non solum quae in arca sit, verum etiam quae faenori data sit et opponatur praediis, citans e Verr. III. 86 *habet in nummis, in urbanis praediis.* Add. Rosc. Com. 22 *Debebat? Immo in suis nummis versabatur.*

Morem gessi ɔ: permisi agere quod vellet, concessi ut abiret ad res suas curandas. Cum iis quae sequuntur cf. p. Cluentio 14: *ut in tantis iniuriis non invita, ut a viro non libenter,* et quae indicavit Madv. ad Fin. IV. 1.

XI. (*A. U. C.* 705.)

1. Quod me magno animi motu perturbatum putas, sum equidem, sed non tam magno quam tibi fortasse videor; levatur enim omnis cura, quum aut constitit consilium aut cogitando nihil explicatur. Lamentari autem licet; illud tamen totos dies, sed vereor ne, nihil quum proficiam, etiam dedecori sim studiis ac litteris nostris. Consumo igitur omne tempus considerans quanta vis sit illius viri, quem nostris libris satis diligenter, ut tibi quidem videmur, expressimus. Tenesne igitur moderatorem illum rei publicae quo referre velimus omnia? Nam sic quinto, ut opinor, in libro loquitur Scipio: »Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria, sic huic moderatori rei publicae beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit; huius enim operis maximi inter homines atque optimi illum esse perfectorem volo." 2. Hoc Cnaeus noster quum antea nunquam, tum in hac causa minime cogitavit. Dominatio quaesita ab utroque est, non id actum, beata et honesta civitas ut esset. Nec vero ille urbem reliquit, quod eam tueri non posset, nec Italiam, quod ea pelleretur, sed hoc a primo cogitavit, omnes terras, omnia maria movere, reges barbaros incitare, gentes feras armatas in Italiam adducere, exercitus conficere maximos. Genus illud Sullani regni iampridem appetitur, multis,

§ 1. *levatur enim — explicatur* ɔ: cura deponitur, vel quum stat, quid nobis sit faciendum, vel quum nullus exitus reperitur.

Lamentari a. licet; illud tamen totos dies, sed vereor, ne cet. Aliquid mendi hic subesse Malaspinae facile concedo, sed non placet restitutio verborum, ab illo proposita, Lambino probata et in edit. Or. priore recepta: *Illud tamen totos dies vereor, ne, nihil quum proficiam, etiam dedecori sit studiis ac litteris nostris.* Quod in codd. ante *vereor* legitur *sed* expungitur et pro *sim*, quod tamen non satis certum est in codd., *sit* scribitur; sed orationis scabrities non tollitur. Nec multum proficimus distinctione verborum in altera Or. editione. Proferam aliud remedium, non nimis violentum, ut mihi quidem videtur, et quo simul iis, quae proxime praecedunt, succurritur. Scribendum enim puto: *Lamentari autem licet illud quidem totos dies, sed vereor ne — etiam dedecori sim studiis ac litteris nostris* ɔ: ut scribit II. 17. 1 *ne et opera et oleum philologiae nostrae perierit,* ne frustra in scriptis Graecorum versatus videar. Madvigius in Adv. Crit. II, 236 eodem modo locum correxit. De pronomine *illud* ad subiectum *lamentari* relato ad fulciendam particulam *quidem* si quis dubitet, inspiciat, quae Madvigius monuit ad Fin. p. 545, et Opusc. Ac. II. p. 314 sq. Opportune Bosius comparavit ex ep. 1, lib. XVI. § 1 verba: *sed stomachari totum diem licet. Litterae* pro libris ponuntur, ut saepius. cf. Madv. ad Fin. p. 31.

quem nostris libris — expressimus ɔ: quem in opere de Republica imitando effinximus. Cf. de Or. II. 90. Eodem modo dicitur *rem versibus exprimere,* Div. I. 79 et *expressa signa* opponuntur *adumbratis,* Cael. 12, *solida et expressa effigies* opp. *umbrae et imaginibus* Off. III. 69. — Quintus liber, unde sequentia desumpta sunt, fere totus periit.

§ 2. *a primo* ɔ: ab initio belli civilis,

qui una sunt, cupientibus. An censes nihil inter eos convenire, nullam pactionem fieri potuisse? hodie potest; sed neutri σκοπὸς est ille, ut nos beati simus; uterque regnare vult. 3. Haec a te invitatus breviter exposui: voluisti enim me, quid de his malis sentirem, ostendere. Προθεσπίζω igitur, noster Attice, non hariolans, ut illa, cui nemo credidit, sed coniectura prospiciens:

iamque mari magno

non multo, inquam, secus possum vaticinari; tanta malorum impendet Ἰλιάς. Atque hoc nostra gravior est causa, qui domi sumus, quam illorum, qui una transierunt, quod illi † quidem alterum metuunt, nos utrumque. 4. Cur igitur, inquis, remansimus? vel tibi paruimus, vel non occurrimus, vel hoc fuit rectius. Conculcari, inquam, miseram Italiam videbis proxima aestate aut † utriusque in mancipiis ex omni genere collectis; nec tam iptio pertimescenda, quae Luceriae multis sermonibus denuntiata † est igitur quam universam interitus: tantas in confligendo utriusque vires video futuras. Habes coniecturam

§ 3. *non hariolans* ɔ: non vaticinans, ut Cassandra „Dei iussu non unquam credita Teucris." Postridie tamen ad haec ipsa respiciens scribit, harum litterarum *vaticinationem falsam esse cupio.* Vid. ep. 12, 1.

iamque mari magno..... Sunt verba Cassandrae in Ennii Alexandro Helenae raptum et Troiae excidium vaticinantis. En totum locum ex aliis Ciceronis locis a Viris doctis compositum:

Iamque mari magno classis cita
Texitur, exitium examen rapit;
Adveniet, fera velivolantibus
Navibus complebit manus litora.

Exitium v. 2 pro *exitiorum* dictum esse docet Cicero Orat. 155, et verba *exitium examen rapit* hoc indicant: malorum agmen vel nubem adfert. Cetera plana.

quod illi † quidem alterum metuunt, nos utrumque. Nescio unde haec lectio fluxerit, sed primis editoribus deberi suspicor. In Mediceo est: *quod illi qui alterum manuunt nostramque.* In Helmst. idem invenit Graevius, sed *manunt.* E cod. Hisp. notatur: — *manent nrmq: cur.* cet. De reliquis libris tacetur. Buechelerus verba sanata putabat deleto *quidem.* Vid. Mus. Rhen. XIII. p. 589. Mihi sententia non satisfacit. E librorum Mss. ductibus hoc eruo: *quod illi sequi alterum malunt, nos neutrum.*

§ 4. *vel tibi paruimus,* cet. Tres rationes Cicero videtur afferre, cur remanserit in Italia, nec cum Pompeio mare transierit. Ex illis prima et tertia talis est, ut nemo in iis haereat; secundam *vel non occurrimus* non intelligo. Nam neque Manutii explicatio „non licuit nobis Pompeium adire, quum discessurus esset," quocum facit I. F. Gronovius adnotans: „non in tempore Pompeio praesto esse potui," neque Wielandi interpretatio „weil er mir zu schnell entwischte, um ihn einhölen zu können" his verbis continetur. Ut sunt, nihil aliud dicitur quam: Remansi, quia ei non occurri ɔ: quia remansi. Ex his ineptiis quomodo me expediam, nescio, nec placet viri docti suspicio scribendum esse: *vel non erat cur iremus.* Sequentia quoque foedis maculis sunt conspersa, recteque Victorius animadvertit hanc epistolam a librariis undique pessime esse acceptam.

† *aut utriusque in mancipiis.* In hac corrupta lectione conspirant Med. et Hisp. Quod Victorius pro *aut* coniecit *et quati* non placet, quoniam *conculcari* multo gravius est; neque quod Bosius excogitavit *utriusque vi* verum videtur. *Mancipiis* non possunt designari Caesaris et Pompei milites. Deinde scripsi quod e Med. affertur *iptio,* lacunae signo praeposito. Sine dubio integrum nomen fuit *proscriptio* non *direptio,* ut Mure-

meam; tu autem consolationis fortasse aliquid exspectasti: nihil invenio, nihil fieri potest miserius, nihil perditius, nihil foedius. 5. Quod quaeris quid Caesar ad me scripserit, quod saepe, gratissimum sibi esse, quod quierim, oratque in eo ut perseverem. Balbus minor haec eadem mandat; iter autem eius erat ad Lentulum consulem cum litteris Caesaris praemiorumque promissis, si Romam revertisset; verum, quum habeo rationem dierum, ante puto tramissurum, quam potuerit conveniri. 6. Epistolarum Pompeii duarum, quas ad me misit, negligentiam meamque in rescribendo diligentiam volui tibi notam esse: earum exempla ad te misi. 7. Caesaris hic per Apuliam ad Brundisium cursus quid efficiat exspecto: utinam aliquid simile Parthicis rebus! Simul aliquid audiero, scribam ad te: tu ad me velim bonorum sermones; Romae frequentes esse dicuntur. Scio equidem te in publicum non prodire, sed tamen audire te multa necesse est. Memini librum tibi afferri a Demetrio Magnete ad te missum *περὶ ὁμονοίας*: eum mihi velim mittas. Vides quam causam mediter.

tus putabat. In verbis *denuntiata est igitur* latere puto *denuntiata esse dicitur.* Postremo pro inepto *universam* Gronovius coniecit *universorum*, Buechelerus *universae rei p.* Totus locus partim cum Madvigio A. C. III p. 179 sic legatur: *Conculcari, inquam, miseram Italiam videbis proxima aestate aut* (*alterius aut*) *utriusque copiis ex omni genere collectis; nec tam* (*singulorum*) *proscriptio pertimescenda, quae Luceriae multis sermonibus denuntiata esse dicitur, quam universorum interitus.* Cf. Buecheler in Mus. Rhen. XIII. p. 592.

§ 5. *Balbus m. haec eadem mandat.* Omnes libri scripti habent *mandata*, ut supplendum sit *ad me attulit.* Sed Caesar *orabat*, non *mandabat.* Propterea ultimam litteram delevi.

§ 7. *utinam aliquid simile Parthicis rebus* ɔ: utinam ille Caesaris cursus merum terrorem Pompeio iniiciat, ut solent Parthi suis incursionibus Cf. adn. mea ad VII. 26 extr.

περὶ ὁμονοίας. *Quod ad te ante scripsi, Demetrii Magnetis librum, quem ad te misit de concordia, velim mihi mittas* VIII. 12 extr. et *Demetrii librum de concordia tibi remisi* IX. 9, 2. Male igitur Maussacus ad Harpocr. in v. Μεθώνη h. l. mutabat περὶ ὁμωνύμων (ποιητῶν καὶ συγγραφέων), qui liber eiusdem scriptoris alibi citatur. Sed nihil ex eo labore Cicero nunc quaerebat. — *Scio,* quod in Med. indicem libri praecedit, mero librarii errori debetur. — *Ad te missum* est i. q. tibi dedicatum. Cf. Cat. Mai. § 3. Fin. I. 8. In extrema ep. 11 lib. IV de alio huius Demetrii libro sermo esse videtur.

A.

CN. MAGNUS PROCOS. S. D. M. CICERONI IMP.

Q. Fabius ad me venit a. d. IIII. Idus Febr. Is nuntiat L. Domitium cum suis cohortibus XI. et cum cohortibus XIIII., quas Vibullius

Notatu dignum, quod Pompeius in inscriptione huius et sequentium epistolarum solo cognomine se appellat et a Cicerone appellatur. Argumentum illustrari potest e Caesaris commentariis de B. C. I. 15.

cum suis cohortibus XI. In alia epistola,

adduxit, ad me iter habere; habuisse in animo proficisci Corfinio a. d. v. Id. Febr., C. Hirrum cum v. cohortibus subsequi. Censeo ad nos Luceriam venias; nam te hic tutissime puto fore.

addita sequenti Ciceronis A., Pompeius loquitur de XII cohortibus Domitii. Nisi error scribentis sit, h. l. corrigendum XII. — Cohortes XIV et V, quae hic nominantur sunt cohortes XIX, quas in illa epistola ex Piceno ad se venire scribit. Caesar l. c. Vibullio, postquam Hirri cohortes exceperat, non nisi XIII, Domitio *circiter XX* fuisse scribit. Summa cum numeris Pompeii convenit. Erant *cohortes amplius XXX*, ut tradit B. C. I. 17.

tutissime. Hanc formam Pompeio reliqui, quum *tutissimo*, quo Cicero VIII. 1, 2 usus putatur, hoc loco nullius libri certa auctoritate nitatur.

B.

M. CICERO IMP. S. D. CN. MAGNO PROCOS.

1. A. d. xv. Kalend. Mart. Formiis accepi tuas litteras, ex quibus ea, quae in agro Piceno gesta erant, cognovi commodiora esse multo, quam ut erat nobis nuntiatum, Vibulliique virtutem industriamque libenter agnovi. Nos adhuc in ea ora, ubi praepositi sumus, ita fuimus, ut navem paratam haberemus; ea enim audiebamus et ea verebamur, ut, quodcunque tu consilium praecepisses, id nobis persequendum putaremus. Nunc, quoniam auctoritate et consilio tuo in spe firmiore sumus, si teneri posse putas Tarracinam et oram maritimam, in ea manebo, etsi praesidia in oppidis nulla sunt; nemo enim nostri ordinis in his locis est praeter M. Eppium, quem ego Minturnis esse volui, vigilantem hominem et industrium. Nam L. Torquatum, virum fortem et cum auctoritate, Formiis non habemus, ad te profectum arbitramur. 2. Ego omnino, ut proxime tibi placuerat, Capuam veni eo ipso die, quo tu Teano Sidicino es profectus — volueras enim me cum M. Considio pro praetore illa negotia tueri —; quum eo venis-

§ 1. *quam ut erat nobis nuntiatum. Ut* in hac dicendi forma Ernesto erat suspectum. Nobis *ut erat* e *fuerat* male descriptum videtur.

ubi praepositi sumus. Sic recte libri scripti. Nam *praeesse, praeficere, praeponere* saepe absolute ponuntur. Exempla e Livio collegit Drakenb. ad XXVII. 15, 15 *illo loco praepositus.* Schellerus Obs. p. 188 citavit e Cic. Sest. 41, *in eo exercitu tribuni pl. fratrem praefecerat* et Caes. B. C. III. 89 *media acie Domitium praeposuerat.*

quodcunque tu consilium praecepisses. Frustra Ernestus dubitavit de locutionis integritate. Non minus recte *consilium praecipere* dicitur, quam *capere*, si modo illud verbum propria vi ante capiendi intelligimus.

M. Eppium corrector Med. in *Oppium* mutavit, nomini minus noto notissimum substituens. Idem factum ad Fam. VIII. 8, 5. quum seq. § *Eppius* integer evaserit. Scriptor de bello Afr. dubitationem tollit M. Eppio vitam a Caesar concessam narrans c. 89.

virum — cum auctoritate ɔ: virum alicuius auctoritatis, qui speciem addit partibus, quas sequitur.

§ 2. *cum M. Considio* cognomine Noniano, cui senatus Galliam citeriorem provinciam

sem, vidi T. Ampium delectum habere diligentissime, ab eo accipere Libonem, summa item diligentia et in illa colonia auctoritate. Fui Capuae, quoad consules. Iterum, ut erat edictum a consulibus, veni Capuam ad Nonas Februar.; quum fuissem triduum, recepi me Formias. 3. Nunc quod tuum consilium aut quae ratio belli sit ignoro. Si tenendam hanc oram putas, quae et opportunitatem et dignitatem habet et egregios cives et, ut arbitror, teneri potest, opus est esse qui praesit: sin omnia in unum locum contrahenda sunt, non dubito, quin ad te statim veniam, quo mihi nihil optatius est, idque tecum, quo die ab urbe discessimus, locutus sum. Ego si cui adhuc videor segnior fuisse, dum ne tibi videar, non laboro et tamen, si, ut video, bellum gerendum est, confido me omnibus facile satisfacturum. 4. M. Tullium, meum necessarium, ad te misi, cui tu, si tibi videretur, ad me litteras dares.

detulerat. cf. Fam. XVI. 12 paullo ante hanc epistolam scripta.

T. Ampium Balbum. Cf. Garat. ad Planc. 25. Borghesi Oeuvres I p. 272—277.

§ 3. *dignitatem habet* ɔ: est nobilissima Italiae pars. cf. Q. fr. III. 1, 1.

§ 4. *M. Tullium.* Hunc esse eundem, quem supra ep. 3 extr. dicit *Leptam*, pertenuis est suspicio Glandorpii, probata Lagunae in Cicer. epistt. p. 363 sq.

C.

CN. MAGNUS PROCOS. S. D. M. CICERONI IMP.

S. V. B. E. Tuas litteras libenter legi; recognovi enim tuam pristinam virtutem etiam in salute communi. Consules ad eum exercitum, quem in Apulia habui, venerunt. Magnopere te hortor pro tuo singulari perpetuoque studio in rem publicam, ut te ad nos conferas, ut communi consilio rei publicae afflictae opem atque auxilium feramus. Censeo via Appia iter facias et celeriter Brundisium venias.

recognovi ɔ: agnovi, ik heb herkend. Eadem vi verbum poni in Cassii ep. ad Fam. XII. 12, 1 et semel certe a Cic. in Verr. I. 32, iterum fortasse Tusc. I. 57 contra Tregderum monuit Wesenb. a Baitero ad Tusc. l. l. citatus.

in salute communi tuenda, quod diligens scriptor addidisset. Mox *magnopere* e Med. restitui pro *magno opere*, ut Cicero scribere solebat.

D.

M. CICERO IMP. S. D. CN. MAGNO PROCOS.

1. Quum ad te litteras † misissem, quae tibi Canusii redditae sunt, suspicionem nullam habebam, te rei publicae causa mare transiturum,

eramque in spe magna fore ut in Italia possemus aut concordiam constituere, qua mihi nihil utilius videbatur, aut rem publicam summa cum dignitate defendere. Interim nondum meis litteris ad te perlatis ex iis mandatis, quae D. Laelio ad consules dederas, certior tui consilii factus, non exspectavi, dum mihi a te litterae redderentur, confestimque cum Quinto fratre et cum liberis nostris iter ad te in Apuliam facere coepi. 2. Quum Teanum Sidicinum venissem, C. Messius, familiaris tuus, mihi dixit aliique complures Caesarem iter habere Capuam et eo ipso die mansurum esse Aeserniae. Sane sum commotus, quod, si ita esset, non modo iter meum interclusum sed me ipsum plane exceptum putabam; itaque tum Cales processi, ut ibi potissimum consisterem, dum certum nobis ab Aesernia de eo, quod audieram, referretur. 3. At mihi, quum Calibus essem, affertur litterarum tuarum exemplum, quas tu ad Lentulum consulem misisses. Hae scriptae sic erant: Litteras tibi a L. Domitio a. d. XIII. Kal. Mart. allatas esse, — earumque exemplum subscripseras —, magnique interesse rei publicae [scripseras] omnes copias primo quoque tempore in unum locum convenire, et ut, praesidii quod satis esset, Capuae relinqueret. His ego litteris lectis, in eadem opinione fui, qua reliqui omnes, te cum omnibus copiis ad Corfinium esse venturum, quo mihi, quum Caesar ad oppidum castra haberet, tutum iter esse non arbitrabar. Quum res in summa exspectatione esset, utrumque simul audivimus, et quae Corfinii acta essent et te iter Brundisium facere coepisse, quumque nec mihi nec fratri meo dubium esset, quin Brundisium contenderemus, a multis, qui e Samnio Apuliaque veniebant, admoniti sumus, ut caveremus, ne exciperemur a Caesare, quod is in eadem loca, quae nos petebamus, profectus, celerius etiam, quam nos possemus, eo quo intenderet venturus esset; quod quum ita esset, nec mihi nec fratri meo nec cuiquam amicorum placuit committere,

§ 1. *Quum — misissem.* Recte observat W. Ciceronem non habuisse nullam suspicionem, postquam litteras miserat, sed tum, quum misit, itaque verbum esse corruptum, fortasse emendandum *misi eas.*

§ 2. *quod — putabam.* Haec a Nonio p. 293 citantur ex epist. ad Pompeium libro IV.

de eo, quod audieram ɔ: de itinere Caesaris.

§ 3. *Hae scriptae sic erant.* Inseruit eas epist. 6 h. l.

magnique interesse reip. scripseras. Verbum *scripseras* a glossatore additum puto idemque visum Cobeto in Mnemos. N. S. VIII p. 197.

in eadem opinione fui, qua reliqui. De omissione praepositionis ante relativa monui ad III. 19, 2.

quo intenderet. In eadem re modo posuit *contendere,* quod verbum Caesari prae illo placuit. Vid. Schneiderus ad B. G. IV. 18, 2, qui laudat e Terent. Andr. II. 2, 6 *quo nunc primum intendam?*

ut temeritas nostra non solum nobis sed etiam rei publicae noceret, quum praesertim non dubitaremus, quin, si etiam tutum nobis iter fuisset, te tamen iam consequi non possemus. 4. Interim accepimus tuas litteras Canusio a. d. x. Kalend. Mart. datas, quibus nos hortaris, ut celerius Brundisium veniamus; quas quum accepissemus a. d. III. Kalend. Mart., non dubitabamus, quin tu iam Brundisium pervenisses, nobisque iter illud omnino interclusum videbamus, neque minus nos esse captos, quam qui Corfinii fuissent; neque enim eos solos arbitrabamur capi, qui in armatorum manus incidissent, sed eos nihilo minus, qui regionibus (suis) exclusi intra praesidia atque intra arma aliena venissent. 5. Quod quum ita sit, maxime vellem primum semper tecum fuissem, quod quidem tibi ostenderam, quum a me Capuam reiiciebam, quod feci non vitandi oneris causa, sed quod videbam teneri illam urbem sine exercitu non posse; accidere autem mihi nolebam, quod doleo viris fortissimis accidisse. Quoniam autem, tecum ut essem, non contigit, utinam tui consilii certior factus essem! nam suspicione assequi non potui, quod omnia prius arbitratus sum fore, quam ut haec rei publicae causa in Italia non posset duce te consistere. Neque vero nunc consilium tuum reprehendo, sed fortunam rei publicae lugeo, nec, si ego quid tu sis secutus non perspicio, idcirco minus existimo te nihil nisi summa ratione fecisse. 6. Mea quae semper fuerit sententia, primum de pace vel iniqua conditione retinenda, deinde de urbe — nam de Italia quidem nihil mihi unquam ostenderas —, meminisse te arbitror; sed mihi non sumo, ut meum consilium valere debuerit: secutus sum tuum, neque id rei publicae causa, de qua desperavi, quae et nunc afflicta est nec excitari sine civili perniciosissimo bello potest, sed te quaerebam, tecum esse cupiebam, neque eius rei facultatem, si quae erit, praetermittam. 7. Ego me in hac omni causa facile intelligebam pugnandi cupidis hominibus

Si etiam tutum nobis iter fuisset. Si etiam non ponitur p. *etiamsi*, quamvis propter sequens *tamen* ita videatur. *Etiam* hic quoque ad sequens voc. pertinet, ut in exemplis, quae Handius citavit in Turs. II. p. 596 e Mil. 21, Tusc. II. 106. Sall. Cat. 14, 4. (*Etiam tutum*, ut nos dicimus *nog veilig*). De Har. resp. 3 Orellius e multis codd. recte edidit: *Cuius si iam vim — assequi possem, tamen non dubito*, quum in edit. F. A. Wolfii propagatum esset *si etiam*.

§ 5. *maxime vellem — fuissem.* Revocavi lectionem, quae est in Med. a prima manu et quam e codice notavit Lambinus, ob constantem Tullii usum, probante Wesenbergio in Obs. crit. ad Sestianam, p. 2, adn. 2. Vulgo *fuisse*.

Capuam reiiciebam. Cf. VIII. 3, 4 sq.

§ 6. *sed mihi non sumo* ↄ: hoc mihi non arrogo. Exempla huius locutionis e Cicerone collegit Forcellinus in voce, quibus adde Fam. VI. 4, 2. 5, 2.

non satisfacere: primum enim prae me tuli me nihil malle quam pacem, non quin eadem timerem, quae illi, sed ea bello civili leviora ducebam; deinde suscepto bello, quum pacis conditiones ad te afferri a teque ad ea honorifice et large responderi viderem, duxi meam rationem, quam tibi facile me probaturum pro tuo in me beneficio arbitrabar. Memineram me esse unum, qui pro meis maximis in rem publicam meritis supplicia miserrima et crudelissima pertulissem, me esse unum, qui, si offendissem eius animum, cui tum, quum iam in armis essemus, consulatus tamen alter et triumphus amplissimus deferebatur, subiicerer eisdem procellis, ut mea persona semper ad improborum civium impetus aliquid videretur habere populare; neque haec non ego prius sum suspicatus, quam mihi palam denuntiata sunt, neque ea tam pertimui, si subeunda essent, quam declinanda putavi, si honeste vitare possem. 8. Quam brevem illius temporis, dum in

§ 7. *duxi meam rationem.* Feci quod mihi optimum visum est, mihi consului. Ducere rationem = putare, inire rationem. Cf. Verr. II. 52 *non tam caeli rationem, quam argenti caelati ducere.* Rosc. Am. 128 *non laborat de pecunia, non ullius rationem sui commodi ducit,* et quod plane geminum est, Verr. I. 126 *debere eum aiebat suam quoque rationem ducere.*

cui tum, quum iam in armis essemus. Sic habent editt. veteres e codd., ut videtur. In Med. a prima manu erat *cui tu cum;* corrector expunxit *tu.* Verba *quum iam in armis essemus* explicandi causa adduntur, ut in his Laelii 53 *quod Tarquinium dixisse ferunt, tum exsulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuissent, quos infidos, quum iam neutris gratiam referre posset.*

subiicerer eisdem procellis. Non cunctanter recepi correctionem, quam aliquis protulit apud Corradum. Neque enim ea pericula, in quibus nulla vel exigua contentio est, proelia dici possunt, neque *subiici proeliis* probari potest. Contra nemo, qui Ciceronem legit, ignorat quoties vitae pericula et labores tempestatibus et procellis comparet.

ut mea persona — videretur habere. Quid sit *ut* h. l. et quomodo haec verba praecedentibus adhaereant, non planum est. C. Mullerus in coni. Tull. p. 24 *quod* causale pro *ut* reposuit. Ego potius *videretur* in *videtur* mutandum puto. *Ut* itaque est *ὥσπερ*, et *ut videtur* non aliud est, quam si dicas: *nam videtur.* Recte Mongaltius interpretatur: *car il semble que je sois destiné particulièrement à être en butte aux coups des méchants citoyens.*

mea persona. Personam hac quidem sermonis aetate non dici hominem singularem, nisi ratione habita dignitatis et muneris, quod gerit, vel virtutum, quibus ornatus est, vere a Grammaticis docetur. Vid. Periz. ad Sanctii Min. p. 81. Nolten. Antib. p. 1094 sq. Postea personae rebus opponi coeptae sunt.

populare. Illustrantur haec iis, quae scripsit Ep. 3, 5 h. l. Caesar *putabit fortasse in nobis violandis aliquid se habere populare.* Sententia haec est: Improbi cives in me impetus faciunt, eaque ratione populi gratiam captant.

neque haec non ego prius cet. Scripsi cum C. F. Mullero in Philol. XIX. p. 326. Codd. *Atque,* quod non ferendum esse ipsa sententia docet. *Neque — non* est i. q. *atque.*

§ 8. *Quam brevem — rationem nostram vides.* Bosio *quam* adverbium esse putanti, eadem vi positum ac *perquam, sane quam,* nemo contradixit. Dissensum significavi ad VII. 15, 2. Hic ego *quam* esse puto accus. pronominis relativi = *hanc,* ut hoc dicat: Breviter tibi exposui quae fuerit ratio nostra, quamdiu spes pacis erat; sed ea tempora inciderunt, ut eam rationem tenere non potuerim. Si non plus praestiti, culpa fuit temporis non mea. Madvigius Adv. crit. II p. 236 *quam* e superiori versu errore repetitum censuit et fortasse verum vidit.

spe pax fuit, rationem nostram vides; reliqui facultatem res ademit. Iis autem, quibus non satisfacio, facile respondeo: neque enim ego amicior C. Caesari unquam fui quam illi, neque illi amiciores rei publicae quam ego: hoc inter me et illos interest, quod quum et illi cives optimi sint et ego ab ista laude non absim, ego conditionibus, quod idem te intellexeram velle, illi armis disceptari maluerunt; quae quoniam ratio vicit, perficiam profecto, ut neque res publica civis a me animum neque tu amici desideres.

XII. (*A. U. C.* 705.)

1. Mihi molestior lippitudo erat etiam, quam ante fuerat; dictare tamen hanc epistolam malui quam Gallo Fabio, amantissimo utriusque nostrum, nihil ad te litterarum dare: nam pridie quidem, quoquo modo potueram, scripseram ipse eas litteras, quarum vaticinationem falsam esse cupio; huius autem epistolae non solum ea causa est, ut ne quis a me dies intermittatur quin dem ad te litteras, sed etiam haec iustior, ut a te impetrarem ut sumeres aliquid temporis, quo quia tibi perexiguo opus est, explicari mihi tuum consilium plane volo, ut penitus intelligam. 2. Omnia sunt integra nobis: nihil praetermissum est, quod non habeat sapientem excusationem, non modo

§ 1. *Gallo Fabio* cum Cod M. hic quoque scripsi, etsi fortasse *Fadius* nomen ei fuit. Sed res mihi non tam certa videtur, quam Orellio, qui in Onom. ubique *M. Fadium Gallum* corrigendum affirmavit. — Ceterum in iisdem nominibus eundem ordinem servat Cicero infra XIII. 49, 1 et XVI. 11, 1 et omnino, quoties aliquem appellat solo nomine et cognomine fixo cognomen praeponit nomini, ut plurimis exemplis docuit G. Lahmeijer in Philologo XXII. p. 481 seqq. Cf. adn. ad 15, 3 h. l.

ut a te impetrarem. Imperfecti usum post praesens sic explicat Dietrichius in Quaest. Gramm. et Crit. p. 7: „Quum legitimae temporum consecutioni plane conveniat praesens *intermittatur,* mirum videri possit, quod in proximis scriptor imperfecto *impetrarem* usus est. Sed in prioribus vis ac forma praesentis *est* effecit, ut *intermittatur* scriberet; deinde autem ista consuetudine, qua in epistolis scribendis praeteritum spectare solebant, a legitima temporum ratione abductus ita scribere perrexit, ac si praecederet: *Scripsi haec ea de causa, ut* cet. Haec enim aut similia certe scriptoris menti inhaesisse videntur."

ut sumeres aliquid temporis ɔ: ad scribendum. Cicero Atticum rogat, ut huic rei aliquid temporis impendat. In proximis assentior Madvigio A. C. III p. 180 corrigenti *quo tibi quidem perexiguo opus est; explicari (enim) mihi* etc.

§ 2. *Omnia sunt integra nobis* ɔ: nihil feci aut omisi, quod me non fecisse aut non omisisse mallem.

nihil praetermissum est, quod non habeat sap. exc. non modo probabilem ɔ: nihil praetermisi, quin meum factum possit excusari, non dicam aliqua probabili specie, sed iuste ac sapienter.

non modo in altero membro sententiae pro *ne dicam* positum invenies Fam. I. 9, 21 *nullum meum minimum dictum, non modo factum pro Caesare intercessit.* Phil. II. 107 *quos clientes nemo habere velit, non modo illorum cliens esse.*

probabilem; nam certe neque tum peccavi, quum imparatam Capuam, non solum ignaviae delictum, sed etiam perfidiae suspicionem fugiens, accipere nolui, neque quum post conditiones pacis per L. Caesarem et (L.) Fabatum allatas cavi, ne animum eius offenderem, cui Pompeius iam armatus armato consulatum triumphumque deferret. 3. Nec vero haec extrema quisquam potest iure reprehendere, quod mare non transierim: id enim, etsi erat † deliberationis, tamen obire non potui; neque enim suspicari debui, praesertim quum ex ipsius Pompeii litteris, quod idem video te existimasse, non dubitarim, quin is Domitio subventurus esset, et plane, quid rectum et quid faciendum mihi esset, diutius cogitare malui. 4. Primum igitur, haec qualia tibi esse videantur, etsi significata sunt a te, tamen accuratius mihi perscribas velim, deinde aliquid etiam in posterum prospicias fingasque quem me esse deceat et ubi me plurimum prodesse rei publicae sentias, ecquae pacifica persona desideretur, an in bellatore sint omnia. 5. Atque ego, qui omnia officio metior, recordor tamen tua consilia, quibus si paruissem, tristitiam illorum temporum non subissem, memini, quid mihi tum suaseris per Theophanem, per Culleonem, idque saepe ingemiscens sum recordatus. Quare nunc saltem ad illos calculos revertamur, quos tum abiecimus, ut non solum gloriosis consiliis uta-

ignaviae delictum. Quod M2 dat *delectum* dici posse pro *negligentiae in delectu habendo suspicionem* merito negavit Orellius. Is scripsit *ignaviae dedecus;* ego malui cum Corrado *ignaviae delictum,* propter oppositum *perfidiae suspicionem.* — *ignaviae in delectu,* ut scribi volebat Moserus, Symb. Crit. V. p. 15, minime aptum est.

Fabatum. Dio XLI, 5 legatos in illa re vocat L. Caesarem et *L. Roscium.* cf. Caes. B. C. I. 8. Huic videtur fuisse cognomen *Fabatus,* quod Rubrio apud Tac. Ann. VI. 14, Calpurnio ibid. XVI, 8 datur.

§ 3. *etsi erat deliberationis.* Merito de hac quoque Latinitate dubitat Orellius, sed non feliciter coniecit: *etsi erat deliberatio omnis,* coll. VIII. 3, 1, *deliberatio autem omnis haec est,* cuius loci diversam rationem nemo non perspicit. Melius est, quod proposuit Kahntius Symb. Crit. p. 9 *etsi erat deliberationis res,* coll. consimili loco de eadem re ex ep. 10, lib. VII: *si in Italia consistet, erimus una: sin cedet, consilii res est,* et Liv. XXI. 19, *si verborum disceptationis res esset.* Sed si scriptum fuit: *etsi erat deliberatio iusta, tamen* cet. manifestum est quam facile inde scriptura vulgaris fieri potuerit. — *Id obire non potui* ɔ: ad tempus adesse non potui mare transituro. Sic dicebant *obire diem, comitia.*

quod idem video te existimasse de Faerni coni. scripsi. Vulgo: *idem quod* cet.

§ 4. *significata sunt.* „Ratio naturalis loquendi postulabat: etsi significatum est a te. Sed sic quoque supra VII. 17, 4. *Sed haec — intelligentur, quorsum evasura sint* et Agr. II. 102, *quae — timebatis, ea ne accidere possent — provisa sunt.*" Gronovius.

§ 5. *tristitiam illorum temporum.* Cogitat exsilium suum, quod saepe *sua tempora* vocat, ut Fam. I. 9, 23. II. 6, 2. Planc. 40.

ad illos calculos revertamur, illam rationem ducamus, in deliberando hoc ne negligatur. Gronovius comparavit Plin. Ep. I. 14. *Hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus.* Cf. ibid. II. 19, 9.

sed in † paulo salubribus. Ut semel ab editoribus recepta erat correctio libri Medicei

mur, sed etiam paulo salubrioribus; sed nihil praescribo. Accurate velim perscribas tuam ad me sententiam. 6. Volo etiam exquiras, quam diligentissime poteris — habebis autem, per quos possis —, quid Lentulus noster, quid Domitius agat, quid acturus sit, quemadmodum nunc se gerant, num quem accusent, num cui suscenseant — quid dico, num cui? num Pompeio? Omnino culpam omnem Pompeius in Domitium confert, quod ipsius litteris cognosci potest, quarum exemplum ad te misi. Haec igitur videbis et, quod ad te ante scripsi, Demetrii Magnetis librum, quem ad te misit de concordia, velim mihi mittas.

etiam pro *in*, alii defenderunt abl. *paulo* positivo additum, alii comparativum *salubrioribus* necessarium iudicarunt. Male antea hoc sprevi, nunc cum BWK2 restitui.

A.

CN. MAGNUS PROCOS. C. MARCELLO, L. LENTULO COSS. S. D.

1. Ego, quod existimabam dispersos nos neque rei publicae utiles neque nobis praesidio esse posse, idcirco ad L. Domitium litteras misi, primum uti ipse cum omni copia ad nos veniret; si de se dubitaret, ut cohortes XIX., quae ex Piceno ad me iter habebant, ad nos mitteret. Quod veritus sum, factum est, ut Domitius implicaretur, et neque ipse satis firmus esset ad castra facienda, quod meas XIX. et suas XII. cohortes tribus in oppidis distributas haberet — nam partim Albae, partim Sulmone collocavit —, neque se, si vellet,

§ 1. *cum omni copia.* De militibus *copiam* sing. num. dictum indicare *plerumque* inconditam multitudinem, ut grammatici docent, ex his Pompeii epistolis confirmari potest. Nam quoties de Caesaris militibus loquitur, qui amplum exercitum habebat (C., 3) et veteranas legiones (D. extr.) *copias* dicit; Domitii manum et milites a consulibus Capuae conscriptos quinquies *copiam* vocat. Similiter Catilinae comites *copia* vocantur p. Mur. § 78. At, si hac in re Pompeii diligentia laudanda est, in aliis apparet scribentis negligentia, saltem si cum Ciceronis oratione comparatur. Adscribam, quae in hoc genere notavi. A. 1 *ut cohortes XIX, quae — ad me iter habebant, ad nos mitteret;* ubi oratio obliqua coniunctivum *haberent* paene necessarium facit. Ibidem verbis *partim Albae, partim Sulmone collocavit* diligens scriptor addidisset: *reliquas Corfinii secum habet.* In § 3 Weiskius notavit duplex ὁμοιοτέλευτον *proficisceretur — adiungeretur*, et *cogerentur — transportarentur.* § 4. *ita video censeri Marcello* Cicero scripsisset: *ita video placere Marcello.* Mox in verbis *eodem Brundisium* alterutrum redundat, sed quum *eodem* scripserat, locum fortasse diligentius indicare voluit. B. extr. *ut cohortes — ad me missum facias*, rectius, puto, *ad me mittas.* Supinum in hac constructione plane inauditum est et *aliquid missum facere*, si usitate loquimur, respuit illa *ad me.* — In ep. C. *in Tuscis* paulo insolentius est pro *in Etruria* et verba *ut frumentatum eas* sententiae laxius addita sunt. Videtur autem hoc dicere: — *sustinere poteris atque efficere, ut frumentatum ire tibi liceat.* In epistola extr. Weiskius merito reprehendit sententias iuxta positas: *Itaque*

expedire posset. 2. Nunc scitote me esse in summa sollicitudine: nam et tot et tales viros periculo obsidionis liberare cupio neque subsidio ire possum, quod his duabus legionibus non puto esse committendum, ut illuc ducantur, ex quibus tamen non amplius XIV. cohortes contrahere potui, quod ** Brundisium misi, neque Canusium sine praesidio, dum abessem, putavi esse dimittendum. 3. D. Laelio mandaram, quod maiores copias sperabam nos habituros, ut, si vobis videretur, alteruter vestrum ad me veniret, alter in Siciliam cum ea copia, quam Capuae et circum Capuam comparastis, et cum iis militibus, quos Faustus legit, proficisceretur, Domitius cum XII. suis cohortibus eodem adiungeretur, reliquae copiae omnes Brundisium cogerentur et inde navibus Dyrrhachium transportarentur. Nunc, quum hoc tempore nihilo magis ego quam vos subsidio Domitio ire possim, ** se per montes explicare, non est nobis committendum, ut ad has XIIII. cohortes, quas dubio animo habeo, hostis accedere aut in itinere me consequi possit. 4. Quamobrem placitum est mihi, † alcia video censeri M. Marcello et ceteris nostri ordinis, qui hic sunt, ut Brundisium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo. Vos hortor, ut quodcunque militum contrahere poteritis, contrahatis et eodem, Brundisium, veniatis quam primum; arma quae ad me missuri eratis, iis censeo armetis milites, quos vobiscum habetis; quae

— *habeamus. Etiam — venias*, quum prior alterius causam contineat. Paulo ante *id quod neutrum* pro *quorum neutrum* paratam habet excusationem. Sed sine causa additur *id* ante *quod*, ut in ep. 12 B., 2 et in hac epist. § 1. Denique in ep. D. *neque etiam — convenerunt* pro *et nondum — convenerunt*, quod notavit Madv. ad Fin. p. 826 adn. 1. Eadem ratione scripsit Caesar B. G. VI. 43 *nec plane etiam abisse ex conspectu contenderent.* In eadem epistola scripsit: *ne ad me iter — sit atque — possis;* aliquanto melius sententiam suam declarasset scribendo *neve — possis.*

§ 2. *his duabus legionibus*, paene alienis. Vid. VII. 13 *a*. 2 et cf. C. § 4. D. § 1.

*quod** Brundisium misi.* Post *quod* excidit nota numeralis II. ut constat ex iis, quae legimus h. l. 3, 7. Si Bosius in codice vidit *quas*, id ortum est e compendio scribendi *q. duas.* Cf. quae Buecheler in Mus. Rhen. vol. XIII. p. 593 sq. de h. l. scripsit.

§ 3. *D. Laelio.* Recte Corradus ex ep. 11. D. 1. Ut ibi in cod. M. ex eo factum *Dialio*, sic h. l. scriptum est *Dellio*, quod in marg. correctum est *D. Elio.*

se per montes explicare. Bosius quidlibet Pompeio permissum ratus, sic scriptum putabat, pro eo, quod esse debebat: ad ipsum per montes expediendum. Weiskius non minus dure: *ut se per montes explicet.* Gronovius coniecerat: *nec circumventos explicare.* Verisimile est aliquid excidisse, velut quod Buechelerus supplevit post *possim: videat ille ut possit* aut cum Wesenbergio: *ipse autem fortasse possit.*

§ 4. *placitum est mihi alcia video censeri M. Marcello.* Sic erat in Z. teste Lambino, nisi quod pro *censeri*, quod legebatur in codd. Malaspinae in eo, ut in M 1, scriptum erat *censori*, unde corrector Medicei fecit *C. Marcello.* C. Marcellus consul, ad quem epistola scripta est, non poterat hic nominari, poterat eius frater patruelis M. Marcellus. Quomodo verba corrupta sananda sint nescio. Non placet Klotzii *atque adeo M.*

arma superabunt, ea si Brundisium iumentis deportaritis, vehementer rei publicae profueritis. De hac re velim nostros certiores faciatis. Ego ad P. Lupum et C. Coponium praetores misi, ut se vobis coniungerent et militum quod haberent ad vos deducerent.

Marcello, quia tum Pompeius Marcello et ceteris plus tribueret, quam sibi, nec Madvigii *adhibito C. Marcello.* Nil melius invenio quam *atque ita* vel *ut etiam video censeri a M. Marcello.*

eodem Brundisium. Cur non acciperem obelum, quo Pluygersius, ut olim Manutius, nomen proprium confixit, dixi in adnot. ad § 1.

B.

CN. MAGNUS PROCOS S. D. L. DOMITIO PROCOS.

1. Valde miror te ad me nihil scribere et potius ab aliis quam a te de re publica me certiorem fieri. Nos disiecta manu pares adversario esse non possumus; contractis nostris copiis spero nos et rei publicae et communi saluti prodesse posse. Quamobrem quum constituisses, ut Vibullius mihi scripserat, a. d. v. Id. Febr. Corfinio proficisci cum exercitu et ad me venire, miror quid causae fuerit quare consilium mutaris: nam illa causa, quam mihi Vibullius scribit, levis est, te propterea moratum esse, quod audieris Caesarem Firmo progressum in Castrum Truentinum venisse. Quanto enim magis appropinquare adversarius coepit, eo tibi celerius agendum erat, ut te mecum coniungeres, priusquam Caesar aut tuum iter impedire aut me abs te excludere posset. 2. Quamobrem etiam (atque etiam) te rogo et hortor, id quod non destiti superioribus litteris a te petere, ut primo quoque die Luceriam advenires, antequam copiae, quas instituit Caesar contrahere, in unum locum coactae vos a nobis distrahant; sed si erunt qui te impediant, ut villas suas servent, aequum

§ 1. *Valde miror.* Adverbium *valde,* quod in Med. extremae epist. superiori adhaesit, sed in *Vale* mutatum est, pro quo saltem *Valete* scribendum erat, huc transtulimus, probantes Klotzii de illa voce iudicium in prooemio edit. p. XXIV.

§ 2. *etiam* simplex languet. Scripsi itaque cum Ursino, quod Pompeius in seq. ep. § 3 scripsit de more *etiam atque etiam,* non *etiam et etiam,* ut est in Balbi ep. h. l. 15 A, 2.

ut — advenires. Male Muretus et Ernestus reposuerunt *advenias.* Non raro enim fit apud optimos scriptores scribendi quadam negligentia, ut verbum enuntiationis secundariae non cum verbo sententiae primariae (*rogo et hortor*), sed cum sententiae interpositae verbo (*destiti*) componatur. Cf. ad Att. XI. 16, 3.

quas instituit C. contrahere. Instituit pro *incepit* bonae Latinitatis est. Cf. Fam. VII. 19 et Cortium ad XVI. 20.

vos a nobis distrahant. Foedum vitium sustulit Wesenb. Emend. p. 19, recte monens *nos a nobis distrahant* ineptum esse, sed ita

est me a te impetrare, ut cohortes, quae ex Piceno et Camerino venerunt, quae fortunas suas reliquerunt, ad me missum facias.

aut *nos*, aut *nos inter nos* scribendum fuisse. *quae fortunas suas reliquerunt* ɔ: quae a bonis suis discesserunt, ut rei publicae causam defenderent.

C

CN. MAGNUS PROCOS. S. D. L. DOMITIO PROCOS.

1. Litteras abs te M. Callenius ad me attulit a. d. XIIII. Kal. Mart., in quibus litteris scribis tibi in animo esse observare Caesarem et, si secundum mare ad me ire coepisset, confestim in Samnium ad me venturum; sin autem ille circum istaec loca commoraretur, te ei, si propius accessisset, resistere velle. Te animo magno et forti istam rem agere existimo, sed diligentius nobis est videndum, ne distracti pares esse adversario non possimus, quum ille magnas copias habeat et maiores brevi habiturus sit; non enim pro tua prudentia debes illud solum animadvertere, quot in praesentia cohortes contra te habeat Caesar, sed quantas brevi tempore equitum et peditum copias contracturus sit. Cui rei testimonio sunt litterae, quas Bussenius ad me misit, in quibus scribit, id quod ab aliis quoque mihi scribitur, praesidia Curionem, quae in Umbria et Tuscis erant, contrahere et ad Caesarem iter facere. Quae si copiae in unum locum fuerint coactae, ut pars exercitus ad Albam mittatur, pars ad te accedat, ut non pugnet, sed locis suis repugnet, haerebis neque solus cum ista copia tantam multitudinem sustinere poteris, ut frumentatum eas. 2. Quamobrem te magno opere hortor, ut quam primum cum omni copia huc venias. Consules constituerunt idem facere. Ego M. Tuscilio ad te mandata dedi providendum esse, ne duae legiones sine Picentinis cohortibus in conspectum Caesaris committerentur. Quamobrem nolito commoveri, si audieris me regredi, si forte Caesar ad me veniet;

§ 1. *M. Callenius.* Nomen ignotum in Med. ita scribitur. Mihi ut Corrado *Canuleius* aptior videtur.

secundum mare superum, ut e locis in praecedenti epistola memoratis apparet.

ut pars — mittatur — ut non pugnet. Ut utroque loco ponitur pro *licet.* Deinde pro *ut*, quod Orellius seclusit, recepi *sed*, ut correctum est in Mediceo. Post negationem particula adversativa vix abesse potest.

haerebis ɔ: evadere non poteris, teneberis. Coniunguntur haerere et teneri, velut p. Tullio, 33.

ut frumentatum eas „ɔ: non solum ut evadas, sed ne quidem ut ad conquirenda frumenta et pabula tuto exire possis." Gronovius.

§ 2. *M. Tuscilio.* Nomen ex inscriptionibus notum egregie e Med. corruptela *metu stileo* eruit Corradus. Alii fingunt *Metusci-*

cavendum enim puto esse, ne implicatus haeream: nam neque castra propter anni tempus et militum animos facere possum, neque ex omnibus oppidis contrahere copias expedit, ne receptum amittam: itaque non amplius XIIII. cohortes Luceriam coëgi. 3. Consules praesidia omnia ** deducturi sunt aut in Siciliam ituri: nam aut exercitum firmum habere oportet, quo confidamus perrumpere nos posse, aut regiones eiusmodi obtinere, e quibus repugnemus; id quod neutrum nobis hoc tempore contigit, quod et magnam partem Italiae Caesar occupavit et nos non habemus exercitum tam amplum neque tam magnum quam ille. Itaque nobis providendum est, ut summae rei publicae rationem habeamus. Etiam atque etiam te hortor, ut cum omni copia quam primum ad me venias. Possumus etiamnunc rem publicam erigere, si communi consilio negotium administrabimus; si distrahemur, infirmi erimus. Mihi hoc constitutum est. 4. His litteris scriptis Sicca abs te mihi litteras attulit et mandata: quod me hortare ut istuc veniam, id me facere non arbitror posse, quod non magno opere iis legionibus confido.

lium quendam, Romae ignotum hominem.

§ 3. *Consules praesidia omnia deducturi sunt.* W. recte vidit ante verbum excidisse *ad me* aut *huc* aut *eo* ɔ: Luceriam. Optimum ex his mihi videtur *ad me.* cf. ep. B. 1 *ad me venire.*

tam amplum. Quum addatur *neque tam magnum,* apparet aliter, quam vulgo fit, *amplum* dici. Puto hac voce indicari *robur* exercitus, ut sit idem quod *firmum.*

§ 4. *Sicca abs te mihi litteras attulit.* Vulgo editur *a te.* Sed *abs te* magis convenit ductibus litterarum, quae notantur e Mediceo et Hisp. *sic adpoete,* idemque initio epistolae sine varietate legitur.

D.

CN. MAGNUS PROCOS. S. D. L. DOMITIO PROCOS.

1. Litterae mihi a te redditae sunt a. d. XIII. Kal. Mart, in quibus scribis Caesarem apud Corfinium castra posuisse. Quod putavi et praemonui, fit ut nec in praesentia committere tecum proelium velit et omnibus copiis conductis te implicet, ne ad me iter tibi expeditum sit atque istas copias coniungere optimorum civium possis cum iis legionibus, de quarum voluntate dubitamus, quo etiam magis tuis litteris sum commotus; neque enim eorum militum, quos mecum habeo, voluntate satis confido, ut de omnibus fortunis rei publicae

§ 1. *voluntate s. confido.* Ernestus volebat *voluntati.* Ablativus quin recte confidendi verbo addatur, nemo nunc dubitat.

neque etiam. Cf. quae notavi ad epist. A. 1.

§ 2. *ad adversarium.* Certa emendatio. Praepositionis omissio effecit, ut multi *adversa-*

dimicem, neque etiam, qui ex delectibus conscripti sunt a consulibus, convenerunt. 2. Quare da operam, si ulla ratione etiamnunc efficere potes, ut te explices et huc quam primum venias, antequam omnes copiae (ad) adversarium conveniant; neque enim celeriter ex delectibus huc homines convenire possunt et, si convenirent, quantum iis committendum sit, qui inter se ne noti quidem sunt, contra veteranas legiones, non te praeterit.

rium genetivum pluralis numeri haberent. Non fecissent, si observassent Caesarem in ep. B. bis et in C. 1 *adversarium* dici. Praestaret certe Orellianum *adversarii*, sed quod edidi lenius est. Eodem modo correxerunt Baiterus in Orell. altera et Kahntius in Symb. Crit. p. 8.

quantum ɔ: quam non multum. Cf. ad III. 9, 2.

XIII. (*A. U. C.* 705.)

1. Lippitudinis meae signum tibi sit librarii manus et eadem causa brevitatis, etsi nunc quidem quod scriberem nihil erat. Omnis exspectatio nostra erat in nuntiis Brundisinis. Si nanctus hic esset Cnaeum nostrum, spes dubia pacis; sin ille ante tramisisset, exitiosi belli metus. Sed videsne in quem hominem inciderit res publica? quam acutum, quam vigilantem, quam paratum? si mehercule neminem occiderit nec cuiquam quicquam ademerit, ab iis, qui eum maxime timuerant, maxime diligetur. 2. Multum mecum municipales homines loquuntur, multum rusticani: nihil prorsus aliud curant nisi agros, nisi villulas, nisi nummulos suos. Et vide quam conversa res sit: illum, quo antea confidebant, metuunt; hunc amant, quem timebant. Id quantis nostris peccatis vitiisque evenerit non possum sine molestia cogitare; quae autem impendere putarem, scripseram ad te et iam tuas litteras exspectabam.

§ 2. *Multum — loquuntur* ɔ: saepe loquuntur, ut in Bruto, 310: idque faciebam *multum* etiam Latine, sed Graece *saepius*. cf. Kritz. ad Sall. Iug. 1, 5.

Et vide quam conversa res sit ɔ: quanta facta sit mutatio animorum. Coniunctivum restituit Lambinus, ut XIII. 18, 1. *Vides propinquitas quid habeat.* Illo loco editores eum secuti sunt; multi hoc non item. Male. In multis locis, qui ex hoc genere adduci solent, coniunctivus ex optimis libris revocatus est, ut in Milon. 47 e cod. Erfurt., in aliis, ubi fere exiguum formarum discrimen est, ut *est* et *sit*, *sunt* et *sint* corrigi debet. Recte itaque in Dial. de oratt. c. 17 *quos quid* (= quos cur) *antiquis temporibus potius adscribatis quam nostris, non video* e codd. Leid. et Ottob. editur, quum in aliis *adscribitis* esse tradatur. Multi exemplis undique corrasis de indicativi usu in quaestione indirecta prave disputarunt, quibus indicandis supersedeo. Si quis locos Tullianos attente considerarit, videbit indicativo tum demum locum esse, quando scriptor oratione concitata utitur. Imprimis hoc fit post v. *quaero*, ut p. Rosc. Am. 119. *Quaero abs te: iine, qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent?* Lig. 9. *Sed hoc quaero: Quis putat esse crimen fuisse in Africa?* et post *dic*, ut Tusc. I. 5, 10. *Dic, quaeso, num te illa terrent?*

XIV. (*A. U. C.* 705.)

1. Non dubito, quin tibi odiosae sint epistolae quotidianae, quum praesertim neque nova de re aliqua certiorem te faciam, neque novam denique iam reperiam scribendi ullam sententiam. Sed si dedita opera, quum causa nulla esset, tabellarios ad te cum inanibus epistolis mitterem, facerem inepte; euntibus vero, domesticis praesertim, ut nihil ad te dem litterarum facere non possum et simul — crede mihi — requiesco paulum in his miseriis, quum quasi tecum loquor; quum vero tuas epistolas lego, multo etiam magis. Omnino intelligo nullum fuisse tempus post has fugas et formidines nostras, quod magis debuerit mutum esse a litteris, propterea quod neque Romae quicquam auditur novi, nec in his locis, quae a Brundisio absunt propius [quam tu] biduum aut triduum, Brundisii autem omne certamen vertitur huius primi temporis, qua quidem exspectatione torqueor. Sed omnia ante Nonas sciemus; eodem enim die video Caesarem a Corfinio post

§ 1. *mutum — a litteris.* Dixi de hac constructione ad I. 1, 2 *inopes ab amicis.* Sine causa Kochius in Coni. Tull, *vacuum a litteris*, F. Schmidt in Nov. Ann. Philol. CIX p. 741 *nudum a l.* h. l. scribendum coniecerunt. Id quod praecedit: *quum quasi tecum loquor*, ostendit *mutum* hic esse aptissimum.

in hic locis ɔ: in Formiano. *Absunt propius quam tu biduum aut triduum.* C. Mullerus in Nov. Ann. Phil. Vol. 85, p. 278 sq. h. l. attigit et docuit hanc comparationem cum distantia loci, in quo tum Atticus erat, valde ineptam esse. Cum eo seclusi verba *quam tu. Propius biduum* dictum est pro *minus quam biduum*, ut de Leg. II. 61 *propius sexaginta pedes.*

Brundisii autem cet. ɔ: omne certamen nunc quidem consistit Brundisii, quo Pompeius a Canusio, Caesar a Corfinio profectus est. Brundisii igitur aut pax conveniet, aut exitiosum bellum orietur. Cf. ep. 13, 1 h. l.

qua q. exspectatione ɔ: cuius certaminis exspectatione. De hoc usu pronominis vid. Seyffert. ad Cicer. Lael. p. 17. Madv. ad Fin. II. 66. V. 42.

ante Nonas ex mea correctione ediderunt BW. Libri scripti et editi priores *ante nos* quod multis de causis probari non potest. Nam quae sequuntur minime rationem continent, cur ipse ante Atticum hoc sciret, — neque opus erat rationem reddi eius rei, quam Atticus non ignorabat, — sed cur et ipse et qui in urbe erant brevi, quid Brundisii ageretur, cognoscerent. Tum si illud voluisset, scripsisset, opinor: *Sed omnia prius quam tu ego sciam.* Quum autem quotidie nuntios Brundisio exspectaret (ep. 13, 1) et haec epistola aliquot diebus ante Nonas Martias scripta sit, *nos* ortum puto e *non.* scribendi compendio pro *Nonas.* Confirmatur haec emendatio iis, quae Atticum dicentem facit § 2, neque obstant, quae ep. 16 extr. leguntur: *Quum haec scribebam IIII Nonas, iam exspectabam aliquid a Brundisio.* Iam vide, quam egregie nunc omnia cohaereant: Certaminis exitum scire aveo; sed paucis his diebus sciemus: nam Caesar festinat. Aliorum coniecturae, qui pro *ante nos* scribi iubent *triduo* vel *continuo* longius a codd. scriptura recedunt.

id est Feralibus. Feralia seu Parentalia placandis diis Manibus celebrabantur a. d. IX Kal. Martias (21 m. Febr.), ut constat e Kalendariis Maffeiano et Farnesiano, eoque die Pompeius Canusio profectus esse iterum narratur ep IX. 1, 1, ubi VIIII recte scribi, non VIII, facili computatione evincitur. Itaque haec vere dicuntur, sed tamen non sic a Cicerone ipso profecta videntur. Nam nec suo loco posita sunt, nec opus erat Attico diem indicare profectionis, qui Romae tum

meridiem profectum esse, id est Feralibus, quo Canusio mane Pompeium: eo modo autem ambulat Caesar et iis dictis militum celeritatem incitat, ut timeam, ne citius ad Brundisium, quam opus sit, accesserit. 2. Dices: »Quid igitur proficis, qui anticipes eius rei molestiam, quam triduo sciturus sis?" Nihil equidem, sed, ut supra dixi, tecum perlibenter loquor et simul scito labare meum consilium illud, quod satis iam fixum videbatur: non mihi satis idonei sunt auctores ii, qui a te probantur; quod enim unquam eorum in re publica forte factum exstitit? aut quis ab iis ullam rem laude dignam desiderat? Nec mehercule laudandos existimo, qui trans mare belli parandi causa profecti sunt — quamquam haec ferenda non erant —; video enim, quantum bellum illud et quam pestiferum futurum sit; sed me movet unus vir, cuius fugientis comes, rem publicam recuperantis socius videor esse debere. »Totiesne igitur sententiam mutas?" Ego tecum tanquam mecum loquor; quis autem est, tanta quidem de re quin varie secum ipse disputet? simul et elicere cupio sententiam tuam, si manet, ut firmior sim, si mutata est, ut tibi assentiar.

omnibus notus erat. Fortasse scribendum *ipsis Feralibus*, voluitque Cicero indicare illum diem fuisse reipublicae *feralem* et exitiosum.

iis dictis. Posui id, quod mihi e cod. Hisp. notatur et quod legitur in ed. Rom. principe. Orellius secutus est Victorium, qui e correctione cod. Med. scripsit *iis diariis.* Atque si *diaria* essent stipendia in singulos dies militibus proposita, ut P. Manutius interpretatur, aut si vera esset huius loci explicatio ap. Forcellinum in voce „nempe stipendia maiora in dies singulos militibus promittendo," mihi quoque ea correctio non displiceret. Sed unicus locus, qui in hac re affertur, Caesaris B. C. III. 53, ubi Graevius e coniectura P. Victorii, Var. Lect. I, 23 legit: *cohortemque duplici stipendio, frumento, veste, diariis, militaribus donis amplissime donavit*, si vel admittas recte sic emendatos esse codicum ductus *vespetiariis*, quod negamus (scrib. *veste et aliis*), illi explicationi plane adversatur. Itaque *diaria* ubique sunt *cibi in dies demensi*, ut in locis Horatii, Petronii, Martialis apud lexicographos citatis. Quis autem est, quin videat neque Caesarem cibis aut datis aut promissis militum celeritatem incitasse neque milites tali re moveri potuisse? In *dictis* (vel *dicteriis*, quod Peerlk. verum putabat) nihil duri vel obscuri inest. Sunt breviter et commode dicta, ut Cicero in Laelio 1 scribit, ἀποφθέγματα, quae Caesar in deliciis habebat, ut scimus ex ep. ad Fam. IX. 16, 4 et e Suet. Caes. 56. Quantum eiusmodi dicta valeant ad militum alacritatem excitandam nemo ignorat. Klotzius in Adnott. P. II, 17 et in prooemio ed. sec. p. LXX ex eo quod in Med. 1 scriptum est *ecusdiaris* eruens *et iis congiariis* longius certe a litteris recedit, quam ego coniectura mea.

quam opus sit ɔ: quam utile sit. cf. Heusing. ad Cic. Off. III. 11, 10. Fam. I. 9, 25. Inutilis est coniectura C. Mulleri *quam Pompeius.*

§ 2. *auctores ii, qui a te probantur.* M. Lepidus et L. Volcacius. Vid. verba ex litteris Attici a. d. IIX Kal. Mart. datis IX. 10, 7. et cf. VII. 3, 3. VIII. 1, 3.

quantum bellum illud. Vulgo *quantum id bellum*, abiecto *illud*, quod tamen e Med. est, de quo solo constat. Quum alterum utrum pronomen deleri debeat, *id* delevi, quum bellum transmarinum rectius *bellum illud* dici videatur. Orellii suspicio *q. id bellum illim* mihi non placet. Sed poterat scribi: *quantum sit b. illud et q. p. futurum.*

§ 3. *audimus.* Et h. l. et infra in verbis:

3. Omnino ad id, de quo dubito, pertinet me scire quid Domitius acturus sit, quid noster Lentulus. De Domitio varia audimus, modo esse in Tiburti † aut lepidi, quo cum Lepidus accessisse ad urbem; quod item falsum video esse. Ait enim Lepidus eum nescio quo penetrasse itineris; occultandi sui causa an maris apiscendi ne is quidem scit, ignorat etiam de filio; addit illud sane molestum, pecuniam Domitio satis grandem, quam is Corfinii habuerit, non esse redditam. De Lentulo autem nihil audimus. Haec velim exquiras ad meque perscribas.

De Lentulo a. nihil audimus W. recte desiderat perfectum, et *audiimus* scribendum suspicatur.

modo esse in Tiburti aut lepidi cet. Diversas librorum scripturas et criticorum suspiciones de his verbis Orellius recensuit. Nulla mihi plane satisfacit. Illa *modo esse in Tiburti* desiderant oppositum *modo ad urbem accessisse;* sed non definio, utrum verba *cum Lepidis* ad prius an ad posterius membrum referri debeant. Si illud verum, scribam: *modo esse in Tiburti* Lepidi *haut lepide, quod cum Lepidis* (sit, modo) *accessisse ad urbem;* sin hoc magis placet, extrema sic corrigantur: *modo cum Lepidis accessisse ad urbem.* In seqq. *item* de mendo suspectum est. Desideratur *quidem. Lepide esse* alicubi, dicitur ut *bene, commode, pulcre* esse, velut in Plauti Bacch. I. 1, 50.

eum nescio quo penetrasse itineris. Ad *itineribus,* quod est in codd., Lambinus adiectivum requirebat; sed e duobus ab illo datis *occultis* vel *deviis* neutrum placet, quoniam sequitur *occultandi sui causa;* aptius esset *magnis,* quo fugae celeritas declararetur. Cf. Plancus in Ep. Fam. X. 9, 3 et 15, 3. Non videtur Muretus corrigendo *itineris occultandi sui causa* veram Tullii manum reduxisse. Melius suppeditavit Peerlkampius *nescio quo p. itineris,* comparans Ennianum: *quo se flexere viai.* Id recepi.

an maris apiscendi. Dubito, an scriptor hoc uno loco *apiscendi* verbo uti noluerit, quod veteres poetae saepius posuerunt. Cf. Lachm. ad Lucr. p. 312. Nam Leg. I, 52 coniecturae R. Stephani debetur. Incertum tamen est, utrum scripserit *adipiscendi,* ut est in M[2], an potius *assequendi.*

ne is quidem scit, ignorat etiam de filio. Is et *etiam* debetur Madvigio, Emend. in Cic. lib. philos. p. 76. Nam neque *id* neque *enim,* quod libros occupavit, defendi potest. — De Domitii filio vid. IX. 3, 1.

pecuniam Domitio — non esse redditam. Rumorem falsum fuisse scimus e Caes. B. C. I, 23: *Sestertium sexagies, quod advexerat Domitius atque in publico deposuerat, allatum ad se ab duumviris Corfiniensibus Domitio reddit, ne continentior in vita hominum, quam in pecunia fuisse videatur, etsi eam pecuniam publicam esse constabat datamque a Pompeio in stipendium.* cf. Appianus de B. C. II. 38 et 41, qui scribit Domitium a Caesare dimissum fuisse μετὰ τῶν χρημάτων.

XV. (*A. U. C.* 705.)

1. A. d. v. Non. Mart. epistolas mihi tuas Aegypta reddidit, unam veterem, IIII. Kal. quam te scribis dedisse Pinario, quem non vidimus, in qua exspectas, quidnam praemissus agat Vibullius, qui om-

§ 1. *Aegypta,* tunc servus, deinde libertus Ciceronis. Cf. Att. XII. 37, 1. XIII. 3, 2. In sequentibus distinctionem ita correxit Klotzius, ut *IIII Kal.* cum verbo *dedisse* coniungendum esse appareret.

quidnam praemissus agat Vibullius. Caesar

nino non est visus a Caesare, — id altera epistola video te scire ita esse — et quemadmodum redeuntem excipiam Caesarem, — quem omnino vitare cogito — et † authemonis fugam tendis commutationemque vitae tuae, — quod tibi puto esse faciendum — et ignoras, Domitius cum fascibusne sit — quod quum scies, facies ut sciamus —. Habes ad primam epistolam. 2. Secutae sunt duae, pridie Kal. ambae datae, quae me convellerunt de pristino statu, iam tamen, ut ante ad te scripsi, labantem. Nec me movet, quod scribis »Iovi ipsi iniquum" — nam periculum in utriusque iracundia positum est, victoria autem ita incerta, ut deterior causa paratior mihi esse videatur —, nec me consules movent, qui ipsi pluma aut folio facilius moventur: officii me deliberatio cruciat cruciavitque adhuc. Cautior certe est mansio, honestior existimatur traiectio: malo interdum multi me non caute, quam pauci non honeste fecisse existiment. De Lepido et Tullo quod quaeris, illi vero non dubitant, quin Caesari praesto futuri in senatumque venturi sint. 3. Recentissima tua est epistola Kal. data, in qua optas congressum pacemque non desperas; sed ego,

B. C. I. 34 se Vibullium Rufum Corfinio captum dimisisse narrat, nihil addens de mandatis ad Pompeium; sed nihil impedit, quominus credamus, hunc quoque ut N. Magium cum mandatis esse missum, sed non rediisse. Postea eundem iterum in Hispania captum cum mandatis ad Pompeium misit, apud quem auctoritate multum valebat. Vid. Caes. B. C. III. 10.

qui omnino non est visus a Caesare. „Pompeius enim eum non remisit" expl. Manutius et in ea explicatione alii editores acquiescunt. Hoc si voluisset Cicero, scripsisset potius: *qui omnino non est regressus ad Caesarem.* Illa, ut nunc sunt, negant Vibullium a Caesare captum esse Corfinii, aut omnino visum. Ergo talis rumor tunc spargebatur.

† *et authemonis fugam tendis.* Locum desperatum aliis corrigendum relinquo, a Fr. Schmidtio, cuius libellum anno 1879 editum ipse non vidi, non puto restitutum hac coniectura *et Alcmaeonis fugam intendis.* Quum sit verisimile indicari consilium Attici ex urbe fugiendi, quo spectant quoque ultima verba ep. 1, lib. IX, requiritur aliquid simile iis, quae praeeunte Graevio excogitavit Schuetzius: *ad Chaoniam fugam intendis.* I. F. Gronovius corrigebat: *et hinc Athenas fugam intendis* ɔ: intendere te scribis, ut ante *exspectas* pro: scribis te exspectare et post *ignoras* pro: scribis te ignorare. Idem verba *commutationem vitae tuae* intelligebat de diaeta, quum Atticus quartana laboraret. Cf. IX. 2.

Domitius cum fascibusne sit. Senatus ei mense Ianuario eius anni provinciam Galliam decreverat. Caes. B. C. I. 6. Cicero scire cupit, num ille retineat insignia imperii, ut inde de eius animo in Pompeium suspicari possit.

§ 2. *ut ante ad te scripsi.* In ep. 14, 2.

Iovi ipsi iniquum. Atticus Pompeium his verbis designasse videtur, qui discedens dixerat se eodem loco habiturum eos, qui in urbe remansissent, et qui in Caesaris castris fuissent. Eadem locutione Cicero utitur in epist. ad Plancum, Fam. X. 12, 4 de Servilio. Apud Florum III. 21 C. Marius *dis hominibusque infestus* rediisse ex Africa dicitur.

ut deterior — videatur ɔ: ut Caesar, cuius causa minus bona est, magis instructus et ad agendum aptior mihi esse videatur.

malo interdum — existiment ɔ: suboritur nonnunquam illa cogitatio melius esse improbos, qui numero plures sunt, iudicare me mari traiiciendo incaute fecisse, quam bonos manendo me fecisse non honeste.

De Lepido et Tullo vid. ad ep. 14, 2 h. l.

quum haec scribebam, nec illos congressuros nec, si congressi essent, Pompeium ad ullam conditionem accessurum putabam. Quod videris non dubitare, si consules transeant, quid nos facere oporteat, certe transeunt vel, quomodo nunc est, transierunt; sed memento praeter Appium neminem esse fere, qui non ius habeat transeundi. Nam aut cum imperio sunt, ut Pompeius, ut Scipio, Sufenas, Fannius, Voconius, Sestius, ipsi consules, quibus more maiorum concessum est vel omnes adire provincias, aut legati sunt eorum. Sed nihil decerno: quid placeat tibi et quid propemodum rectum sit intelligo. Plura scriberem, si ipse possem; sed, ut mihi videor, potero biduo. Balbi Cornelii litterarum exemplum, quas eodem die accepi, quo tuas, misi ad te, ut meam vicem doleres, quum me derideri videres.

§ 3. *quomodo nunc est.* Cf. ad ep. Balbi adiect. § 3.

praeter Appium. Huic ut censori ab urbe abesse non licebat, neque erat cum imperio. Ex iis, quae Cassius Dio XL. 63 de Appii censura scribit, apparet cur ille Caesarem vitarit.

ut Scipio. Cf. IX. 1, 4. *Sufenas.* Est M. Nonius Sufenas, de quo VI. 1, 13. *C. Fannium* cum imperio in Siciliam missum iri scribit VII. 15, 2, sed senatus consilium mutavit eamque provinciam dedit M. Catoni. X. 16, 3. Fannius pro praetore Asiam rexit, ut nummi et Iosephus Antiq. Iud. XIV. 10, 13 docent. Cf. Borghesi Oeuvres I. p. 283 seqq. De *Voconio* nihil constat, sed videtur esse Q. Voconius Naso, qui ante annum DCXCV praetor fuerat, p. Flac. 50. *Sestio* huic Caesar postea lictores vel concessit vel dedit. Cf. XI. 7, 1.

aut legati sunt eorum, qui sunt cum imperio. Cf. IX. 1, 4.

si ipse possem. Erat igitur haec quoque epistola librarii manu exarata.

Balbi Cornelii. Nominum sic positorum aliquot exempla inveniuntur in epistt. Cic. ad Att. XI. 12, 1. XII. 52, 1. XIII. 49, 1. Fam. VI. 12, 2. XIII. 64, 1. Q. fr. II. 4, 1. 13. 2; tum in epistt. Caelii, Fam. VIII. 12, 2 et Asinii Polionis X. 32. 5.

quum me derideri videres sc. eo, quod me multum posse in pace facienda isti simulant, quem sciunt nihil posse.

A.

BALBUS CICERONI IMP. S.

1. Obsecro te, Cicero, suscipe curam et cogitationem dignissimam tuae virtutis, ut Caesarem et Pompeium perfidia hominum distractos rursus in pristinam concordiam reducas. Crede mihi Caesarem non solum fore in tua potestate, sed etiam maximum beneficium te sibi dedisse iudicaturum, si huc te reiicis. Velim idem Pompeius faciat, qui ut adduci tali tempore ad ullam conditionem possit, magis opto,

§ 1. *dignissimam tuae virtutis.* Apud poetas Romanos, Graecam constructionem imitantes, *dignus* aliquoties genetivum regit, velut in Plauti Trin. V. 2, 29. teste Nonio p. 497, neque aliter Verg. Aen. XII. 649 scripsit *indignus avorum.* cf. Woelfflin in Mus. Rhen. philol. XXXVII p. 114.

si huc te reiicis. Paulo insolentius dictum

quam spero; sed quum constiterit et timere desierit, tum incipiam non desperare tuam auctoritatem plurimum apud eum valituram. 2. Quod Lentulum consulem meum voluisti hic remanere, Caesari gratum, mihi vero gratissimum mediusfidius fecisti; nam illum tanti facio, ut non Caesarem magis diligam; qui si passus esset, nos secum, ut consueveramus, loqui et non se totum etiam et etiam ab sermone nostro avertisset, minus miser, quam sum, essem. Nam cave putes hoc tempore plus me quemquam cruciari, quod eum, quem ante me diligo, video in consulatu quidvis potius esse quam consulem. Quodsi voluerit tibi obtemperare et nobis de Caesare credere et consulatum reliquum Romae peragere, incipiam sperare etiam consilio senatus auctore te, illo relatore, Pompeium et Caesarem coniungi posse, quod si factum erit, me satis vixisse putabo. 3. Factum Caesaris de Corfinio totum te probaturum scio: quomodo in eiusmodi re, commodius cadere non potuit, quam ut res sine sanguine confieret. Balbi mei tuique adventu delectatum te valde gaudeo. Is quaecunque tibi de Caesare

pro vulgato: si huic rei operam das. Boni scriptoris esset: *si hoc egeris.*

§ 2. *consulem meum.* Fortasse Balbus scripsit: *L. consulem mecum voluisti hic remanere.* Nam et ipse hoc volebat, ut e seqq. apparet. Sed *Lentulum* poterat quoque designare ut *consulem* et simul vocare *meum,* quoniam eius commendatione civitatem Romanam erat consecutus, eoque factus est Cornelius. cf. epist. Balbi B, 2 post ep. ad Att. IX. 7.

illum tanti facio, ut non C. magis diligam. Codd. pro *ut* habent *qui,* quod merito displicuit quum aliis, tum Wesenbergio Emend. p. 88 similes errores in aliis epistt. locis indicanti. Quid sibi voluerit Orellius scribendo *qui,* non assequor.

etiam et etiam e correcto M. retinui.

quem ante me diligo ɔ: plus quam me. Handius Turs. I, p. 386 observat Ciceronem nusquam ita loqui, sed Sallustium, Livium, alios.

tibi obtemperare „qui ei suasisti per filium meum ne recederet ex Italia." Gronov. cf. ep. 9, 4 h. l.

illo relatore pro illo referente nove dictum est. Weiskius observat deinde pro *coniungi posse* dicendum fuisse *coniunctum iri,* et illa *me satis vixisse putabo* ridiculum πάθος habere. Adulatores principum postea simili hyperbole libenter utebantur. cf. Suet. Ner. 34. Plinii Paneg. 22.

§ 3. *quomodo in eiusmodi re* ɔ: ut in tali re, inter arma. Eundem usum adverbii *quomodo* habes in his Ciceronis Fam. XIV. 14, 1 *Quomodo quidem nunc se res habet — bellissime mecum esse poteritis.* Att. VIII. 15, 3. XIII. 2, 2. Tusc. V. 82 *quomodo nunc est.* N. D. III. 41 *quomodo nunc quidem est, non video* cet, de Or. II. 140 *quomodo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo causarum,* quibus in locis verbum additur; quod ut h. l. desideramus, sic omittitur Att. IX. 7, 3 *Misi etiam Caesaris — sana mente scriptas, quo modo in tanta insania.* — Sunt autem, qui, quoniam in Med. et Oxonn. scriptum sit: —*probaturum sciet,* haec cum praecedentibus verbis coniungant scribentes *scio, et.* Melius tamen sententiae diiunguntur.

confieret. Cf. quae de hac forma notavimus ad II. 16, 2.

scio. Hoc verbum a Balbo orationi interponitur, ut solent *opinor* et *credo.*

re tibi probabit (sc. Caesar) — *verissime scripsisse.* Non assentior Tunstallo, Epist. crit. p. 153 haec ita refingenti: — *scito* (*res tibi probabit, quaecunque fortuna eius fuerit*) *vel ipsum me scripsisse:* quasi vero multo maiorem fidem Cicero Balbo maiori, quam

dixit quaeque Caesar scripsit, scio, re tibi probabit, quaecunque fortuna eius fuerit, verissime scripsisse.

minori ipsiusque Caesaris scriptis litteris habuisset. Diligens scriptor fortasse in his Balbi minoris rationem habuisset et sententiam ita fere conformasset: — *re tibi probabit — verissime et illum dixisse et se scripsisse.* Sed illud non valde desideramus; nam si Caesar probabat verissime se scripsisse, eo ipso Balbi quoque dicta confirmabantur. — Quod deinde in omnibus libris scriptis praeter unum Antonianum, qui *bellissime* habuit, inventum est *velissumme,* fortasse malitiose scriptum est iussu Ciceronis pro *verissime,* ut notaretur impeditus et sordidus Balbi sermo. Weiskius certe non librariis, sed ipsi Ciceroni illud tribuit.

XVI. (*A. U. C.* 705.)

1. Omnia mihi provisa sunt praeter occultum et tutum iter ad mare superum: hoc enim mari uti non possumus hoc tempore anni; illuc autem, quo spectat animus et quo res vocat, qua veniam? Cedendum enim est celeriter, ne forte qua re impediar atque alliger. Nec vero ille me ducit, qui videtur, quem ego hominem ἀπολιτικώτατον omnium iam ante cognoram, nunc vero etiam ἀστρατηγικώτατον, non me igitur is ducit, sed sermo hominum, qui ad me a Philotimo scribitur. Is enim me ab optimatibus ait conscindi. Quibus optimatibus, dii boni! qui nunc quomodo occurrunt, quomodo autem se venditant Caesari! Municipia vero deum, nec simulant, ut quum de illo aegroto vota faciebant, 2. sed plane, quidquid mali hic Pisistratus non fecerit, tam gratum est, quam si alium facere prohibuerit: propitium hunc sperant, illum iratum putant. Quas fieri censes ἀπαντήσεις ex oppidis, quos honores! »Metuunt,'' inquies. Credo, sed mehercule illum magis:

§ 1. *hoc mari.* cf. ep. 3, 5 h. l. *Infero mari nobis incerto cursu hieme maxima navigandum est,* et IX. 3, 1.

ne forte qua re — alliger ɔ: adstringar, vinciar. cf. Planc. 81 *non modo beneficio, sed etiam benevolentiae significatione alligari,* et Dial. de Orat. 13, ubi Crispus et Marcellus *alligati adulatione* dicuntur. Quod Plutarchus in Quaest. Ro. statuit discrimen inter *ligare* et *alligare* vanum est.

conscindi ɔ: gravissime obiurgari. cf. II. 19, 3 *sibilis conscissi.*

Quibus optimatibus —! In talibus exclamationibus particulam *at* saepe abesse docuit Madv. Op. Ac. I. p. 516.

Municipia vero deum faciunt, divinis honoribus ornant, pro eius salute vota nuncupant. *quum de illo aegroto vota faciebant.* „Pompeio, quum graviter aegrotaret Neapoli, melius est factum. Coronati Neapolitani fuerunt, nimirum etiam Puteolani, vulgo ex oppidis publice gratulabantur.'' Tusc. I. 86.

§ 2. *Iudices de CCCLX.* In Med. et in Oxoniensibus scriptum *de CCCL.* Notam X addidi de Iunii coniectura, qui vidit agi h. l. de trecentis sexaginta illis, quos Pompeius III consul iudices legit, ut tradunt Vell. II. 76. Plut. in Pomp. 55. quosque Fam. VIII. 8, 5 a scribis oblitteratos restituit Wesenbergius Emend. p. 35. Hi non omnes, sed ex his multi, quamvis beneficio cum Pompeio coniuncti essent, quare antea in hac discordia cum Pompeio fore putabantur, ut Caelius scribit Fam. VIII. 14, 3,

huius insidiosa clementia delectantur, illius iracundiam formidant. Iudices de CCCLX, qui praecipue Cnaeo nostro delectabantur, ex quibus quotidie aliquem video, nescio quas eius Lucerias horrent. Itaque quaero, qui sint isti optimates, qui me exturbent, quum ipsi domi maneant; sed tamen, quicunque sunt, *αἰδέομαι Τρῶας,* etsi, qua spe proficiscar video coniungoque me cum homine magis ad vastandam Italiam quam ad vincendum parato † domum quem exspecto. Et quidem, quum haec scribebam, IIII. Nonas, iam exspectabam aliquid a Brundisio. Quid autem aliquid? quam inde turpiter fugisset et victor hic qua se referret et quo. Quod ubi audissem, si ille Appia veniret, ego Arpinum cogitabam.

eius nunc minas horrebant. Ideo non parui Wesenbergio *Iudices CCCLX* reponenti.

nescio quas eius Lucerias horrent. Si vera est lectio, *Luceriae* denotant eam proscriptionem, quae Luceriae multis sermonibus denuntiata erat. Cf. h. l. 11, 4. Si hoc non placet, vide an corrigendum sit *delicias,* quod vocabulum Matthiae illustravit ad I. 17, 9. *Minas,* quod margo Crat. offert videtur esse docti lectoris coniectura.

qui me exturbent np. domo, quod omisit, quum e seqq. *quum ipsi domi maneant* facile legenti in mentem veniret. *Exturbare* non dici nisi addita mentione loci, unde aliquem expellas, monet Marklandus, Remarks p. 43 sq., ubi haec verba recte explicantur et falsa correctio Medicei *Cumis* reiicitur.

† *domum quem exspecto.* Verba corrupta adhuc emendatricem manum quaerunt. Nam ut aliorum conatus omittam, ne Lambinus quidem locum sanavit legendo: *Denique quem exspecto?* Male enim huic quaestioni subiiceretur *et quidem,* qua formula non solum utuntur, ubi aliquid concedunt quod statim elevant (de quo genere dixit Madv. Emend. I. p. 90 seqq. et ad Fin. p. 77), verum etiam ubi ea quae praecedunt confirmantur, ut fit h. l. et in verbis de Orat. II. 142. Cf. Seyffert ad Lael. p. 471. Neque illa *exspectabam aliquid* respondent quaerenti: *quem exspecto?* Sententiae satisfacit, sed parum curat codicum ductus Kochius in Emendd. libello p. 20 hanc lectionem proponens: *Quotidie nuntium aliquem exspecto.* Multo lenius est Madvigii A. C. III p. 181: *dominum quidem exspecto,* nec tamen habet πειθανάγκην.

Quid autem aliquid? quam inde cet. Conieceram: *Quid autem? Mali quid; quam inde turpiter fugisset* cet., sed nihil mutandum didici ex hac Gronovii adnotatione: „*Quid autem aliquid?* immo *certum.* Est lusus similis Plautino Curc. II. 3, 41 Ph. *iam edes aliquid.* Curc. *Nolo hercle aliquid: certum quam aliquid mavolo.*" Hyperbaton in verbis *quam inde turpiter* exemplis Tullianis illustravit Ellendt ad Brut. 126. cf. Seyff. ad Lael. 10.

qua et quo ɔ: qua via et quem in locum, ad urbem an in Hispaniam an alio. cf. VII. 12, 2 *sin discedit, quo aut qua — nescio.* IX. 6, 1. *tum reliqua videbimus, id est et quo et qua et quando.*

Appia. vide ad IX. 6, 1.

ego Arpinum cogitabam ɔ: in locum a via Appia remotum me conferre volebam, non Formiis adventum Caesaris exspectare.

LIBER IX.

I. (*A. U. C.* 705.)

1. Etsi, quum tu has litteras legeres, putabam fore, ut scirem iam, quid Brundisii actum esset — nam Canusio VIIII. Kal. profectus erat Cnaeus; haec autem scribebam pridie Nonas, XIIII. die postquam ille Canusio moverat —, tamen angebar singularum horarum exspectatione mirabarque nihil allatum esse ne rumoris quidem: nam erat mirum silentium. Sed haec fortasse *κενόσπουδα* sunt, quae tamen iam sciantur necesse est: 2. illud molestum me adhuc investigare non posse, ubi P. Lentulus noster sit, ubi Domitius; quaero autem, quo facilius scire possim quid acturi sint, iturine ad Pompeium et, si sunt, qua quandove ituri sint. Urbem quidem iam refertam esse optimatium audio, Sosium et Lupum, quos Cnaeus noster ante putabat Brundisium venturos esse quam se, ius dicere. Hinc vero vulgo vadunt; etiam M'. Lepidus, quocum diem conterere solebam, cras cogitabat. 3. Nos autem in Formiano morabamur, quo citius audiremus; deinde Arpinum volebamus; inde, iter qua maxime *ἀναπάντητον* esset, ad mare superum remotis sive omnino missis lictoribus. Audio enim bonis viris, qui et nunc et saepe antea magno praesidio rei publicae fuerunt, hanc cunctationem nostram non probari multaque in me et severe in conviviis, tempestivis quidem, disputari. Cedamus igitur et, ut boni cives simus, bellum Italiae terra marique inferamus

§ 1. *VIIII. Kal.* Sic dudum emendatus est numerus, qui in libris Mss. invenitur, VIII. Nam a die VIII Kal. Mart. usque ad pridie Nonas non XIIII, ut scribit, sed XIII dies computantur.

Canusio moverat nim. se, non castra. Drakenb. ad Liv. X. 4, 9 exempla huius verbi absolute positi collegit, in quibus nonnulla ostendunt non debere *castra* suppleri, ut quando dux dicitur *ex hibernis* vel *e stativis movere* XXI. 39. XXVII. 40, et quando legimus *Hannibalem exercitumque castris non movisse* XXV. 9.

§ 2. *optimatium.* Vid. adnot. ad I. 14, 5.

Sosium et Lupum — ius dicere. C. Sosius et P. Rutilius Lupus hoc anno praetores erant. Vid. VIII. 6, 1 et 12 A. extr. Hic seq. anno Achaiam Pompeii iussu obtinuit. Caes. B. C. III. 55.

§ 6. *Remotis sive omnino missis.* Iis quae ad VI. 2, 2 monui de *sive* adde exempla e Cic. Tusc. II. 51. III. 41. Iustin. II. 9 extr. *Ducenta milia Persae eo proelio sive naufragio amisere,* ubi codd. scripti prave *sine* praebent.

in conviviis, tempestivis quidem. Particula *quidem* vocabulo, cui subiicitur, peculiarem vim tribuit. Indignatur Cicero, quod illi boni viri suam cunctationem improbarent, quum ipsi tanquam in summo otio convivia de die celebrarent. cf. h. l. 13, 6.

Lucceii consilia et Theophani persequamur.

et odia improborum rursus in nos, quae iam exstincta erant, incendamus et Lucceii consilia ac Theophani persequamur; 4. nam Scipio vel in Syriam proficiscitur sorte, vel cum genero honeste, vel Caesarem fugit iratum; Marcelli quidem, nisi gladium Caesaris timuissent, manerent; Appius est eodem (in) timore et inimicitiarum recentium etiam; praeter hunc et C. Cassium reliqui legati, Faustus pro quaestore, ego unus, cui utrumvis licet. Frater accedit, quem socium huius fortunae esse non erat aequum, cui magis etiam Caesar irascetur; sed impetrare non possum, ut maneat. Dabimus hoc Pompeio, quod debemus: nam me quidem alius nemo movet, non sermo bonorum, qui nulli sunt, non causa, quae acta timide est, agetur improbe: uni, uni hoc damus, ne id quidem roganti nec suam causam, ut ait, agenti, sed publicam. Tu quid cogites de transeundo in Epirum scire sane velim.

Hi, quibuscum de maximis rebus Pompeius communicare consueverat (Caes. B. C. III. 18), hunc ad bellum civile excitabant.

§ 4. *nam Scipio* cet. His verbis rationem reddit, cur odia hominum in se accenderet; *nam* aliis res integra non erat, sibi uni vel manere vel Pompeium sequi licebat. *Cum genero* ↄ: cum Pompeio, qui huius Q. Metelli Scipionis filiam Corneliam, amissa Iulia, uxorem duxerat.

Appius — etiam. In his refingendis Madvigium maxime ducem secutus sum, qui in Adv. crit. II p. 236 sq. de h. l. disputavit. W. retinuit vulgatum: *Appius et eodem timore et i. r., et tamen* cet. — *et* mutato in *est* opus erat praep. *in*, cf. adn. ad V. 14, 2, quae facile excidere potuit post litteram *m*. Retinui *et* post *timore* a Madvigio deletum. *Appius est eodem in timore* ↄ: A. item timet gladium Caesaris, *et inim. rec. etiam* ↄ: et praeterea timet inimicitias recentes.

inimicitiarum recentium, „cum Dolabella et M. Caelio Rufo et C. Scribonio Curione, qui sentiunt cum Caesare. Fam. saepe (VIII. 6 et 12) et Dio XL. 63 sq." I. F. Gron.

cui utrumvis licet cum BW. scripsi de Kayseri coni. Coniunctivo *liceret* hic non magis locus est, quam in verbis, quae sequuntur, ubi Med. *accederet* et *irasceretur* praebet.

uni, uni hoc damus. Malim: *uni illi hoc damus.*

ut ait ↄ: ut prae se fert, quamquam de veritate dubitare licet.

II. (*A. U. C.* 705.)

Etsi Nonis Mart. die tuo, ut opinor, exspectabam epistolam a te longiorem, tamen ad eam ipsam brevem, quam IIII. Nonas ὑπὸ τὴν λῆψιν dedisti, rescribendum putavi. Gaudere ais te mansisse me, et scribis in sententia te manere; mihi autem superioribus litteris videbare non dubitare, quin cederem, ita si et Cnaeus bene comitatus

die tuo. cf. ad VII. 8, 2.

ad eam ipsam. Maiorem partem illius epistolae habemus infra 10, 8, unde simul ὑπὸ τὴν λῆψιν cum Lambino scripsi pro διάληψιν, quod de febris adventu dici non potest.

conscendisset et consules transissent: utrum hoc tu parum commeministi, an ego non satis intellexi, an mutasti sententiam? Sed aut ex epistola, quam exspecto, perspiciam quid sentias, aut alias abs te litteras eliciam. Brundisio nihildum erat allatum.

conscendisset. Absolute positum attigi ad VI. 8, 4.

nihildum. Similia sunt *nequedum* I. 5, 3. *etiamdum* XIII. 31, 1. *vixdum* ep. seq. 3. Fam. XII, 4, 2, quae omnia videntur esse sermonis familliaris.

II. a. (*A. U. C.* 705.)

1. O rem difficilem planeque perditam! quam nihil praetermittis in consilio dando! quam nihil tamen, quod tibi ipsi placeat, explicas! Non esse me una cum Pompeio gaudes ac proponis quam sit turpe me adesse, quum quid de illo detrahatur; nefas esse approbare. Certe; contra igitur? »Dii,'' inquis, »averruncent'', Quid ergo fiet, si in altero scelus est, in altero supplicinm? »Impetrabis,'' inquis, »a Caesare, ut tibi abesse liceat et esse otioso.'' Supplicandum igitur? miserum; quid, si non impetraro? »Et de triumpho erit,'' inquis, »integrum.'' Quid, si hoc ipso premar? accipiam? quid foedius? negem? repudiari se totum, magis etiam quam olim in xxviratu putabit. Ac solet, quum se purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me sibi fuisse inimicum, ut ne honorem quidem a se accipere vellem. Quanto nunc hoc idem accipiet asperius? tanto scilicet, quanto et honor hic illo est amplior et ipse robustior. 2. Nam quod negas te dubitare, quin magna in offensa sim apud Pompeium hoc tempore, non video causam cur ita sit hoc quidem tempore: qui enim amisso Corfinio denique certiorem me sui consilii fecit, is queretur Brundisium me non venisse, quum inter me et Brundisium Caesar esset? deinde etiam scit *ἀπαῤῥησίαστον* esse in ea causa querelam suam: me putat de municipiorum imbecillitate, de

§ 1. *ac proponis.* Non opus est, ut cum Ern. *at* scribamus. Vide quae scripsi ad VII. 25. — *Adesse* np. in senatu.

Dii averruncent. Prisca formula deprecandi mali, quod instat.

repudiari se — in xxviratu putabit. cf. ad II. 6, 2. Repudiato xxviratu Cicero odium Caesaris et Pompeii contraxerat. Vell. II. 45, 2. Laudatur ideo a Quint. I. O. XII. 1, 16.

§ 2. *hoc tempore — hoc quidem tempore.* Mihi ut Faerno priora illa suspecta sunt. Fortasse tamen ex Attici epistola a Cicerone repetuntur. A codice R absunt ultima *hoc quidem tempore.*

ἀπαῤῥησίαστον ɔ: libertate dicendi carentem, quum sit iniusta.

me putat — quam se ɔ: Pompeius putat me melius quam se novisse oppida Italiae propter imbecillitatem suam bello gerendo

delectibus, de pace, de urbe, de pecunia, de Piceno occupando plus vidisse quam se. Sin, quum potuero, non venero, tum erit inimicus; quod ego non eo vereor, ne mihi noceat, — quid enim faciet?

τίς δ' ἐστὶ δοῦλος τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν; —

sed quia ingrati animi crimen horreo. Confido igitur adventum nostrum illi, quoquo tempore fuerit, ut scribis, ἀσμένιστον fore. Nam quod ais, si hic temperatius egerit, consideratius consilium te daturum, qui hic potest se gerere non perdite? † vita, mores, ante facta, ratio suscepti negotii, socii, vires bonorum aut etiam constantia. 3. Vixdum epistolam tuam legeram, quum ad me currens ad illum Postumus Curtius venit, nihil nisi classes loquens et exercitus, eripiebat Hispanias, tenebat Asiam, Siciliam, Africam, Sardiniam, confestim in Graeciam persequebatur. Eundum igitur est, nec tam ut belli quam ut fugae socii simus; nec enim ferre potero sermones istorum, quicunque sunt; non sunt enim certe, ut appellantur, boni; sed tamen id ipsum scire cupio, quid loquantur, idque ut exquiras meque certiorem facias, te vehementer rogo. Nos adhuc quid Brundisii

non fore opportuna, ad delectum parum responsuros homines, pacem qualemcunque bello praeferendam, urbem deserendam non fuisse, nec pecuniam in aerario relinquendam, Picenum vero praesidiis firmandum, ut ibi sisteretur primus impetus Caesaris. Sic verba expl. I. F. Gronovius.

Sin quum potuero non venero, tum erit inimicus. Si Pompeius de me queritur, quod Brundisium non veni, iniuste agit, quum venire non potuerim; sed si non venero, quum potuero, tum non solum erit inimicus, sed erit *iure.* Hoc voc. quod abesse non potest, latere puto in *tum,* quo facile caremus.

quod ego non eo vereor, ne mihi noceat. Verba impedita, de quibus tacent interpretes. Sequentia autem *sed quia — horreo,* quae veram causam continent, cur Pompeium sibi infensum nolit, satis indicant his verbis declarari causam, quam non veram dicit. Scribendum igitur videtur: *quod ego nolo, non quo verear, ne mihi noceat,* cet.

τίς δ' ἐστί δοῦλος κ. τ. λ. Quis est servus, qui mortem non curet? Euripidis versus e fabula incerta, citatus quoque a Plut. de aud. poetis p. 34 B, aliisque, quos ad c. l. laudat Wyttenbachius.

ut scribis. Vid. h. l. 10, 9.

temperatius pro *temperantius* scripsi cum W., ut est XII. 32, 1 *ages, ut scribis, temperate.* XIII. 1, 1 *neque severius neque temperatius scribi potuit.* Adv. *temperanter* non legitur in Ciceronis scriptis.

† *vita, mores,* cet. His verbis asteriscum praeposui, quod, qua ratione hos nominativos sine verbo tuear, non invenio. Omnis autem difficultas evanescit, si mecum legas: *vetant mores, ante facta* cet., quod W. in textum recepit.

vires bonorum „qui se Caesari venditant et in urbe sunt." Corradus. Immo accipiendum de bonis viris, qui numero plures et viribus validi Caesari resistebant.

constantia h. l. non in laude ponitur, sed tribuitur ei, qui rem susceptam, etiam malam, non deserit.

§ 3. *nihil nisi classes loquens et exercitus.* Loqui aliquid est in ore habere, saepius memorare. cf. Mil. 63. Parad. 6, 3. Att. IX. 13, 1 et 8.

eripiebat — tenebat — persequebatur ɔ: dicebat Caesarem erepturum Pompeio Hispanias, occupaturum Asiam, cet., in Graeciam persecuturum. Nemo non videt, quantam vim haec verba orationi concilient, quanto impetu nunc omnia ruant.

actum esset plane nesciebamus; quum sciemus, tum ex re et ex tempore consilium capiemus, sed utemur tuo.

nec tam ut belli, quam ut fugae socii simus ɔ: ut recte haec verba expl. Kritzius ad Sall. Iug. 100, 4 „ut belli quidem aliquantulum, magis tamen ut fugae socii simus."

ex re et ex tempore i. e. ut res ac tempus feret.

III. (*A. U. C.* 705.)

1. Domitii filius transiit Formias VIII. Idus currens ad matrem Neapolim mihique nuntiari iussit patrem ad urbem esse, quum ex eo curiose quaesisset servus noster Dionysius; nos autem audieramus eum profectum sive ad Pompeium sive in Hispaniam. Id cuiusmodi sit scire sane velim — nam ad id, quod delibero, pertinet, si ille certe nusquam discessit, intelligere Cnaeum non esse faciles nobis ex Italia exitus, quum ea tota armis praesidiisque teneatur, hieme praesertim; nam si commodius anni tempus esset, vel infero mari liceret uti, nunc nihil potest nisi supero tramitti, quod iter interclusum est —, quaeres igitur de Domitio et de Lentulo. 2. A Brundisio nulla adhuc fama venerat, et erat hic dies VII. Id., quo die suspicabamur aut pridie Brundisium venisse Caesarem; nam Kal. Arpis manserat. Sed, si Postumum audire velles, persecuturus erat Cnaeum; transisse enim iam putabat coniectura tempestatum ac dierum. Ego nautas eum non putabam habiturum, ille confidebat, et eo magis, quod audita naviculariis hominis liberalitas esset. Sed tota res Brundisina quomodo se habeat diutius nescire non possum.

§ 1. *ad matrem,* Porciam, M. Catonis sororem, ut refert Plut. in Cat. Min. c. 41.

quod iter scripsi e cod. R. pro vulgari *quo iter*, cum eodem libro *et* ante *de Domitio* abieci, et in epistola extrema *se habeat* scripsi pro *habeat se.*

§ 2. *Si Postumum audire velles* ɔ: si Postumo fidem habere licet. Similiter *si me audies* legitur Fam. II. 18 extr. VII. 20, et saepius.

IV. (*A. U. C.* 705).

1. Ego etsi tamdiu requiesco, quamdiu aut ad te scribo aut tuas litteras lego, tamen et ipse egeo argumento epistolarum et tibi idem

§ 1. *et ipse egeo argumento epistolarum* ɔ: non habeo quod scribam. In R. locus sic. interpolatus est: *et ipse ego argumento epistolarum tuarum angor.*

accidere certo scio: quae enim soluto animo familiariter scribi solent, ea temporibus his excluduntur, quae autem sunt horum temporum, ea iam contrivimus. Sed tamen, ne me totum aegritudini dedam, sumpsi mihi quasdam tanquam *θέσεις*, quae et *πολιτικαὶ* sunt et temporum horum, ut et abducam animum ab querelis et in eo ipso, de quo agitur, exercear. Eae sunt huiusmodi:

2. *Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ; τυραννουμένης δὲ αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν; εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς αἴρηται; εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ καιρῷ καὶ λόγῳ μᾶλλον, ἢ πολέμῳ; εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν ἀναχωρήσαντά ποι τῆς πατρίδος τυραννουμένης ἢ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι; εἰ πόλεμος ἐπακτέος τῇ χώρᾳ καὶ πολιορκητέον αὐτὴν τυραννουμένην; εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος, συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις; εἰ τοῖς εὐεργέταις καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων; εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι᾽ αὐτὸ δὲ τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν καὶ φθονηθείς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος; εἰ ἐφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτε καὶ τῶν οἰκειοτάτων ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας;*

3. In his ego me consultationibus exercens et disserens in utramque partem tum Graece tum Latine et abduco parumper animum a mo-

quae — solent, ea — excluduntur. Recte Klotzius e vestigiis cod. Med. revocavit *ea*, quod in altero membro sententiae adest.

θέσεις sunt *infinitae quaestiones sine designatione personarum et temporum*, ut ait Crassus de Or. I. 138. cf. ibid. III. 130. Orat. 46 cum adnot. Goelleri et Ernestus in Lex. technol. rhet. Graec. p. 156. Opponuntur ὑποθέσεις, quaestiones finitae personis, temporibus, cet. — θέσεις has commentari se scribit ep. 9, 1. Graeca satis expedita sunt. Pro αὐτὸς αἴρηται Muecke l. l. p. 5 volebat scribi μὴ αὐτὸς θέρηται, idque interpretatur: *ne ipse calefiat* sc. *dominandi cupiditate.* Propius quidem hoc abest ab eo, quod scriptum est in M. ΕΡΡΘΗΤΑΙ, sed de veritate correctionis dubitamus, quia verbum θέρηται obscurum est. Bosianum αἴρηται, *tollatur*, non longe discedit a Crutandri ἄρθηται. Fortasse praestat, quod e cod. R. laudatur ζώγρηται, *capiatur.* Tironum causa moneo quaestionem εἰ συναπογραπτέον τοῖς ἀρίστοις; indicare: sitne cum optimis nomen dandum et cum iis se coniungendum? ultimamque quaestionem Latine sic enuntiari: sitne ei concedendum, ut sui aliquando et suorum curam gerat omissis adversus potentes concertationibus civilibus?

εἰ πόλεμος ἐπακτέος, e R. recepi. Vulgo cum M. εἰ πόλεμον ἐπακτέον, cuius accusativi causam non intelligo.

§ 3. *in ipsum tuum diem*, febris quartanae. cf. ep. 2. h. l. et 8 extr. Male Schuetzius in Add. VI. p. 500 *diem natalem* Attici, qui nominatur initio ep. seq., hic significari putabat.

lestiis et *τῶν προὔργου τι* delibero. Sed vereor ne tibi *ἄκαιρος* sim; si enim recte ambulaverit is, qui hanc epistolam tulit, in ipsum tuum diem incidit.

V. (*A. U. C.* 705.)

1. Natali die tuo scripsisti epistolam ad me plenam consilii summaeque quum benevolentiae tum etiam prudentiae. Eam mihi Philotimus postridie, quam a te acceperat, reddidit. Sunt ista quidem, quae disputas, difficillima, iter ad superum, navigatio infero, discessus Arpinum, ne hunc fugisse, mansio Formiis, ne obtulisse nos gratulationi videamur, sed miserius nihil quam ea videre, quae tamen iam, iam, inquam, videnda erunt. Fuit apud me Postumus; scripsi ad te, quam gravis; venit ad me etiam Q. Fufius, quo vultu, quo spiritu, properans Brundisium, scelus accusans Pompeii, levitatem et stultitiam senatus: haec qui in mea villa non feram, [cur tum] in curia potero ferre? 2. Age, finge me quamvis *εὐστομάχως* haec ferentem, quid illa, DIC M. TVLLI, quem habebunt exitum? et omitto causam rei publicae, quam ego amissam puto quum vulneribus suis, tum medicamentis iis, quae parantur: de Pompeio quid agam? cui plane — quid enim hoc negem? — suscensui; semper enim me causae eventorum magis movent quam ipsa eventa. Haec igitur mala — quibus maiora esse quae possunt? — considerans vel potius iudicans eius opera accidisse et culpa, inimicior eram huic, quam ipsi Caesari, ut maiores nostri funestiorem diem esse voluerunt Aliensis pugnae quam urbis captae, quod hoc malum ex illo — itaque alter religiosus

§ 1. *Natali die tuo.* Si Cicero ita scripsit, Atticus natus videtur a. d. VII Id. Mart. a. u. c. 645. cf. Hullemanni diatribe p. 19. Sed Sternkopf in Quaestt. chronol. p. 61 de v. *natali* dubitationem movit, quod nusquam alias dies Attici natalis memoratur et quod in epistolis hoc tempore datis *dies tuus* designat diem quo febris redibat. cf. adn. ad § 3 ep. praec.

quam gravis ɔ: quam molestus, qui nihil nisi classes loqueretur et exercitus. cf. ep. 2, 3 h. l.

Haec — ferre? In Med. *cur tum*, et e correctione *cur eum*, et *Curtium*, quod miror editores patienter talisse. Praecedit Postumi ɔ: Postumi Curtii, ut appellatur in ep. 2 *a*, 3, et Q. Fufii, qui apud Ciceronem fuerunt, mentio. Potestne deinde prior solus mutato etiam nomine citari? Non credo. Deletis *cur tum*, id quod initio sententiae ponitur, *haec*, est obiectum utriusque membri. Vidd. meae Obss. crit. p. 54.

§ 2. *diem — Aliensis pugnae*, qui erat a. d. XV Kal. Sext., ut narrat Livius VI. 1 et Tac. Hist. II. 91. Sed cf. And. Schottus Nod. Ciceron. III. 6 et Niebuhrii Hist. Rom. II. p. 598, quem secutus sum in scribendo nomine, quod vulgo duplici l scribitur. Tertio die post infelicem pugnam urbs a Gallis capta est. Verba: *maiores nostri — in vulgus ignotus* citant Gellius N. A. IV. 9, 6, Nonius p. 379, ubi ultima vox omittitur culpa describentis.

in vulgus = vulgo. Ita supra II. 22, 3 *in*

etiamnunc dies, alter in vulgus ignotus — sic ego, decem annorum peccata recordans, in quibus inerat ille etiam annus, qui nos hoc non defendente, ne dicam gravius, afflixerat, praesentisque temporis cognoscens temeritatem, ignaviam, negligentiam suscensebam. 3. Sed ea iam mihi exciderunt; beneficia eiusdem cogito, cogito etiam dignitatem, intelligo, serius equidem, quam vellem, propter epistolas sermonesque Balbi, sed video plane nihil aliud agi, nihil actum ab initio, (nisi) ut hunc occideret. Ego igitur, † si quid apud Homerum, cui et mater et dea dixisset,

> αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἕτοιμος,

matri ipse respondit,

> αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ
> κτεινομένῳ ἐπαμῦναι·

— quid? si non ἑταίρῳ solum, sed etiam εὐεργέτῃ, adde, tali viro talem causam agenti —, ego vero haec officia mercanda vita puto. Optimatibus vero tuis nihil confido, nihil iam ne inservio quidem: video ut se huic dent, ut daturi sint. Quicquam tu illa putas fuisse de valetudine decreta municipiorum prae his de victoria gratulationibus? »Timent,'' inquies. At ipsi tum se timuisse dicunt. Sed videamus quid actum sit Brundisii: ex eo fortasse † ea consilia nascentur aliaeque litterae.

vulgus gratum. Fin. II. 15 *res in vulgus pervagata.*

Hoc non defendente. Negationem adiecit P. Victorius. Ea requiritur, nisi forte error sit in participio, ut Ant. Augustino visum corrigenti *hoc deserente.*

§ 3. *propter — sermones Balbi.* cf. VIII. 9, 4. 11, 5.

sed video. Sed instaurat interruptam sententiam, et *video* maiori cum vi succedit in locum v. *intelligo.* cf. Mil. 100 extr. et Fin. II. 48, ubi *intelligere* et *videre* iunguntur. Deinde pro *quam,* quod in nullo codice inventum est, cum KW. restitui *nisi ut hunc occideret,* quum illud soloecum sit post *nihil.*

† *si quid apud Homerum.* Leviter hoc corruptum. Temptarunt *si quis, sicut is, si ille, si quidem,* et quod mihi optimum videtur *sic ut.*

— *quid, si non — agenti — ego vero* cet. Perspicuitatis causa ea quae ad explicandum vel corrigendum Homeri locum pertinent a reliqua oratione separavi. Verbis *ego vero* instaurat sententiam ab initio sic inchoatam *Ego igitur.* Madvigius A. C. III p. 181 verba *officia mercanda vita puto* negat sana esse et e corruptela codicis M *officiam ei candida,* effecit *officia rependenda.* Ego vero in margine C. veram scripturam servatam puto, quam cum I. F. Gronovio sic interpretor: „ut his officiis Pompei ne desim, animam impendendam puto."

ut se huic dent, ɔ: ut huius voluntati se accommodent, ut formulam expl. Donatus ad Ter. Ad. V. 3, 52. Sic Fam. II. 8, 2: *Da te homini.* Or. II. 285: *id quoque annuit, ut se Crasso daret.* Rab. Post. 4 *dedit se regibus.*

de valetudine decreta. vid. ad VIII. 16, 1.

At ipsi — dicunt ɔ: non tu vel alius, sed ipsi qui tum Pompeio valetudinem recuperatam gratulati sunt, dicunt se id fecisse non ex voluntate, sed timore ne silentium sibi noceret.

ea consilia. Sententia requirit *alia, nova* vel *meliora,* quod fortasse latet in correctione cod. M. *mea.*

VI. (*A. U. C.* 705.)

1. Nos adhuc Brundisio nihil. Roma scripsit Balbus putare iam Lentulum consulem tramisisse nec eum a minore Balbo conventum, quod is hoc iam Canusii audisset; inde ad se eum scripsisse, cohortesque sex, quae Albae fuissent, ad Curium via Minucia transisse, id Caesarem ad se scripsisse et brevi tempore eum ad urbem futurum. Ergo utar tuo consilio, neque me Arpinum hoc tempore abdam, etsi, Ciceroni meo togam puram quum dare Arpini vellem, hanc eram ipsam excusationem relicturus ad Caesarem; sed fortasse in eo ipso offendetur, cur non Romae potius. Ac tamen, si est conveniendus, hic potissimum: tum reliqua videbimus, id est, et quo et qua et quando. 2. Domitius, ut audio, in Cosano est, et quidem, ut aiunt, paratus ad navigandum: si in Hispaniam, non probo, si ad Cnaeum, laudo; quovis potius certe quam ut Curtium videat, quem ego patronus adspicere non possum: quid alios? Sed, opinor, quiescamus, ne nostram culpam coarguamus, qui, dum urbem, id est, patriam, amamus dumque rem conventuram putamus, ita nos gessimus, ut plane interclusi captique simus. 3. Scripta iam epistola Capua litterae sunt allatae hoc exemplo: »Pompeius mare transiit cum omnibus militibus, quos secum habuit — hic numerus est hominum milia xxx —, et consules et duo tribuni pl. et senatores, qui fuerunt cum eo, omnes cum uxoribus

§ 1. *putare.* Abest *se*, quod ad infinitivum non raro omittitur. Quod Orellius malebat *putari*, non probo, quum non de communi hominum in urbe opinione, sed de eo, quod Balbus e minoris Balbi litteris cognovisset, agatur.

nec eum a minore B. conventum, qui ad eum missus erat a Caesare. vid. VIII. 9, 4.

ad Curium. Caesar B. C. I. 24 de hac re narrans Vibium Curium vocat. — *Minucia* via tantum nota ex h. l. et ex Horatii ep. I. 18, 20 (*Ambigitur*) *Brundisium Minuci melior via ducat an Appi*, per Sabinos et Samnium duxisse videtur. *Via* quod in Med. prima manus omisit, non necessarium est. Ita II. 12, 2. VIII. 16 extr., IX. 11, 1. ad Q. fr. III. 7, 1. Mil. 15 *via Appia* nude *Appia* vocatur. Addidi tamen e Z.

Ac tamen vel *et tamen* scribendum esse pro eo quod e Med. 2 editur *sed tamen* acute vidit W. et in Emend. alt. p. 115 monuit. Ob M1 *sectamen* scripsi *ac tamen.*

§ 2. *in Cosano.* cf. Caes. B. C. I. 44. Cosa erat oppidum Etruriae maritimum, quo Romani a. u. 479 coloniam deduxerunt. Situm erat ad maris sinum, non longe ab hodierno *Orbitello.*

patronus. Cicero non traditur defendisse Postumum Curtium, sed a. 700 huic homini tribunatum mil. a Caesare petierat, idque impetraverat. vid. Q. fr. II. 15, 3. III. 1, 10.

quid alios ɔ: quid dicam, quam ut videat alios, qui cum Caesare sunt?

§ 3. *litterae — hoc exemplo* ɔ: litterae ita conceptae, cum hoc argumento. cf. IX. 16, 1. Fam. X. 5, 1 *binas a te accepi litteras eodem exemplo.* De Pompeii discessu falsus rumor. A. d. XVI Kal. Apr. demum profectus est. cf. ep. 15 A.

et consules et duo tribuni plebis. Duo quod inepte ponitur post *consules* praeeunte Manutio I. Fr. Gronovius retulit ad tribunos. Unus ex his, qui cum Pompeio erant, cognoscitur e VII. 21, 2. Cum Caesare plures

et liberis. Conscendisse dicitur a. d. IIII. Nonas Martias. Ex ea die fuere septemtriones venti. Naves, quibus usus non est, omnes aut praecidisse aut incendisse dicunt." De hac re litterae L. Metello tribuno pl. Capuam allatae sunt a Clodia socru, quae ipsa transiit. 4. Ante sollicitus eram et angebar, sicut res scilicet ipsa cogebat, quum consilio explicare nihil possem; nunc autem, postquam Pompeius et consules ex Italia exierunt, non angor, sed ardeo dolore,

οὐδέ μοι ἦτορ
ἔμπεδον, ἀλλ᾽ ἀλαλύκτημαι.

Non sum, inquam, mihi crede, mentis compos; tantum mihi dedecoris admisisse videor. Mene non primum cum Pompeio, qualicunque consilio usus (est), deinde cum bonis esse, quamvis causa temere instituta! praesertim quum ii ipsi, quorum ego causa timidius me fortunae committebam, uxor, filia, Cicerones pueri. me illud sequi mallent, hoc turpe et me indignum putarent; nam Quintus quidem frater, quicquid mihi placeret, id rectum se putare aiebat, id animo aequissimo sequebatur. 5. Tuas nunc epistolas a primo lego. Hae me paulum recreant. Primae monent et rogant ne me proiiciam, proximae te gaudere ostendunt me remansisse: eas quum lego, minus mihi turpis videor, sed tam diu, dum lego; deinde emergit rursum dolor et *αἰσχροῦ φαντασία.* Quamobrem obsecro te, mi Tite, eripe mihi hunc dolorem aut minue saltem aut consolatione aut consilio aut quacunque re potes. Quid tu autem possis? aut quid homo quisquam? vix iam deus. 6. Equidem illud molior, quod tu mones sperasque fieri posse, ut mihi Caesar

fuisse tribunos plebis Cicero indicat VII. 7, 6. —

Ex ea die. cf. ad V. 14, 1.

Septemtriones venti erant secundi a Brundisio in Graeciam navigantibus. cf. Bentl. ad Lucani Phars. III. 1.

Naves — praecidisse i. e. proras resecuisse, ne Caesar iis ad persequendum uteretur, neve rostris defractis ad usum bellicum aptae essent.

§ 4. *quum consilio explicare nihil possem.* Quum in Med. sine sententia scriptum esset *cum consilio possem,* in margine correctum est: *quo uti consilio possem,* idemque legitur in R. Sed praestat id, quod Cratander e codice dedit.

id — aiebat, id — sequebatur. Pro altero *id* malim *et.*

§ 5. *a primo* ɔ: ab initio, temporis ordine, ut scripsisti. *A primo* legitur in his epistolis VIII. 11, 2. XVI. 7, 4 et saepius apud Ciceronem. vid. Madv. ad Fin. p. 401. Recte Bosius Mss. scripturam defendit.

tamdiu, dum lego. Sic Ciceronem scripsisse docet Handius Turs. II. p. 316 his exemplis: Verr. IV. 3, 6. Fam. IX. 12, 1. Cat. Mai. 41. Tusc. V. 96.

vix iam deus. Ordinem verborem e Med. correxi. Vulgo: *vix deus iam.*

§ 6. *ut quidem scias, quos sequamur.* Ut hic locus vulgo distinguitur, haec verba ad Furnium pertinent, hominem Ciceronis cupidissimum et cuius saepe cum honore in epistolis suis mentionem fecit. Diceret igitur: Furnium nomino, ut scias, quam boni cives nobisque amici cum Caesare sint. Quid

concedat, ut absim, quum aliquid in senatu contra Cnaeum agatur; sed timeo ne non impetrem. Venit ab eo Furnius. Ut quidem scias, quos sequamur, Q. Titinii filium cum Caesare esse nuntiat, sed illum maiores mihi gratias agere, quam vellem; quid autem me roget, paucis ille quidem verbis, sed ἐν δυνάμει, cognosce ex ipsius epistola. Me miserum, quod tu non valuisti! una fuissemus, consilium certe non defuisset: σύν τε δύ᾽ ἐρχομένω. Sed acta ne agamus, reliqua paremus. 7. Me adhuc haec duo fefellerunt, initio spes compositionis, qua facta volebam uti populari vita, sollicitudine senectutem nostram liberare; deinde bellum crudele et exitiosum suscipi a Pompeio intelligebam. Melioris mediusfidius civis et viri putabam quovis supplicio affici quam illi crudelitati non solum praeesse, verum etiam interesse: videtur vel mori satius fuisse quam esse cum his. Ad haec igitur cogita, mi Attice, vel potius excogita: quemvis eventum fortius feram quam hunc dolorem.

autem Furnius? *Q. Titinii filium cum Caesare esse nuntiat.* Multum scilicet Ciceronis intererat hoc scire! Deinde, tanquam rem minus gravem, nuntiat id ipsum, quam ob rem ille missus esset, Caesarem magnas gratias agere Ciceroni, quod se cum Pompeio non coniunxisset. Immo verba sic distinguenda: *Venit ab eo Furnius. Ut quidem scias, quos sequamur, Q. Titinii filium cum Caesare esse nuntiat, sed illum maiores* cet. Illum Q. Titinii filium ut hominem sordidum notat ep. 18, 2. et ex mea opinione hoc loco acerbe carpit, quasi vilissimum inter Caesarianos. *Sed* defendi non potest. Nihil melius inveni, quam *vidi illum* cet., ɔ: intellexi, cognovi e Furnio Caesarem maiores mihi gratias agere, quam vellem.

ἐν δυνάμει ɔ: *ὡς δυνάστης*, velut qui cogere posset. Respicit verba Caesaris: *a te peto — ut te ibi videam.* cff. verba Platonis in IX. 13, 4.

non valuisti ɔ: febri laborasti. Si valuisses, una fuissemus.

σύν τε δύ᾽ ἐρχομένω. Hemistichium ex Iliade X. 224, quod fere proverbii vim acceperat. Sciebant enim sequi *καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν Ὅππως κέρδος ἔῃ.* cf. Fam. IX. 7, 1.

§ 7. *volebam uti populari vita* ɔ: volebam vitam instituere, ut populus solet, qui honores contemnit nec rempublicam attingit.

liberare e coniectura mea scripsi. Codd. dant *liberari*, quod merito displicuit multis, R. *liberarem*, quod item vitiosum est.

deinde — intelligebam. Ut hoc membrum priori responderet Ernestus ante *suscipi* inserendum putabat *quod.* Sed merito observat Madvigius, Emend. I. p. 149 non raro a sententia pendente transitum fieri ad directam, nec minus bene haec dici, quam quod alibi multis offensioni fuit: *primum quod de compositione spem habebam —; deinde — intelligebam.*

melioris civis putabam, cet. Abhorrent haec verba a nostri sermonis consuetudine, qua dicendum erat: „boni civis putabam quovis potius supplicio affici, quam — interesse."

videtur vel mori satius fuisse quam esse cum iis. Non assentior Schuetzio haec glossatoris potius quam Ciceronis putanti. Nam in *supplicio* non opus est mortem cogitare.

cogita — vel potius excogita. Cogitare minus est, quam excogitare; illud conatum, hoc eventum indicat. Sic legimus Fam. V. 20, 4. *quum rem a me non insipienter excogitatam, ne cogitatam quidem putas,* ubi in Med. verba *ne cogitatam* librarii errore omissa sunt.

A.

CAESAR IMP. S. D. CICERONI IMP.

Quum Furnium nostrum tantum vidissem, neque loqui neque audire meo commodo potuissem, properarem atque essem in itinere praemissis iam legionibus, praeterire tamen non potui, quin et scriberem ad te et illum mitterem gratiasque agerem, etsi hoc et feci saepe et saepius mihi facturus videor: ita de me mereris. Imprimis a te peto, quoniam confido me celeriter ad urbem venturum, ut te ibi videam, ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim. Ad propositum revertar: festinationi meae brevitatique litterarum ignosces; reliqua ex Furnio cognosces.

meo commodo ɔ: sine mea molestia. cf. Fam. IV. 2. 4 et XIII. 27, 3 *quod tuo commodo fiat*, aliosque locos, quos laudat I. F. Gronovius in Lectt. Tull. ad Fam. I. 1, 3.

properarem pendet a *quum*, quod initio positum hic omitti poterat. Neque opus est particula *et* ante hoc verbum, ut Kochius existimabat. Memorabilis tamen varietas codicis R. *properabam enim atque eram in itinere* cet. In eodem omittitur verbum *praeterire*, quod ad sententiam non requiritur. *Non possum quin* est Plautinum. Vid. Mil. 262. Stich. 302. Trin. 705.

ad propositum revertar ɔ: alio tempore, quum plus otii nactus ero, his de rebus plura ad te scribam, vel ut Hofmannus interpretatur: ad id, quod in manibus habeo, redibo et huic epistolae finem faciam.

VII. (*A. U. C.* 705.)

1. Scripseram ad te epistolam, quam darem IIII. Id.; sed eo die is, cui dare volueram, non est profectus: venit autem eo ipso die ille celeripes, quem Salvius dixerat; attulit uberrimas tuas litteras, quae mihi quiddam quasi animulae instillarunt; recreatum enim me non queo dicere. Sed plane τό συνέχον effecisti; ego enim non iam id ago, mihi crede, ut prosperos exitus consequar: sic enim video, nec duobus his vivis nec hoc uno nos unquam rem publicam habituros: ita neque de otio nostro spero iam nec ullam acerbitatem recuso. Unum illud extimescebam, ne quid turpiter facerem, vel dicam, iam effecissem. 2. Sic ergo habeto, salutares te mihi litteras misisse,

§ 1. *ille celeripes*, ποδώκης. Iocose ita appellat tabellarium, ut Catullus contra in carm. 36 Vulcanum vocat *tardipedem Deum*. Idem in carm. 63 ducem appellat *properipedem*. — *Salvius* erat Attici libertus. — *instillarunt* e Crat. recepit W., idemque e corrupta scriptura Med. *st illi arunt* facile efficitur.

τὸ συνέχον *effecisti*, „quod proximum erat effecisti, quum me non posses recreare." Man.

vel dicam ɔ: vel potius dicam. Exempla Tulliana huius formulae collegit Madv. ad Fin. p. 26.

§ 2. *a Sexto* Peducaeo. cf. h. l. 10, 10. 13, 6. X. 1, 1. XVI. 11, 1. 14, 4. 15, 4.

neque solum has longiores, quibus nihil potest esse explicatius, nihil perfectius, sed etiam illas breviores, in quibus hoc mihi iucundissimum fuit, consilium factumque nostrum a Sexto probari, pergratumque mihi tu fecisti, a quo diligi me et quid rectum sit intelligi scio. Longior vero tua epistola non me solum, sed meos omnes aegritudine levavit. Itaque utar tuo consilio et ero in Formiano, ne aut ad urbem ἀπάντησις mea animadvertatur aut, si nec hic nec illic eum videro, devitatum se a me putet. 3. Quod autem suades, ut ab eo petam, ut mihi concedat, ut idem tribuam Pompeio, quod ipsi tribuerim, id me iam pridem agere intelliges ex litteris Balbi et Oppii, quarum exempla tibi misi. Misi etiam Caesaris ad eos sana mente scriptas, quomodo in tanta insania. Sin mihi Caesar hoc non concedat, video tibi placere illud me πολίτευμα de pace suscipere, in quo non extimesco periculum — quum enim tot impendeant, cur non honestissimo depecisci velim? —, sed vereor, ne Pompeio quid oneris imponam,

μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου

intorqueat: mirandum enim in modum Cnaeus noster Sullani regni similitudinem concupivit. *Εἰδώς σοι λέγω*· nihil ille unquam minus obscure tulit. »Cum hocine igitur," inquies, »esse vis?" Beneficium sequor, mihi crede, non causam. [ut in Milone, ut in . . . Sed hactenus] 4. »Causa igitur non bona est?" Immo optima, sed agetur, memento, foedissime. Primum consilium est suffocare urbem et Italiam fame, deinde agros vastare, urere, pecuniis locupletium non

§ 3. *ut idem tribuam P., quod ipsi tribuerim* ɔ: ne ego, qui adversus Caesarem arma non sumpserim, contra Pompeium arma ferre cogar.

quomodo in tanta insania cf. adn. ad VIII. 15 A, 2.

honestissimo depecisci. Depecisci periculo est talem pactionem inire, ut ne periculum quidem recuses, ut Ruhnkenius in Ter. Phorm. I. 3, 14 similem locutionem *depecisci morte* explicat. Est ablativus, qui dicitur pretii. — *depeciscor* autem et *defetigo* in optimis libris Ciceronis et Terentii per *e* scribuntur, ut vulgo *impertior* a *partior*. vid. Malaspina ad h. l. Victorius in curis tertiis in epistt. ad Fam. V. 14, 1. Wunderus ad Planc. 11. In Med. hic est *depacisci.*

sed vereor, ne Pompeio quid oneris imponam, cet ɔ: ne de pace agens Pompeio molestus sim et ille iratum vultum mihi ostendat.

nihil unquam minus obscure tulit. Cluent. 54 *neque id obscure ferebat, nec dissimulare ullo modo poterat.* Planc. 34. *eum dolorem hic tulit paullo apertius.*

hocine. Ita correxi scripturam codd. *hocne,* ut iussit Madv. ad Fin. p. 75.

[*ut in Milone, ut in . . . Sed hactenus.*] Haec seclusi, quae Schuetzio quoque displicebant. Nam in Milone defendendo non solum gratum animum declaravit, sed optimam causam defendit. Tum inusitata est nominis reticentia in vv. *ut in....* Deinde bene Graevius observat Tull. esse *sed haec hactenus,* male ex interpolatis codicibus suis *haec* recepit. Atque in iis, quae sequuntur, scriptor minime ad alia transit, sed in eodem argumento pergit.

§ 4. *memento.* „me hoc tibi praedixisse." I. F. Gron.

§ 5. *De triumpho tibi assentior.* „Placet

abstinere; sed quum eadem metuam ab hac parte, si illim beneficium non sit, rectius putem quidvis domi perpeti, sed ita meruisse illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen subire non audeam, quamquam a te eius quoque rei iusta defensio est explicata. 5. De triumpho tibi assentior, quem quidem totum facile et libenter abiecero. Egregie probo fore ut, dum vagamur, ὁ πλοῦς ὡραῖος obrepat. »Si modo," inquis, »satis ille erit firmus." Est firmior etiam quam putabamus; de isto licet bene speres, promitto tibi, si valebit, tegulam illum in Italia nullam relicturum. »Tene igitur socio?" Contra mehercule meum iudicium et contra omnium antiquorum auctoritatem, nec tam ut illa adiuvem, quam ut haec ne videam, cupio discedere; noli enim putare tolerabiles horum insanias nec unius modi fore. Etsi quid te horum fugit? legibus, iudiciis, senatu sublato, libidines, audacias, sumptus, egestates tot egentissimorum hominum nec privatas posse res nec rem publicam sustinere. Abeamus igitur inde qualibet navigatione, etsi id quidem, ut tibi videbitur, sed certe abeamus: sciemus enim (iam) id, quod exspectas, quid Brundisii actum sit. 6. Bonis viris quod ais probari, quae adhuc fecerimus, scirique ab iis nos non profectos, valde gaudeo, si est nunc ullus gaudendi locus. De Lentulo investigabo diligentius; id mandavi Philotimo, homini forti ac nimium optimati. 7. Extremum est, ut tibi argumentum ad scribendum fortasse iam desit, — nec enim alia de re nunc ulla scribi potest, et de hac quid iam amplius inveniri potest? — sed quoniam et ingenium suppeditat — dico mehercule, ut sentio — et amor, quo et meum ingenium incitatur, perge, ut facis, et scribe, quantum potes. In Epirum quod me non invitas comitem non molestum, subirascor; sed vale. Nam, ut tibi ambulandum, ungendum, sic mihi dormiendum; etenim litterae tuae mihi somnum attulerunt.

quod scribis, ad hoc utilem esse triumphi petendi simulationem, ut, dum videar hoc agere, extra urbem sim; serio enim petendi nullo desiderio ardeo." Gronov.

Egregie probo fore cet ɔ: imprimis probo, quod tu scribis, fore ut, dum per villas vagamur, interea secunda navigatio detur.

de isto licet bene speres, promitto tibi cet. Ita haec scribenda puto, puncto post *speres* sublato. *De isto* neque de Caesare, neque de Pompeio accipi potest, sed ut antiquis intt. placet, est *de eo, quod P. firmus est.*

contra omnium antiquorum auctoritatem, qui suo exemplo docuerunt, ne ingratae quidem patriae irascendum esse.

§ 6. *nimium optimati* „qui studio partium saepe peccat credendo et nuntiando secundos de iis rumores, quamvis falsos." I. F. Gron.

§ 7. *tibi ambulandum, ungendum.* Haec remedia adversus quartanam commendat Celsus, de Medic. III. 15.

litterae tuae mihi somnum attulerunt. Quum curae ob rempublicam oppressam Ciceroni somnum hoc tempore eriperent, Attici epistolae *salutares* somnum reduxerant curas fugando.

A.

BALBUS ET OPPIUS S. D. M. CICERONI.

1. † Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate a plerisque probari solent. Tamen freti tua humanitate, quod verissimum nobis videbitur de eo, quod ad nos scripsisti, tibi consilium dabimus, quod si non fuerit prudens, at certe ab optima fide et optimo animo proficiscetur. Nos si, id quod nostro iudicio Caesarem facere oportere existimamus, ut simul Romam venerit, agat de reconciliatione gratiae suae et Pompeii, id eum facturum ex ipso cognovissemus, te hortari (non) desineremus, ut velles iis rebus interesse, quo facilius et maiore cum dignitate per te, qui utrique es coniunctus, res tota confieret, aut, si ex contrario putaremus Caesarem id non facturum et velle cum Pompeio bellum gerere sciremus, nunquam tibi suaderemus, contra hominem optime de te meritum arma ferres, sicuti te semper oravimus, ne contra Caesarem pugnares; 2. sed, quum etiam nunc, quid facturus Caesar sit, magis opinari quam scire possimus, (scribere) non

§ 1. *Nedum hominum humilium — sed etiam amplissimorum* cet. Ex iis locis, ubi Cicero particula *nedum* utitur, quos indicavit Haasius ad Reisigii Scholas, § 250, nullus est, ubi ea ratione qua nunc ponitur pro *non modo.* (Verba ex X. 16 extr. suo loco emendabo). Omnino in sententia affirmativa apud scriptores huius aetatis, quorum quidem scripta supersunt, non invenitur. Debetur h. l. correctori codicis M., quum initio scriptum esset *M. Cicero meum.* Madvigius A. C. III p. 181 plura hic omissa coniiciens, deleto *solent,* quod in M¹ omissum est, hanc fere orationis formam fuisse suspicatur: *Balbus et Oppius S. D. M. Ciceroni Imp. (Etsi videmus non modo) hominum — probari, tamen* cet.

consilia — probari solent. cf. Dem. Olynth. I. 11 πρὸς τὸ τελευταῖον ἐκβὰν ἕκαστον τῶν πρὶν ὑπαρξάντων κρίνεται.

verissimum — consilium. Cf. ad Q. fr. III. 1, 20 ubi pro *consilio severissimo iuvares* Orellius recte vidit scribendum esse: *Consilio se verissimo iuvares.* Infra X. 10, 2 ex Antonii epistola: *Tuum consilium quam verum est.* Attigi iam ad IV. 5, 1.

Nos si — sic scripsi e correctione Tunstalli p. 153, quae Orellii diligentiam effugit. Vidit Anglus haec verba, ut vulgo leguntur: *Nos nisi id — eum facturum ex ipso cognovissemus* aperte pugnare cum iis, quae leguntur § 2: *quum etiamnum, quid facturus Caesar sit, magis opinari quam scire possimus.* Repone *si* et omnia recte procedent.

id quod — existimamus, — id eum facturum. Prius *id* Lambino aliisque post eum offensioni fuit. Perperam. Haec verba *id quod nostro iudicio C. facere oportere existimamus* continent iudicium Balbi et Oppii de eo, quod Caesari Romae agendum esset, et *id quod* refertur ad ea, quae sequuntur *agere de reconciliatione gratiae.* Quod quum ita sit, tantum abest, ut in verbis *id eum facturum* abundare *id* dicendum sit, ut omnino desideretur. Ne illud quidem concedam *id* h. l. παρέλκειν et pro arbitrio scriptoris recte omitti potuisse, ut Malaspina existimabat. cf. Kritze ad Sall. Iug. 56, 1 et imprimis Haase ad Reisigii Schol. adn. 364.

te hortari (non) *desineremus. desineremus* quum in antiquis editt. legatur, ita retineri potest, si negatio addatur. Sententia autem non minus bene procedit, si cum Kochio scribitur: *te hortaremur.*

suaderemus — ferres. Post verba praecipiendi *ut* saepe omitti, a multis observatum

possumus nisi hoc, non videri eam tuam esse dignitatem neque fidem omnibus cognitam, ut contra alterutrum, quum utrique sis maxime necessarius, arma feras, et hoc non dubitamus quin Caesar pro sua humanitate maxime sit probaturus. Nos tamen, si tibi videbitur, ad Caesarem scribemus, ut nos certiores faciat, quid hac re acturus sit, a quo si erit nobis rescriptum, statim quae sentiemus ad te scribemus et tibi fidem faciemus nos ea suadere, quae nobis videntur tuae dignitati, non Caesaris rationi, esse utilissima, et hoc Caesarem pro sua indulgentia in suos probaturum putamus.

est. vid. Madv. Gr. Lat. § 413 adnot. 4 ed. meae. Sic Fam. II. 16, 7 *suadeo videas.* VII. 7, 1 *suadeo capias.*

§ 2. *hac re.* Puto esse ablativum consequentiae = *quum res ita se habeat.* Idem legitur in ep. seq. Balbi § 2. *Hac re mihi placet.*

quae sentiemus ɔ: sententiam nostram. Acquiescendum puto in correcta Med. lectione, ubi a pr. manu erat *cum sentiamus.* Orellius e sua coniectura dedit *cum sciemus.* — Mox necessario scribendum *Caesaris rationi*, non *actioni*, ut est in libris Mss. Nam non quaeritur de iis, quae Caesar in republica ageret, sed de eius commodis.

tibi fidem faciemus nos ea suadere „Simplicius et melius dixeris: *profecto ea tibi suadebimus.*" Weiske.

in suos. Male e deterioribus libris Ernestus edidit *in nos.* Laudatur Caesaris indulgentia in omnes suos, in quibus Balbus et Oppius erant.

B.

BALBUS CICERONI IMP. S.

1. S. V. B. E. Posteaquam litteras communes cum Oppio ad te dedi, ab Caesare epistolam accepi, cuius exemplum tibi misi, † ex quibus perspicere poteris quam cupiat concordiam et Pompeium reconciliare et quam remotus sit ab omni crudelitate; quod eum sentire, ut debeo, valde gaudeo. De te et tua fide et pietate idem mehercule, mi Cicero, sentio, quod tu, non posse tuam famam et officium sustinere, ut contra eum arma feras, a quo tantum beneficium te accepisse praedices. 2. Caesarem hoc idem probaturum exploratum pro singu-

§ 1. *S. V. B. E.* Cff. quae monui de h. l. ad II. 9, 1.

† *ex quibus.* In illis litteris Balbi et Oppii nihil est de concordia restituenda et de lenitate Caesaris. Sed respicit epistolam Caesaris. Suadeo igitur ut legas cum Ascensiana editione: *ex qua tu.*

et Pompeium reconciliare ɔ: et quam cupiat Pompeium reconciliare, cum Pompeio in gratiam redire. cf. ep. C., 1. Wes., qui putat Balbum ad *concordiam* certe *civium* additurum fuisse, ut adiecit Cicero in ep. 11 A., 1 et 3, ex eo, quod in M1 est *ut Pompei* fecit *concordiam suam et Pompeii.* Sed Balbus non minus recte vulgatum scribere potuit. Ipse Cicero *concordiam* nude saepius dixit, ut VII. 3, 2 *sive ad concordiam res adduci potest*, et alibi: *ut in Italia possemus concordiam constituere.*

non posse tuam famam et officium sustinere ɔ: non posse fieri salva fama et integro officio tuo. Wielandus recte vertit: dasz es

lari eius humanitate habeo, eique comulatissime satisfacturum te certo scio, quum nullam partem belli contra eum suscipias neque socius eius adversariis fueris. Atque hoc non solum in te, tali et tanto viro, satis habebit, sed etiam mihi ipse sua concessit voluntate, ne in iis castris essem, quae contra Lentulum aut Pompeium futura essent, quorum beneficia maxima haberem, sibique satis esse dixit, si togatus urbana officia sibi praestitissem, quae etiam illis, si vellem, praestare possem; itaque nunc Romae omnia negotia Lentuli procuro, sustineo, meumque officium, fidem, pietatem iis praesto. Sed mehercule rursus iam abiectam compositionis spem non desperatissimam esse puto, quoniam Caesar est ea mente, qua optare debemus. Hac re mihi placet, si tibi videtur, te ad eum scribere et ab eo praesidium petere, ut petisti a Pompeio me quidem approbante temporibus Milonianis. Praestabo, si Caesarem bene novi, eum prius tuae dignitatis quam suae utilitatis rationem habiturum. 3. Haec quam prudenter tibi scribam nescio, sed illud certe scio me ab singulari amore ac benevolentia, quaecunque scribo, tibi scribere, quod te — ita incolumi Caesare moriar! — tanti facio, ut paucos aeque ac te caros habeam. De hac re quum aliquid constitueris, velim mihi scribas; nam non mediocriter laboro ut utrique, ut vis, tuam benevolentiam praestare possis, quam mehercule te praestaturum confido. Fac valeas.

mit deiner Ehre und Pflicht unerträglich wäre. *Sustinere ut* pro pati ut non alio exemplo munire possum.

§ 2. *quorum beneficia maxima haberem.* Balbus Gaditanus a Cn. Pompeio civitate donatus est, a L. Cornelio Lentulo nomen accepit L. Cornelius.

Hac re. vid. ad ep. sup. § 2.

§ 3. *ab singulari amore ac benevolentia* ɔ: ob singularem amorem ac benevolentiam. Frequens hic usus praep. *ab* Livio, ut docet Drak. ad XXIV. 30, 1. Invenitur quoque apud Sallustium aliosque eius aetatis scriptores. Apud Ciceronem non inveni. Nam quod adducunt e Fam. XIII. 10, 1. *Satis commendatum eum tibi arbitrabar ab ipso more maiorum,* ibi *mos maiorum* personae vice fungitur, id quod apparet ex iis, quae adduntur: *qui — voluit esse.* Neque aliter explicandum quod legitur Off. I. 2 extr. *Omnis, quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio.* Denique Acad. I. 40 vulgaris lectio: *quos* (sensus) *cunctos esse censuit a quadam quasi impulsione oblata extrinsecus* e codd. nunc correcta est.

ita — moriar. cf. ad V. 15, 2.

C.

CAESAR OPPIO, CORNELIO S.

1. Gaudeo mehercule vos significare litteris, quam valde probetis ea, quae apud Corfinium sunt gesta. Consilio vestro utar libenter et hoc libentius, quod mea sponte facere constitueram, ut quam lenissimum me praeberem et Pompeium darem operam ut reconciliarem.

Temptemus, hoc modo si possumus omnium voluntates recuperare et diuturna victoria uti, quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt neque victoriam diutius tenere praeter unum L. Sullam, quem imitaturus non sum. Haec nova sit ratio vincendi, ut misericordia et liberalitate nos muniamus. Id quemadmodum fieri possit, nonnulla mihi in mentem veniunt et multa reperiri possunt. De his rebus rogo vos ut cogitationem suscipiatis. 2. N. Magium, Pompeii praefectum, deprehendi: scilicet meo instituto usus sum et eum statim missum feci. Iam duo praefecti fabrum Pompeii in meam potestatem venerunt et a me missi sunt: si volent grati esse, debebunt Pompeium hortari ut malit mihi esse amicus quam iis, qui et illi et mihi semper fuerunt inimicissimi, quorum artificiis effectum est, ut res publica in hunc statum perveniret.

§ 1. *temptemus, si possumus.* De usu part. *si* post verba experiundi monet Madv. Gr. Lat. § 187 *d.* Antiquiores in hac interrogandi forma indicativum admittebant, quem e sermone familiari Caesar h. l. retinuisse videtur.

reliqui, Marius, Cinna. alii, qui in tumultu fuerunt superiores.

§ 2. *N. Magium.* cf. infra 13, 8 et 13 A., 1. Apud Caes. B. C. I. 24, ubi hoc idem narratur additurque Magium *cum mandatis* ad Pompeium esse remissum, praenomen *Numerius* (Plut. Pomp. 63) in frequentius *Cn.* abiit. — Alterum praefectum fabrum fuisse L. Vibullium Rufum novimus e Caesaris relatione, B. C. III. 10, coll. I. 23.

VIII. *A. U. C.* 705.)

1. Cenantibus pridie Idus nobis, ac noctu quidem, Statius a te epistolam brevem attulit. De L. Torquato quod quaeris, non modo Lucius, sed etiam Aulus profectus est; alter multos (dies). De Reatinorum corona quod scribis, moleste fero in agro Sabino sementem fieri proscriptionis. Senatores multos esse Romae nos quoque audieramus: ecquid potes dicere, cur exierint? 2. In his locis opinio est coniectura magis quam nuntio aut litteris, Caesarem Formiis a. d. XI.

§ 1. *De L. Torquato.* Huius mentio facta supra VII. 12, 4 et 23, 1. Hoc anno praetor erat, Caes. B. C. I. 24. Sequenti Oricum Caesari dedidit ibid. III. 11. A. 708 in Africa periit. Hirtius de B. Afric. c. 96. — *Aulum T.*, Lucii fratrem patruelem, Attici et suum amicum Athenis exsulantem Tullius litteris consolatus est, a. 709, quae leguntur inter eas ad Fam. VI. 1—4. Vid. de eo Madvigius ad II de Finib. 72.

alter multos. Ex coniectura (*dies*) additur. Sed *profectus est multos dies* dici non potest. Itaque scribatur: *alter* (ɔ: Lucius) *ante multos dies.*

De Reatinorum corona cet. Accipienda haec de venditione nonnullorum captivorum sub corona, quae a Caesarianis Reate facta dicebatur. Male alii cogitant de sermonibus in Reatinorum circulis iactatis. Quasi vero multum tribuendum fuisset illis sermonibus!

sementem fieri proscriptionis ɔ: proscriptionis initium fieri. Ita Plautus in Epidico V, 2 scripsit *mali messem metere maximam* et Cic. N. D. III, 75 *hanc a Diis arbitramur malorum sementem esse factam*?

§ 2. *simulatam* ɔ: similem factam. Vide de hoc verbo disputantem Peerlkampium ad Verg. Aen. I. p. 188.

Kal. Apriles fore. Hic ego vellem habere Homeri illam Minervam simulatam Mentori, cui dicerem:

Μέντορ, πῶς τ᾽ ἄρ ἴω, πῶς τ᾽ ἂρ προςπτύξομαι αὐτόν;

Nullam rem unquam difficiliorem cogitavi, sed cogito tamen nec ero, ut in malis, imparatus. Sed cura ut valeas; puto enim diem tuum heri fuisse.

IX. (*A. U. C.* 705.)

1. Tris epistolas tuas accepi postridie Idus: erant autem IIII., III., pridie Idus datae; igitur antiquissimae cuique primum respondebo. Assentio tibi, ut in Formiano potissimum commorer, etiam de supero mari, † plaboque, ut antea ad te scripsi, ecquonam modo possim voluntate eius nullam rei publicae partem attingere. Quod laudas, quia oblivisci me scripsi ante facta et delicta nostri amici, ego vero ita facio: quin ea ipsa, quae a te commemorantur, secus ab eo in me ipsum facta esse non memini; tanto plus apud me valere beneficii

§ 1. *Tris.* Vetustiorem acc. formam, quam codex Med. in epistt. ad Fam. et in his constanter servat, ut Vergilii codex Med. et cod. Vatic. librorum de Rep. II, 14, propter hunc consensum veterum codicum retinendam censui. Invenitur I. 13, 1. II. 9, 2. 12, 2. IV. 2, 4. 17, 2. XIII. 32, 2 et fortasse saepius.

Assentio. Etsi h. l. nihil variant libri Mss. et editi, dubito tamen de hac forma. Nam Cicero, qui perfectum *assensi* scripsit Att. I. 14, 5. II. 1, 8. Q. fr. II. 1, 2. Fam. V. 2, 9 et passive dixit *Bibulo assensum est* Fam. I. 2, 2. aliisque locis citatis a Madvigio Emend. I. p. 131, alias semper dixit *assentior*, ut Att. VII. 3, 3 et 5, Lael. 57. Fin. I. 28 *assentior* et *assentiar*, de Repb. III. 47, ubi cod. Vatic. recte dat *tamen adsentior*, mox vitiose *adsentio aut* pro *adsentior tibi*. Neque dubito, quin Fam. I. 1, 3, quum scripsit *assentiuntur* et *assentitur*, scripserit quoque *assentiri*, non ut est in Med. *assentire*, et Bakium laudo, quod spreta bonorum codd. auctoritate, Leg. II. 33, tamen scripsit *neque illis assentior*, quum bis *assentior*, semel *assentiare* in proximis verbis sine lectionis varietate legatur. Varronem apud Gell. N. A. II. 25 et Quint. I. O. I. 5, 13 si audias, multi Sisennam secuti sunt, qui primus in senatu *assentio* dixit, neque tamen vincere consuetudinem potuerunt. Quod autem idem Quintilianus IX. 3, 7 scribit utroque modo efferri *assentior* et *assentio* ad Ciceronem non pertinet. F. Osannus ad Cic. de Repb. p. 300 nimium tribuit Diomedis testimonio neque quaestionem solvit.

† *plaboque.* Non satisfacit, quod Bosius velut e codice deprompsit *palpaboque*. Nam *palpare* nusquam alias in Tullianis scriptis legitur (*palparer* Fam. X. 33, 2 est Asinii Polionis) et h. l., non ut vulgo, indicaret *blandiar, adulabor*, sed blanditiis temptabo, adulando experiar. Propius a vero abesse videtur cod. Med. scriptura *plaboque*, quam existimo conflatam ex duobus vocabulis *placet laboroque*, quorum illud recte additur his verbis: *etiam de supero mari*, hoc sequentibus optime convenit. Nipperdeius in Philologo II. 2, p. 299 *temptaboque* coniecit, cuius vocabuli priores litteras in codice erasas putat.

delicta. Respicit ea, quae scripsit ep. 4, 2, ubi *decem annorum peccata* appellat, quae verba Corradus bene laudavit, ne quis h. l. factis *dicta* potius, quam *delicta* adiicienda censeret.

colligamusque nos ɔ: timore abiecto forti

gratiam quam iniuriae dolorem volo. Faciamus igitur, ut censes, colligamusque nos: σοφιστεύω enim, simul ut rus decurro, atque in decursu θέσεις meas commentari non desino; sed sunt quaedam earum perdifficiles ad iudicandum. De optimatibus sint sane ita, ut vis, sed nosti illud Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Titinii filius apud Caesarem est. Quod autem quasi vereri videris, ne mihi tua consilia displiceant, me vero nihil delectat aliud nisi consilium et litterae tuae: quare fac, ut ostendis; ne destiteris ad me, quicquid tibi in mentem venerit, scribere: mihi nihil potest esse gratius. 2. Venio ad alteram nunc epistolam. Recte non credis de numero militum: ipso dimidio plus scripsit Clodia. Falsum etiam de corruptis navibus. Quod consules laudas, ego quoque animum laudo, sed consilium reprehendo; discessu enim illorum actio de pace sublata est, quam quidem ego meditabar. Itaque postea Demetrii librum de concordia tibi remisi et Philotimo dedi, nec vero dubito, quin exitiosum bellum impendeat, cuius initium ducetur a fame. Et me tamen doleo non interesse huic bello! in quo tanta vis sceleris futura est, ut, quum parentes non alere nefarium sit, nostri principes antiquissimam et sanctissimam parentem, patriam, fame necandam putent. Atque hoc non opinione timeo, sed interfui sermonibus. Omnis haec classis Alexandrea, Colchis, Tyro, Sidone, Arado, Cypro, Pamphylia, Lycia, Rhodo, Chio, Byzantio, Lesbo, Zmyrna, Mileto, Coo ad intercludendos commeatus Italiae et ad occupandas frumentarias provincias comparatur. At quam veniet iratus! et iis quidem maxime, qui eum maxime salvum volebant,

animo simus, sumamus animum. cf. ad VII. 3, 8.

θέσεις *meas*. vid. supra 4, 2.

sed nosti illud Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Notum est Dionysium minorem a Timoleonte Syracusis pulsum reliquam aetatem Corinthi ludi magistrum degisse. vid. Wessel. ad Diod. Sic. XVI. 70. Hinc natum proverbium, quo usi sunt Lacedaemonii adversus Philippum minantem, Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Cicero nunc eo utitur de bonis, quos quum ipse h. l. 1, 4 negavisset esse ullos, Atticus in urbe esse defenderat. *Sint* (ita cum Gronovio scripsi pro *sit*), quales esse vis, sed si Caesaris fortuna mutabitur, non amplius erunt. Nunc me laudant, quod remansi in Italia; quid tum facturi sunt?

§ 2. *de numero militum*, sc. qui cum Pompeio transierunt, ex litteris Clodiae, quae et ipsa de navibus corruptis nuntium miserat. cf. ep. 6, 3.

discessu — sublata est. Consules cum magna parte exercitus Pompeiani Dyrrachium profecti erant, Caes. B. C. I. 25, et quod aberant, Pompeius negabat de compositione agi posse, ibid. 26.

Zmyrna. Zmyrnam fuisse nominis formam Ciceronis aetate usitatam plures docuerunt. cf. Weichert in Poet. lat. reliq. p. 169 seq. In palimpsesto Vat. de Rep. I. 13 *Zmyrnae* repertum est, in Catulli carm. 95 optimi codd. *Zmirnam* dant, ut Med. h. l.

frumentarias provincias ɔ: Siciliam et Sardiniam, annonae pignera (Flor. IV. 2), Africam et Hispaniam.

De septemtrione, plane ita est. Alii de

quasi relictus ab iis, quos reliquit. Itaque mihi dubitanti quid me facere par sit permagnum pondus affert benevolentia erga illum, qua dempta perire melius esset in patria quam patriam servando evertere. De septemtrione, plane ita est: metuo ne vexetur Epirus; sed quem tu locum Graeciae non direptum iri putas? Praedicat enim palam et militibus ostendit se largitione ipsa superiorem quam hunc fore. Illud me praeclare admones, quum illum videro, ne nimis indulgenter et ut cum gravitate potius loquar: plane sic faciendum. Arpinum, quum eum convenero, cogito, ne forte aut absim, quum veniet, aut cursem huc illuc via deterrima. Bibulum, ut scribis, audio venisse et redisse pridie Idus. 3. Philotimum, ut ais in epistola tertia, exspectabas; at ille Idibus a me profectus est: eo serius ad tuam illam epistolam, cui ego statim rescripseram, redditae sunt meae litterae. De Domitio, ut scribis, ita opinor esse, ut et in Cosano sit et consilium eius ignoretur. Iste omnium turpissimus et sordidissimus, qui consularia comitia a praetore ait haberi posse, est idem, qui semper in re publica fuit. Itaque nimirum hoc illud est, quod Caesar scribit in ea epistola, cuius exemplum ad te misi, se velle uti consilio meo; age, esto, hoc commune est; gratia; ineptum id quidem, sed, puto, hoc simulat ad quasdam senatorum sententias; dignitate, fortasse sententiae consularis; illud extremum est, ope omnium rerum. Id ego suspicari

vento hic agi putant, ut Mongaltius, qui interpretatur: „Il est très sûr que les consuls sont partis par un vent du Nord". Sed Cicero tum scripsisset: *de septemtrionibus*, ut in ep. 6, 3. Sequentia ostendunt sermonem esse de Illyrico, Macedonia, Thracia, quas regiones septemtrionales bello vexatum iri putabant. Assentior Wielando hanc sententiam e verbis elicienti: „Dasz der Krieg sich in das nördliche Griechenland ziehen wird, ist gewisz."

metuo ne vexetur Epirus. Cicero metuit Attici causa, qui ibi praedia habebat.

largitione ipsa. „Cur *ipsa?* Fortasse scr. *ipsum.*" Schuetz. Perperam: pron. indicat eum non solum armis, sed *etiam* largitione superiorem fore.

se — superiorem quam hunc fore ɔ: se superiorem fore, quam Caesar est. De constructione agunt Garat. et Wunderus ad Planc. 30. Madvig. Gramm. Lat. § 443 *b*. Post comparativos autem *superior* et *inferior* recte apud Cic. sequi *quam*, de quo Ernestus dubitabat, h. l. *quam hunc* et in ep. ad Q. fr. 1. 1, 18, *quam me* suspecta habens, multis exemplis docuit Matth. Epist. sel. p. 39.

Arpinum — cogito ɔ: non prius Arpinum proficisci volo, quam Caesarem convenero.

venisse e Syria et *redisse* ad Pompeium, a quo toti officio maritimo praepositus est. cf. Caes. B. C. III. 5.

§ 3. *Iste omnium turpissimus.* Tangit M. Lepidum, praetorem hoc anno, qui consularia comitia, quum consules abessent, a se haberi posse putabat.

hoc commune est ɔ: hoc non ad me unum unamve rem spectat, sed idem de multis rebus ad multos scribere potest, atque propterea non nimis huic verbo Caesaris tribuendum est. Belgice: *het is eene algemeene uitdrukking.*

ad quasdam senatorum sententias ɔ: ut obtineat sententias nonnullorum senatorum, qui salva republica mihi adsentiri solebant. Deinde verba *hoc ipsum esse aut non multo secus* referri debent ad id, quod Lepidus praetor comitia consularia habere volebat.

nam permagni eius interest rem ad inter-

coepi tum ex tuis litteris, aut hoc ipsum esse aut non multo secus: nam permagni eius interest rem ad interregnum non venire; id assequitur, si per praetorem consules creantur. Nos autem in libris habemus non modo consules a praetore sed ne praetores quidem creari ius esse idque factum esse nunquam; consules eo non esse ius, quod maius imperium a minore rogari non sit ius, praetores autem, quod ita rogentur, ut collegae consulibus sint, quorum est maius imperium. Aberit non longe, quin hoc a me decerni velit, neque sit contentus Galba, Scaevola, Cassio, Antonio:

τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.

4. Sed quanta tempestas impendeat vides. Qui transierint senatores scribam ad te, quum certum habebo. De re frumentaria recte intelligis, quae nullo modo administrari sine vectigalibus potest, nec sine causa et eos, qui circum illum sunt, omnia postulantes et bellum nefarium times. Trebatium nostrum, etsi, ut scribis, nihil bene sperat, tamen videre sane velim; quem fac horteris ut properet; opportune enim ad me ante adventum Caesaris venerit. De Lanuvino statim, ut audivi Phameam mortuum, optavi, si modo esset futura res publica, ut id aliquis emeret meorum, neque tamen de te, qui maxime meus (es), cogitavi; sciebam enim te quoto anno et quantum in solo solere

regnum non venire. De voluntate interregis incertus erat Caesar, quum sciret Lepidum praetorem et maiorem populi partem sui esse studiosam.

in libris „auguralibus" Man., qui recte statuere videtur, P. Sulpicium *Galbam*, Q. Mucium *Scaevolam*, C. *Cassium* Longinum, M. *Antonium*, quos hoc, quod Caesar vellet, decernere scribit Cicero, fuisse tunc in augurum numero. M. Antonium a. 704 augurem esse factum constat ex Hirtii narratione, de Bello Gall. VIII. 50. Ceterum consules a praetore creari ius non fuisse novimus quoque e M. Messallae libro de auspiciis primo, unde haec verba descripsit A. Gellius N. A. XIII, 15: „Praetor, etsi collega consulis est, neque praetorem, neque consulem iure rogare potest, ut quidem nos a superioribus accepimus et ante haec tempora servatum est et ut in commentario tertiodecimo C. Tuditani patet, quia imperium minus habet praetor, maius habet consul, et a minore imperio maius aut maior collega rogari iure non potest." cf. h. l. 15, 2.

eo non esse ius. Cobetus in Mnemos. N. S. VIII p. 198 expunxit vv. *non esse ius.* Quae si redundant, *eo* comitem iis libenter adiungam, quod otiosum est.

§ 4. *De Lanuvino* cet. cf. ep. 13, 6.

sciebam enim te — quaerere. „Monuerat Ciceronem Atticus de praedio Lanuvino venali, quem illius aliquando cupidum fuisse cognorat; fortasse et nunc arcam suam operamque ei obtulerat. Respondet Cicero se id optasse statim, ut palam factum de Phamea audierit, et quia sua res esset attenuata, voluisse agere cum aliquo amicorum, qui in praesens emeret frueretur que tanquam fiduciario, dum ipsi integrum esset meliori rerum suarum statu illud redimere, ne, si forte in alienas manus venisset, aut nulla ei postea copia aut deteriore conditione esset. Dum circumspicit opes amicorum, etsi maxime deditum haberet Atticum, non tamen de illo cogitasse, quem sciret non esse praediatorem et abhorrere a talibus emptionibus: quippe pecuniam suam malle occupare in eo negotio, in quo quaeri soleat *quoto anno* vel die recepturus eam creditor esset, et *quantum in solo* haberet is, cui col-

quaerere, neque solum Romae, sed etiam Deli tuum digamma videram. Verumtamen ego illud, quamquam est bellum, minoris aestimo, quam aestimabatur Marcellino consule, quum ego istos hortulos propter domum, Antii quam tum habebam, iucundiores mihi fore putabam et minore impensa, quam si Tusculanum refecissem. Volui HS. Q., egi per † praedum ille daret, Antii quum haberet venale: noluit. Sed nunc omnia ista iacere puto propter nummorum caritatem. Mihi quidem erit aptissimum vel nobis potius, si tu emeris; sed eius dementias cave contemnas. Valde est venustum; quamquam mihi ista omnia iam addicta vastitati videntur. Respondi epistolis tribus, sed exspecto alias; nam me adhuc tuae litterae sustentarunt. D. Liberalibus.

locaret. Nam solitos veteres, cum in creditum irent, constituere diem solutionis, non tantum constat ex libris iuris, sed ex ipso etiam Cicerone, quum aliis locis, tum lib. VII. Fam. 23." Gronovius ad Senec. de Benef. IV. 12.

neque solum — videram. Longum est recensere virorum doctorum de his verbis commenta. Sed non minus falluntur, qui de forma agri digammati Aeolico simili cogitant, ut volebant Manutius et Dawesius, Miscell. Crit p. 207, quam qui ob litteram F de *faenere* aut de *fundorum* reditu digamma interpretantur. Illud falsum, quia Atticus agros *Romae* certe non habebat; hoc, quia, si vel maxime aliquod praedium in insula Delo habuerit, certo ibi codicem accepti non habebat, quod Cicero in itinere Asiatico inspicere potuisset. Eadem ratio obstat, quominus cum Lambino *diagramma* scribendum putem. Ipse, ut cum Malaspina loquar, in his verbis vel explicandis vel emendandis quid fugiam habeo, quid sequar non habeo.

Volui HS. Q. Idem numerus HS. in hac re memoratur ep. 13, 6. Indicantur *quingenta sestertia,* ut in inscriptionibus tribus Veronensibus. cf. Mommsenus in Hermae vol. III p. 467 seq. et X. p. 472. Quae sequuntur: *Egi per praedem, ille daret, Antii quum haberet venale: noluit* corrupta puto. Nam ne dicam de insolita constructione *egi — ille daret,* ante emptionem peractam nullas video praedis partes, sed potius praediatoris, quos homines in talibus negotiis consulere solebant. cf. Cic. p. Balb. 20. Fortasse scribendum: *Volui HS. quingenta pro praedio illi dare* cet. I. F. Gron. ultima sic temptavit: *ille dare — noluit.* Wesenbergius coniecit: *egi per *** (excidit nomen viri), *praedium ut ille venderet.*

X. (*A. U. C.* 705.)

1. Nihil habebam quod scriberem, neque enim novi quicquam audieram et ad tuas omnes rescripseram pridie; sed, quum me aegritudo non solum somno privaret, verum ne vigilare quidem sine summo dolore pateretur, tecum ut quasi loquerer, in quo uno acquiesco, hoc nescio quid nullo argumento proposito scribere institui. 2. Amens mihi fuisse videor a principio et me una haec res torquet, quod non omnibus in rebus labentem vel potius ruentem Pompeium tanquam

§ 2. *tanquam unus manipularis,* non aliter quam gregarius miles. Nos dicimus: zoo als de eerste de beste soldaat. cf. Phil. II. 7 *tanquam mihi cum M. Crasso contentio esset, non cum uno gladiatore nequissimo.* Cff. quae de hoc usu *unius* dispp. Wagnerus ad eleg.

unus manipularis secutus sim. Vidi hominem XIIII. Kal. Febr. plenum formidinis: illo ipso die sensi quid ageret. Nunquam mihi postea placuit, nec unquam aliud in alio peccare destitit. Nihil interim ad me scribere, nihil nisi fugam cogitare: quid quaeris? sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς † alienantur immunde insulis unde decore fit, sic me illius fugae negligentiaeque deformitas avertit ab amore. Nihil enim dignum faciebat, quare eius fugae comitem me adiungerem. Nunc emergit amor, nunc desiderium ferre non possum, nunc mihi nihil libri, nihil litterae, nihil doctrina prodest: ita dies et noctes, tamquam avis illa, mare prospecto, evolare cupio. Do, do poenas temeritatis meae: etsi quae fuit illa temeritas? quid feci non consideratissime? si enim nihil praeter fugam quaereretur, fugissem libentissime, sed genus belli crudelissimi et maximi, quod nondum vident homines quale futurum sit, perhorrui. Quae minae municipiis, quae nominatim viris bonis, quae denique omnibus, qui remansissent! quam crebro illud: »Sulla potuit, ego non potero?'' 3. Mihi autem haeserunt illa: male Tarquinius, qui Porsenam, qui Octavium Mamilium contra patriam *, impie Coriolanus, qui auxilium petiit a Volscis, recte Themistocles, qui mori maluit, nefarius Hippias, Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit, arma contra patriam ferens. At Sulla, at Marius, at

in Messal. Lips. 1816, p. 69 seqq., Ellendt. ad Cic. Orat. I. 132 *sicut unus paterfamilias,* Baumstarkius in Nov. Ann. Philol. vol. 81. p. 764 seqq.

aliud in alio peccare. Probanda est Ernesti coni. *aliud ex alio.*

sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς cet. Quod vulgo editur *alienant immundae, insulsae, indecorae,* multo magis recedit a cod. Med., in quo scriptum est: *alienantur immunde insulis unde decore fit,* quam quod Peerlkampius excogitavit: *alienantur viri immundo vestitu, illecebris indecoris,* aut quod ego malim: *sicut* ἐν τ. ἐρ. *alienamur immundae mulieris dedecore,* aut quod Madvigius A. C. III p. 182 proposuit: *sicut — alienamur, (si quid) immunde, insulse, indecore fit.* Fortasse Cicero cogitabat versum comici, ut in seqq. *nunc emergit amor, nunc desiderium ferre non possum* color poëticus inest. In re dubia codicis ineptias retinui.

nihil litterae — nihil doctrina prodest. In anaphora verbi numerus refertur ad ultimum substantivum, ut ad Q. fr. I. 1, 40 *quod tibi hominum iniuriae, quod avaritiae, quod insolentia praeter opinionem accidebat.* cf. adnot. ad II. 17, 1.

tanquam avis illa, nota ex epistola quadam Platonis, cuius haec verba citat Victorius: τὸ δὲ μετὰ ταῦτα ἐζῶμεν ἐγὼ καὶ Διονύσιος, ἐγὼ μὲν βλέπων ἔξω, καθάπερ ὄρνις, ποθῶν πόθεν ἀναπτᾶσθαι κ. τ. λ.

§ 3. *Mihi — haeserunt illa* ɔ: animo meo obversabantur iudicia, quae de Tarquinio aliisque ferri solent. Eadem locutio redit § 4 et invenitur in Traiani epistola inter Plinianas X. 95.

contra patriam. W. recte statuit hic omissum esse verbum, quum sequantur *qui — petiit — qui maluit — qui . . cecidit.* Omissum est *accivit* vel *adduxit* vel *impulit.*

Hippias — cecidit. Idem tradit Iustinus II. 9 extr. Neque Herodotus, neque Thucydides rem memorant, hic diutius eum vixisse affirmat, ut Suidas in v. Ἱππίας.

At Sulla, at Marius, at Cinna recte. Immo iure fortasse; sed quid eorum victoria crudelius? Sic verba distinxi, ut illa priora *At —*

Cinna recte. Immo iure fortasse, sed quid eorum victoria crudelius, quid funestius? Huius belli genus fugi et eo magis, quod crudeliora etiam cogitari et parari videbam. Me, quem nonnulli conservatorem istius urbis, quem parentem esse dixerunt, Getarum et Armeniorum et Colchorum copias ad eam adducere? me meis civibus famem, vastitatem inferre Italiae? Hunc primum mortalem esse, deinde etiam multis modis posse exstingui cogitabam, urbem autem et populum nostrum servandum ad immortalitatem, quantum in nobis esset, putabam, et tamen spes quaedam me † obtentabat fore ut aliquid conveniret potius, quam aut hic tantum sceleris aut ille tantum flagitii admitteret. Alia res nunc tota est, alia mens mea: sol ut est in tua quadam epistola, excidisse mihi e mundo videtur. Ut aegroto, dum anima est, spes esse dicitur, sic ego, quoad Pompeius in Italia fuit, sperare non destiti: haec, haec me fefellerunt et, ut verum loquar, aetas iam a diuturnis laboribus devexa ad otium domesticarum me rerum delectatione mollivit. Nunc, si vel periculose experiundum erit, experiar certe, ut hinc avolem. Ante oportuit fortasse; sed ea, quae scripsi, me tardarunt et auctoritas maxime tua. 4. Nam quum ad hunc locum venissem, evolvi volumen epistolarum tuarum, quod ego sub signo habeo servoque diligentissime. Erat igitur in ea, quam x. Kalend. Febr. dederas, hoc modo: »Sed videamus et Cnaeus quid agat et illius rationes quorsum fluant. Quodsi iste Italiam relinquet, faciet omnino male et, ut ego existimo, ἀλογίστως, sed tum demum consilia nostra commutanda erunt." Hoc scribis post diem quartum, quam ab urbe discessimus. Deinde VIII. Kalend. Febr.: »Tantummodo Cnaeus noster ne, ut urbem ἀλογίστως reliquit, sic Italiam relinquat." Eodem die das alteras litteras, quibus mihi consulenti planissime respondes; est enim sic: »Sed venio ad consultationem tuam. Si Cnaeus Italia cedit, in urbem redeundum puto: quae enim finis peregrinatio-

recte sibi opponi fingat Cicero, quibus respondet ita, ut neget eos *recte* fecisse, *iure* fecisse dubitanter concedens.

quem parentem esse dixerunt. Assentior Lambino *patriae parentem* a Cicerone scriptum suspicanti.

spes me † obtentabat. Scribendum *sustentabat* e Lambini correctione. cf. p. Flacco, 3 p. Mil. 100. Minus convenit Ciceronis personae v. *oblectabat*, quod placebat Mosero, Symb. Crit. V. p. 16 et Kochio in Emendd. epistt. p. 14. Klotzius in editione altera hoc recepit.

aut hic tantum sceleris aut ille tantum flagitii. Illud spectat ad Caesarem, qui tyrannidem affectabat, hoc ad Pompeium, qui Italiae vastitatem minabatur, quod, quamvis flagitiosum, tamen minus impium erat.

§ 4. *volumen epistolarum.* Veteres epistolas, quas servare volebant, redigebant in unum vel plura volumina. cf. Fam. XVI. 17. Q. fr. I. 2, 8.

nis?" Hoc mihi plane haesit, et nunc ita video, infinitum bellum iunctum miserrima fuga, quam tu peregrinationem *ὑποκορίζῃ*. 5. Sequitur *χρησμὸς* VI. Kalend. Februar.: »Ego, si Pompeius manet in Italia nec res ad pactionem venit, longius bellum puto fore; sin Italiam relinquit, ad posterum bellum *ἄσπονδον* strui existimo." Huius igitur belli ego particeps et socius et adiutor esse cogor, quod et *ἄσπονδον* est et cum civibus. Deinde VII. Idus Februar., quum iam plura audires de Pompeii consilio, concludis epistolam quandam hoc modo: »Ego quidem tibi non sim auctor si Pompeius Italiam relinquit, te quoque profugere; summo enim periculo facies nec rei publicae proderis, cui quidem posterius poteris prodesse, si manseris." Quem *φιλόπατριν* ac *πολιτικὸν* hominis prudentis et amici tali admonitu non moveret auctoritas? 6. Deinceps III. Idus Februar. iterum mihi respondes consulenti sic: »Quod quaeris a me fugamne † fidam an moram defendam utiliorem putem, ego vero in praesentia subitum discessum et praecipitem profectionem quum tibi, tum ipsi Cnaeo inutilem et periculosam puto et satius esse existimo vos dispertitos et in speculis esse, sed mediusfidius turpe nobis puto esse de fuga cogitare." Hoc turpe Cnaeus noster biennio ante cogitavit; ita sullaturit animus eius et proscripturit iamdiu. Inde, ut opinor, quum tu ad me quaedam *γενικώτερον* scripsisses et ego mihi a te quaedam significari putassem, ut Italia cederem, detestaris hoc diligenter XI. Kalend. Mart.: »Ego vero nulla epistola significavi, si Cnaeus Italia cederet, ut tu una cederes, aut, si significavi, non dico fui inconstans, sed demens." In eadem epistola alio loco: »Nihil relinquitur nisi fuga, cui te socium neutiquam puto esse oportere nec unquam putavi."

quae — finis. Ubi cum hoc pronomine *finis* coniungitur, genus femininum solemne fuisse videtur. Exempla congessit Haasius ad Reisigii Scholas adn. 167. cf. Otto in Proleg. ad lib. de generibus nom. p. 21.

§ 5. *Ego q. tibi non sim auctor — te quoque profugere.* Cicero scripsisset: *ut tu quoque profugias.* cf. Reisigii Schol. p. 564.

§ 6. † *fugamne fidam an moram defendam.* Retinui cod. Med. scripturam, in qua quid lateat, aliis divinandum relinquo. Emendationum, quas vidi, nullam plane probo. A mente scriptoris non longe recedas, si legeris *fugamne infidam an moram desidem,* quorum illud Livius scripsit XXXIV. 28, hoc Manutio in mentem venit. Klotzius correxit: *fugamne suadeam an moram defendam utilioremque putem.* Schmidt: *fugamne citam an moram lentam utiliorem putem.*

sullaturit et proscripturit ɔ: gestit Sullam agere et adversarios proscribere. Desiderativa Cicero finxit. cf. Quint VIII. 3, 32 et 6, 32.

γενικώτερον ɔ: magis in universum. cf. I. 14, 2.

quaedam significari putassem, ut Italia cederem. Frustra Orellius litem movet vocabulo *quaedam,* quod non fecisset, si verba *ut It. cederem* perspicuitatis causa hic adiecta esse cogitasset.

§ 7. *hanc νεκυίαν.* Invidioso nomine de-

7. Totam autem hanc deliberationem evolvis accuratius in litteris IIX. Kalend. Mart. datis: »Si M'. Lepidus et L. Volcacius remanent, manendum puto, ita ut, si salvus sit Pompeius et constiterit alicubi, hanc νεκυίαν relinquas et te in certamine vinci cum illo facilius patiaris quam cum hoc in ea, quae perspicitur futura, colluvie regnare.'' Multa disputas huic sententiae convenientia; inde ad extremum: »Quid si,'' inquis, »Lepidus et Volcacius discedunt? Plane ἀπορῶ: quod evenerit igitur et quod egeris, id στερκτέον putabo.'' Si tum dubitabas, nunc certe non dubitas istis manentibus. 8. Deinde in ipsa fuga V. Kal. Mart.: »Interea non dubito, quin in Formiano mansurus sis; commodissime enim τὸ μέλλον ibi καραδοκήσεις.'' atque Kal. Mart., quum ille quintum iam diem Brundisii esset: »Tum poterimus deliberare, non scilicet integra re, sed certe minus infracta, quam si una proieceris te.'' Deinde IV. Nonas Mart. ὑπὸ τὴν λῆψιν cum breviter scriberes, tamen ponis hoc: »Cras scribam plura et ad omnia; hoc tamen dicam, non paenitere me consilii de tua mansione: et, quamquam magna sollicitudine, tamen, quia minus mali puto esse quam in illa profectione, maneo in sententia et gaudeo te mansisse.'' 9. Quum vero iam angerer et timerem, ne quid a me dedecoris esset admissum, III. Nonas Mart.: »Tamen te non esse una cum Pompeio non fero moleste. Postea, si opus fuerit, non erit difficile et illi, quoquo tempore fiet, erit ἀσμένιστον; sed hoc ita dico, si hic, qua ratione initium fecit, eadem cetera aget, sincere, temperate, prudenter, valde videro et consideratius utilitati nostrae consuluero.'' 10. VII. Idus Mart. scribis Peducaeo quoque nostro probari, quod quierim, cuius auctoritas multum apud me valet. His ego tuis scriptis me consolor, ut nihil a me adhuc delictum putem. Tu modo auctoritatem tuam defendito: adversus me nihil opus est, sed consciis egeo aliis. Ego, si nihil peccavi, reliqua tuebor: ad ea tute hortare et me omnino tua cogitatione adiuva. Hic nihildum de reditu Caesaris audiebatur. Ego his litteris hoc tamen profeci: perlegi omnes tuas et in eo acquievi.

signat Caesaris comitatum. cf. h. l. 11, 2 et 18, 2. Respicitur ad νεκυίαν in Odyss. XI.

perspicitur. „Potius *prospicitur.*" Gron.

dubitabas pro *dubitares* correxit Ernestus.

§ 8. *atque Kalendis Martiis* scribendum esse pro *Ad Kalendas Martias* vidit W., quem sequor.

§ 10. *consciis egeo aliis.* Optime Bosius: „Cicero hoc dicit: mihi opus est, ut alii sciant me hac in re paruisse auctoritati tuae."

tute hortare ɔ: tu ipse hortare, non ut inepte scribitur *tu te hortare.* Illud *tute* legitur VIII. 3, 2. Fam. I. 8, 2, et saepius in epistolis.

XI. (*A. U. C.* 705.)

1. Lentulum nostrum scis Puteolis esse? quod quum e viatore quodam esset auditum, qui se diceret eum in Appia, quum is paulum lecticam aperuisset, cognosse, etsi vix veri simile, misi tamen Puteolos pueros qui pervestigarent et ad eum litteras. Inventus est vix in hortis suis se occultans litterasque mihi remisit mirifice gratias agens Caesari: de suo autem consilio C. Caecio mandata ad me dedisse. Eum ego hodie exspectabam, id est, XIII. Kal. April. 2. Venit etiam ad me Matius Quinquatribus, homo mehercule, ut mihi visus est, temperatus et prudens; existimatus quidem est semper auctor otii. Quam ille haec non probare mihi quidem visus est! quam illam **νεκυίαν,** ut tu appellas, timere! Huic ego in multo sermone epistolam ad me Caesaris ostendi eam, cuius exemplum ad te antea misi, rogavique ut interpretaretur quid esset quod ille scriberet, »consilio meo se uti velle, gratia, dignitate, ope rerum omnium." Respondit se non dubitare, quin et opem et gratiam meam ille ad pacificationem quaereret. Utinam aliquod in hac miseria rei publicae **πολιτικὸν** opus efficere et navare mihi liceat! Matius quidem et illum in ea sententia esse confidebat et se auctorem fore pollicebatur. 3. Pridie autem apud me Crassipes fuerat, qui se pridie Nonas Mart. Brundisio profectum atque ibi Pompeium reliquisse dicebat, quod etiam, qui IIX. Idus illinc profecti erant, nuntiabant: † illa vero omnes — in quibus etiam Crassipes, † qui prudentia potius attendere — sermones minaces, inimicos optimatium, municipiorum hostes, meras proscriptiones, meros Sullas; quae Lucceium loqui, quae totam Graeciam, quae vero Theophanem! 4. Et tamen omnis spes salutis in illis est et ego

§ 1. *Lentulum scis Puteolis esse.* Quomodo Atticus Romae hoc iam tunc scire potuerit, non video, quum Cicero in Formiano citius Lentuli adventum audiverit. Vide, ne nunc ipsum rogando hoc nuntiet amico.

mirifice gratias agens Caesari „ɔ: Valde laudans erga se benignitatem Caesaris, a quo captus Corfinii incolumis dimissus esset." I. F. Gron.

§ 2. *Venit — ad me Matius.* Huc respicitur in epist. ad Matium a. 710 data, Fam. XI. 27, 3. *quinquatribus* ɔ: a. d. XIIII Kal. Apr.

consilio meo se uti velle, cet. cf. h. l. 6 A. et 9, 3.

opus efficere et navare, cf. Fam. VI. 1, 7, *navare aliquid et efficere.* de pet. cons. 18 *suffragandi studia navare petitori.*

§ 3. † *illa vero omnes* cet. Haec ita scribenda puto: *illic vero omnes — in quibus etiam Crassipes, qui prudentiam potius ostenderet — sermones minaces,* cet. Madvigius A. C. III p. 182 retinet *illa* et de Crassipede scriptum censet: *qui* (*pro*) *prudentia potuit attendere.*

totam Graeciam „homines Graecos, qui cum Pompeio erant." Corradus.

§ 4. *excubo animo* ɔ: vigilo, ad omnia animum intendo, paratus sum. Tusc. IV. 37,

excubo animo nec partem ullam capio quietis et, ut has pestes effugiam, cum dissimillimis nostri esse cupio. Quid enim tu illic Scipionem, quid Faustum, quid Libonem praetermissurum sceleris putas? — quorum creditores convenire dicuntur — quid eos autem, quum vicerint, in cives esse facturos? quam vero μικροψυχίαν Cnaei nostri esse? Nuntiant Aegyptum et Arabiam εὐδαίμονα et Mesopotamiam cogitare, Hispaniam abiecisse. Monstra narrant, quae falsa esse possunt; sed certe et haec perdita sunt et illa non salutaria. Tuas litteras iam desidero: post fugam nostram nunquam iam † nostrum earum intervallum fuit. Misi ad te exemplum litterarum mearum ad Caesarem, quibus me aliquid profecturum puto.

Sapiens semper animo sic excubat, ut nihil ei improvisum accidere possit.

in cives esse facturos. Vulgo *effecturos.* Sed merito Ernestus consuetudinis Tullianae esse *facere in aliquem* notavit. Nam efficiendi verbo iungit ablativum cum praepositione *in*, ut in Laelio § 41. Phil. XIV. 9.

Μικροψυχίαν rescripsi e vetere emendatione pro μακροψυχίαν. Nam, ut recte Ern., ironia hic locum non habet. Neque Graeci dicebant μακροψυχίαν.

iam nostrum earum intervallum fuit. Optime vir doctus apud Lambinum correxit: *tam longum earum intervallum fuit:* nec praetulerim coniecturam Kochii: *nunquam maius trium dierum intervallum fuit,* quam absolvisse C. F. Mullerus in Philol. XIX. 327 se putabat pro *maius* scribentem *amplius.*

A.

CICERO IMP. S. D. CAESARI IMP.

1. Ut legi tuas litteras, quas a Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas ut ad urbem essem, te velle uti consilio et dignitate mea, minus sum admiratus: de gratia et de ope quid significares, mecum ipse quaerebam, spe tamen deducebar ad eam cogitationem, ut te pro tua admirabili ac singulari sapientia de otio, de pace, de concordia civium agi velle arbitrarer, et ad eam rationem existimabam satis aptam esse et naturam et personam meam. 2. Quod si ita est et si qua de Pompeio nostro tuendo et tibi ac rei publicae reconciliando cura te attingit, magis idoneum, quam ego sum, ad eam causam profecto reperies neminem, qui et illi semper et senatui, quum primum potui, pacis auctor fui, nec sumptis armis belli ullam partem attigi iudicavique eo bello te violari, contra cuius honorem populi Romani beneficio concessum inimici atque invidi niterentur. Sed ut eo

§ 1. *tuas litteras,* additas epist. 6 h. l.

§ 2. *adiutor dignitatis.* Med. *auctor,* editt. post Bosium *fautor.* Sed *auctori ad te adiuvandum* optime opp. *adiutor,* ut scripsit Hotmannus ep. sel. p. 193, laudans ex orat. p. Flacco, 1. *honoris adiutorem.*

tempore non modo ipse adiutor dignitatis tuae fui, verum etiam ceteris auctor ad te adiuvandum, sic me nunc Pompeii dignitas vehementer movet; aliquot enim sunt anni, quum vos duo delegi, quos praecipue colerem et quibus essem, sicut sum, amicissimus. 3. Quamobrem a te peto vel potius omnibus te precibus oro et obtestor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi, ut tuo beneficio bonus vir, gratus, pius denique esse in maximi beneficii memoria possim. Quae si tantum ad me ipsum pertinerent, sperarem me a te tamen impetraturum, sed, ut arbitror, et ad tuam fidem et ad rem publicam pertinet, me ex paucis et ad utriusque vestrum et ad civium concordiam per te quam accommodatissimum conservari. Ego, quum antea tibi de Lentulo gratias egissem, quod ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses, tum lectis eius litteris, quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate beneficioque misit, eandem me salutem a te accepisse putavi quam ille, in quem si me intelligis esse gratum, cura, obsecro, ut etiam in Pompeium esse possim.

§ 3. *omnibus te precibus oro.* Recte Lambinus sic dedit in margine ed. 1584. Libri Mss. pro *te* habent *et*, unde in deterioribus factum est *etiam;* editores plerique male illud abiecerunt. Formulam *omnibus precibus* exemplis illustravit Bentleius ad Hor. Carm. IV. 5, 13.

ad tuam fidem et ad remp. pertinet. Cogitabat fortasse haec scribens sollemnem formulam *uti e repb. fideque sua videretur,* quae est in SCto apud Gellium XV. 11 et alibi.

de Lentulo. cf. VIII. 9, 4 et epist. praecedens, 1.

eandem me salutem a te accepisse putavi quam ille. Usus postulat, ut scribatur *quam illum.* Sed nihil mutandum; nam Cicero nonnunquam eam attractionem neglexit, ut monuit Madv. ad Fin. p. 149 hunc quoque locum laudans.

XII. (*A. U. C.* 705.)

1. Legeram tuas litteras XIII. Kalend., quum mihi epistola affertur a Lepta circumvallatum esse Pompeium, ratibus etiam exitus portus teneri: non mediusfidius prae lacrimis possum reliqua nec cogitare nec scribere. Misi ad te exemplum. Miseros nos, cur non omnes fatum illius una exsecuti sumus? Ecce autem a Matio et Trebatio eadem, quibus Minturnis obvii Caesaris tabellarii. Torqueor infelix,

§ 1. *Legeram.* Sic recte edidit Orellius, quum in Mediceo esset *legerem,* unde is qui codicem correxit, fecit *legebam.* Similes corruptelas collegit Wesenbergius Emend. p. 27 seqq.

fatum — exsecuti sumus. Compositum *exsequi* legitur in simillimo loco Phil. II, 22 *omnes, qui per valetudinem exsequi cladem illam fugamque potuissent.* Est autem *ad finem usque sequi.*

illum Mucianum exitum. Pontificis maximi, qui iussu Marii iunioris in curia ante simu-

ut iam illum Mucianum exitum exoptem. At quam honesta, at quam expedita tua consilia, quam evigilata tuis cogitationibus qua itineris, qua navigationis, qua congressus sermonisque cum Caesare! omnia quum honesta, tum cauta. In Epirum vero invitatio quam suavis, quam liberalis, quam fraterna! 2. De Dionysio sum admiratus, qui apud me honoratior fuit quam apud Scipionem Panaetius, a quo impurissime haec nostra fortuna despecta est. Odi hominem et odero; utinam ulcisci possem! sed illum ulciscentur mores sui. 3. Tu, quaeso, nunc vel maxime quid agendum nobis sit cogita. Populi Romani exercitus Cn. Pompeium circumsidet, fossa et vallo saeptum tenet, fuga prohibet: nos vivimus, et stat urbs ista, praetores ius dicunt, aediles ludos parant, viri boni usuras perscribunt, ego ipse sedeo. Coner illuc ire, ut insanus? implorare fidem municipiorum? Boni non sequentur, leves irridebunt, rerum novarum cupidi, victores praesertim et armati, vim et manus afferent. 4. Quid censes igitur? ecquidnam est tui consilii ad finem huius miserrimae vitae? Nunc doleo, nunc torqueor, quum cuidam aut sapiens videor, quod una non ierim, aut felix fuisse: mihi contra; nunquam enim illius victoriae socius esse volui, calamitatis mallem fuisse. Quid ego nunc tuas litteras, quid tuam prudentiam aut benevolentiam implorem? actum est. Nulla re iam possum iuvari, qui ne quod optem quidem iam habeo, nisi ut aliqua inimici misericordia liberemur.

lacrum Vestae trucidatus est. cf. Cic. Or. III, 9. Appian. B. C. I, 88.

consilia evigilata ɔ: elucubrata, elaborata. Genitivi *itineris, navigationis, congressus sermonisque* pendent a voc. *consilia.*

§ 2. *De Dionysio sum admiratus*, cet. cf. h. l. 15, 5 et X, 2, 2. Quum Cicero iam antea illum hominem cognovisset ingratissimum, cf. VIII. 4, non poterat mirari ab eo se nunc relinqui. Admirabatur potius Dionysium Attici literis defendi vel excusari.

§ 3. *ego ipse sedeo.* Interrogandi signum flagitante sententia sustuli. Pro *ipse* malim *hic.*

§ 4. *ecquidnam est tui consilii ad finem huius miserrimae vitae.* In cod. Med. est *ad finis.* Quod editur vix Latinum est, certe Tullio indignum. Scripsisse videtur: *ecquis — nam est tui consilii — finis huius miserrimae vitae?* ɔ: potesne invenire consilium, quo his miseriis quaeratur finis?

quum cuidam — videor. Ex eo quod M. praebet *quidam* facilius eruitur *cuidam*, ut Klotz. edidit, quam *quibusdam*, quod a Victorio multi acceperunt.

ne quod optem quidem iam habeo. Vulgo *quid.* Correxit Ernestus.

XIII. (*A. U. C.* 705.)

1. ***Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος,*** ut opinor, ille de ratibus; quid enim

§ 1. Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος. Exordium notissimae palinodiae Stesichori, de quo docte disputavit Fritzsche ad Arist. Thesm. p. 372.

esset, quod Dolabella iis litteris, quas III. Idus Mart. a Brundisio dedit, hanc quasi εὐημερίαν Caesaris scriberet Pompeium in fuga esse, eumque primo vento navigaturum? quod valde discrepat ab iis epistolis, quarum exempla antea ad te misi. Hic quidem mera scelera loquuntur, sed non erat nec recentior auctor nec huius quidem rei melior Dolabella. 2. Tuas XI. Kalend. accepi litteras, quibus omnia consilia differs in id tempus, quum scierimus, quid actum sit; et certe ita est, nec interim potest quicquam non modo statui, sed ne cogitari quidem. Quamquam hae me litterae Dolabellae iubent ad pristinas cogitationes reverti; fuit enim pridie Quinquatrus egregia tempestas, qua ego illum usum puto. 3. Συναγωγὴ consiliorum tuorum non est a me collecta ad querelam, sed magis ad consolationem meam: nec enim me tam haec mala angebant, quam suspicio culpae ac temeritatis meae; eam nullam puto esse, quoniam cum consiliis tuis mea facta et consilia consentiunt. Quod mea praedicatione factum esse scribis magis quam illius merito, ut tantum ei debere viderer, est ita: ego illa extuli semper et eo quidem magis, ne quid ille superiorum meminisse me putaret, quae si maxime meminissem, tamen illius temporis similitudinem iam sequi deberem. Nihil me adiuvit, quum posset; [et] postea fuit amicus, etiam valde — quam ob causam plane nescio —: ergo ego quoque illi; quin etiam illud par in utroque nostrum, quod ab eisdem illecti sumus. Sed utinam tantum ego ei prodesse potuissem, quantum mihi ille potuit!

quid enim esset de Wes. coni. scripsi pro *est* propter sequens *quod — scriberet*. Negat Cicero narrationem de ratibus veram esse; si vera esset, quid esset quod D. — scriberet.

quasi εὐημερίαν Caesaris. Voc. *quasi* cum Lambino ante εὐημερίαν collocandum curavimus W. et ego.

sed non erat — recentior auctor ɔ: sed hi rumores non confirmabantur ab aliquo, qui breviore temporis spatio Brundisio venerat.

§ 2. *hae me litterae D. iubent — reverti. Me* scripsi pro *mihi*, quum ipsa sedes vocabuli non sinat de eo dativi genere cogitare, de quo dixi ad I. 14, 5. Nec raro erravit in hoc genere scriptor libri Medicei, ut exemplis probavit Wesenbergius Emend. p. 130. *Iubere* nec apud Ciceronem, nec ab ullo poeta aut scriptore ante Augustum cum dativo iunctum est. Conf. Gron. Duker et Drak. ad Liv. XXVII. 24, 3.

§ 3. Συναγωγὴ *consiliorum tuorum* in ep. 10, 4 seqq.

illa extuli ɔ: illius in me merita, studium et operam in me restituendo. Pompeius tamen prius Tullium praesidium suum implorantem adversus Clodii minas et vim deseruerat, quod h. l. vocabulo *superiorum* leniter indicatur. Quod autem addit se *illius temporis similitudinem iam sequi debere*, id bene explicatur a Manutio: „Primo me deseruit, deinde adiuvit; item ego, quod ante omisi, nunc facere debeo, ut eum adiuvem."

[et] postea fuit amicus. Copulam e male repetita terminatione praecedentis voc. *posset* ortam iudico. Melius abest, vel in *set* mutabitur.

illecti ɔ: in fraudem inducti, decepti. Sine iusta causa Gronovius Manutii coni. *eiecti* codd. scripturae praeferebat.

Mihi tamen, quod fecit, gratissimum, nec ego nunc, eum iuvare qua re possim, scio nec, si possem, quum tam pestiferum bellum pararet, adiuvandum putarem: 4. tantum offendere animum eius hic manens nolo, nec mehercule ista videre, quae tu potes iam animo providere, nec interesse istis malis possum, sed eo tardior ad discedendum fui, quod difficile est de discessu voluntario sine ulla spe reditus cogitare. Nam ego hunc ita paratum video peditatu, equitatu, classibus, auxiliis Gallorum, quos Matius *ἐλάπιζεν*, ut puto, sed certe dicebat peditum * *, equitum sex polliceri sumptu suo annos decem; sed sit hoc *λάπισμα*, magnas habet certe copias, et habebit non † ille vectigal, sed civium bona. Adde confidentiam hominis, adde imbecillitatem bonorum virorum, qui quidem, quod illum sibi merito iratum putant, oderunt, ut tu scribis, ludum. Ac vellem, † scribis, quisnam hic significasset. Sedet iste, qui plus ostenderat, quam fecit, et vulgo illum qui amarunt, non amant; municipia vero et rustici Romani illum metuunt, hunc adhuc diligunt. Quare ita paratus est, ut, etiamsi vincere non possit, quomodo tamen vinci ipse possit, non videam. Ego autem non tam *γοητείαν* huius timeo quam *πειθανάγκην· αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις*, inquit *Πλάτων*, *οἶσθ᾽ ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις*. 5. Illa

§ 4. *hunc ita paratum video peditatu*, cet. Sententiam non absolvit, sed filum orationis interruptum instaurat verbis: *Quare ita paratus est, ut — non videam. Paratus* cum nudo abl. legitur de Or. I. 38. cf. Wex ad Tac. Agric. 42.

ἐλάπιζεν i. e. insolenter iactabat, ostentabat. Hinc *λάπισμα*, falsa ostentatio. cf. Hesychius *λαπιστής. ψεύστης, φλύαρος.* Anecd. Bekk. p. 277 *λαπίζειν. ἀλαζονεύεσθαι.*

peditum, equitum. Numeri desunt in M. et qui vulgo adduntur CCIↃↃ et VI a Bosio e codice ficto sunt prolati. De equitum numero tamen vix dubitari potest quin recte sic tradatur, quum in *se* lateat *sex*.

non ille vectigal, sed civium bona. ille in M. correctum est, sed male. Nam pronomen vitiose abundat. In eo, quod M1 dat *alie* latere *Italiae* acute vidit Madvigius A. C. III p. 183. Nomine vectigalis designantur portoria. Quae Madvigius in proximis mutavit, minime placent.

confidentiam hominis. Malo sensu usurpatur, ut *confidens*, de quo vid. Tusc. III. 14.

oderunt, ut tu scribis, ludum. Perperam haec verba editoribus de mendo suspecta sunt, et BK Orellii *dudum* ediderunt. Bellum, cuius exitus est incertus, recte cum alea vel ludo comparatur. Cui non in mentem venit Horatianum illud de Marte: *Heu nimis longo satiate ludo?* Quae sequuntur ita corrigo: *Ac vellem scripsisses, quisnam hoc significasset.* Tum pro *Sed et iste, quia* confidenter scripsi *Sedet iste, qui —*. Caesar autem, qui constanter indicatur pron. *hic*, ut Pompeius est *ille*, certe non declaratur nunc pronomine *iste*, nec facile dixeris, qua in re Caesar plus ostenderit, quam fecerit; sed *iste, qui plus ostenderat, quam fecit* mihi videtur esse L. Domitius vel alius princeps partium Pompeianarum, qui tum *sedebat* ɔ: nihil agebat.

hunc adhuc diligunt ɔ: Caesarem etiam nunc diligunt, quia se benevolum iis ostendit.

αἱ γὰρ κ. τ. λ. Tyrannorum scilicet preces sunt mixtae necessitate. Sententia desumpta ex eadem illa Platonis epistola, ad quam respicit ep. 10, 2 h. l.

§ 5. *occultationem.* Acute Victorius hanc vocem e libri Med. inepta scriptura *occulte fio onem* restituit, quem sequi malo, quam

ἀλίμενα video tibi non probari, quae ne mihi quidem placebant, sed habebam in illis et occultationem et ὑπηρεσίαν fidelem, quae si mihi Brundisii suppeterent, mallem; sed ibi occultatio nulla est. Verum, ut scribis, quum sciemus. 6. Viris bonis me non nimis excuso; quas enim eos cenas et facere et obire scripsit ad me Sextus, quam lautas, quam tempestivas! Sed sint quamvis boni, non sunt meliores quam nos; moverent me, si essent fortiores. De Lanuvino Phameae erravi; Troianum somniaveram; id ego volui Q., sed pluris est. Istuc tamen cuperem emere, si ullam spem fruendi viderem. 7. Nos quae monstra quotidie † intelligamus ex illo libello, qui in epistolam coniectus est. Lentulus noster Puteolis est: ἀδημονῶν is, ut Caecius narrat, quid agat, διατροπὴν Corfiniensem reformidat, Pompeio nunc putat satisfactum, beneficio Caesaris movetur, sed tamen movetur magis † prospecta re. 8. Tene haec posse ferre? Omnia misera, sed hoc nihil miserius: Pompeius N. Magium de pace misit, et tamen oppugnatur; quod ego non credebam, sed habeo a Balbo litteras, quarum ad te exemplum misi; lege, quaeso, et illud infimum caput ipsius Balbi optimi, cui Cnaeus noster locum, ubi hortos aedificaret, dedit, quem cui nostrum non saepe praetulit! Itaque miser torquetur. Sed, ne bis eadem legas, ad ipsam te epistolam reiicio. Spem autem pacis

I. F. Gronovium, qui coniecit: *occultam σιτώνην* ɔ: emptionem frumenti. Paulo ante ἀλίμενα sunt loca, in quibus Cicero erat, a mari dissita, portum unde solvere posset non habentia.

quum sciemus „quid actum fuerit Brundisii." Gronovius.

§ 6. *De Lanuvino Phameae erravi*, cet. vid. ep. 9, 4. *Troianum* erat praedium in isto tractu, quod nomen acceperat ab Aeneae adventu. Livius I. 1 narrat Aeneam Laurentem agrum tenuisse additque: *Troia et huic loco nomen est.*

Istuc tamen cuperem emere. In his verbis restituendis, quae in codd. mendosa inveniuntur, secutus sum Ernestium, quum quod aliis probatur *mi* vel *mihi cuperem emeres* vix recte dicatur.

§ 7. *intelligamus.* Acute vidit Wesenbergius Emend. p. 41 duo verba primum inverso ordine scripta, deinde librarii culpa in unum conflata esse, et scribendum: *legamus, intelliges ex illo libello* cet.

quid agat. Sine dubio hoc pendet a v. ἀδημονεῖν, quod est *animi pendere.* Mox διατροπήν *Corf.* dicit *infamiam* et *dedecus* e deditione Corfiniensi ortum.

movetur magis prospecta re ɔ: quum prospexit, qui futurus sit contentionis inter Caesarem et Pompeium exitus. Suspicio Orellii in verbo *prospectaret* latere *populi Romani spe afflicta*, parum probabilis est, neque plus tribuo Kochii invento *prospectu maritimo.* Si quid mutandum, malim de Gronovii coniectura scribere *prospera re* ɔ: fortuna Caesaris, aut de Peerlkampii sententia *prosperitate*, quod facile in *prospectaret* corrumpi potuit.

§ 8. *Tene haec posse ferre?* Ex littera *t*, quae in Med. adhaesit praecedenti vocabulo, et *nec*, facilius *tene* efficitur, quam quod Pius edidit *mene.*

illud infimum caput ipsius Balbi ɔ: postremam partem litterarum, quam ipse Balbus adscripsit. Ceterum voc. *optimi* et *itaque miser torquetur* ironice adiici, vix est quod moneam. Verbum *torqueri* ab ipso Balbo desumptum est.

habeo nullam: Dolabella suis litteris Idibus Mart. datis merum bellum loquitur. Maneamus ergo in illa eadem sententia misera et desperata, quando hoc miserius esse nihil potest.

A.

BALBUS CICERONI IMP. S.

1. Caesar nobis litteras perbreves misit, quarum exemplum subscripsi. Brevitate epistolae scire poteris eum valde esse distentum, qui tanta de re tam breviter scripserit. Si quid praeterea novi fuerit, statim tibi scribam.

»CAESAR OPPIO, CORNELIO S."

»A. d. VII. Id. Mart. Brundisium veni, ad murum castra posui. Pompeius est Brundisii: misit ad me N. Magium de pace, quae visa sunt, respondi. Hoc vos statim scire volui: quum in spem venero de compositione [aliquid me conficere], statim vos certiores faciam."

2. Quomodo me nunc putas, mi Cicero, torqueri, postquam rursus in spem pacis veni, ne qua res eorum compositionem impediat? Namque, quod absens facere possum, opto; quodsi una essem, aliquid fortasse proficere possem videri, nunc exspectatione crucior.

§ 1. *Brevitate epistolae scire poteris.* Cicero scripsisset *ex brevitate* cet., quamvis apud eum quoque similes ablat. reperiantur, ut in Brut. 26. *Fannii in dicendo facultas historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest.* cf. Ellendtius ad Orat. I. 12.

misit ad me N. Magium de pace. Contrarium narrat Caesar in comm. de B. C. I. 26, quum vellet videri pacis fuisse studiosissimus. Ipsius hoc testimonium in privatis litteris consignatum Caesarem mendacii arguit in commentariis commissi.

quum in spem venero de compositione [aliquid me conficere]. Egregie Ursinus intellexit Caesarem in tanta brevitate epistolae non usum esse verbis minime necessariis. Manifestum glossema uncinis indicavi, etsi sciebam Hofmannum aliter de his verbis sentire. vid. epist. sel. I. p. 195.

§ 2. *possem videri.* Nimia esset modestia Balbi, si diceret se praesentem *videri* posse *aliquid* ɔ: non multum proficere. Scripsit vel: *aliquid fortasse proficere possem*, vel quod magis puto; *aliquid f. p. posse viderer.* cf. Madv. ad Fin. p. 27 et A. C. II, p. 237 et Wesenbergii Emend. alt. p. 118.

XIV. (*A. U. C.* 705.)

1. Miseram ad te VIIII. Kal. exemplum epistolae Balbi ad me et Caesaris ad eum: ecce tibi eodem die Capua litteras accepi ab Q. Pedio, Caesarem ad se pridie Id. Mart. misisse hoc exemplo: »Pom-

§ 1. *ecce tibi* e M2 iam scripsi. M1. vitiose dabat: *et a te ibi.* Orellii coni. *ad eum et ad Oppium; eodem die* cet. minime probabilem Klotzius in ed. alt. recte sprevit.

peius se oppido tenet; nos ad portas castra habemus. Conamur opus magnum et multorum dierum propter altitudinem maris, sed tamen nihil est, quod potius faciamus. Ab utroque portus cornu moles iacimus, ut aut illum quam primum traiicere, quod habet Brundisii copiarum, cogamus aut exitu prohibeamus." 2. Ubi est illa pax, de qua Balbus scripserat torqueri se? ecquid acerbius, ecquid crudelius? Atque eum loqui quidam αὐθεντικῶς narrabat Cn. Carbonis, M. Bruti se poenas persequi omniumque eorum, in quos Sulla crudelis hoc socio fuisset; nihil Curionem se duce facere, quod non hic Sulla duce fecisset; † ad ambitionem quibus exilii poena superioribus legibus non fuisset, ab illo patriae proditores de exilio reductos esse; queri de Milone per vim expulso, neminem tamen se violaturum, nisi qui arma contra. Haec Baebius quidam, a Curione III. Id. profectus, homo non infans, sed † quis ulli non dicat. Plane nescio quid agam. Illim

P. se oppido tenet. cf. Fam. XI. 10, 4 *Appennino Alpibusque se teneat.* XII. 13, 3 *clauso portu se tenere coepit.* Att. VII. 12, 6 *domesticis te finibus tenes.*

Ab utroque portus cornu. Strabo VI. 3, 6 tradit portus Brundusinos ἐοικέναι κέρασιν ἐλάφου τὸ σχῆμα, et urbem inde accepisse nomen. cf. Casaub. ad e. l.

§ 2. *Cn. Carbonis, M. Bruti se poenas persequi.* Cn. Papirius Carbo III consul cum C. Mario filio Lilybaei a Cn. Pompeio interfectus est, ut scribit Cicero Fam. IX. 22, 3. M. Iunius Brutus, qui aliquando remp. Capuam transferre voluit, ab eodem a. 678 in Gallia Cisalpina victus est et occisus. Rem narrant Appianus, Plutarchus, Livii epitomator, alii, quorum verba citavit Orellius in Onom. Tull. p. 319.

hoc socio. Pompeius enim cum Sulla Marianos erat persecutus.

ad ambitionem. De hoc loco corrupto multi multa scripserunt, sed nemo Ciceronis mentem melius assecutus videtur, quam P. Manutius, cuius verba describam. Sic igitur ille: „Duae sunt comparationes, una Curionis et Caesaris cum Pompeio et Sulla, altera Pompeii cum Sulla. In priore non Curionem crudeliter improbeque se duce facere, uti fecerit Pompeius duce Sulla, significat, sed, ut sibi Curio rebus in omnibus obsequatur, itidem Pompeium quascumque res Sulla imperaverit aut voluerit, in iis rebus dedisse operam ut illi plane satisfaceret. Non igitur facta Curionis cum Pompeii factis comparat, ne et se Sullae, et Curionem Pompeio similes in crudelitate faciat, sed voluntatem confert cum voluntate, obsequium cum obsequio. Posterior comparatio Pompeium et Sullam aeque indicat inique fecisse, quum Sulla victor proditores patriae reduxerit, Pompeius Consul III lege de ambitu lata in exilium eiecerit eos, quibus veteres leges damnatis de ambitu exilium non irrogabant. Itaque Sullae primum viventis imperio, deinde mortui exemplo fecit improbe Pompeius." Deinde menda in his verbis excutit et totum locum sic fere a Cicerone scriptum suspicatur: *ab hoc* (ɔ: Pompeio) *lege de ambitu nova, quibus exilii poena s. l. non fuisset, eiectos: ab illo* (ɔ: Sulla) *patriae proditores de exilio reductos esse.* Eandem sententiam habebis, si mecum leges: *hunc eiecisse ob ambitum eos, quibus exilii poena s. l. non fuisset; ab illo — reductos esse.* Duo priora vocabula *hunc eiecisse* ab oscitante librario post verba *duce fecisset* facile omitti potuerunt. Madvigius Adv. Crit. II p. 238 suspicatus est pro *ad ambitionem* legi posse: *a se dari reditionem* (sc. iis), eamque suspicionem W. probavit Em. alt. p. 118.

queri de Milone cet. Opponit his verbis Caesar Pompeii in Milonem iniquitatem aequitati suae.

homo non infans, † sed quis ulli non dicat. Latine nesciunt, qui haec sana putent. Alio-

equidem Cnaeum profectum puto; quicquid est, biduo sciemus. A te nihil ne ante dies quidem quinque litterarum; nec mirum: quid enim est quod scribamus? ego tamen nullum diem praetermitto. 3. Scripta epistola litterae mihi ante lucem a Lepta Capua redditae sunt Idib. Mart. Pompeium a Brundisio conscendisse, at Caesarem a. d. VII. Kal. Apriles Capuae fore.

rum suspiciones (in quibus Gronoviana *sed quis illa non dicat?*) quum mihi non satisfacerent, conieci: *sed qui illa nulli non dicat.* Designat Baebium ut hominem loquacem, qui, quae Caesar coram se dixerit, omnibus narrabat. Idem coniecisse C. F. Hermannum in Philologo III. p. 105 omisso *illa* postea vidi.

A te nihil ne ante dies quidem quinque litterarum. Recepi Malaspinae coniecturam, quae minus a codicum vestigiis recedit, quam Bosiana, quam Orellius cum plerisque editoribus potiorem duxit: *A te nihil ne Anteros quidem l.* E cod. Hispano mihi idem notatur: *A te nihil ne ante pios quidem quin te litterarum,* quod est in duobus Oxonn., et in Mediceo. In Bosiana lectione, quam BW sequuntur, Klotzius quoque, nisi quod hic post *quidem* addit *quidquam,* displicet durior constructio, et vix fieri potuit, ut Anteros (XI. 1) sine litteris ab Attico veniret.

at Caesarem. M1 *ad Caesarem, C. ac C.* Cum Wes. verum puto: *atque Caesarem.*

XV. (*A. U. C.* 705.)

1. Quum dedissem ad te litteras, ut scires Caesarem Capuae VII. Kal. fore, allatae mihi Capua sunt et † hoc mihi et in Albano apud Curionem v. Kal. fore: eum quum videro, Arpinum pergam. Si mihi veniam, quam peto, dederit, utar illius conditione; si minus, impetrabo aliquid a me ipso. Ille, ut ad me scripsit, legiones singulas posuit Brundisii, Tarenti, Siponti: claudere mihi videtur maritimos exitus, et tamen ipse Graeciam spectare potius quam Hispanias. Sed haec longius absunt. 2. Me nunc et congressus huius stimulat — is vero adest — et primas eius actiones horreo; volet enim, credo, S. C. facere, volet augurum decretum — rapiemur aut absentes vexa-

§ 1. *allatae mihi Capua sunt et † hoc mihi et in Albano — fore.* In priore ed. correxi: *sunt cum hoc nuntio eum in A.-fore.,* Lenius et melius locum restituit Madvigius A. C. III p. 184: *et hic* (*copiam*) *mihi et in Albano — fore.* Ergo Caesar Ciceroni colloquium petenti duplicis loci optionem dat, in Formiano, ubi Cicero erat, aut in Albano Curionis.

veniam quam peto, ut medius sim, nec adsim, quando in senatu de Pompeio agetur.

impetrabo aliquid a me ipso ɔ: utar meo consilio, ad Pompeium me conferam et illas partes palam sequar.

Sed haec longius absunt ɔ: Sed non opus est nunc ea, quae Caesar postea acturus est, explicare.

§ 2. *rapiemur aut absentes vexabimur.* Arctissime inter se cohaerent: *Volet — decretum, vel ut consules roget praetor vel ut dictatorem dicat.* Sed propter *augurum* mentionem factam Cicero ipse augur interposuit haec: (*Romam*) *rapiemur aut absentes vexabimur* ɔ: invitus trahar in urbem aut si ruri manebo fatigabor nuntiis, ut sententiam meam scribam. Nomen loci, quo se raptum iri putat, vix abesse potest.

bimur — vel ut consules roget praetor vel (ut) dictatorem dicat, quorum neutrum ius est. Et si Sulla potuit efficere ab interrege ut dictator diceretur, cur hic non possit? nihil expedio, nisi ut aut ab hoc, tanquam Q. Mucius, aut ab illo, tanquam L. Scipio. 3. Quum tu haec leges, ego illum fortasse convenero. *Τέτλαθι. κύντερον* ne illud quidem nostrum proprium; erat enim spes propinqui reditus, erat hominum querela: nunc exire cupimus, qua spe reditus mihi quidem nunquam in mentem venit. Non modo autem nulla querela est municipalium hominum ac rusticorum, sed contra metuunt ut crudelem, iratum. Nec tamen mihi quicquam est miserius quam remansisse, nec optatius quam evolare, non tam ad belli quam ad fugae societatem. Sed tu omnia consilia differebas in id tempus, quum sciremus quae Brundisii acta essent. Scimus nempe: haeremus nihilo minus; vix enim spero mihi hunc veniam daturum, etsi multa affero iusta ad impetrandum. Sed tibi omnem illius meumque sermonem omnibus verbis expressum statim mittam. 4. Tu nunc omni amore enitere, ut nos cura tua et prudentia iuves. Ita subito accurrit, ut ne T. Rebilum quidem, ut constitueram, possim videre: omnia nobis imparatis agenda, sed tamen *ἄλλα μὲν αὐτός*, ut ait ille, *ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.* Quicquid egero continuo scies. Mandata Caesaris ad consules et ad Pompeium, quae rogas, nulla habeo; † et descripta

Et si Sulla cet. e Med. est. Cum Baitero *si* geminato scribendum censeo: *Etsi, si Sulla* cet.

ut dictator diceretur. Quod additur in Med. *et magister equitum* nulla ratione defendi potest, recteque in codd. Malaspinae aliisque omittitur. L. autem Sullam M. Valerius Flaccus interrex dictatorem dixerat, et quod Cicero praevidebat fore, C. Iulius Caesar a M. Aemilio Lepido praetore dictator dictus est.

ut aut ab hoc, cet. ɔ: ut aut a Caesare tanquam altero Mario ego, tanquam Q. Mucius, interficiar, aut a Pompeio, tanquam L. Scipio a Sulla, proscribar. Consulto autem abstinuit verbis male ominatis.

§ 3. *Τέτλαθι. κύντερον.* Iubet se ipsum bono animo esse, utens in ea re Ulixis sermone apud Hom. Od. XX 13, *τέτλαθι δή, κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.* Negat autem vel suum ex urbe excessum olim *κύντερον* fuisse.

nunc exire cupimus cet. ɔ: nunc ego cum aliis, qui Pompeii partes sequuntur, sponte Italiam relinquere cogito, quamvis vix ulla sit spes reditus, nulla hominum querela.

metuunt ut crudelem, iratum. Desidero hic Pompeii nomen vel aliud indicium, et suspicor Ciceronem scripsisse: *Sed Cn. etiam metuunt ut crudelem, iratum.*

Sed tu omnia consilia cet. Delevi *qui* ante *consilia*, quod veteres editores iam abiecerunt. Cicero respondet amico: scimus sane, sed res nihilo magis explicata est, non certiores sumus de eo, quod faciendum sit, quam antea.

multa affero iusta ɔ: multas graves causas, cur audiri debeam.

§ 4. *T. Rebilum.* Ita Bosius. Med. *Trebilium* usitato errore. Dicit T. Caninium Rebilum, quem Caesar ad Brundisium quum esset, pacis conciliandae causa ad Libonem miserat, ut tradit ipse de B. C. I. 26.

ut ait ille. Mentor ad Telemachum in Od. IX, 15.

et descripta — ad te. Ita legitur in M.

attulit illa est via misi ad te, e quibus mandata puto intelligi posse. Philippus Neapoli est, Lentulus Puteolis; de Domitio, ut facis, sciscitare ubi sit, quid cogitet. 5. Quod scribis asperius me, quam mei patiantur mores, de Dionysio scripsisse, vide quam sim antiquorum hominum: te mediusfidius hanc rem gravius putavi laturum esse quam me; nam praeterquam quod te moveri arbitror oportere iniuria, quae mihi a quoquam facta sit, praeterea te ipsum quodam modo hic violavit, quum in me tam improbus fuit. Sed tu id quanti aestimes, tuum iudicium est, nec tamen in hoc tibi quicquam oneris impono; ego autem illum male sanum semper putavi, nunc etiam impurum et sceleratum puto, nec tamen mihi inimiciorem quam sibi. Philargyro bene *** causam certe habuisti et veram et bonam, relictum esse me potius quam reliquisse. 6. Quum dedissem iam litteras a. d. VIII. Kal., pueri, quos [cum] Matio et Trebatio miseram, epistolam mihi attulerunt hoc exemplo:

A.

MATIUS ET TREBATIUS CICERONI IMP. S.

Quum Capua exissemus, in itinere audivimus Pompeium Brundisio a. d. XVI. Kalend. April. cum omnibus copiis, quas habuit, profectum

Turnebi (Adv. I, 21 et Tunstalli (Ep. crit. p. 150) coniecturas, meamque hariolationem de his verbis non repetam, sed laudabo egregiam Madvigii correctionem, A. C. III p. 184. Cicero non habebat Caesaris ad consules et ad Pompeium mandata; quid igitur habebat, unde ea cognosci possent? Habebat Pompeii responsa, quae aliquis *attulit*, cuius nomen una cum obiecto v. *misi* latet in litteris *illaestvia*. Itaque Cicero videtur scripsisse, — nam nomen non plane certum est —: *sed rescripta attulit Matius; ea misi ad te, e quibus* cet. Pro Matio nominandus videtur *L. Caesar*, coll. VII. 14, 1. 16, 2. 17, 2.

§ 5. *scripsisse*, ep. 12, 2 h. l.

vide quam sim antiquorum hominum ɔ: quam simpliciter et candide tecum agam. cf. Matthiae ad orat. p. Rosc. Am. 26. Ita Tacitus esse *moris antiqui* in laude ponit, H. I. 14. II. 64.

male sanum ɔ: non satis, non admodum sanum, Belg. *niet wel bij zijn verstand.* cf. Hand. Turs. III. p. 584.

Philargyro bene. Verbum deest in M. Quod Cratander addidit *curasti* W. recepit, ego omisi. Nam Cicero non iunxit hoc verbum cum dativo. Potius cum Victorio credo audiendum esse *respondisti*. Quem dicat φιλάργυρον ignoramus. Coniicio tamen sic appellari ipsum Dionysium ob avaritiam. cf. X. 16, 1. Certe non possunt haec referri ad A. Torquati servum vel libertum, qui ita appellatur Fam. VI. 1, 6.

§ 6. *pueri, quos cum Matio et Trebatio miseram.* Recte vidit Malaspina praepositionem *cum* esse delendam. Nam Matium et Trebatium non convenerat; quomodo igitur quove consilio pueros cum iis misisset? Gronovius volebat legere: *quos Cn. Matio* cet. Sed Matio erat praenomen *Caius*, et Cicero in his epistolis eum semper solo nomine appellat. cf. h. l. 11, 2. 12, 1. 13, 4. 17, 1. *Pueri*, quod in Med. legitur post *Matio*, itaque alieno loco, utrum ante *quos*, an post *miseram* poni debeat, incertum est.

A.

T. sedulo facit, ut antecedat ɔ: T. sedulo

esse: Caesarem postero die in oppidum introisse, contionatum esse, inde Romam contendisse, velle ante Kalend. esse ad urbem et pauculos dies ibi commorari, deinde in Hispanias proficisci. Nobis non alienum visum est, quoniam de adventu Caesaris pro certo habebamus, pueros tuos ad te remittere, ut id tu quam primum scires. Mandata tua nobis curae sunt eaque, ut tempus postularit, agemus. Trebatius sedulo facit ut antecedat. Epistola conscripta nuntiatum est nobis Caesarem a. d. VIII. Kal. April. Beneventi mansurum, a. d. VII. Capuae, a. d. VI. Sinuessae: hoc pro certo putamus.

curat, ut ante Caesarem te conveniat et tecum consilia ineat. cf. ep. 17, 1. Pro *sedulo* Med. mire habet *Scevola*, quod Hofmannus in ep. sel. ed. prima recepit et per iocum explicuit, tribui hoc nomen Trebatio Testae, ut sit alter Scaevola, praeclarus Ictus. Ego Cratandrum secutus sum.

Kal. April. Beneventi mansurum, a. d. VII. Haec vulgo recepta ex edit. Crat. in codd. notis non reperiuntur. Suspecta fuerunt Fr. Hofmanno in lib. de apparatu crit. p. 33, qui in Epist. sel. ea omisit. Si omittuntur, infin. *fore* potest abesse. cf. X. 8, 10. XIII. 21, 6.

XVI. (*A. U. C.* 705.)

1. Quum quod scriberem ad te nihil haberem, tamen, ne quem diem intermitterem, has dedi litteras. A. d. VI. Kal. Caesarem Sinuessae mansurum nuntiabant. Ab eo mihi litterae redditae sunt a. d. VII. Kalend., quibus iam »opes" meas, non, ut superioribus litteris, »opem" exspectat. Quum eius clementiam Corfiniensem illam per litteras collaudavissem, rescripsit hoc exemplo:

CAESAR IMP. CICERONI IMP. S. D.

2. Recte auguraris de me — bene enim tibi cognitus sum — nihil a me abesse longius crudelitate, atque ego quum ex ipsa re magnam capio voluptatem, tum meum factum probari abs te triumpho gaudio. Neque illud me movet, quod ii, qui a me dimissi sunt, discessisse dicuntur, ut mihi rursus bellum inferrent; nihil enim malo quam et me mei similem esse et illos sui. 3. Tu velim mihi ad urbem praesto

§ 1. *opes meas, non — opem.* Caesar antea scripserat IX. 6 A. *ut tuo consilio — ope omnium rerum uti possim.* In hac epist. utitur sine discrimine sententiae plur. num. *ut tuis consiliis atque opibus — utar.* Cicero autem malitiose illud sic dictum simulat, ac si Caesar suas divitias concupisceret.

clementiam Corfiniensem. Spectat ad clementiam, qua Caesar usus erat in Domitium aliosque Pompeianos, quos Corfinii captos incolumes dimisit, Caes. B. C. I. 23, quo respicit quoque M. Caelius ad Fam. VIII. 15 extr.

§ 2. *triumpho gaudio.* Eadem locutione usus est Cicero in Cluentiana 14 et pro Mur. 51. Etiam simplex *triumphare* hac in re usitatum est, Cat. II. 2. Verr. V. 121. Praeiverat Terentius Eun. III. 1, 4. Heaut. IV. 2, 5.

sis, ut tuis consiliis atque opibus, ut consuevi, in omnibus rebus utar. Dolabella tuo nihil scito mihi esse iucundius: hanc adeo habebo gratiam illi; neque enim aliter facere poterat: tanta eius humanitas, is sensus, ea in me est benevolentia.

§ 3. *hanc adeo habebo gratiam illi* ɔ: quod tuis opibus atque consiliis utar, hoc maxime quidem debebo Dolabellae, qui quum mihi iucundus sit, hoc novo beneficio plurimum me sibi devinciet. *Hanc gratiam* = huius rei gratiam. Madvigius A. C. III p. 184 negat haec ita a Cicerone scribi potuisse et emendat: *nec ideo habebo gratiam illi; neque enim aliter facere poterat.* Solum *poterat* pro *poterit* probo et recepi.

is sensus ɔ: ita de me sentit. Simili ratione Cic. dixit *sensum in repb.* Fam. I. 8, 2, *qui sit meus sensus* ibid. 9, 2, *non offendes eundem bonorum sensum*, 9, 17 aliaque.

XVII. (*A. U. C.* 705.)

1. Trebatium VI. Kal., quo die has litteras dedi, exspectabam. Ex eius nuntio Matiique litteris meditabor quomodo cum illo loquar. O tempus miserum! nec dubito quin a me contendat, ad urbem veniam; senatum enim Kal. velle se frequentem adesse etiam Formiis proscribi iussit. Ergo ei negandum est? Sed quid praecipio? statim ad te perscribam omnia. Ex illius sermone statuam Arpinumne mihi eundum sit an quo alio. Volo Ciceroni meo togam puram dare; istic puto. 2. Tu quaeso cogita, quid deinde; nam me hebetem molestiae reddiderunt. A Curio velim scire ecquid ad te scriptum sit de Tirone: ad me enim ipse Tiro ita scripsit, ut verear quid agat; qui autem veniunt, κινδυνώδη nuntiant. Sane in magnis curis etiam haec me sollicitat; in hac enim fortuna perutilis eius et opera et fidelitas esset.

§ 1. *ad urbem veniam.* Multi e codd. Mal. scribunt *ut veniam.* Ego in Med. particulam recte omissam censeo. In brevi sententia non opus est tali additamento.

quid praecipio? Fluctuant editores inter *praecipio* et *praeripio*, et exigua in talibus rebus librorum scriptorum auctoritas. Cff. intt. ad Liv. XXII. 41 extr. Illud tamen h. l. et X. 1, 2 aliquanto magis placet, quam hoc. cf. quae Fr. Fabricius adnot. ad Cic. Off. I. cap. 23. In eadem re utitur quoque *anticipandi* verbo VIII. 14, 2.

§ 2. *κινδυνώδη nuntiant.* Vox Graeca e corruptela codd. eruta est, qua indicatur periculosa de salute Tironis nuntiari. Tunstallus comparavit, quae Cicero sub idem tempus, ut videtur, Tironi scripsit Fam. XVI. 8, 1 *qui veniunt, ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ nuntiant.* — De M'. Curio vid. ad VII. 2, 3.

XVIII. (*A. U. C.* 705.)

1. Utrumque ex tuo consilio: nam et oratio fuit ea nostra, ut bene potius ille de nobis existimaret, quam gratias ageret, et in eo mansimus, ne ad urbem. Illa fefellerunt, facilem quod putaramus; nihil

vidi minus. Damnari se nostro iudicio, tardiores fore reliquos, si nos non veniremus, dicere. Ego dissimilem illorum esse causam. Quum multa: »Veni igitur, et age de pace." Meone, inquam, arbitratu? »An tibi, inquit, ego praescribam?" »Sic, inquam, agam, senatui non placere in Hispanias iri nec exercitus in Graeciam transportari multaque, inquam, de Cnaeo deplorabo." Tum ille, »Ego vero ista dici nolo." »Ita putabam," inquam, »sed ego eo nolo adesse, quod aut sic mihi dicendum est aut non veniendum"; multaque, quae nullo modo possem silere, si adessem. Summa fuit, ut ille quasi exitum quaerens, ut deliberarem. Non fuit negandum. Ita discessimus. Credo igitur hunc me non amare; at ego me amavi, quod mihi iam pridem usu non venit. 2. Reliqua, o dii! qui comitatus! quae, ut tu soles dicere, **νέκυια**! in qua erat † ero sceleri! o rem perditam! o copias desperatas! Quid quod Servii filius, quod Titinii, in iis castris fuerunt, quibus Pompeius circumsederetur? Sex (habet) legiones, multum

§ 1. Ad hoc cum Caesare colloquium respicit Cicero in epistola, quam brevi post dedit ad Servium Sulpicium, Fam. IV. 1 his verbis: *Atque ipse antea ad te scripsissem te frustra in senatum sive potius in conventum senatorum esse venturum, ni veritus essem, ne eius animum offenderem, qui a me, ut te imitarer, petebat. Cui quidem ego, me quum rogaret ut adessem in senatu, eadem omnia, quae a te de pace et de Hispaniis dicta sunt, ostendi me esse dicturum.*

si nos non veniremus. Med. *venerimus.* Imperfecto opus est, si haec pendent ab *oratio fuit* sc. illius, ut vult Madvigius Adv. crit. II p. 238, nec minus si *dicere* est infinitivus historicus, ut mihi videtur.

Meone — arbitratu? ɔ: ita ut mihi agendum videtur?

multa de Cnaeo deplorabo ɔ: multis verbis Pompeii sortem lamentabor, conquerar iniquam Pompeii fortunam. *Deplorare de aliquo* saepius dicitur in Verrinis. vid. II. 10 et 65. III. 45 et 204.

aut sic mihi dicendum est, aut non veniendum; multaque, quae nullo modo possem silere, si adessem Hunc ordinem verborum, in cod. Med. inventum, restitui. Quod pauci codices deteri res multaeque editiones verba *aut non veniendum* post *adessem* ponunt, non solum non *longe rectius* est, ut Graevius putabat, sed plane falsum. Ad *multaque* supplendum est: adiiciebam, et ita imperfecta *possem* et *adessem* stare possunt. Aliter erat scribendum *possim* et *adsim.*

§ 2. *quae, ut tu soles dicere,* νέκυια. cf. supra ep. 10, 7.

in qua erat † ero sceleri. Incertum lateatne in his nomen proprium hominis, etsi qui *Eros Celeris* legunt et de servo v. liberto Metelli Celeris explicant profecto falluntur, an vocabulum Graecum, etsi ἐρεσχελίᾳ, ut Orellius coniecit, sententiam affert huic loco parum aptam (conff. Piersonus ad Moerid. p. 159 sq. et Stallbaum. ad Platonis Philebum p. 53. E.) et C. F. Hermanni suspicio *in qua ego* Τειρεσίας, ut scriptor respiceret Homericum illud οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι, (Philol. III. p. 106) iusto audacior est, an nominum Latinorum haec vestigia sint habenda. Hoc verisimillimum puto. Hofmannus dubitanter scripsit: *in qua erat area sceleris.* Magis placet Kochii emendatio, Emend. epistt. p. 15: *in qua erant mera scelera.* Ne quid occultem, his addo Gronovii suspicionem: *in qua erat* ἔρος *scelerum* ɔ: cupiditas male faciendi, Peerlkampii: *quae* — νέκυια, *in qua erat! quae cohors scelerum!* Alias vide in Obss. crit. p. 55. Ceteris praefero coniecturam N. Kappeynii: *quae caterva scelerum!*

Quid, quod S. filius, quod Titinii in iis castris fuerunt. Recte scripsisse Lambinum e codice Z *quod Titinii* sc. filius diligenti disputatione ostendit Wesenb. Emendd. p.

vigilat, audet; nullum video finem mali. Nunc certe promenda tibi sunt consilia; hoc fuerat extremum. 3. Illa tamen κατακλεὶς illius est odiosa, quam paene praeterii, si sibi consiliis nostris uti non liceret, usurum, quorum posset, ad omniaque esse descensurum. »Vidisti igitur virum, ut scripseras? ingemuisti?" Certe. »Cedo reliqua." Quid? continuo ipse in Pedanum, ego Arpinum; inde exspecto equidem † ΛΑΛΤΕΛCAN illam tuam. »Tu, malum," inquies, »actum ne agas." Etiam illum ipsum, quem sequimur, multa fefellerunt. 4. Sed ego tuas litteras exspecto; nihil est enim iam, ut antea: »vi-

127. Titinii filium apud Caesarem fuisse Furnius Ciceroni nuntiarat h. l. 6, 6. cf. 9, 1 et 19, 2, ubi appellatur Pontius Titinianus. Atque hoc nomen latet in corruptela codicis Med. *quot in ut*, non *Tulli*, etsi huius quoque filium ibi fuisse ex ep. X. 3*a*, 2 discimus. De praedicato *fuerunt* vide, quae monui ad II. 17, 1, ad verbum *significant*.

Sex (habet) *legiones, multum vigilat* cet. ɔ: Praeterea sex Caesar habet legiones; ipse est mirabili vigilantia et audacia; itaque nullum video finem mali. Verbum *habet* ex edit. Schuetzii recepi.

hoc fuerat extremum. Manutius haec ita interpretatur: „ut tuum consilium exquirerem." Quod si voluisset Cicero, scripsisset saltem: *Hoc erat extremum.* Nunquam huius aetatis scriptor *fuerat* pro *erat* posuit. Recte Gronovius: „Scil. consiliorum, quae mihi dedisti, quomodo apud Caesarem in colloquio me gererem. Infra (§ 4): *extremum fuit de congressu nostro.*" Alio modo in ep seq., 4 dicitur: *iam enim extrema sunt.* Iis enim verbis Atticum admonet, ne differat ultra decernere, quid Cicero agere debeat.

§ 3. κατακλείς. cf. ad II. 3, 3. Muecke in comm. l. p. 3 e vitioso KATAKIC in M. h. l. scribi iussit κατάληξις, quod pro *clausula* usitatius erat quam κατακλείς.

Vidisti igitur virum, ut scripseras? ingemuisti? Haec verba tanquam ex Attici ore proferuntur. Sed illa *ut scripseras* ambigue dicta sunt. Alii interpretantur: talem, qualem scripseras, audacem et in victoria insolentem. Melius alii ad solum voc. *virum* referunt, quo fortasse Cicero de Caesare scribens usus erat pro solito *hominem*. — Respondet Cicero: *certe* (ingemui). Tum Atticus: *Cedo reliqua;* cui admonitioni morem gerit Cicero narrans Caesarem continuo in Pedanum profectum esse, se Arpinum.

Cedo pro *da* vel *dic* saepe a comicis usurpatur, nec solum in epistolis, sed in aliis quoque Ciceronis scriptis legitur, velut in Verrinis I. 84. II. 104 et 106. IV. 43 et in Brut. 295.

inde exspecto. Quomodo Cicero, qui Arpini erat, *inde* aliquid exspectare potuerit, non intelligo. Legendum videtur: *avide exspecto* ut II. 8, 1. Fam. XII. 4, 2.

† ΛΑΛΤΕΛCAN *illam tuam.* Malui depingere litteras Graecas cod. Med. sine ulla sententia, quam diutius ferre λαλαγεῦσαν, quam male Bosius ex ep. 2, libri X huc intulit fictoque suo codice munire conatus est, aut probare quae Hofmanno placuerunt πλαταγεῦσαν, sonantem, vel παταγεῦσαν. Non longius ab illis ductibus litterarum recedit, quod ego malo διατελοῦσαν. Cicero exspectabat epistolam Attici, quae dubitationem suam tolleret, quae rem ad finem duceret, *een afdoende brief.*

malum. De hac increpandi formula dixi ad V. 20, 1.

actum ne agas. Proverbium est indicatque *praeposteris consiliis utendum non esse*, nihil frustra esse suscipiendum, vid. Cic. Lael. 85. Supra ep. 6, 6 similiter est: *sed acta ne agamus; reliqua paremus.*

Etiam — fefellerunt. Sunt Ciceronis verba, quibus obviam it amici adhortationi. Sententia est: Si tibi sero de Italia relinquenda cogitare videor, socium erroris habebo Pompeium, qui et ipse non semper, quid opportunum esset, vidit.

§ 4. *videamus, hoc quorsum evadat.* Ita fere scripserat Atticus in ea epistola, quam X. Kal. Febr. dederat. (vid. supra 9, 4.) et postea saepius talia monuisse, ex Attici ingenio suspicari licet. Postremum autem scripserat, quum exitum sermonis cum Caesare habendi exspectaret.

deamus, hoc quorsum evadat." Extremum fuit de congressu nostro, quo quidem non dubito quin istum offenderim; eo maturius agendum est. Amabo te, epistolam et πολιτικήν. Valde tuas litteras nunc exspecto.

XIX. (*A. U. C.* 705.)

1. Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi, idque municipibus nostris fuit gratum, etsi omnes et illos, et qua iter feci, maestos afflictosque vidi: tam tristis et tam atrox est ἀναθεώρησις huius ingentis mali. Delectus habentur, in hiberna deducuntur. Ea quae, etiam quum a bonis viris, quum iusto in bello, quum modeste fiunt, tamen ipsa per se molesta sunt, quam censes acerba nunc esse, quum a perditis in civili nefario bello petulantissime fiant! cave autem putes quemquam hominem in Italia turpem esse, qui hinc absit. Vidi ipse Formiis universos, neque mehercule unquam homines putavi; et noram omnes, sed nunquam uno loco videram. 2. Pergamus igitur, quo placet, et nostra omnia relinquamus, proficiscamur ad eum, cui gratior noster adventus erit, quam si una fuissemus; tum enim eramus in maxima spe, nunc ego quidem in nulla, nec praeter me quisquam Italia cessit, nisi qui hunc inimicum sibi putaret, nec mehercule hoc facio rei publicae causa, quam funditus deletam puto, sed ne quis me putet ingratum in eum, qui me levavit iis incommodis, quibus idem affecerat, et simul, quod ea, quae fiunt aut quae certe futura sunt, videre non possum. Etiam equidem senatus consulta facta quaedam iam puto, utinam in Volcacii sententiam! sed quid refert? Est enim una sententia omnium;

§ 1. *meo Ciceroni.* Marcus filius natus a. 689 extremo, vid. Att. I. 2 init., nondum impleverat annum aetatis decimum sextum, quum togam virilem sumpsit.

neque — homines putavi. „Sed feras quasdam et immanes bestias, in quibus hominis nihil praeter figuram et speciem, ut loquitur Livius." I. F. Gron.

et noram omnes, sed nunquam uno loco videram. Sine offensione haec solent legi et explicari, quum sint paene absurda. Quid? noveratne Cicero *omnes* illos homines turpes, e quibus exercitum Caesaris conflatum dicit? Nihil minus veri simile vidi. Quamobrem verba corrupta esse iudico. Fortasse *omnes* conflatum ex his: *omnino tales.*

§ 2. *si una fuissemus.* Praeclare Gronovius corr. *fugissemus.* Lambinus: *ivissemus.*

nec — putaret, nec mehercule cet. Ita verba distinxi, ut particulae *nec* — *nec* eiusdem sententiae membra efficiant.

utinam in Volcacii sententiam. L. Volcacii Tulli saepe in his epistt. mentio fit, ut hominis moderati. cf. VII. 3, 3. VIII. 1, 3. 15, 2.

erit immitissimus S. Causam, cur Servius durus in Pompeium futurus sit et pacem nolit, addit, quia ob filii facinus non sponte

sed erit immitissimus Servius, qui filium misit ad effligendum Cn. Pompeium aut certe capiendum cum Pontio Titiniano. Etsi hic quidem timoris causa: ille vero? Sed stomachari desinamus et aliquando sentiamus nihil nobis nisi — id quod minime vellem — spiritum reliquum esse. 3. Nos, quoniam superum mare obsidetur, infero navibimus et, si Puteolis erit difficile, Crotonem petemus aut Thurios, et boni cives, amantes patriae, mare infestum habebimus: aliam rationem huius belli gerendi nullam video. In Aegyptum nos abdemus, exercitu pares esse non possumus, pacis fides nulla est. 4. Sed haec satis deplorata sunt. Tu velim litteras Cephalioni des de omnibus rebus actis, denique etiam de sermonibus hominum, nisi plane obmutuerunt. Ego tuis consiliis usus sum maximeque, quod et gravitatem in congressu nostro tenui, quam debui, et ad urbem ut non accederem perseveravi. Quod superest, scribe quaeso quam accuratissime — iam enim extrema sunt — quid placeat, quid censeas. Etsi iam nulla dubitatio est, tamen, si quid vel potius quicquid veniet in mentem, scribas velim.

sed ut putabant patris impulsu susceptum, Pompeii iram timebat. cf. X. 3 A, 2 et 14, 3.

ad effligendum Cn. P. Effligere est perdere, ἐκθλίβεσθαι. Exemplis verbi usum illustravit Pareus in Lex. Critico. Quamquam autem semel in Ciceronis scriptis legitur, tamen contra omnium codd. auctoritatem mutari nolim. Nam quae sequuntur *aut certe capiendum* ostendunt aliquid gravius praecessisse. *Affligendum* igitur non convenit sententiae. Neque vocabulum rarius a librariis notiori substituitur. cf. Ellendt. ad Cic. de Or. V. II. p. 213.

Etsi hic quidem timoris causa; ille vero? Cicero ipse excusat Titinium, qui filium ad exercitum Caesaris misit velut obsidem suae fidei. Cur autem iniquius iudicat de Servio Sulpicio? Acute Wielandus coniecit hoc inde explicandum esse, quod Cicero ipse nolebat illud exemplum sequi, metuebatque ne illa res sibi apud Caesarem noceret. Irato itaque animo haec scripsisse putandus est.

§ 3. *mare infestum habebimus* ɔ: infestum reddemus, et commeatus intercludemus Cf. XVI. 1, 2. *Dymaeos agro pulsos mare infestum habere nil mirum.* Haec acerbe in Pompeium dicta sunt, qui classe sua poterat aliud efficere, quam Italiam commeatu excludere.

In Aegyptum nos abdemus. cf. h. l. 11, 4. *Exercitu,* quod opponitur *mari* sive bello maritimo, designantur copiae terrestres.

§ 4. *censeas. Etsi iam n. d. est, tamen — scribas velim.* Verbis ita distinctis sententiam scriptoris facilius consequimur. Vulgo editur: *censeas, etsi iam n. d. est: tamen* cet.

LIBER X.

I. (*A. U. C.* 705.)

1. III. Nonas quum in Laterium fratris venissem, accepi litteras (tuas) et paullum [lectis] respiravi, quod post has ruinas mihi non acciderat; per enim magni aestimo tibi firmitudinem animi nostri et factum nostrum probari. Sexto enim nostro quod scribis probari, ita laetor, ut me quasi patris eius, cui semper uni plurimum tribui, iudicio comprobari putem, qui mihi, quod saepe soleo recordari, dixit olim Nonis illis Decembribus, quum ego: »Sexte, quidnam ergo?"

»Μὴ μάν," inquit ille, »ἀσπουδί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,
Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι."

Eius igitur mihi vivit auctoritas et simillimus eius filius eodem est apud me pondere, quo fuit ille; quem salvere velim iubeas plurimum. 2. Tu tuum consilium etsi non in longinquum tempus differs — iam enim illum emptum pacificatorem perorasse puto, iam actum aliquid esse in consessu senatorum — senatum enim non puto —, tamen suspensum † meum detines, sed eo minus, quod non dubito quid nobis agendum putes; qui enim Flavio legionem et Siciliam dari scribas

§ 1. *in Laterium.* cf. ad IV. 7, 3. Praedium memoratur quoque in epistt. ad Q. fr. II. 7 et III. 3, 1. Quod deinde v. *lectis* ut insititium designavi, feci quia abest a libro Med. et non constat, unde in edit. Crat. pervenerit. Cicero non nudum ablativum participii posuisset.

post has ruinas. Reipublicae ruinas dicit discidium inter Pompeium cum bonis viris et Caesarem cum iis, qui populares dicebantur. cf. Fam. V. 17, 1.

Sexto Peducaeo. cf. ad IX. 7, 2.

Μὴ μὰν κ. τ. λ. Iisdem versibus ex Iliados lib. XXII. v. 304 sq. desumptis Cicero utitur in epist. ad Caesarem, Fam. XIII. 15, 2.

Eius mihi vivit auctoritas. Res, quae valent et vigent, *vivere* dicuntur, ut *leges*, Vatin. 23, *gloria* in versu e Cic. de gloria II apud Gellium N. A. XV. 6.

§ 2. *illum emptum pacificatorem.* Quem dicat, incertum est; sed ex omnibus, qui ab intt. ad h. l. producuntur, nullum vidi, in quem haec appellatio magis conveniret, quam in C. Curionem, cuius mores depinxit Vell. Paterc. II. 48.

in consessu senatorum — senatum enim non puto. — In epist. ad Servium Sulpicium paulo post data itidem scribit eum *frustra in senatum, sive potius in conventum senatorum esse venturum* Fam. IV. 1, 1. Dignitas enim curiae nulla erat, omniaque ab iis, qui in urbe remanserant, ad Caesaris nutum agebantur.

suspensum † meum detines. Ita Med. Orellius putabat scribi posse *susp. me valde tenes.* Vix recte ob ea, quae statim sequuntur. Fortasse scribendum: *suspensum metu me tenes.* W. affirmat post *suspensum* excidisse *animum* et pro *detines* scribendum esse *de eo tenes.*

qui enim — censes? Quum in libris omnibus esset: *Quid enim* cet. in his verbis vel explicandis vel emendandis diversas vias in-

et id iam fieri, quae tu scelera partim parari iam et cogitari, partim ex tempore futura censes? Ego vero Solonis, popularis tui, — ut puto etiam mei — legem negligam, qui capite sanxit, si qui in seditione non alterius utrius partis fuisset, (et) nisi si tu aliter censes, et hinc abero et illim; sed alterum mihi est certius, nec praecipiam tamen: exspectabo tuum consilium et eas litteras, nisi alias iam dedisti, quas scripsi ut Cephalioni dares. 3. Quod scribis, non quo aliunde audieris, sed te ipsum putare me attractum iri, si de pace agatur, mihi omnino non venit in mentem, quae possit actio esse de pace, quum illi certissimum sit, si possit, exspoliare exercitu et provincia Pompeium, nisi forte iste nummarius ei potest persuadere, ut, dum oratores eant et redeant, quiescat. Nihil video, quod sperem aut

gressi sunt editores. Ex his unus Schuetzius verum paene vidit et optimam sane orationem effecit hanc: *Quid enim? quum Flavio — fieri, quae tu — censes?* Sed locum integritati restituit Wesenbergius. Emend. p. 124. allato eiusdem constructionis exemplo ex ep. ad Q. fr. I. 1, 17 *Iam* QUI *in eiusmodi rebus — cautus esse* VELIM *ac diligens, quo* ME *animo in servis esse* CENSES? Certam emendationem recipiendam putavi.

Flavio. De Flavio rumor vanus fuit; nam Caesar in Siciliam Curionem misit cum tribus legionibus. Vid. de B. C. I. 30. infra 4, 8 et saepius.

Solonis — legem. De poena hac lege constituta conf. Meierus, de bonis damn. p. 102.

ut puto etiam mei. Significat consilium migrandi Athenas, sed videtur scripsisse *et ut puto iamiam mei*, ut Gronovius volebat.

alterius utrius. Ciceronem solere utrumque pronominis huius membrum declinare exemplis allatis docuit Otto ad Cic. de Rep. III 3, p. 251 edit. Osann.

et nisi si tu aliter censes, et hinc abero et illim. Copulam addidi, extremis literis v. *fuisset* interceptam. *Illim* debetur acumini Orellii, qui in pr. edit. bene monuit, quantis difficultatibus laboraret, quod pro eo legitur in libris Mss. *filii.* Atque ita demum illa: *Sed alterum mihi est certius* habent, quo referantur. *Alterum* enim est *hinc abesse;* incertum, an Pompeium non sequeretur, et *illim* quoque abesset.

praecipiam. Med. *praeripiam.* cf. ad IX. 17, 1.

quas scripsi ut Cephalioni dares. Scripsit in epist. praec. § 4. Ne quis traiiciat verba *ut scripsi*, moneo verbum scribendi hic habere vim iubendi, ut V. 11, 6.

§ 3. *non quo aliunde audieris.* Male Handius in Turs. I. p. 232 *quo alicunde* h. l. coniuncta esse putat. *Non quo* solemni more ponitur pro *non quasi.* Sed quum pergere ita potuisset: *sed quod tu ipse putas*, illa ita dedit, ut a v. *scribis* penderent. Pro *alicunde* scripsi *aliunde* ɔ: ab alio, cui opponitur *te ipsum*, ut p. Lig. 1 *quum tu id neque per te scires, neque audire aliunde potuisses.* Correctionem occupavit Wesenb. ad Tusc. I. 53.

si de pace agatur. Fortasse restitui debet, quod in Med. scriptum erat: *si de ea re agatur.* Quum enim statim sequatur: *quae possit actio esse de pace*, non sine elegantia nunc pro *pace* poni poterat *ea re.*

iste nummarius ɔ: ille emptus pacificator, quem supra dixit. Recepi autem Manutii emendationem, quae facilitate se commendat. Nam quod Turnebo, Advers. XVIII. 9 aliisque placet *Summarius*, quasi alter Marius, quemadmodum Plautus in Pseud. II. 2, 13 comice finxit *subballionem*, et Tertulliano restituit *subneronem* Salmasius ad lib. de Pallio p. 275, non video quid hic Mario faciamus. Bosii autem *summoerius* plane indignus erat, quem Lambinus assensu suo comprobaret.

eant et redeant. Copulam revocavi, cuius certum vestigium est in ridicula horum verborum corruptela, quae libros Mss. inquinavit *cantent rideant.* Orellius delevit dubia usus Ursini auctoritate.

Sed tamen cet. Libenter a Mureto V. L. X.

quod iam putem fieri posse. Sed tamen hominis hoc ipsum probi est † magnum sit τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων, veniendumne sit in consilium tyranni, si is aliqua de re bona deliberaturus sit. Quare, si quid eiusmodi evenerit, ut arcessamur — quod equidem non curo; quid enim essem de pace dicturus, dixi; ipse valde repudiavit —: sed tamen si quid acciderit, quid censeas mihi faciendum utique scribito; nihil enim mihi adhuc accidit, quod maioris consilii esset. Trebatii, boni viri et civis, verbis te gaudeo delectatum, tuaque ista crebra ἐκφώνησις, ὑπέρευ, me sola adhuc delectavit. Litteras tuas vehementer exspecto, quas quidem credo iam datas esse. 4. Tu cum Sexto servasti gravitatem eandem, quam mihi praecipis. Celer tuus disertus magis est quam sapiens. De iuvenibus, quae ex Tullia audisti, vera sunt. † Maconi istud, quod scribis, non mihi videtur tam re esse triste quam verbo. Haec est ἄλη, in qua nunc sumus, mortis instar; aut enim mihi libere inter malos πολιτευτέον fuit aut vel periculose cum bonis, aut nos temeritatem bonorum sequamur aut audaciam improborum insectemur. Utrumque periculosum est, at hoc,

12 acciperem hunc locum ita correctum: *Nihil video, quod sperem aut quod iam putem fieri posse, sed tamen hoc ipsum est unum* τῶν π. σκ. cet., nisi trium vocabulorum *hominis* — *probi* — *magnum* omne vestigium deleretur. E codd. vestigiis verba sic puto refingenda: *Sed tamen hominis hoc ipsum probi est et magni.* Quae verba continent exhortationem, ut de pace consultus hoc ageret, quam Cicero sibi ab amico dari fingit. Respondet: *Unum est* τῶν πολιτικωτ. σκεμμάτων ɔ: inter gravissimas quaestiones de republica haec est cet. Frid. Schmidt pro *magnum sit* scribi iussit *maximum.*

quod equidem non curo. Dubito an scribendum sit *quod eq. non credo.* Hoc enim et Ciceronis personae et ipsi sententiae melius convenit, quam illud *non curo.*

dixi — repudiavit. vid. IX. 18, 1.

ὑπέρευ. Solet in eiusmodi exclamationibus esse gradatio. cf. Peerlk. adnot. ad Hor. ep. ad Pis. p. 149. Itaque ante hanc vocem intercidisse videtur simplex εὖ.

§ 4. Maxima pars eorum, quae sequuntur, sine Attici epistola, cui respondetur, obscurior est. Haec pauca non temere affirmare licet. Primum *gravitatem* ab Attico et Peducaeo servatam esse in congressu cum Caesare. Tum *Celerem* esse eundem hominem, qui memoratur XI. 4, 1 et XII. 8, Attici fortasse libertum. Denique *iuvenes* esse Cicerones, iam toga pura indutos.

† *Maconi istud.* In priore voce, pro qua Bosius in Torn. vidisse se scripsit *Macum*, Graecam vocem latere multi suspicati sunt. Tunstallus ep. 1. p. 80 coniecit: ἄκρον *istud*, intelligens de morte, quam Cicero in his miseriis sibi inferre voluerit; Popma μακρόν *istud*, ut sit longum fugae tempus; Orellius in alt. edit. ἐνδόμυχον, ut V. 14, 3 et 21, 14; Peerlkampius vocem ortam putabat e compendio, scribendumque *medicamentum.* Ego malim φάρμακον. Seqq. ita corrigo: *Haec est* ἀνάληψις. *In quo nunc sumus, mortis instar* ɔ: Hoc, quod suades, est mali levamen. Praesens conditio est velut mors.

aut enim — insectemur. Locus sine dubio corruptus. Nam et transitus a singulari (*mihi*) ad pluralem numerum (*nos*) molestus est, et Cicero non potuit dicere sibi *libere* inter malos in republica versari licuisse, et nexus inter utrumque sententiae membrum male negligitur. Qua autem ratione verba corrigenda sint, ab aliis doceri cupio. Partim, sed frustra, corrigere studuit Kochius l. c. p. 276. Conf. interim haec verba ex ep 2. IV. ad Fam.: *Ergo aut probare oportet ea, quae fiunt, aut interesse, etiamsi non probes:*

quod agimus, et turpe nec tamen tutum. Istum, qui filium Brundisium [de pace] misit, — de pace idem sentio, quod tu, simulationem esse apertam, parari autem bellum acerrime — me legatum iri non arbitror, cuius adhuc, ut optavi, mentio facta nulla sit. Eo minus habeo necesse scribere aut etiam cogitare quid sim facturus, si acciderit ut leger.

quorum altera mihi turpis. altera etiam periculosa ratio videtur.

hoc quod agimus np. in Italia manendo.

Istum. Ex iis quae sequuntur omissa negatione huc pertinent verba *legatum iri arbitror.* Si significat his verbis Servium Sulpicium, verba *de pace* priore loco delenda sunt et librarii errori debentur, ut ex IX. 19, 2 manifestum est. Ego uncinis inclusi. Potest tamen fieri ut de Cornelio Balbo sermo sit, etsi non constat Balbum minorem de pace ad Pompeium missum fuisse.

si acciderit ut leger. Med. *legerer.* Male Ernestus imperf. coni. *legarer* postulari affirmavit. Nam *acciderit* est verbum futuri temporis.

II. (*A. U. C.* 705.)

1. Ego quum accepissem tuas litteras Nonis April., quas Cephalio attulerat, essemque Minturnis postridie mansurus, ut inde protinus, sustinui me in Arcano fratris, ut, dum aliquid certius afferretur, occultiore in loco essemus agerenturque nihilo minus, quae sine nobis agi possunt. *Λαλαγεῦσα* iam adest et animus ardet, neque est quicquam, quo et qua; 2. sed haec nostra erit cura et peritorum. Tu tamen, quod poteris, ut adhuc fecisti, nos consiliis iuvabis. Res sunt inexplicabiles; fortunae sunt committenda omnia: sine spe conamur ulla. Melius si quid acciderit, mirabimur. Dionysium nollem ad me profectum, de quo ad me Tullia mea scripsit; sed et tempus alienum est et homini non amico nostra incommoda, tanta praesertim, spectaculo esse nolim, cui te meo nomine inimicum esse nolo.

§ 1. *ut inde protinus* sc. irem vel proficiscerer, scripsi cum W. pro *et inde pr.*, quod stare nequit nisi addas *iturus* vel eiusmodi partic. fut.

agerenturque nihilo minus cet. ɔ: ut omnia pararentur ad iter a servis meis.

Λαλαγεῦσα, garrula avis, hirundo, quae veris adventum nuntiat. cf. Orell. ad Hor. Ep. I. 7, 13.

§ 2. *peritorum.* Ambigue dictum, eoque nomine suspectum. Scripsitne: *temporum,* an quod Io. Fr. Gronovio in mentem venit: *ventorum?*

quod poteris = quatenus poteris. Praeter necessitatem Orellius dedit *quoad poteris* e Victoriana prima. cf. adn. ad II. 7, 3.

inimicum esse nolo. Recte Klotzius rediit ad germanam libri Med. scripturam, quum Orellius adoptasset correctionem veterem *volo.* cf. IX. 15, 5: *tu id quanti aestimes tuum iudicium est, nec in hoc tibi quicquam oneris impono.*

III. (*A. U. C.* 705.)

Quum quod scriberem plane nihil haberem, haec autem reliqua es-

sent, quae scire cuperem, profectusne esset, quo in statu urbem reliquisset, in ipsa Italia quem cuique regioni aut negotio praefecisset, ecqui essent ad Pompeium et ad consules ex senatus consulto de pace legati: ut igitur haec scirem, dedita opera has ad te litteras misi. Feceris igitur commode mihique gratum, si me de his rebus et si quid erit aliud, quod scire opus sit, feceris certiorem: ego in Arcano opperior, dum ista cognosco.

III. a. (*A. U. C.* 705.)

1. A. d. VII. Idus alteram tibi eodem die hanc epistolam dictavi et pridie dederam mea manu longiorem. Visum te aiunt in regia, nec reprehendo, quippe quum ipse istam reprehensionem non fugerim; sed exspecto tuas litteras, neque iam sane video quid exspectem, sed tamen, etiamsi nihil erit, id ipsum ad me velim scribas. 2. Caesar mihi ignoscit per litteras, quod non venerim, seseque in optimam partem id accipere dicit. Facile patior. Quod scribit secum Tullum et Servium questos esse, quia non idem sibi quod mihi remisisset, homines ridiculos! qui, quum filios misissent ad Cn. Pompeium circumsidendum, ipsi in senatum venire dubitarint. Sed tamen exemplum misi ad te Caesaris litterarum.

§ 1. *in regia.* Hoc nomine indicari aedes Caesaris non est dubium, qui pontifex maximus in Regia ad Sacram viam habitabat. Suet. Aug. 46. cf. Beckeri Antiq. Rom. I. p. 233. Simul cogitandum de Caesaris regno.
istam reprehensionem. Sermonis cum Caesare habiti, quem narravit IX. 18.
§ 2. *secum — questos esse* ɔ: sibi exprobrasse iniuriam acceptam. Exempla locutionis huius in epistolis abundant. Vid. Att. XVI. 7, 5. Fam. III. 7, 4. 10, 7. IV. 5, 5, et cf. Hand. in Turs. II. p. 148.
Tullum et Servium. Kochius ex epist. 19, lib. IX. § 2 negat Volcacium Tullum misisse filium ad effligendum Pompeium; misisse vero cum Servio Titinium. cf. IX. 6, 6. 9, 1. 18, 2. Itaque hic nominandum esse non *Tullum*, sed *Titinium.* Ego vero Tullum quoque ibi fuisse negare non ausim. Paulo ante in verbis distinguendis secutus sum Gronovium. *Facile patior* ɔ: non indigne fero, quod Caesar mihi ignoscit. *Quod scribit — remisisset,* id Cicero aegre ferebat et Tullum Serviumque appellat *homines ridiculos.*
dubitarint pro *dubitarent* scripsi e certa Wesenbergii correctione, Emend. p. 127.

IV. (*A. U. C.* 705.)

1. Multas a te accepi epistolas eodem die, omnes diligenter scriptas, eam vero, quae voluminis instar erat, saepe legendam, sicuti facio,

§ 1. *quae voluminis instar erat* ɔ: quae erat pro volumine, quae aequat volumen. Eandem vim pretii habet *instar* cum genetivo in omnibus locis veterum, ut Verr. V. 89. Off. III. 11. Brut. 191. Att. X. 1, 4. Q. fr. III. 1, 9. Fam. IX. 6, 4. Vell. Pat.

in qua non frustra laborem suscepisti, mihi quidem pergratum fecisti: quare, ut id, quoad licebit, id est, quoad scies ubi simus, quam saepissime facias, te vehementer rogo. Ac deplorandi quidem, quod quotidie facimus, sit iam nobis aut finis omnino, si potest, aut moderatio quaedam, quod profecto potest; non enim iam quam dignitatem, quos honores, quem vitae statum amiserim cogito, sed quid consecutus sim, quid praestiterim, qua in laude vixerim; his denique in malis quid intersit inter me et istos, quos propter omnia amisimus. Hi sunt, qui, nisi me civitate expulissent, obtinere se non posse putaverunt licentiam cupiditatum suarum, quorum societatis et sceleratae consensionis fides quo eruperit vides. 2. Alter ardet furore et scelere, nec remittit aliquid, sed in dies ingravescit, modo Italia expulit (generum), nunc alia ex parte persequi, ex alia provincia exspoliare conatur, nec iam recusat, sed quodam modo postulat, ut, quemadmodum est, sic etiam appelletur tyrannus; 3. alter, is qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne sublevabat quidem, qui se nihil contra huius voluntatem facere posse (aiebat), elapsus e soceri manibus ac ferro, bellum terra et mari comparat, non iniustum ille quidem, sed quum pium, tum etiam necessarium, suis tamen civibus exitiabile, nisi vicerit, calamitosum, etiam si vicerit. 4. Horum ego summorum imperatorum non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur;

II. 29. Suet. Caes. 61. Plin. Paneg. 29, ut poetas omittam.

quos honores. „Spem triumphi et censurae." Gronovius.

quos propter. Anastrophen praepositionis exemplis Tullianis illustrarunt Beierus ad orat. p. Tullio, 43 et Madvig. ad IV. Fin. 42. Cf. X. 8, 8 *quos contra.*

§ 2. *nec remittit aliquid. Aliquid* pro *quicquam* in sententia negante raro poni observavit Madv. ad Fin. II. 87.

ex alia provincia exspoliare conatur. Cave iungas *ex alia provincia.* Ad *ex alia* cogitatione repetendum, quod praecedit, *parte.* Male multi pro *ex alia* scribunt *et alia.*

§ 3. *qui se nihil — facere posse (aiebat.)* Verbum *aiebat* in libris Mss. intercidit. Melius in fine sententiae collocatur, quam ut est in Ascens. post *voluntatem.*

terra et mari. Cicero solet scribere *et terra et mari.* cf. Verr. II. 2, 96. Mur. 33.

pium. Nam Pompeius ad patriam defendendam a Caesaris dominatione arma susceperat.

exitiabile. Forma dubia certe in scriptis Tullianis. Cicero saepius dixit *exitiosum,* semel *exitiales exitus* posuit Verr. V. 12, unde hic reponendum censeo *exitiale.*

§ 4. *qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur.* Insigne exemplum constructionis liberioris, quam zeugmatis nomine grammatici indicant. Figuram dicendi plures illustrarunt, ut Davisius ad N. D. I. 17, Arntzenius ad Plin. Paneg, 55, Heinrichius ad Iuv. Sat. p. 380, Wesenb. ad Tusc. V. 86. Praeterea observetur semper dici *conflictari aliqua re,* ubi indicat valde affligi vel laborare. Contra recte componitur cum praepositione *cum,* ubi dimicandi vim habet, ut apud Corn. in Pelop. 5, 1. *Conflictatus est cum adversa fortuna.* Sed haec exempla rara sunt, et apud Ciceronem nullum invenitur praeter unum ex orat. de harusp.

quis enim potest aut deserta per se patria aut oppressa beatus esse? Et si, ut nos a te admonemur, recte in illis libris diximus nihil esse bonum nisi quod honestum, nihil malum nisi quod turpe sit, certe uterque istorum est miserrimus, quorum utrique semper patriae salus et dignitas posterior sua dominatione et domesticis commodis fuit. 5. Praeclara igitur conscientia sustentor, quum cogito me de re publica aut meruisse optime, quum potuerim, aut certe nunquam nisi pie cogitasse, eaque ipsa tempestate eversam esse rem publicam, quam ego quattuordecim annis ante prospexerim. Hac igitur conscientia comite proficiscar magno equidem cum dolore, nec tam id propter me aut propter fratrem meum, quorum est iam acta aetas, quam propter pueros, quibus interdum videmur praestare etiam rem publicam debuisse, quorum quidem alter, † non tam quia maiore pietate est, me mirabiliter excruciat, alter — o rem miseram! nihil enim mihi accidit in omni vita acerbius —, indulgentia videlicet nostra depravatus eo progressus est, quo non audeo dicere. Et exspecto tuas litteras; scripsisti enim te scripturum esse plura, quum ipsum vidisses. 6. Omne meum obsequium in illum fuit cum multa severitate, neque unum eius nec parvum, sed multa (et) magna delicta compressi; patris autem lenitas amanda potius ab illo quam tam crudeliter negligenda. Nam litteras eius ad Caesarem missas ita graviter tulimus, ut te quidem celaremus, sed ipsius videremur vitam insuavem

resp. 41. *Cum his conflictari et pro salute patriae quotidie dimicare.*

in illis libris. De Republica, loco nunc deperdito.

§ 5. *n. nisi pie cogitasse.* Ita Ciceronem scripsisse efficitur e codd. corruptela *infidie* (Med. et Hisp.). O. Heinius non minus recte inde eruit *impie.* Plane ineptum est, quod vett. editt. habent *divine* pro *pie.*

† *non tam, quia maiore pietate est.* Asterisco indicavi latere aliquid vitii. Tollitur id Malaspinae supplemento: *quorum quidem alter, non tam quia filius, quam quia maiore pietate est,* cet. Sed faciliorem correctionem debemus Peerlkampio: *quorum quidem alter, etiam quia maiore pietate est* cet.

indulgentia nostra ɔ: nimia patris lenitate. Cicero aliquam culpae partem in se transfert scribens *nostra.* cf. ep. 7, 3.

Et exspecto. In libris scriptis ita legitur. Bene Malaspina *sed* correxit. Mox *plura* cum Orellio scripsi pro codd. *plurima* et *multa et magna* cum Malaspina, utrumque e consuetudine Ciceronis, hoc etiam ut respondeat verbis *neque unum nec parvum.*

§ 6. *amanda ab illo.* Nonnunquam gerundivum construi cum praep. *ab* temere multi negarunt. Exempla Ciceronis vide apud Reisigium in Schol. gramm. p. 749 et in adnot. Haasii 581. Sed defectus verbi *erat* dubitationem iniicit, an non h. l. scribendum sit *amanda potius erat illi.*

ita graviter tulimus, ut — reddidisse ɔ: et ego et Quintus frater graviter tulimus eum litteras ad Caesarem misisse eumque ita obiurgavimus, ut ipsum vitae poeniteret. Hanc rem te celavimus, ne culpam a sororis tui filio commissam aegre ferres. *Ipsius* defendi potest; sed praestat cum Orellio legere *ipsi ut.* De emendationis, quae Madvigio Emend. I. p. 53 debetur (*videremur* pro *videmus*), veritate nemo facile dubitabit.

reddidisse; hoc vero eius iter simulatioque pietatis qualis fuerit, non audeo dicere. Tantum scio post Hirtium conventum arcessitum a Caesare, cum eo de meo animo a suis rationibus alienissimo et consilio relinquendi Italiam; et haec ipsa timide. Sed nulla nostra culpa est; natura metuenda est; haec Curionem, haec Hortensii filium, non patrum culpa, corrupit. Iacet in maerore meus frater neque tam de sua vita quam de mea metuit. Huic tu malo affer consolationes, si ullas potes; maxime quidem illam velim ea, quae ad nos delata sint, aut falsa esse aut minora. Quae si vera sunt, quid futurum sit in hac vita et fuga nescio; nam si haberemus rem publicam, consilium mihi non deesset nec ad severitatem nec ad indulgentiam. Haec sive iracundia sive dolore sive metu permotus gravius scripsi, quam aut tuus in illum amor aut meus postulabat; si vera sunt, ignosces, si falsa, me libente eripies mihi hunc errorem: quoquo modo vero se res habebit, nihil assignabis nec patruo nec patri. 7. Quum haec scripsissem, a Curione mihi nuntiatum est eum ad me venire. Venerat enim is in Cumanum vesperi pridie, id est, Idibus. Si quid igitur mihi eius sermo attulerit, quod ad te scribendum sit, id in litteris adiungam. 8. Praeteriit villam meam Curio iussitque mihi nuntiari mox se venturum, cucurritque Puteolos, ut ibi contionaretur. Contionatus est,

iter simulatioque pietatis. Videtur Quintus filius se Romam contulisse ad Caesarem, simulans se pro patre deprecari velle.

post Hirtium conventum. Caesaris amicum, de quo severe iudicat Quintus pater in epistola ad Tironem data, Fam. XVI. 27.

et haec ipsa timide sc. dico. Nam praecedit: *non audeo dicere.*

natura metuenda est. In ep. 7, 3 scribit de eodem: „*Hoc vitium puto te existimare non a nostra indulgentia, sed a natura profectum.* Quintus filius indolis vitio peccabat. Natura igitur erat *culpanda* vel *arguenda.* Non recte, opinor, *metuenda* dicitur.

aut minora ɔ: non tam gravia, quam feruntur.

in hac vita et fuga cum codd. Malaspinae et Torn. editur. Scriptor Medicei omisit *vita et,* casu an consulto nescio.

ad indulgentiam. In priore editione defendi, quod in M. legitur *ad diligentiam,* cum Ernesto iudicans ut *severitas* cernitur in peccatis castigandis, ita *diligentiam* cerni in cavendis potueramque laudare Fam. XV. 5, 3 et Traiani epistolam inter Plinianas X. 40, ubi severitas cum diligentia coniungitur. Nunc tamen cum B. W. K. recepi Manutii coniecturam, qua severitati opponitur indulgentia. Recte ille sic interpretatur: „aut abiecta de illo omni cura permitterem ut ageret suo arbitratu et suo periculo quod vellet.

§ 7. *a Curione* ɔ: Curionis nomine. Hinc addit *eum* ad me venire, non *se,* quamquam ad Curionem ipsum hoc pertinet. Similiter in Acad. Post. 1 *nuntiatum est nobis a M. Varrone venisse eum Roma pridie.*

id in litteris adiungam. Cum Schuetzio leg. puto: *id his litteris adiungam,* ita ut reliqua epistolae pars aliquanto post addita videatur.

§ 8. *fuit apud me sane diu.* Quod in libris scriptis est *ad me* e compendio scribendi ortum videtur, idemque error castigandus h. l. 16, 1. Nam ut rectissime dicitur *devertere ad aliquem* XIV. 1, 1. Mil. 51, et ut locus ex epist. Fam. IX. 1, 2 *in Cumano ad te* e brevitate quadam scribendi defendi potest, ita non concedo Haudio *esse ad aliquem* e sermone familiari apud Ciceronem esse explicandum. vid. Turs. I. p. 94. Atque apud

rediit, fuit apud me sane diu. O rem foedam! nosti hominem: nihil occultavit, imprimis nihil esse certius quam ut omnes, qui lege Pompeia condemnati essent, restituerentur, itaque se in Sicilia eorum opera usurum. De Hispaniis non dubitabat quin Caesaris essent; inde ipsum cum exercitu, ubicunque Pompeius esset; eius interitu finem † illi fore; plane iracundia elatum voluisse Caesarem occidi Metellum tribunum pl.; propius factum esse nihil; quod si esset factum, caedem magnam futuram fuisse; permultos hortatores esse caedis, ipsum autem non voluntate aut natura non esse crudelem, sed quod popularem putaret esse clementiam; quodsi populi studium amisisset, crudelem fore; eumque perturbatum, quod intelligeret se apud ipsam plebem offendisse de aerario; itaque ei quum certissimum fuisset, antequam proficisceretur, contionem habere, ausum non esse vehementerque animo perturbato profectum. 9. Quum autem ex eo quaererem, quid videret, quem † exemplum, quam rem publicam, plane fatebatur nullam spem reliquam; Pompeii classem timebat, quae si esset, se de Sicilia abiturum. »Quid isti," inquam, »sex tui fasces? si a senatu, cur laureati? si ab ipso, cur sex?" »Cupivi," inquit, »ex senatus consulto surrepto; nam aliter non poterat." At ille impendio nunc

Caesarem B. G. I. 31 distinguendum videtur: *iidem principes civitatum, qui ante fuerant, ad Caesarem reverterunt,* non cum Davisio et Schneidero: *qui ante fuerant ad Caesarem, reverterunt.*

lege Pompeia de ambitu a. 703 lata. IX. 14, 2. XIII. 43, 1. Nam altera lex de vi de sola caede in via Appia facta lata videtur. cf. Ascon. in Milon. p. 37.

finem ille fore. Reliqui vitiosum *illi,* quoniam incertum sitne depravatum e *belli,* quod Manutius edidit, an Cicero scripserit *mali,* ut Orellius coniecit.

Metellum. Hic ab inimicis Caesaris subornatus eius consilium de legatis ad Pompeium mittendis, aliaque quae agere instituerat, impediebat. Caes. de B. C. I. 33. Anno sequenti Caesar eum in Italiam redire nolebat. Conf. XI. 7, 2.

propius factum esse nihil, quam ut occideretur. Sic plene scribitur in epist. ad Q. fr. 1. 2, 15. Locutio redit Verr. V. 94. Cluent. 59.

§ 9. *Quod exemplum?* Nec quid Cicero hac quaestione voluerit, nec quid a Curione ad eam responsum sit intelligo. Aliud olim scriptum fuisse arguit codex Med., in quo prima manus dedit *quem exemplum.* Requiritur substantivum masculini generis. Aptissimum puto: *quem eventum* vel: *quem exitum.* cf. ep. 5, 2, ubi idem Curio dicitur significasse *se harum rerum exitum non videre.* Male Koch. Emend. p. 15 coni. *quem exercitum.*

quae si esset non posse dici de classe illa diu ante Kochium intellexit B. Weiske in adnot. ad epistolas selectas Brunsvici a. 1824 a se editas, p. 132. Correxit: *exisset* ɔ: navigare coepisset, ut legitur in ep. 7, 3 in eiusdem rei mentione.

Cupivi ex SCto surrepto ɔ: Volui et id egi, ut senatus mihi provinciam daret cum imperio, et quoniam SCtum legitimum per Metellum fieri non poterat, occulto et surrepto contentus fuissem. Sed Caesar senatus odio ductus noluit, et mihi dixit: „Omnia quae vis a me habebis."

impendio — magis, multo magis, impensius. Esse sermonis familiaris ostendit usus Plautinus et Terentianus, in Aul. prol. 18, Eun. III. 5, 39. A. Gellius frequenter hunc ablativum comparativis adiunxit, velut N. A. XI. 18. XVIII. 12. XX. 1, 12.

magis odit senatum: »a me," inquit, »omnia proficiscentur." »Cur autem sex?" »Quia duodecim nolui; nam licebat." 10. Tum ego, »Quam vellem, inquam, petisse ab eo, quod audio Philippum impetrasse! sed veritus sum, quia ille a me nihil impetrabat." »Libenter," inquit, »tibi concessisset. Verum puta te impetrasse; ego enim ad eum scribam, ut tu ipse voles, de ea re nos inter nos locutos. Quid autem illius interest, quoniam in senatum non venis, ubi sis? quin nunc ipsum minime offendisses eius causam, si in Italia non fuisses." Ad quae ego me recessum et solitudinem quaerere, maxime quod lictores haberem. Laudavit consilium. »Quid ergo? inquam; num mihi cursus in Graeciam per tuam provinciam est, quoniam ad mare superum milites sunt?" »Quid mihi", inquit, »optatius?" Hoc loco multa perliberaliter. Ergo hoc quidem est profectum, ut non modo tuto verum etiam palam navigaremus. 11. Reliqua in posterum diem distulit, ex quibus scribam ad te, si quid erit epistola dignum. Sunt autem, quae praeterii: interregnumne esset exspectaturus, an quomodo dixerit ille quidem ad se deferri consulatum, sed se nolle in proximum annum. Et alia sunt, quae exquiram. Iurabat ad summam, quod nullo negotio † faceret, amicissimum mihi Caesarem esse. † Debet quid enim, inquam, scripsit ad me Dolabella. Dic, quid? Affirmabat

a me — omnia proficiscentur. Recte in editione Iensoniana verba *ad senatum* in M[1] his praefixa omissa sunt. *Senatum* bis exaratum videtur; deinde praepositio male addita est.

Quia duodecim nolui ɔ: quia proconsulare imperium recusavi, praetorio contentus.

§ 10. *nos inter nos locutos.* Pronomen priori loco abesse poterat. Additur similiter de N. D. I. 71 et Divin. I. 58, quos locos indicavit Handius in Turs. III. p. 398.

Quid ergo? inquam; num mihi — sunt? Recte Schuetzius *nam* in *num* mutavit. Nam post *quid ergo?* quaestio sequi debet, non sententia causalis.

§ 11. Reliqua pars epistolae tantis laborat difficultatibus, ut, si liceret, eam silentio praeterirem; quum non liceat, indicabo quomodo nonnullae expediri posse videantur.

quae praeterii ɔ: quae ex Curione nondum quaesivi in hesterno sermone.

an quomodo dixerit ille quidem ad se deferri consulatum, sed se nolle in proximum annum. Melius sententia procedit, si aut cum Graevio part. *quidem* posueris post *ad se,* aut pro *sed se* mecum correxeris *sese,* ut haec dicat: „an quid voluerit Caesar dicens sese nolle consulem fieri in proximum annum." Spectabat autem dictaturam, idque ambiguo dicto declaraverat.

ad summam ɔ: denique. cf. ad XIV. 1, 1.

quod n. n. faceret. Coniunctivi nulla ratio est. Egregie Orellius vidit scribendum esse: *facere solet.*

amicissimum mihi Caesarem esse debere. Quis credat hoc affirmasse Curionem? Neque libri scripti verbis auctoritatem praebent. *debere* in codice nullius pretii inventum est. Med. dat *debet,* unde Lambinus acute fecit: *dubito.* In seqq. quoque turbatum. *Unquam* in Med. vitiose scriptum pro *inquam,* temere in *inquit* mutatum est. Quid multa? audiamus Kochium verba praeclare emendantem: *Iurabat — amicissimum mihi Caesarem esse. Dubito equidem, inquam. „Scripsit ad me Dolabella." Dic, quid?* Huic quaestioni Cicero non ipsa Curionis verba subiungit, sed eorum argumentum breviter explicat: *Affirmabat* (Curio) *eum* (Dolabellam) *scripsisse, illum* (Caesarem) *quidem gratias agere maximas*

eum scripsisse, quod me cuperet ad urbem venire, illum quidem gratias agere maximas et non modo probare sed etiam gaudere. Quid quaeris? acquievi; levata est enim suspicio illa domestici mali et sermonis Hirtiani. Quam cupio illum dignum esse nobis et quam ipse me invito, quae pro illo sit suspicandum. Sed opus fuit Hirtio convento? Est profecto nescio quid, sed velim quam minimo; et tamen eum nondum redisse miramur. Sed haec videbimus. 12. Tu Oppios Terentiae dabis, iam enim urbis unum periculum est; me tamen consilio iuva, pedibusne Regium an hinc statim in navem † et cetera, quoniam commoror. Ego ad te [statim] habebo quod scribam, simul et videro Curionem. De Tirone cura, quaeso, quod facis, ut sciam quid is agat.

et — gaudere, quod me (Dolabella) *cuperet ad urbem venire.*

levata est — Hirtiani. cf. supra § 6. Sententia est: Iam ex hoc Curionis sermone suspicor falsum esse a Q. filio nos delatos esse apud Caesarem, postquam prius cum Hirtio locutus fuerat.

quam ipse me invito, quae pro illo sit suspicandum. Ita est in Med. eratque in Tornesiano. Olim conieci: *quam ipse me vitupero, qui de illo sim suspicatus,* nunc magis probo Fr. Schmidtii suspicionem: *quam ipse me invito quae pro illo sint ad suspicandum* ɔ: quantopere me incito ad inveniendum quae pro Quinto faciant eumque culpa liberent. Cum verbis *sed opus fuit Hirtio convento* C. F. Hermannus in Vind. Brut. epimetro p. 15 comparavit Plautinum e Curculione 302: *celeriter mihi hoc homine convento est opus.* Indicant autem per interrogationem prolata: „Sed cur Hirtium convenit?" nec opus est ut cum Schuetzio post *sed* addatur *quid.*

velim quam minimo. Lamb. *minimum.* Vide tamen an *minimo* retineri possit hac sententia: „quod Q. filius fecit velim minimo nostro malo evenire, minimo nobis constare."

§ 12. *Tu Oppios* cet. Merito plures receperunt e Victorii emendatione *Oppios,* unde in Med. Hisp. et Oxon. factum erat *optimos.* Sed prorsus necessarium quoque est, ut in seqq. *vanum* vel *nullum* (sic Pius) restituatur, ubi nunc *unum* legitur. Ita haec erit sententia: Tu Oppios Terentiae conciliabis, a quibus nummos petat. Nam, ut nunc res se habent, in urbe tuto manere potest. Caesar urbem militibus non dabit diripiendam.

hinc e Cumano. In sequentibus verbis gravius ulcus video, quam vulgo putant. Sic velim sanare: *Me tamen consilio iuva, pedibusne Rhegium* (sc. eam) *an hinc statim in navem* ESCENDAM; NAM CUR IAM COMMOROR? Ex antiqua scribendi ratione *quor iam* factum est *quoniam.* Quod Orellius volebat: *quo iam commoror?* ne Latinum quidem est.

simul et e Med. et Z. restitui. cf. ad II. 20, 2. Paulo ante *statim* seclusi. Nam recte Schuetzius iudicavit illud temere ex antecedenti versu repetitum esse.

V. (*A. U. C.* 705.)

1. De tota mea cogitatione scripsi ad te antea satis, ut mihi visus sum, diligenter: de die nihil sane potest scribi certi praeter hoc, non ante lunam novam. 2. Curionis sermo postridie eandem habuit fere

§ 2. *summam* nonnullorum codd. scriptores male in *sententiam* mutarunt. Optime id, quod e pluribus argumentis quasi subducta ratione efficitur, appellatur *summa.* cf. Att. IX. 18, 1. Fam. I. 9, 10.

'Αρκαδίαν. Ex oraculo Lacedaemoniis

summam, nisi quod apertius significavit se harum rerum exitum non videre. Quod mihi mandas de Quinto regendo, *Ἀρκαδίαν·* tamen nihil praetermittam, atque utinam tu . . Sed molestior non ero. Epistolam ad Vestorium statim detuli, ac valde requirere solebat. 3. Commodius tecum Vettienus est locutus, quam ad me scripserat, sed mirari satis hominis negligentiam non queo: quum enim mihi Philotimus dixisset se HS. L. emere de Canuleio deversorium illud posse, minoris etiam empturum, si Vettienum rogassem, rogavi, ut, si quid posset, ex ea summa detraheret: promisit; ad me nuper se HS. XXX. emisse; ut scriberem cui vellem addici; diem pecuniae Id. Novembr. esse. Rescripsi ei stomachosius cum ioco tamen familiari: nunc, quoniam agit liberaliter, nihil accuso hominem scripsique ad eum me a te certiorem esse factum. Tu de tuo itinere quid et quando cogites velim me certiorem facias. A. d. XV. Kal. Maias.

olim dato, quod legitur in Herodoti I. 66, natum erat proverbium Ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς, qua utebantur, ut scribit Diogenianus Cent. II. 69, ἐπὶ τῶν μεγάλα ἢ ἀσύμφορα αἰτούντων. Eo respicit Cicero et illa vox significat: rem difficilem mandas vel, quod seq. ep. scribit *magnum opus est.* Postea autem 12, 7 iterum de Q. filio regendo scribens negotii gravitatem cumulat scribendo: *Peloponnesum ipsam sustinebimus.* Inutiles coniecturas de h. l. vide, si tanti est, in Acidalii adnot. ad Vell. II. 19.

atque utinam tu..... sc. iuvenem regendum susciperes. cf. ep. seq., 2.

ad Vestorium, argentarium Puteolanum, qui saepius in epistolis nominatur. cf. quoque Plin. H. N. XXXIII. 162 et Vitruv. VII. 11.

§ 3. De negotio cum Vettieno vid. praeter h. l. ep. 11, 5, unde simul *iocum* Ciceronis cognoscere licet. *Hominis negligentia* in eo fortasse quaerenda, quod nunc demum Ciceroni nuntiarat se deversorium illud emisse, quum nummi Idibus Novembribus solvendi essent.

Commodius de die pecuniae solvendae locutus erat cum Attico. Idem mox indicatur verbis *agit liberaliter* ɔ: longiorem diem pollicetur.

ut scriberem cui vellem addici. Cum Ern. *ut* delendum censeo. *Cui vellem addici* ɔ: cui vellem tradi, qui meo nomine illud deversorium acciperet. cf. Rudorfii röm. Rechtsgesch. II. § 36. adn. 24.

VI. (*A. U. C.* 705.)

1. Me adhuc nihil praeter tempestatem moratur. Astute nihil sum acturus; fiat in Hispania quidlibet, tamen † recitet. Meas cogitationes omnes explicavi tibi superioribus litteris; quocirca hae sunt breves,

§ 1. *Astute nihil sum acturus; fiat in Hispania quidlibet.* Eadem scripserat eodem fere tempore Caelio, Fam. II. 16, 7. *Neque ego hunc Hispaniensem casum exspecto —, neque quidquam astute cogito.* Utroque loco negat se exspectare callide eventum expeditionis Hispanicae, atque se profecturum in Graeciam, sive vincant sive vincantur legati Pompeii in Hispania. Pluribus haec explicat in ep. 8, 1 et 2.

tamen † recitet. In Med. legitur *recitet et,* in Z. *reticeret,* in quo non latet *reticeto,* ut

etiam quia festinabam eramque occupatior. 2. De Quinto filio, fit a me quidem sedulo, sed . . . nosti reliqua. Quod dein me mones, et amice et prudenter me mones, sed erunt omnia facilia, si ab uno illo cavero. Magnum opus est, mirabilia multa, nihil simplex, nihil sincerum. Vellem suscepisses iuvenem regendum; pater enim nimis indulgens, quicquid ego adstrinxi, relaxat: si sine illo possem, regerem; quod tu potes, sed ignosco: magnum, inquam, opus est. 3. Pompeium pro certo habemus per Illyricum proficisci in Galliam. Ego nunc qua et quo videbo.

olim mihi et Wesenbergio visum est, sed ut deinde ille Em. alt. p. 120 acute monuit *ire certum est* simileve quid.

§ 2. *De Quinto filio*, non de *Q. fratre*, ut in cod. scriptum est Med., hic agi certum est. Recte illud a Victorio correctum est. Fortasse olim fuit *de Q. F.*

fit a me quidem sedulo, sed... nosti reliqua. Non assentior iis, qui opinantur hic Ciceronem respicere ad Terentii Adelphos III. 3, 60, *fit sedulo, nil praetermitto, consuefacio*, et qui igitur illa *nosti reliqua* a Cicerone adiecta putant, ut Atticus primis verbis lectis reliqua ipse suppleret. Obstat primum particula *sed*, quam propterea Victorius induxisse videtur; tum quod formula illa *sedulo facere* et *sedulo fieri* usu erat trita, non poetica aut soli Terentio usitata. Immo sententia post *sed* ita potius expleri debet: sed nihil vel non multum proficio; quod facili negotio Atticus intelligeret, cui divinandum relinquit, addens *nosti reliqua* ɔ: id quod dicere volo ipse nosti.

si ab uno illo cavero, a Quinto filio, ne ille me prodat.

sed ignosco sc. patri nimis indulgenti filiumque non regenti.

magnum, inquam, opus est. Inquam interposuit, quum verba iam ante scripta *magnum opus est* graviter repeteret. Quod ubi fit, non posse geminari vocabulum praecedens praeclare docuit Madvigius, Opusc. I. p. 157 et 453. Bene igitur Orellius in altera editione suam coniecturam *magnum, magnum inquam opus est* non repetiit.

proficisci in Galliam, ut Hispaniam adversus Caesarem defenderet. cf. ep. 9, 1.

Ego — videbo ɔ: deliberabo, qua ego via utar et quo me conferam.

VII. (*A. U. C.* 705.)

1. Ego vero Apuliam et Sipontum et tergiversationem istam probo, nec tuam rationem eandem esse duco quam meam, non quin in re publica rectum idem sit utrique nostrum, sed ea non agitur: regnandi contentio est, in qua pulsus est modestior [rex] et probior et integrior et is, qui nisi vincit, nomen populi Romani deleatur necesse est; sin autem vincit, Sullano more exemploque vincet. Ergo hac in

§ 1. *Ego vero — probo.* Probat consilium Attici, qui se non ad Pompeium conferre, sed in Apulia Siponti morari constituerat.

regnandi contentio est ɔ: id certant, uter omnia solus possit.

modestior rex. Pompeium iam nunc *regem* dici vix ferendum est. Contra XIII. 37, 2. Caesarem victorem et omnia per se in repb. agentem acerbe *regem* vocare poterat. H. l. e mala geminatione litterarum *r et* potuit irrepere *rex*, vel etiam corrumpi e *dux*, ut factum est in nonnullis Horatii libris Carm. IV. 5, 37, ad quem locum Peerlkampius de illo nomine Romanis inviso egregie disputavit.

contentione neutrum tibi palam sentiendum et tempori serviendum est; mea causa autem alia est, quod beneficio vinctus ingratus esse non possum, nec tamen in acie, sed Melitae aut alio in loco simili futurum (me) puto. »Nihil," inquies, »iuvas eum, in quem ingratus esse non vis?" Immo minus fortasse voluisset. Sed de hoc videbimus; exeamus modo, quod ut meliore tempore possimus, facit Adriano mari Dolabella, Fretensi Curio. 2. Iniecta autem mihi spes quaedam est velle mecum Ser. Sulpicium colloqui. Ad eum misi Philotimum libertum cum litteris; si vir esse volet, praeclara *συνοδία*; sin autem erimus nos, qui solemus. 3. Curio mecum vixit iacere Caesarem putans offensione populari Siciliaeque diffidens, si Pompeius navigare coepisset. Quintum puerum accepi vehementer: avaritiam video fuisse et spem magni congiarii. Magnum hoc malum est, sed scelus illud, quod timueramus, spero nullum fuisse; hoc autem vitium puto te existimare non a nostra indulgentia sed a natura profectum, quem tamen nos disciplina regimus. De Oppiis Veliensibus quid placeat cum Philotimo videbis. Epirum nostram putabimus, sed alios cursus videbamur habituri.

Ergo — neutrum tibi palam sentiendum et tempori serviendum est. Neutrum, quod Manutius admodum dure explicat: neque pro Caesare, neque pro Pompeio, quum omnino explicari non possit, vitiosum est, nec *palam sentire* recte dici videtur. Quid, si Cicero scripsit: *Ergo — neutri tibi palam assentiendum et tempori serviendum est.* Particula *et* non debebat offendere Orellium, quum post sententiam negantem Latini scriptores copula utantur, ubi a nostris hominibus particula adversativa usurpari solet. vid. Madvigii Grammatica Lat. § 433 adn. 2 edit. alt. (§ 208 interpr. meae).

alio in loco simili. Quod his verbis additur *oppidulo* mihi cum Wesenbergio, Emend. p. 117 ineptum videtur et cum eo delevi. Contra inter verba *futurum puto* videtur *me* excidisse. cf. Madv. ad Cic. Fin. p. 660.

immo minus fortasse voluisset ɔ: a me adiuvari, si audivisset, quam multa in suis consiliis et factis improbanda putarem.

Adriano mari. Mare Hadriaticum vocari quoque Hadrianum s. Adrianum probavit Malaspina e Cic. Pisoniana 92 et Horatii versu: *Sive mari libet Hadriano.* Fretum Siculum recte appellari *mare Fretense* ostendit Turnebus Advers. XVIII. 10.

§ 2. Cff. epistolae ad Servium datae Fam. IV. 1 et 2.

§ 3. *Curio mecum vixit* ɔ: diu mecum fuit. cf. ad IV. 15, 5.

offensione populari ɔ: eo quod populum offendit aerario violato. cf. ep. 4, 8.

Scelus illud, quod timueramus, nimirum eum criminatum esse nos apud Caesarem.

a nostra indulgentia — profectum. Lambinus praepositionem a scribis omissam recte addidit. cf. Wesenberg. ad Tusc. Vol. IV. p. 367 ed. Or. alt.

quem — regimus. Ernesti coni. *quam — regemus* J. F. Gronovius occuparat, qui adnotavit: „fortasse *quam* sc. naturam ɔ: cui spero in posterum nos moderaturos institutione atque educatione".

De Oppiis cf. epist. 4, 12. *Velienses* vocat, quod in Velia habitabant. conf. VII. 13 a, 5.

Epirum nostram putabimus, cet. ɔ: Epiroticis tuis praediis utar tanquam meis, si tamen in eam regionem me contulero, quod non puto.

VIII. A. U. C. 705.)

1. Et res ipsa monebat et tu ostenderas et ego videbam de iis rebus, quas intercipi periculosum esset, finem inter nos scribendi fieri tempus esse; sed, quum ad me saepe mea Tullia scribat orans, ut quid in Hispania geratur exspectem, et semper adscribat idem videri tibi idque ipse etiam ex tuis litteris intellexerim, non puto esse alienum me ad te, quid de ea re sentiam, scribere. 2. Consilium istud tum esset prudens, ut mihi videtur, si nostras rationes ad Hispaniensem casum accommodaturi essemus, quod fieri * * *; necesse est enim aut, id quod maxime velim, pelli istum ab Hispania aut trahi id bellum aut istum, ut confidere videtur, apprehendere Hispanias. Si pelletur, quam gratus aut quam honestus tum erit ad Pompeium noster adventus, quum ipsum Curionem ad eum transiturum putem? si id trahitur bellum, quid exspectem aut quamdiu? Relinquitur ut, si vincimur in Hispania, quiescamus: id ego contra puto; istum enim victorem magis relinquendum puto quam victum et dubitantem magis quam fidentem suis rebus. Nam caedem video, si vicerit, et impetum in privatorum pecunias et exsulum reditum et tabulas novas et turpissimorum honores et regnum non modo Romano homini, sed ne Persae quidem cuiquam tolerabile. 3. Tanta esse poterit indignitas nostra? pati poterunt oculi me cum Gabinio sententiam dicere et

§ 2. *Consilium istud tum esset prudens.* Cum W. scripsi *tum* pro *tunc*, ut deinde recte est: *quam honestus tum erit.* Cf. quoque adnot. Fr. Hofmanni p. 210.

quod fieri...... Excidit aliquid, fortasse *non debet,* ut suppletum est in Ascensiana prima, vel *non potest.* Nam quod Orellius coniecit *non necesse est* vereor, ne Ciceronis mentem parum exprimat. Alios similiter de h. l. supplendo iudicare cognovi e Philologi vol. XXI. p. 291 in adnot. 11, et e Wesenbergii Em. alt. p. 120.

istum — istum, utrumque de Caesare dicitur, erravitque Ernestius, quum priore loco *illum* scripsit, quasi hoc ad Pompeium pertineret.

si id trahitur bellum. Recentiores editt. Lambinum secuti scripserunt *sin* contra libros Mss., quod vel iisdem invitis corrigendum esset. Nam in hac enumeratione *si pelletur* (aut ut W. correxit *pellitur*) — *si trahitur bellum — si vincimur* non potest secundum membrum tanquam contrarium primo opponi. *Id* addidi, quoniam praecedit *trahi id bellum,* nec aliud latet in Medicei mendo *ad.*

et dubitantem magis quam fidentem suis rebus. Immerito Lambinus et Ernastus haec corrupta esse iudicabant, ego male Schuetzio olim assensi *nec dubitantem* corrigenti. Recte opponitur Caesar victus et dubitans Caesari victori et fidenti rebus suis. Bene Hofmannus verba sic explicavit: istum victorem potius relinquendum puto, quam quum victus sit magisque dubitet quam fidat suis rebus.

§ 3. *Tanta esse poterit indignitas nostra?* Vulgo leg. *tacita.* Correxi *tanta.* Voces illae saepissime a librariis confusae sunt. Vid. intt. ad Ovidii Metam. V. 498. *Indignitas* est *dedecus* vel *turpitudo.* At in illa lectione primum offendit *tacita esse,* pro quo Cicero scripsisset *tacere;* tum *indignitas,* quod saepe apud Livium, nusquam apud Tullium pro dolore et indignatione ponitur. cf. Mencke-

quidem illum rogari prius? praesto esse clientem tuum Clodium, C. Ateii Plaguleium, ceteros? Sed cur inimicos colligo, qui meos necessarios a me defensos nec videre in curia sine dolore nec versari inter eos sine dedecore potero? Quid, si ne id quidem est exploratum, fore ut mihi liceat, — scribunt enim ad me amici eius me illi nullo modo satisfecisse, quod in senatum non venerim — tamenne dubitemus, an ei nos etiam cum periculo venditemus, quicum coniuncti ne cum praemio quidem voluimus esse? 4. Deinde hoc vide, non esse iudicium de tota contentione in Hispaniis, nisi forte iis amissis arma Pompeium abiecturum putas, cuius omne consilium Themistocleum est: existimat enim, qui mare teneat, eum necesse esse rerum potiri. Itaque nunquam id egit, ut Hispaniae per se tenerentur; navalis apparatus ei semper antiquissima cura fuit. Navigabit igitur, quum erit tempus, maximis classibus et ad Italiam accedet, in qua nos sedentes quid erimus? nam medios esse iam non licebit; classibus adversabimur igitur? quod malum scilicet tantum? denique quid turpius? † anuival dehic in absentis solus tuli, scelus eiusdem cum Pompeio

nius in Obs. Lat. ling. p. 484 sq. recte de h. l. disputans.

praesto esse clientem tuum Clodium. Sextum Clodium cum Gabinio aliisque ab exsilio revocatum vocat Attici clientem, cuius fratrem Publium supra II. 9, 3 *istum tuum sodalem* appellavit. Erat in alicuius fide et clientela, qui eius hospitio et amicitia utebatur. cf. p. Rosc. Am. 93 et 106. — *C. Ateii* debetur Bosio et facile prodit e scriptura Med. *Catelli.* Eius cliens *Plaguleius* inter Clodianos nominatur quoque in Orat. p. domo 89.

§ 4. *in Hispaniis* iungendum est cum v. *esse.* Atque *esse iudicium* valet i. q. *decerni, diiudicari.*

cuius omne consilium Them. est. cf. VII. 11. 3.

per se. Pompeius enim provinciam per legatos administrabat.

medios esse iam non licebit. Medii vocantur, qui neutri parti addicti sunt. vid. Ruhnk. ad Suet. Caes. 75. De constructione accus. c. inf. cum v. *licet* cf. Madvigii Gramm. Lat. § 393 c. adn. 1 (§ 418 interpr. meae).

classibus adversabimur igitur? ɔ: pugnabimus igitur cum Caesare adversus maximas Pompeii classes?

quod malum scilicet tantum? denique quid turpius? Est haec omnium librorum constans scriptura, nisi quod *malus* habent. Quot interpolationibus et quam dubiis coniecturis haec verba ansam dederint, cognoscere licet ex adnotationibus in edit. Graevii et in Orelliana utraque. Nunc video Turnebum Adv. XVIII. 9 proposuisse, et Lambinum non omnino repudiasse, quod mihi quidem probabile videtur. Possis etiam cum Hofmanno corrigere: *Quod maius scelus aut tantum denique?* Multis fraudi fuit *denique,* quod post unum membrum poni posse ignorabant, de quo nunc nemo dubitat. vid. Att. IX. 19, 4. Q. fr. I. 1, 1. II. 3, 2. et cf. Handii Turs. II. p. 268.

† *anuival dehic in absentis solus tuli, scelus eiusdem — non feram?* Loco foede corrupto certatim critici opem ferre conati sunt, sed ita ut raro sibi, rarius aliis satisfacerent. Mihi quidem, ut verum fatear, ex tot coniecturis nulla videtur digna, quae commendetur. De orationis forma plane assentior Madvigio Emend. I. p. 44 esse huiusmodi: *An — solus tuli, — cum reliquis non feram?* Sed voc. *scelus* quod omnes obiectum faciunt verbi *tuli,* mihi potius a v. *non feram* suspensum videtur. Nam Caesaris scelus (cf. h. l. 4, 2 *ardet furore et scelere*)

et cum reliquis principibus non feram? 5. Quodsi iam misso officio periculi ratio habenda est, ab illis est periculum, si peccaro, ab hoc, si recte fecero, nec ullum in his malis consilium periculo vacuum inveniri potest, ut non sit dubium, quin turpiter facere cum periculo fugiamus, quod fugeremus etiam cum salute. Non simul cum Pompeio mare † transierimus? Omnino non potuimus: exstat ratio dierum; sed tamen — fateamur enim, quod est; ne condimus quidem, ut possimus — fefellit ea me res, quae fortasse non debuit, sed fefellit: pacem putavi fore, quae si esset, iratum mihi Caesarem esse, quum idem amicus esset Pompeio, nolui: senseram enim quam iidem essent. Hoc verens in hanc tarditatem incidi: sed assequor omnia, si propero; si cunctor, amitto. 6.´ Et tamen, mi Attice, auguria quoque me incitant quadam spe non dubia, nec haec collegii nostri ab Atto, sed illa Platonis de tyrannis: nullo enim modo posse video stare istum diutius, quin ipse per se etiam languentibus nobis concidat, quippe qui florentissimus ac novus, VI., VII. diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit, qui duarum

non *solus* tulit Cicero, et, si vel maxime tulisset, concinnitas orationis postularet: — *tuli scelus; eiusdem — non feram furorem?* vel simile quid. Summa difficultas superest in litteris male exaratis, quas descripsi, ut sunt in Med. 1; deinde correctum: *an invalde* cet. Hofmannus edidit: *An iram huius in absentes solus tuli:* ego, dum melius affertur, teneo quod olim proposui: *An qui iram huius amentis solus tuli, scelus eiusdem cum Pompeio et cum reliquis principibus non feram?* Amentia Caesari tribuitur a Cic. Att. VII. 11, 1 et Fam. XVI. 12, 2. A Meutznero in censura edit. prioris p. 776 seq. propositam huius loci scripturam non intelligo.

§ 5. *ut non sit dubium — cum salute* ɔ: ergo decrevi non committere facinus non solum turpe, verum etiam periculosum, quod, etiamsi salutare esset, quoniam turpe esset, non committerem.

Non simul cum Pompeio mare transierimus? Nemo in his verbis, quae aperte obiectionem continent, coniunctivi rationem explicuit, et vereor, ut explicari possit. Aut aliquid excidit velut: *Cur ergo non simul cum P. mare transierimus, rogas,* vel quod Kochio l. c. p. 277 in mentem venit: (*Nam si quis reprehenderit, quod*) *non simul cum P. mare transierimus; omnino non potuimus,* aut cum Nipperdeio et Hofmanno scribendum *transiimus.*

Omnino non potuimus ɔ: fecissem, si potuissem; sed non potui.

exstat ratio dierum ɔ: si dies computaris, videbis me non potuisse Brundisium venire, ut simul cum Pompeio in Graeciam transirem. cf. IX. 2 *a*, 2.

ne condimus quidem, ut possimus ɔ: ne mitigamus quidem rem tristem lenitate verborum, etsi fortasse possumus. Priores editiones habent *condamus,* ut videtur e libris scriptis; in Med. et Hisp. meo scriptum est *condimus.* Scribendum esse *condiamus* coniecit Orellius. Hunc usum verbi *condire* Tullio vindicant plures loci, p. Mur. 66. Att. XII. 40, 3. Malim tamen sequi Nipperdeium, qui in Philol. II. 2. p. 300 correxit: *Sed tamen (fateamur enim quod est) ne contendimus quidem, ut possemus* np. cum Pompeio mare transire.

quam iidem essent ɔ: quam alter altero non melior esset; non: quam coniuncti eiusdemque voluntatis, ut explicat Manutius.

assequor omnia ɔ: ut interpretatur Gronovius: abunde resarciam, quicquid omissum est.

§ 6. *collegii nostri ab Atto* ɔ: collegii augurum, quae ab Atto Navio repetuntur. cf. Cic. Divin. II. 80. Liv. I. 36, ubi ex adnot. editionis Drakenborchii videre licet, quam

rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, divitiarum in aerario. Iam quibus utetur vel sociis vel ministris? ii provincias, ii rem publicam regent, quorum nemo duo menses potuit patrimonium suum gubernare? 7. Non sunt omnia colligenda, quae tu acutissime perspicis, sed tamen ea pone ante oculos: iam intelliges id regnum vix semestre esse posse. Quod si me fefellerit, feram, sicut multi clarissimi homines in re publica excellentes tulerunt, nisi forte me Sardanapali vicem [in suo lectulo] mori malle censueris quam (in) exilio Themistocleo, qui quum fuisset, ut ait Thucydides, *τῶν μὲν παρόντων δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, τῶν δὲ μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής,* tamen incidit in eos casus, quos vitasset, si eum nihil fefellisset. Etsi is erat, ut ait idem, qui *τὸ ἄμεινον καὶ τὸ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι (προ)εώρα μάλιστα,* tamen non vidit, nec quo modo Lacedaemoniorum nec quo modo suorum civium invidiam effugeret nec quid Artaxerxi polliceretur. Non fuisset illa nox tam acerba Africano, sapientissimo viro, non tam dirus ille dies Sullanus callidissimo viro C. Mario, si nihil utrumque eorum fefellisset. Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quo diximus, nec nos fallit nec aliter accidet: 8. corruat iste necesse est aut per adversarios aut ipse per se, qui qui-

foede in hoc nomine erratum sit. *Attum,* non *Attium,* dedit palempsestus Vatic. Cic. de repb. II. 36. Non defuit, qui ineptam scripturam Med. *ab Attico* h. l. defenderet, Tunstallus ep. laud. p. 21.

illa Platonis de tyrannis. Respicit locum illustrem ex opere Platonis de Repb. VIII. 14. p. 562 seq., quem Cicero suo more Latine expressit in I de Repb. c. 43 seq.

sex septem diebus ɔ: intra paucos dies. Locutio erat proverbialis, quae legitur quoque apud Ter. Eun. II. 3, 41. Lucretium IV. 579. cf. Lambin. ad Hor. Ep. I. 1, 58.

mansuetudinis — aerario. cf. ep. 4, 8 h. l.

ii provincias, ii remp. regent duce Madvigio A. C. III p. 185 scripsi, quum in M[1] utroque loco *si* sit inventum.

§ 7. *Sardanapali vicem* ɔ: ut Sardanapalus. Sequens aetas *vice* et *ad vicem* dixit, quod tamen non est consuetudinis Tullianae.

[*in suo lectulo*]. Quum in Ctesiae narratione de interitu Sardanapali et *κλίνων* et *οἰκήματος* rogo impositi mentionem factam vidissem, dubitavi utrum scribendum esset *in cubiculo,* an statuendum ante v. *mori* intercidisse *mortui.* Nunc magis placet opinio Nipperdeii, illa verba ad explicanda *Sardanapali vicem* in margine adscripta fuisse, fortasse desumpta ex ep. 14, 3 h. l. Vid. Philol. Schneidewiui III. p. 148 sq. Idcirco seclusi. Si retinenda sunt, saltem cum W. corrigenda *in meo lectulo,* qui post *quam* recte addidit *in,* quum non agatur de causa, sed de tempore mortis.

Thucydides. I. 138, ubi pro *τῶν μὲν παρόντων* scriptum est *τῶν τε παραχρῆμα* et sequentia quoque paulo aliter leguntur. Nimirum Cicero verba Thucydidis e memoria citavit. Cornelius Nepos in Them. 1. eundem locum ita convertit: *et de instantibus verissime iudicabat et de futuro callidissime coniiciebat.*

illa nox „qua domi in lectulo strangulatus est impia propinquorum manu, ut loquitur Cic. in somn. Scip. 2. Vell. II. 4." I. F. Gronovius. Conf. Peerlkamp. ad Hor. Carm. IV. 4 p. 287 ed. sec.

§ 8. *unus acerrimus. Unus* intendit vim superlativi. cf. Fam. XV. 16, 3 *cum uno fortissimo viro.* Nat. D. I. 2 *Una excellen-*

dem sibi est adversarius unus acerrimus. Id spero vivis nobis fore — quamquam tempus est nos de illa perpetua iam, non de hac exigua vita cogitare — sin quid acciderit maturius, haud sane mea multum interfuerit, utrum factum videam, an futurum esse multo ante viderim. Quae quum ita sint, non est committendum ut iis pareamus, quos contra me senatus, ne quid res publica detrimenti acciperet, armavit. 9. Tibi sunt omnia (mea) commendata, quae commendationis meae pro tuo in nos amore non indigent. Ne hercule ego quidem reperio, quod scribam, — sedeo enim *πλουδοκῶν* — etsi nihil unquam tam fuit scribendum, quam nihil mihi unquam ex plurimis tuis iucunditatibus gratius accidisse, quam quod meam Tulliam suavissime diligentissimeque coluisti. Valde eo ipsa delectata est, ego autem non minus. Cuius quidem virtus mirifica: quomodo illa fert publicam cladem! quomodo domesticas tricas! quantus autem animus in discessu nostro! Ut *στοργῆς* sit summa *σύντηξις*, tamen nos recte facere et bene audire vult. 10. Sed hac super re nimis, ne meam ipse *συμπάθειαν* iam evocem. Tu, si quid de Hispaniis certius et si quid aliud, dum adsumus, scribes et ego fortasse discedens dabo ad te

tissima virtus, pluraque ab Ochsnero ad Cic. Eclogas p. 34 allata.

utrum factum videam, cet. Med. a prima manu dabat *utrum factum fiat videam*, sed corrector *fiat* expunxit. De reliquis libris omnibus quum sileatur, *fiat* merum iudico librarii erratum. Quod Orellius in alt. edit. dedit: *utrum factum, an fiat, videam* Latinum non est. Infinitivis perfecti et futuri temporis solus infinitivus praesentis temporis *fieri* recte interponeretur.

quos contra me — armavit. Construe: contra quos senatus me armavit, ut p. Mur. 9 *quem contra veneris* dicitur pro *contra quem veneris*, et Verr. V. 153 *quem contra arma tulerant.* Ceterum cf. Caes. B. C. I. 5, qui vocat *illud extremum atque ultimum SCtum* et Ciceronis ad Tironem epistola, Fam. XVI. 11, 3.

§ 9. *Tibi sunt omnia commendata.* Scribendum puto *sint* vel *sunto. mea* addidi Wes. secutus.

Ne hercule ego quidem reperio, quod scribam. Respicit ad epistolam Attici, qui questus erat sibi deesse argumentum scribendi. Hofmannus recte, ut puto: *Nec hercule.*

πλουδοκῶν. Nescio an Graeci hoc verbum nunquam usurparint pro πλοῦν προσδοκῶν. Haec autem *sedeo enim πλουδοκῶν* nec causam continent, quare nihil haberet quod scriberet, et male divellunt, quae iungenda sunt: Non reperio quod scribam, etsi nihil tam fuit scribendum cet. Melius starent post illa: *Tibi sint omnia commendata.*

Cuius quidem virtus mirifica. Debent haec ad Tulliam referri, non ad pronomen *ego*, quod proxime praecedit. Id mutata distinctione indicavi.

Ut στοργῆς *sit summa* σύντηξις, *tamen* cet. Haec verba ex mea emendatione plane eandem dant sententiam, quam quod dedit Orellius: *Sit* στοργῆς *licet summa* συντ., sed multo minus recedunt a cod. M. in quo est *sit* CTOPΓHC *sit summa* συντ. Vides quam facile *ut* in *sit* depravari potuerit.

§ 10. *hac super re* pro *hac de re* legitur quoque XVI. 6, 1, ut *super legatione votiva* XIV. 22, 2. Alibi non invenitur in Tullii scriptis.

evocem ɔ: excitem, eliciam. Gronovius laudat, quae monuit ad Senecae ep. 47, 17, ubi est *iram evocare.*

huic bello. Quod M. dat *huic libello* W.

aliquid, eo etiam magis, quod Tullia te non putabat hoc tempore ex Italia. Cum Antonio item est agendum, ut cum Curione, Melitae me velle esse, huic bello nolle interesse. Eo velim tam facili uti posse et tam bono in me quam Curione. Is ad Misenum VI. Nonas venturus dicebatur, id est hodie, sed praemisit mihi odiosas litteras hoc exemplo:

A.

ANTONIUS TRIB. PL. PRO PR. CICERONI IMP. S. D.

1. Nisi te valde amarem, et multo quidem plus, quam tu putas, non extimuissem rumorem, qui de te prolatus est, quum praesertim falsum esse existimarem; sed quia te nimio plus diligo, non possum dissimulare mihi famam quoque, quamvis sit falsa, magni esse. (Te) trans mare (ire) credere non possum, quum tanti facias Dolabellam et Tulliam tuam, feminam lectissimam, tantique ab omnibus nobis fias, quibus mehercule dignitas amplitudoque tua paene carior est quam tibi ipsi; sed tamen non sum arbitratus esse amici non commoveri etiam improborum sermone, atque eo feci studiosius, quod iudicabam duriores partes mihi impositas esse ab offensione nostra, quae magis a ζηλοτυπίᾳ mea quam ab iniuria tua nata est; sic enim

induxit, ut Ciceronis esse putaret *huic civili bello*. Fortasse recte.

Eo velim — posse. Vulgo *possem* contra sermonis leges. Post *volo, velim,* similia, quando subiectum novi verbi idem est, sequitur infinitivus, in quo reponendo ducem habui G. Lahmeierum in Philol. XXI. p. 290 seqq., qui recte vindicat scripturam bonorum librorum in Cat. M. 32 *vellem equidem idem posse gloriari,* quum alii dent *possem*. B. et W. ediderunt *possim*, minus recte, opinor. In seqq. *Is* referri debet ad *Antonium,* non ad *Curionem.*

Antonius trib. pl. pro pr. Contra consuetudinem M. Antonius duo munera publica cumulavit. Quum esset illo anno tribunus plebis, a Caesare in Hispanias proficiscente pro praetore in Italia relictus est, vel ut scribit Plutarchus in Ant. 6 Caesar Ἀντωνίῳ δημαρχοῦντι τά στρατεύματα καὶ τὴν Ἰταλίαν ἐπέτρεψεν.

A. § 1. *non extimuissem rumorem* „ɔ: non commotus fuissem rumore de te vulgato." Gron.

nimio plus frequens apud comicos scripsit quoque Livius I. 2, 3.

mihi famam quoque, quamvis sit falsa, magni esse. Quod tanquam e codd. XZ. protulit Bosius supplementum post *falsa, falsum agnoscere,* merito spretum est. Recte dicam: fama, quae de te fertur, multum apud me valet, quamvis sit falsa; non minus recte: magni mihi erit famam de te falsam agnoscere, *si est falsa*; sed inepte addam: *quamvis sit falsa.* Male igitur glossatoris partes suscepit Tunstallus p. 154.

Trans mare credere non possum. Si hoc scriptum esset in epistola familiari ellipsi duriore non offenderer, in hac gravi epistola non fero. Vulgo *te iturum* ante *trans mare* inserunt; mihi facilius *te* ante *trans, ire* post *mare* omitti potuisse videntur.

duriores partes mihi impositas esse ɔ: plus a me exigi, minus facile me meo officio satisfacturum esse.

a ζηλοτυπίᾳ mea. ζηλοτυπίαν vel, ut Cicero definit Tusc. IV. 18, aegritudinem ex eo quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiverit, susceperat Antonius, quod Cicero augur factus erat, non ipse, cf. Phil. II. 4, quamvis diceret se auguratus petitionem Ciceroni concessisse. *Zelotypia* e Med.

volo te tibi persuadere, mihi neminem esse cariorem te, excepto Caesare meo meque illud una iudicare, Caesarem maxime in suis M. Ciceronem reponere. 2. Quare, mi Cicero, te rogo, ut tibi omnia integra serves, eius fidem improbes, qui tibi, ut beneficium daret, prius iniuriam fecit; contra ne profugias, qui te, etsi non amabit — quod accidere non potest —, tamen salvum amplissimumque esse cupiet. Dedita opera ad te Calpurnium familiarissimum meum misi, ut mihi magnae curae tuam vitam ac dignitatem esse scires.

Eodem die a Caesare Philotimus litteras attulit hoc exemplo:

B.

CAESAR IMP. CICERONI IMP. S. D.

1. Etsi te nihil temere, nihil imprudenter facturum iudicaram, tamen permotus hominum fama scribendum ad te existimavi et pro nostra benevolentia petendum, ne quo progredereris proclinata iam re, quo integra etiam progrediendum tibi non existimasses. Namque et amicitiae graviorem iniuriam feceris et tibi minus commode consulueris, si non fortunae obsecutus videberis — omnia enim secundissima nobis, adversissima illis accidisse videntur —, nec causam secutus — eadem enim tum fuit, quum ab eorum consiliis abesse iudicasti —, sed meum aliquod factum condemnavisse, quo mihi gravius abs te nil accidere potest; quod ne facias, pro iure nostrae amicitiae a te peto. 2. Postremo quid viro bono et quieto et bono civi magis

fortasse recipi debuerat. Vocabulum certe aliquando latinitate donatum est. cf. Plinii H. N. XXV. 75.

Caesare — *Caesarem*. Quae his interponuntur *meo, meque illud una iudicare* desunt quoque in Hispano, (sed *Caesarem* habet), ut in Med. et Oxon. ψ. Cratander, ea in margine editionis suae adscripsit, e suo codice, ut videtur.

§ 2. *beneficium* dicit Pompeii operam in revocando Cicerone ab exsilio; *iniuriam* fecerat Pompeius eidem in traducendo Clodium ad plebem et Ciceronis defensione deserenda.

contra ne profugias. Nullus liber Ms. habet *eum*, quod in veteribus editt. legitur ante *ne*, et commode abest. Seneca et Curtius, quorum verba citavit Graevius, huic verbo obiectum addiderunt. Cicero non videtur fecisse. Nam quod codd. dant p. Sest. 50 *cum vim* — *armorum profugisset*, suspectum est, et aut cum Halmio *vi* scribendum, aut *pro* delendum videtur. Hic potius cum Lambino scribendum: *contra ab eo ne profugias*.

etsi non amabit, quod accidere non potest ɔ: etiamsi non potest te non amare. Caesar non solum salvum te volet et honoribus auctum, sed etiam amabit.

Calpurnius videtur esse ille L. Piso, qui in Phil. X. 13 legatus, XII. 1 familiaris M. Antonii vocatur.

B. § 1. *Proclinata iam re*. Deteriores libri habent *inclinata*. Illud Caesari recte vindicavit Graevius citans eandem locutionem e Bell. Gall. VII. 42.

iudicasti ɔ: decrevisti, constituisti. cf. Fam. VII. 33, 2: *mihi iudicatum est otio frui*.

§ 2. *periculi causa*, quia alterum utrum victorem timebant, ad alterum se applicuerunt.

convenit quam abesse a civilibus controversiis? quod nonnulli quum probarent, periculi causa sequi non potuerunt. Tu explorato et vitae meae testimonio et amicitiae iudicio neque tutius neque honestius reperies quicquam quam ab omni contentione abesse. xv. Kal. Maias ex itinere.

IX. (*A. U. C.* 705.)

1. Adventus Philotimi — at cuius hominis, quam insulsi et quam saepe pro Pompeio mentientis — exanimavit omnes, qui mecum erant; nam ipse obdurui. Dubitabat nostrum nemo, quin Caesar itinera repressisset: volare dicitur. (Dicitur) Petreius cum Afranio coniunxisse: nihil affert eiusmodi. Quid quaeris? etiam illud erat persuasum Pompeium cum magnis copiis iter in Germaniam per Illyricum fecisse; id enim *αὐθεντικῶς* nuntiabatur; *** Melitam igitur, opinor, capessemus, dum quid in Hispania, quod quidem propemodum videor ex Caesaris litteris ipsius voluntate facere posse, qui negat neque honestius neque tutius mihi quicquam esse quam ab omni contentione abesse. 2. Dices, »ubi ergo tuus ille animus, quem proximis litteris?" Adest et idem est; sed utinam meo solum capite decernerem! Lacrimae meorum me interdum molliunt precantium ut de Hispaniis

§ 1. *Adventus Ph. exanimavit omnes.* „Quia, quum pro certo haberemus Caesarem in Hispaniam proficiscentem itinera tardius facere coepisse, Petreium cum Afranio copias coniunxisse, ipse nihil attulit eismodi: quod eo credendum magis, quia scimus eum solere pro Pompeio mentiri." Man.

itinera repressisset ɔ: retardasset, minore celeritate uteretur in itineribus faciundis.

(Dicitur) P. cum A. coniunxisse. Omnes post Bosium scripserunt *coniunxisset*, quasi haec verba ab illis *dubitabat nostrum nemo, quin* pendere posset. At interpositis illis *volare dicitur* recte fieri nego. Malui geminare v. *dicitur*, retineoque e codd. notis *coniunxisse*, dubitans utrum pron. *se* in fine, an post *Petreius* excidisse sit statuendum. Idem narrat Caesar B. C. I. 38.

in Germaniam. Antea scripserat *in Galliam*, ep. 6 extr., quod multi editores h. l. reponunt.

nuntiabatur. Post hoc verbum cum Kaysero et W. posui lacunae indicium. Excidit enim, quod de Pompeii itinere Philotimus contra attulerat.

dum quid in Hispania. Elliptica locutio sic explenda, *dum sciamus, quid in Hispania agatur.* Eodem spectant, quae sequuntur in § 3: *maxime si quid ab Afranio.*

§ 2. *utinam meo solum capite decernerem.* Nemo editorum haec verba attigit fueruntque credo in ea opinione hoc dici: utinam mea sola vita in discrimine esset, ut I. F. Gronovius in adnott. Mss., Mongaltius et Wielandus interpretati sunt. Sed ut dicitur *armis, ferro*, aliisque rebus quae instrumenti vicem obtinent, *decernere*, sic dicebant *decernere de vita, de salute, de capite* (Cic. Att. VIII. 5, 2, p. Quinct. 2, 22), non *capite.* cf. Dukerus ad Liv. II. 12, 10. Sed fac dixisse, nunc tamen non agit Cicero de salutis discrimine. Queritur potius, quod sibi non licet consilium profectionis exsequi, quum lacrimis suorum et precibus amicorum in Italia retineatur. *Caput* igitur dictum accipio de animo et mente, quam vim illud vocabulum habet apud Horatium Sat. II. 3, 132 *incolumi capite es?* et Ep. ad Pis. 300 *tribus Anticyris caput insanabile.* Quamquam igitur e Cicerone nullum simile exemplum afferre possum, h. l. ita ex-

exspectemus. M. Caelii quidem epistolam scriptam miserabiliter, quum hoc idem obsecraret ut exspectarem, ne fortunas meas, ne unicum filium, ne meos omnes tam temere proderem, non sine magno fletu legerunt pueri nostri; etsi meus quidem est fortior eoque ipso vehementius commovet, nec quicquam nisi de dignatione laborat. 3. Melitam igitur, deinde quo videbitur. Tu tamen etiamnunc mihi aliquid litterarum et maxime, si quid ab Afranio: ego, si cum Antonio locutus ero, scribam ad te quid actum sit; ero tamen in credendo, ut mones, cautus; nam occultandi ratio quum difficilis, tum etiam periculosa est. Servium exspecto ad Nonas, et adigit ita Postumia et Servius filius. Quartanam leviorem esse gaudeo. Misi ad te Caelii etiam litterarum exemplum.

plico: Utinam mihi liceret meo tantum iudicio uti, non agere ad alienum arbitrium.

eoque ipso v. commovet. Quo fortior erat Ciceronis filius, eo magis eius lacrimantis adspectus patris animum movebat. Ep. 11, 3 scribit de eodem: *cuius quidem misericordia languidiora adhuc consilia cepi.*

de dignatione ɔ: de eo, quod nobis dignum et honestum est. Contra consensum librorum mutare non audeo e cod. Bessarionis, qui *de dignitate* habuisse dicitur. Illud Livio, Suetonio, Tacito, Velleio usurpatum (cf. Casaub. ad Suet. Caes. 4, intt. ad Tac. Germ. 13) in Ciceronis scriptis alibi non legitur; sed in epistola potuit admittere vocabulum, quod Livius non primus finxisse, sed e sermone hominum petiisse videtur.

§ 3. *adigit ita Postumia et Servius filius.* Ita primus edidit Bosius, apte laudans ex epistola seq. postridie scripta: *Hic ego Servium exspecto — rogor enim ab eius uxore et filio. Adigit ita = adigit, ut exspectem.* Perperam Orellius in edit. altera *adiicit* e Med. reposuit. De perpetua confusione vv. *adigere* et *adicere* s. *adiicere* cf. adnot. critica Schneideri ad Caes. B. G. IV. 23, p. 380.

A.
CAELIUS CICERONI S.

1. Exanimatus tuis litteris, quibus te nihil nisi triste cogitare ostendisti, neque id quid esset perscripsisti neque non tamen, quale esset, quod cogitares, aperuisti, has ad te ilico litteras scripsi. Per fortunas tuas, Cicero, per liberos te oro et obsecro, ne quid gravius de salute et incolumitate tua consulas; nam deos hominesque amicitiamque nostram testificor me tibi praedixisse, neque temere monuisse,

Alterum exemplum huius epistolae est ad Fam. VIII. 16. In Franc. Oudendorpii scholiis Lipsiae a. 1839 editis copiose illustratur p. 255 seqq.

§ 1. *neque — neque non tamen* ɔ: *neque — et tamen.* Ne Cicero quidem ab hac dictione abstinuit. Fam. III. 12, 2 *neque enim tristius dicere quicquam debeo —, neque non me tamen mordet aliquid,* quum aliter *neque non* apud eum non inveniatur, nisi ita ut negatio *non* ad verbum vel aliud vocabulum pertineat, plerumque uno pluribusve vocabulis interpositis. vid. Handii Turs. IV. p. 111 seqq.

aperuisti. Si non perscripsit, non aperuit. Sed poterat tamen ex illis litteris Ciceronis mens intelligi. Hoc obtinebimus scribendo *apparuit*, ut coniecit H. A. Kleyn, in Obss. crit. in epp. ad Fam. p. 7.

sed, postquam Caesarem convenerim sententiamque eius, qualis futura esset parta victoria, cognoverim, te certiorem fecisse. Si existimas eandem rationem fore Caesaris in dimittendis adversariis et condicionibus ferendis, erras. Nihil nisi atrox et saevum cogitat atque etiam loquitur: iratus senatui exiit; his intercessionibus plane incitatus est; non mehercule erit deprecationi locus. 2. Quare, si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuae reliquae tibi carae sunt, si aliquid apud te nos, si vir optimus, gener tuus, valemus, quorum fortunam non debes velle conturbare ut eam causam, in cuius victoria salus nostra est, odisse aut relinquere cogamur aut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus: denique illud cogita, quod offensae fuerit in ista cunctatione, te subisse; nunc te contra victorem Caesarem facere, quem dubiis rebus laedere noluisti, et ad eos fugatos accedere, quos resistentes sequi nolueris, summae stultitiae est. Vide ne, dum pudet te parum optimatem esse, parum diligenter quid optimum sit eligas. 3. Quod si totum tibi persuadere non possum, saltem, dum quid de Hispaniis agamus scitur, exspecta, quas tibi nuntio adventu Caesaris fore nostras. Quam isti spem habeant amissis Hispaniis nescio; quod porro tuum consilium sit ad desperatos accedere, non mediusfidius reperio. 4. Hoc, quod tu non dicendo mihi significasti, Caesar audierat ac simul atque Have mihi dixit, statim quid de te audisset exposuit. Negavi me scire, (sed) tamen ab eo petivi, ut ad te litteras mitteret, quibus maxime ad remanendum commoveri posses. Me secum in Hispaniam ducit; nam, nisi ita fa-

postquam Caesarem convenerim. Factum esse Arimini ex alia Caelii epistola Fam. VIII. 17 Corradus monuit. Paulo ante quod legitur *per fortunas — te oro*, id illustravi ad III. 20, 1.

eandem rationem fore Caesaris. Genetivus restituendus in altero exemplo, ubi e cod. Med. scribitur *Caesaris.* Dicebant enim: *haec est ratio mea*, non *haec est mihi ratio.* Castigavit Wesenbergius, Emend. p. 126.

iratus senatui exiit sc. ex urbe. Gronovius volebat *senatu.* — *His intercessionibus* L. Metelli, tribuni pl. cf. Caes. B. C. 1. 33.

§ 2. *Quare, si* cet. Certum est in hac sententia aliquid desiderari vel scribentis vel, quod verius mihi videtur, librarii incuria. Omnia bene procedunt, si post v. *conturbare* inserimus *cave*, cui subiici potest *ut*, nisi forte Caelius scripsit *caveto eam causam* cet.

quod offensae fuerit — te subisse ɔ: si vereris ne remanendo Pompeium offendas, id iam cunctando commisisti. Similiter Plin. Ep. II. 18. III. 9 *subire offensas* scripsit. Alibi dicitur *suscipere offensas.*

contra victorem Caesarem. Nomen proprium h. l. non delendum, sed in altero exemplo hinc addendum esse bene docuit Wesenbergius Emend. p. 129. Nam *Caesarem* respondet sequenti *eos*, atque ut verba *quos sequi nolueris* referuntur ad *eos*, sic *quem laedere noluisti* non habet quo referatur deleto Caesaris nomine.

optimatem. „Unum ex iis, qui se credi volunt optimos cives et praestantiores ceteris, qui populares habentur. Rarissime haec vox in singulari occurrit." Oudendorp.

§ 4. *non dicendo* ɔ: subobscure.

Negavi me scire, sed tamen cet. *Sed* addidi

ceret, ego, priusquam ad urbem accederem, ubicunque esses, ad te percucurrissem et hoc a te praesens contendissem atque omni vi te retinuissem. 5. Etiam atque etiam, Cicero, cogita, ne te tuosque omnes funditus evertas, ne te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse. Quodsi te aut voces optimatium commovent aut nonnullorum hominum insolentiam et iactationem ferre non potes, eligas censeo aliquod oppidum vacuum a bello, dum haec decernuntur, quae iam erunt confecta. Id si feceris, et ego te sapienter fecisse iudicabo et Caesarem non offendes.

e *x* altero exemplo, ne hiaret oratio, probante Wesenb. l. l.

percucurrissem e Med. recte dedit Orellius in edit. altera.

§ 5. *sciens prudensque.* Inverso ordine *prudens et sciens* scribit Cicero Fam. VI. 6, 6. p. Marc. 14 et ante eum Terentius in Eun. I. 1, 27, *prudens ac sciens* Suet. Ner. 2.

X. (*A. U. C.* 705.)

1. Me caecum, qui haec ante non viderim! Misi ad te epistolam Antonii. Ei quum ego saepissime scripsissem nihil me contra Caesaris rationes cogitare, meminisse me generi mei, meminisse amicitiae, potuisse, si aliter sentirem, esse cum Pompeio, me autem, quia cum lictoribus invitus cursarem, abesse velle nec id ipsum certum etiamnunc habere, vide quam ad haec τυραννικῶς:

2. »Tuum consilium quam verum est. Nam qui se medium esse »vult, in patria manet; qui proficiscitur, aliquid de altera utra parte »iudicare videtur. Sed ego is non sum, qui statuere debeam, iure quis »proficiscatur necne: partes mihi Caesar has imposuit, ne quem om»nino discedere ex Italia paterer; quare parvi refert me probare co»gitationem tuam, si nihil tamen tibi remittere possum. Ad Caesarem »mittas censeo et ab eo hoc petas; non dubito quin impetraturus

§ 1. *qui haec ante non viderim. Haec,* quae nunc fiunt, impediri meum ex Italia discessum.

Ei quum ego saepissime scripsissem. Madvigius A. C. III p. 186 merito negat saepius hoc tempore inter Ciceronem et Antonium missas esse epistolas, et corrigit *aequissime* ɔ: ita ut epistola Antonii animum offendere non posset. Verum iudico.

Τυραννικῶς. Ita Victorius prope ad ductus sui codicis, qui erat Mediceus, scripsisse se affirmat. At Baiterus ex eo affert ΠΑΡΝΝΙΚΩCΚ, quod fere nihil differt ab eo, quod Lambinus in Torn. viderat παρννικῶς, unde fecit παροινικῶς, quod B.W.K. retinuerunt. Quum vero epistola Antonii non sit scripta petulanter et ut ab homine vinolento fieri solet, sed imperiose, ad Victorii scripturam redii.

§ 2. *Tuum consilium quam verum est.* Ironice dictum. Non assentior Madvigio *quam,* pro quo in M[1] est *quia,* vitiosum putanti.

»sis, quum praesertim te amicitiae nostrae rationem habiturum esse »pollicearis."

3. Habes σκυτάλην Λακωνικήν. Omnino excipiam hominem: erat autem v. Non. venturus vesperi, id est hodie; cras igitur ad me fortasse veniet. Temptabo † audeam nihil properare, missurum ad Caesarem clamabam, cum paucissimis alicubi occultabor, carti hinc istis invitissimis evolabo, atque utinam ad Curionem! Σύνες ὅ τοι λέγω· magnus dolor accessit, efficietur aliquid dignum nobis. Δυσουρία tua mihi valde molesta: medere, amabo, dum est ἀρχή. 4. De Massiliensibus gratae tuae mihi litterae: quaeso ut sciam quicquid audieris. Ocellam cuperem (habere), si possem palam, quod a Curione effeceram. Hic ego Servium exspecto — rogor enim ab eius uxore et filio — et puto opus esse. 5. † Hic tamen Cytherida secum lectica aperta portat, alteram uxorem; septem praeterea coniunctae lecticae amicarum

§ 3. *Habes σκυτάλην Λ.* ɔ: habes breve mandatum, qualia Lacedaemonii ducibus suis mittere solebant. cf. Corn. Paus. 3. Gell. N. A. XVII. 9.

Omnino excipiam hominem ɔ: „cum Antonio agam, ut oportet, πρὸς Κρῆτα Κρητίζων". I. F. Gronovius.

Temptabo, audeam — ad Curionem. Locum valde corruptum plures coniecturis temptarunt, quas omitto praeter eam, qua Wesenbergius locum paene sanasse videtur. Sic enim ille in Em. alt. p. 121: *Tentabo, ut ei persuadeam me nihil properare, missurum ad Caesarem, clam abibo, me cum paucissimis alicubi occultabo, caute* (an *certe?*) *hinc istis invitissimis evolabo.* Mire his additur: *atque utinam ad Curionem.* Scribendum censeo: *atque curram ad C.* Cicero spem ponebat in Curione, de quo biduo post scripsit, ep. 12, 1: *Ego Curionem nactus omnia me consecutum putavi.*

Σύνες ὅ τοι λέγω. Quum vulgo ederetur σὺν θεῷ τοι λέγω, Cobetus praeclare ostendit multo minus recedendum esse a ductibus litterarum in cod. M. CINECΩTΘIΛETΩ. Ciceronemque hic usum esse formula Platonis, ut amicum attentum redderet ad ea quae sequuntur. Vid. Cobeti Var. Lect. p. 476 ed. sec. Legitur in Platonis Phaedro p. 236 D et in Menone p. 76 D. — Post hoc dictum recte sequitur: *efficietur aliquid dignum nobis,* non item *magnus dolor accessit;* nam nec unde, nec ad quem alium dolorem magnus dolor accesserit, apparet. At recte haec novam sententiam ordiuntur: Magnus dolor accessit: δυσουρία tua mihi valde molesta ɔ: ceteris doloribus meis magnus dolor accessit, quod tu mingendi difficultate laboras.

§ 4. *De Massiliensibus.* Hi portas Caesari clauserant. Caes. B. C. I. 34. cf. ep. 12 b, 3.

Ocellam cuperem mecum habere. vid. ep. 13, 3 et 17, 3. *habere* deesse posse negat W. Em. alt. p. 122. cui plane assentior. cf. adn. mea ad III. 2. Idem Ocella memoratur in epist. Caelii Fam. VIII. 7, 2 et in Ciceronis II. 15, 5.

rogor ab eius uxore et filio. cf. h. l. 9, 3.

§ 5. *Hic tamen Cytherida,* cet. Hanc M. Antonii turpitudinem notavit quoque in Philipp. II. 58: *Vehebatur in essedo tribunus plebis, lictores laureati antecedebant, inter quos aperta lectica mima portabatur, quam ex oppidis municipales homines honesti, obviam necessario prodeuntes, non noto illo et mimico nomine, sed Volumniam consalutabant; sequebatur rheda cum lenonibus; comites nequissimi; reiecta mater amicam impuri filii tanquam nurum sequebatur.* cf. ep. 16, 5. *Antonius, cuius inter lictores lectica mima portatur.* Sed pronomine *hic* non potest designari Antonius et *tamen* otiosum est. Sensit W. et haec monuit: „Latet in *Hic tamen* significatio aliqua Antonii, nisi si post *Hic tamen* plura exciderunt".

alteram uxorem in M. Baiterus vidit, non quod Orellius putabat *altera uxorem.* Ergo hoc olim a me defensum nunc repudio. An-

sunt (an) amicorum. Vide quam turpi leto pereamus, et dubita, si potes, quin ille, seu victus seu victor redierit, caedem facturus sit; ego vero vel lintriculo, si navis non erit, eripiam me ex istorum parricidio. Sed plura scribam, quum illum convenero. 6. Iuvenem nostrum non possum non amare, sed ab eo nos non amari plane intelligo. Nihil ego vidi tam *ἀνηθοποίητον*, tam aversum a suis, tam nescio quid cogitans. Vim incredibilem molestiarum! sed erit curae et est, ut regatur; mirum est enim ingenium. *ἤθους ἐπιμελητέον.*

tonii uxor erat Fulvia, homo impudicus mimam Cytherida velut alteram uxorem secum ducebat. Eam ob causam mater Antonii in loco laud. eam *tanquam nurum* sequi narratur.

septem praeterea — amicorum. Olim legebatur: — *amicarum hae sunt amicorum*, quod sic explicari poterat, has amicas non dici ipsius Antonii, sed eius amicorum. Sed quamvis Iunius in duobus libris invenerit *eae*, et Orellius eam lectionem (*eae sunt* = id est) defendat, tamen hoc displicet, imprimis quod haec verba *septem p. c. l. amicarum* male cum superioribus cohaerent. Verum puto quod dedit Bosius: *septem p. coniunctae lecticae amicarum sunt an amicorum*, quo ducit quoque Med., qui *an* [ob similitudinem sequentis syllabae omisit. De hac quaestione dubitantis dixi ad I. 3, 2. Dubitat autem Cicero, utrum illae lecticae amicas Antonii contineant an exoletos. Dio XLV. 28 facit Ciceronem de M. Antonio dicentem: *πόρνους καὶ πόρνας — μετὰ τῶν ῥαβδούχων δαφνηφορούντων ἐπαγόμενος τὴν Ἰταλίαν περιΐει.* Sic Clodius semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas habebat, Mil. 55.

Vide quam turpi leto pereamus ɔ: Vide per quam turpes homines res Romana pereat. Ne quis haereat in v. *letum* ut poëtis proprio, adfero e Cicerone, praeter locum de Leg. II. 9 extr. ubi consulto in lege antiquior formula quaesita est, de Divin. II. 56, ubi Ti. Gracchus Caio fratri in somnis dixisse fertur, eodem ei *leto*, quo ipse interisset, esse pereundum. Similiter posuit Cornelius Nepos de Reg. 3. Neque Livius XXXI. 18 abstinuit dictione poetica narrans Abydenos se ipsos *per omnes vias leti interfecisse.* Etiam Plinius H. N. XXIV. 157 dixit *insanabili leto perire.*

dubita, si potes ɔ: dubitare non potes. Elegantiam huius locutionis male corruperunt librarii scribendo *dubitari potest.*

§ 6. *Iuvenem nostrum.* Quintum filium dicit, quem vocat *ἀνηθοποίητον*, sine certa morum conformatione, mobilem, sibi non constantem. Recte Wielandus vertit: *In meinem Leben hab ich nichts so charakterloses — gesehen.*

est ut regatur. Matthiae ad Milon, 35 explicat: fieri potest, ut regatur. Male: e proximis huc trahendum voc. *curae.*

XI. (*A. U. C.* 705.)

1. Obsignata iam epistola superiore non placuit ei dari, cui constitueram, quod erat alienus; itaque eo die data non est. Interim venit Philotimus et mihi a te litteras reddidit, quibus quae de fratre meo scribis, sunt ea quidem parum firma, sed habent nihil *ὕπουλον*, nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem, nihil quod non, quo

§ 1. *nihil ὕπουλον* ɔ: nihil mali occulti. Vocabulum illustravit M. Fuhr in Dicaearchi quae supersunt p. 192 seq.

aliter ad te scripsit et ad matrem ɔ: aliter ad te scripsit, aliter ad matrem. Fin. V, 89 *Quanti quidque sit, aliter docti et in-*

velis, uno sermone possis perducere: ne multa, omnes suos, etiam quibus irascitur crebrius, tamen caros habet, me quidem se ipso cariorem. Quod de puero aliter ad te scripsit et ad matrem de filio, non reprehendo. De † itine et de sorore quae scribis molesta sunt, eoque magis, quod ea tempora nostra sunt, ut ego iis mederi non possim; nam certe mederer. Sed quibus in malis et qua in desperatione rerum simus vides. 2. Illa de ratione nummaria non sunt eiusmodi — saepe enim audio ex ipso —, ut non cupiat tibi praestare, et in eo laboret; sed si mihi Q. Axius in hac mea fuga HS. XIII. non reddit, quae dedi eius filio mutua, et utitur excusatione temporis, si Lepta, si ceteri, soleo mirari de nescio quis HS. $\overline{XX}$., quum audio ex illo se urgeri — vides enim profecto angustias —; curari tamen ea tibi utique iubet. An existimas illum in isto genere lentum aut restrictum? nemo est minus. 3. De fratre satis. De eius filio, indulsit illi quidem suus pater semper, sed non facit indulgentia mendacem aut avarum aut non amantem suorum, ferocem fortasse atque arrogantem et infestum facit. Itaque habet haec quoque, quae nascuntur ex indulgentia, sed ea sunt tolerabilia — quid enim dicam? — hac iuventute; ea vero, quae mihi quidem, qui illum amo, sunt his ipsis malis, in quis sumus miseriora, non sunt ab obsequio nostro; nam suas

docti (sc. loquuntur). cf. Facciolatus ap. Hand. Turs. I. p. 268. Simile est *aliud sentire et loqui*, Fam. VIII. 1, 3.

De † itine et de sorore. Ita Med. et Z. In deterioribus libris est *De itinere*, idque de Q. filii ad Caesarem profectione nonnulli accipiunt. Vix recte. Plane ineptum est Bosii δεῖ τιθήνης ἔτι, sed aliquid Graece scriptum h. l. fuisse non absurde statuas.

de sorore cet ɔ: De Pomponia cum marito dissentiente, ut saepe antea. cf. V. 1, 3 sq.

nam certe mederer np. si modo per tempora liceret eam rem suscipere.

§ 2. *de ratione nummaria* ɔ: de nummis, quos Q. tibi debet.

et in eo laboret ɔ: „et revera omnem operam dat, ut tibi satisfaciat." Orell.

si Lepta, si ceteri. Dura est omissio verbi: *non reddunt, quae debent.*

de nescio quis HS. XX. Illud *nescio quis* additur extenuandi causa, quasi diceret *de tam exigua pecuniae summa.*

curari. cf. ad I. 7.

lentum. In codice Poggiano *lentum* se legisse testatur Lagomarsinus ad Pogg. III. p. 264. idemque in scidis Wirz. inveniri notavit Schepsius. Ceteri dant formam deminutivam *lentulum.* De *lento* vid. ad I. 12, 1. Eundem vocat *restrictum* ɔ: parcum, cf. Fam. III. 8, 8 *natura semper ad largiendum ex alieno fui restrictior.* Off. II. 62. *In iis, qui se adiuvari volent, restricti esse nullo modo debemus.*

§ 3. *infestum* „promptum in aliorum iniurias". Gron.

hac iuventute ɔ: quum adolescentes vulgo tam corrupti sint. De hoc ablat. consequentiae e causali sexti casus vi explicando conf. quae scripsit Kritzius ad Sall. Cat. 11, 4. et Iug. 4, 7.

non sunt ab obsequio nostro. Cave putes participium addendum esse *orta, profecta* vel aliud eius generis. Ipsi praepositioni notionem originis inesse satis docent Brut. 62 *si ego me a M. Tullio esse dicerem.* Tusc. II. 7 *qui sunt ab ea disciplina.*

nam suas radices habent ɔ: ea vitia alte in animo adolescentis sita sunt, natura eum corrupit, non patris aut patrui culpa. Eadem

radices habent, quas tamen evellerem profecto, si liceret, sed ea tempora sunt, ut omnia mihi sint patienda. Ego meum facile teneo; nihil est enim eo tractabilius, cuius quidem misericordia languidiora adhuc consilia cepi, et, quo ille me certiorem vult esse, eo magis timeo, ne in eum exsistam crudelior. 4. Sed Antonius venit heri vesperi. Iam fortasse ad me veniet aut ne id quidem, quoniam scripsit, quid fieri vellet; sed scies continuo quid actum sit. Nos iam nihil nisi occulte. De pueris quid agam? parvone navigio committam? Quid mihi animi in navigando censes fore? recordor enim aestate cum illo Rhodiorum ἀφράκτῳ navigans quam fuerim sollicitus: quid duro tempore anni actuariola fore censes? O rem undique miseram! Trebatius erat mecum, vir plane et civis bonus: quae ille monstra, dii immortales! Etiamne Balbus in senatum venire cogitet? sed ei ipsi cras ad te litteras dabo. 5. Vettienum mihi amicum, ut scribis, ita puto esse; cum eo, quod ἀποτόμως ad me scripserat de nummis curandis, θυμικώτερον eram iocatus: id tu, si ille aliter acceperit ac debuit, lenies. MONETALI autem adscripsi, quod ille ad me PRO COS. Sed quoniam est homo et nos diligit, ipse quoque a nobis diligatur. Vale.

similitudine utitur Horatius Epist. I. 14, 4 *spinas animone ego fortius ac tu evellas agro.*

languidiora consilia cepi ɔ: in rep. mollior fui.

certiorem ɔ: constantiorem, minus dubium in consiliis capiendis, ut recte interpr. I. F. Gronovius in diatribe in Stat. p. 316, et in Lect. Tull. p. 14. Cf. ad VIII. 5, 1.

§ 4. *Sed A. venit heri vesperi.* Antonium venisse in ea loca, sed non venisse in Ciceronis Cumanum ex ep. 12, 1. 13, 2. 15, 3 manifestum est. Non audiendus igitur C. F. Mullerus, qui in Philol. XIX. 327 h. l. vel *non* inserendum, vel *nec* pro *sed* scribendum monuit.

cum illo ɔ: cum filio meo. Nisi forte scribendum *cum illis.* Nam e Cilicia decedens Cicerones pueros secum habuerat, ut constat e pluribus epistolis libri VI, et nunc cogitat de navigatione Rhodo Athenas. VI. 8, 4.

actuariola ɔ: parvo navigio, quod remis agitur. XVI. 3, 6.

Etiamne B. in senatum venire cogitet? Puto Ciceronem posuisse indicativum *cogitat,* ut fecit in his quaestionibus, quae admirationem et dolorem significant de eo, quod praeter opinionem accidit. cf. Rosc. Am. 32 *etiamne ad subsellia cum ferro atque telis venistis?* ibid. 97 *etiamne in tam perspicuis rebus coniectura capienda est?* ut scribendum ex emendatione Madvigii Op. Ac. pr. p. 184. Indignatur autem, quod Balbus homo Gaditanus, sed a Pompeio olim civitate Romana donatus, tantum apud Caesarem potest, ut in senatum legi cupiat. *In senatum venire* h. l. non est in curiam venire, ut in Catil. I. 1, 2, Fam. IV. 1, 1 et saepius, sed *in senatum legi,* in ordinem senatorium referri. Similiter ponitur in orat. p. Flacco, 42, ubi de Heraclide dicitur, eum Temni in senatum venire non potuisse: idem traditur de Nicomede: tum sequitur: Lysanias adeptus est ordinem senatorium.

ei ipsi ɔ: Trebatio, a quo plura audire poteris.

§ 5. Cf. ep. 5, 2 h. l. Vettienum Cicero appellarat *monetalem,* quod nummos certo die solvi iusserat. Cicero illo tempore nolebat *pro Consule* dici, sed *Imperator.* Vide inscriptiones epistolarum Pompeii (VIII. 11 A.), Balbi (VIII. 15 A), Caesaris (IX. 6 A. X. 8 B). Pro *ut scribis* in Scidis Wirz. vitiose exaratum est *ut scripsi.*

est homo. Cf. adnot. ad II. 2, 2.

XII a. (*A. U. C.* 705.)

1. Quidnam mihi futurum est aut quis me non solum infelicior, sed iam etiam turpior? Nominatim de me sibi imperatum dicit Antonius, nec me tamen ipse adhuc viderat, sed hoc Trebatio narravit. Quid agam nunc, cui nihil procedit caduntque ea, quae diligentissime sunt cogitata, teterrime? Ego enim Curionem nactus omnia me consecutum putabam: is de me ad Hortensium scripserat. Reginus erat totus noster; huic nihil suspicabamur cum hoc mari negotii fore. Quo me nunc vertam? undique custodior. 2. Sed satis lacrimis. † *Παραπλευτέον* igitur et occulte in aliquam onerariam corrependum, non committendum, ut etiam compacto prohibiti videamur. Sicilia petenda, quam si erimus nacti, maiora quaedam consequemur. Sit modo recte in Hispaniis! Quamquam de ipsa Sicilia utinam sit verum! sed adhuc nihil secundi. Concursus Siculorum ad Catonem dicitur factus, orasse, ut resisteret, omnia pollicitos; commotum illum dilectum habere coepisse. Non credo, utut est luculentus auctor; potuisse certe teneri

§ 1. *sibi imperatum* a Caesare, ne sineret Ciceronem discedere ex Italia. cf. ep. 10, 2.

Reginus. Orellio sine causa nomen suspectum erat. Memoratur C. Antistius Reginus, Caesaris legatus, de B. G. VI. 1 et VII. 83. Quid obstat, ne is cum Q. Hortensio (de quo cf. h. l. ep. 16, 5; 17, 1 et 3; 18, 1) mari infero fuerit praepositus? Certe superstes erat. Nam post Caesaris mortem a IIIviris proscriptus doloque uxoris servatus est. cf. Appian. de B. C. IV. 40.

huic nihil susp. Aliquando putabam scribendum esse *hinc* = ex hac causa, propterea. Nunc probo Manutii sententiam, pronomine *huic* indicari Antonium.

§ 2. *satis lacrimis* = satis datum lacrimis. Simile est in Orat. 215. *Animo istuc satis est, auribus non item.* Non opus est correctione Wesenbergii: *Sed satis de lacrimis,* quae locis ab eo laudatis IX. 19, 3. X. 4, 1. 14, 1 non plus munitur, quam id quod vulgo editur.

Παραπλευτέον, quod Victorius edidit, etsi proxime accedit ad litteras a Mommseno in Med. inventas ΠΑΡΑΟΤΛΕΤΤΕΟΝ, et plane in codd. Graevii scriptum erat, certe non magis a Cicerone scriptum est, quam πάρωρα vel παρ' ὥραν πλευστέον, quod Cobetus commendavit in Mnemos. N. S. VIII, p. 199. Navigandi enim mentio non potest praecedere verba, quae conscendere navem indicant. Requiritur adiectivum verbale, in quo insit notio clandestini abitus nec melius inveniri posse puto, quam quod Wölflinus in Philologi vol. XXX p. 115 proposuit et W. ab eo recepit παρακλεπτέον.

compacto ɔ: consilio cum Antonio inito, Belg. *volgens afspraak.* cf. de hoc vocabulo Casaub. ad Suet. Caes. 20 extr. Gron. ad Liv. V. 11, 7. Redit in orat. p. Scauro § 8, ubi e cod. rescripto legitur *compecto*.

maiora quaedam consequemur ɔ: ad Pompeium contendam.

Quamquam — verum. Nuntiabant Catonem eam tenere, Curionem inde prohiberi. *Sed adhuc nihil secundi* ɔ: sed vix credo verum esse; adeo omnia Pompeio adversa evenerunt.

orasse cet. De constructione monuit Madvigius Gramm. Lat. § 425 *d* interpr. meae.

dilectum, ut est in scidis Wirz. et passim in optimis Livii codd., ut monet Drak. ad XXXVII. 51, 7, non *delectum* veteres posuisse, ubi de militibus legendis agitur, videntur.

Non credo, utut est luculentus auctor ɔ: non credo, nec fidem habeo ei, qui hoc affirmavit, etsi bonus auctor est. Pro *ut*

illam provinciam scio. Ab Hispaniis autem iam audietur. 3. Hic nos C. Marcellum habemus, eadem vere cogitantem aut bene simulantem; quamquam ipsum non videram, sed ex familiarissimo eius audiebam. Tu, quaeso, si quid habebis novi: ego, si quid moliti erimus, ad te statim scribam. Quintum filium severius adhibebo: utinam proficere possim! Tu tamen eas epistolas, quibus asperius de eo scripsi, aliquando concerpito, ne quando quid emanet; ego item tuas. Servium exspecto, nec ab eo quicquam ὑγιές. Scies, quicquid erit.

scripsi *utut* ɔ: etiamsi. cf. XV. 26, 4 *utut erit.* Verr. L. I. 19, ubi Muretus pro *ut esset hoc iudicatum* scripsit *utut.*

§ 3. *Hic nos C. Marcellum habemus* cet ɔ: C. Marcellus in his locis vel in agro Liternino (ep. 13 § 2) est, qui item de Italia relinquenda cogitat, cogitare certe se simulat. Quum de eodem homine ep. 15, 2 scribit: *quem consulem fuisse paenitet,* apparet non dici eum C. Marcellum, qui hoc anno cum L. Lentulo consul erat, sed alterum qui anno prius cum L. Aemilio Paullo consulatum gesserat et quem secum esse scripsit Pompeius ante discessum ex Italia VIII. 12 A, 4.

eadem vere cogitantem cum W. recepi egregiam Madvigii A. C. II p. 238 emendationem. In Med. est *eadem e re c.*, in scidis Wirz. *ea de me recogitantem.*

Q. filium severius adhibebo. Emendationem Graevii *cohibebo* probarem, nisi obstaret locus ex epist. ad Q. fr. I. 1, 16, ubi Graeci *adhiberi liberaliter* dicuntur, et Verr. V. 70, ubi meliores libri Mss. dant: *ut is — quam liberalissime commodissimeque adhiberetur. Severe aliquem adhibere* est tractare severe vel obiurgare.

XII b. (*A. U. C.* 705.)

1. Sine dubio errasse nos confitendum est. »At semel? at una in re?" Immo omnia, quo diligentius cogitata, eo facta sunt imprudentius.

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ,

in reliquis modo ne ruamus. Iubes de profectione mea providere. Quid provideam? ita patent omnia, quae accidere possunt, ut, ea si vitem, sedendum sit cum dedecore et dolore; si negligam, periculum, ne in manus incidam perditorum. Sed vide quantis in miseriis simus: optandum interdum videtur, ut aliquam accipiamus ab istis quamvis acerbam iniuriam, ut tyranno in odio fuisse videamur. 2. Quodsi nobis is cursus, quem speraram, pateret, effecissem aliquid profecto, ut tu optas et hortaris, dignum nostra mora; sed mirificae sunt custodiae, et quidem ille ipse Curio suspectus. Quare vi aut clam agen-

§ 1. *Sine dubio errasse* cet. Ex Wielandii suspicione cum W. hinc novam epistolam incipere credo.

Iubes de profectione mea providere. Enim post *iubes* delevi cum margine Crat. et scidis Wirz. Post *mea* intercidisse videtur *me.*

dum est; etsi vi, † forte ne cum pestate: clam autem istis, in quo si quod σφάλμα, vides quam turpe sit. Trahimur, nec fugiendum, si quid violentius. 3. De Caelio, saepe mecum agito nec, si quid habuero tale, dimittam. Hispanias spero firmas esse. Massiliensium factum quum ipsum per se luculentum est, tum mihi argumento est recte esse in Hispaniis; minus enim auderent, si aliter esset, et scirent; nam et vicini et diligentes sunt. Odium autem recte animadvertis significatum (in) theatro. Legiones etiam has, quas in Italia assumpsit, alienissimas esse video; sed tamen nihil inimicius quam sibi ipse. Illud recte times, ne ruat: si desperarit, certe ruet; quo magis efficiendum aliquid est, fortuna velim meliore, animo Caeliano. Sed primum quidque, quod, qualecunque erit, continuo scies. 4. Nos iuveni, ut rogas, suppeditabimus, et Peloponnesum ipsam sustinebimus: est enim indoles; modo aliquid hoc sit ἦθος † *ΑΚΙΜΟΛΟΝ:* quod si

§ 2. *Vi aut clam agendum est.* Cave putes vim parum convenire Ciceroni; quippe illo tempore Caelianum aliquid i. e. violentum facinus cogitabat. cf. § seq. In iis, quae sequuntur, utrumque consilium considerat (*si vi — clam*), sed verba non integra sunt. Dubitanter olim conieci: *Quare vi aut clam agendum est; etsi vim horreo, nedum tempestatem; clam autem victi est.* Madvigius A. C. III p. 186 e litterarum vestigiis hoc eruit: *etsi vis fortunae est in potestate: clam autem istis?* Postremis verbis *clam autem istis* Orellius interrogandi signum apposuit, eaque explicuit: „Quomodo autem effugere potero clam istis, qui me tam sedulo asservant?" Handius in Turs. II p. 741 hoc non necessarium vocavit; sed neuter attendisse videtur ad insolitam constructionem *clam istis,* quum tamen Handius in eodem volum. p. 91 docuisset *clam* apud Ciceronem nunquam cum nomine coniungi, semper esse adverbium. Cf. Draegeri Synt. § 304.

in quo cet. ɔ: si clam profectus in manus adversariorum incidam, vides quam turpe sit. Malaspina *sit* pro *est.* I. F. Gronovius in eo latere putabat *sed.*

§ 3. *De Caelio.* cf. ep. 14 extr. 15, 2. 16, 4. Nullam auctoritatem citans Corradus scripsit C. Caelium Caldum consularem, quo Sullae tyrannidem impediret, in Italia bellum excitasse, idemque consilium adversus Caesarem Ciceroni dedisse Atticum. Quale fuerit hoc Caelianum et ad quem Caelium sit referendum ignorare se fatetur Orellius Onon. Tull. p. 111. Corradus tamen illud non finxit, sed desumpsit e Plutarchi Pomp. c. 7, qui narrat Sullano tempore adversus Pompeium tres duces surrexisse, Carinnam, Caelium, Brutum; sed rem male cecidisse.

et scirent. Perperam Handius in Turs. I. p. 268 expl. „et si aliter esse scirent." Immo est: „Et scirent, si aliter esset."

in theatro. Praep. *in* addidi, quod probarunt B.W.K 2. Verba accipienda de sibilis vel frigido plausu, quo populus in theatro Caesaris amicos exceperit.

§ 4. *Nos iuveni* (ɔ: Q. filio) *suppeditabimus.* cf. XIV. 20, 3 *quod Ciceroni suppeditas, gratum* et observa usum verbi absolutum. Hic cogitandum de admonitionibus et stimulis ad virtutem.

Peloponnesum ipsam sustinebimus. cff. quae adnotavimus ad ep. 5, 2 h. l.

est enim indoles. Indoles in adolescente est significatio quaedam futurae virtutis, ut Forcellinus explicat. cf. Gr. φύσις, Belg. *aanleg.* Sic de Octaviano ad Brutum I. 18 scribit Cicero: *Videtur enim in eo esse indoles, sed flexibilis aetas* et de Sulpicio de Or. II. 89 *vidi statim indolem.* Audacius W. ex eo quod in Med. invenitur *indolens* coniecit h. l. scribendum esse *indoles excellens.* In iis, quae sequuntur, *aliquid* pro adverbio poni, ut sit *aliquo modo,* Orellius monuit. Graeca in codd. ut solet misere depravata varie temptata sunt. Ipse olim conieci ἀνακαμ-

adhuc nullum est, esse tamen potest, aut ἀρετὴ non est διδακτόν, quod mihi persuaderi non potest.

πτέον, *flexibile,* Cobetus in Mnemosynes N. S. VIII. p. 199 ἀκίβδηλον, sincerum, candidum. Minime a ductibus Medicei recedit bonamque sententiam praebet vocabulum a Mueckio excogitatum ἀγχίμολον, quo usus est Homerus in Iliados IV. 529 et XXIV. 352, Od. XVII. 336. Indicat *propinquum.* Itaque: *modo aliquid in hoc sit* ἦθος ἀγχίμολον diceretur pro: modo aliquatenus hic sit moribus non alienis, non aversus a suis; quod egregie quadrat in Q. filium, quem Cicero in ep. 10, 6 *aversum a suis* et ep. 11, 3 *non amantem suorum* appellavit.

aut ἀρετὴ *non est* διδακτόν. De hac quaestione multa disputarunt philosophi Graeci. Saepius eam tetigit Plato, maxime in Menone, in cuius libri exordio ponitur quaestio ἆρα διδακτὸν ἡ ἀρετή;

XIII. (*A. U. C.* 705.)

1. Epistola tua gratissima fuit meae Tulliae, et mehercule mihi: semper † secum aliquam afferunt tuae litterae. Scribes igitur ac, si quid ad spem poteris, ne dimiseris. Tu Antonii leones pertimescas cave: nihil est illo homine iucundius. Attende πρᾶξιν πολιτικοῦ: evocavit litteris e municipiis decem primos et quatuorviros, venerunt ad villam eius mane; primum dormiit ad H. III., deinde, quum esset nuntiatum venisse Neapolitanos et Cumanos, — his enim est Caesar iratus — postridie redire iussit: lavari se velle et περί κοιλιολυσίαν γίνεσθαι. Hoc here effecit; hodie autem in Aenariam transire con-

§ 1. *semper † secum aliquam afferunt tuae litterae.* Orellius scribens *aliqua* vitium quaesivit, ubi non esset. Nam primum *aliquid* v. *aliqua afferre* exigua laus litterarum; tum *secum afferre* dici non solet. *Secum* corrigendum, et pro eo *speculam* legendum puto. cf. Fam. II 16, 5 *in miseriis hac tamen delectabar specula.* Quae sequuntur *si quid ad spem poteris* hoc non excludunt. Litterae saepe exiguam spem ostendebant; Cicero plus rogat. Aliam emendationem mihi indicavit D. Vitriolius, sic scribens: *semper enim allevationem* (ut Fam. IX. I, 1) *afferunt tuae litterae.*

Tu Antonii leones pertimescas cave. Explicant vulgo ex eo, quod Plinius H. N. VIII. 55 et Plut. in Ant. 9 Antonium narrant vectum esse curru leonibus iuncto. Sed illud factum diserte refertur ad tempus, quum iam dimicatum erat in Pharsalicis campis. cff. intt. ad Cic. Phil. II. 58, ubi Victorius male *rhedae cum lenonibus* voluit substituere *rhedam iunctam leonibus.* Ex hoc autem loco efficio Antonium iam ante aluisse leones, idque nonnullis visum fuisse ferocitatis indicium.

iucundius. Ei respondet nostrum *aardig, ioviaal.* Ceterum haec et quae sequuntur ironice dicta esse neminem, opinor, latet.

decem primos. Hi alibi quoque nominantur, ut p. Rosc. Amer. 25. Verr. II. 162, Liv. XXIX. 15 unde apparet non fuisse magistratus, sed ex ordine decurionum principes. *Quatuorviri* erant magistratus in municipiis, qui memorantur p. Cluent. 8 et in inscript. ep. 76. XIII ad Fam.

dormiit ad horam III, quod turpe erat cuilibet, sed maxime viro πολιτικῷ.

περὶ κοιλιολυσίαν γίνεσθαι vel ἔχειν, occupari in alvo solvenda.

here. Quum in hoc vocabulo, teste Quinctiliano I. 4, 9 sonus neque *e* plane neque *i* audiretur, utraque forma veteres usi sunt, ut in *vespere* et *vesperi, tempore* et *tempori.* Apud Ciceronem antiquior forma *heri* praevalet. cf. Hand. in Turs. III. p. 62 sq.

Aenaria est insula Campaniae opposita,

stituit, ut exulibus reditum polliceretur. Sed haec omittamus, de nobis aliquid agamus. 2. A Q. Axio accepi litteras. De Tirone gratum. Vettienum diligo. Vestorio reddidi. Servius pridie Nonas Maias Minturnis mansisse dicitur, hodie in Liternino mansurus apud C. Marcellum: cras igitur nos mature videbit mihique dabit argumentum ad te epistolae; iam enim non reperio, quod tibi scribam. Illud admiror, quod Antonius ad me ne nuntium quidem, quum praesertim me valde observarit; videlicet aut aliquid atrocius de me imperatum est, (aut) coram negare mihi non vult, quod ego nec rogaturus eram nec, si impetrassem, crediturus. Nos tamen aliquid excogitabimus. 3. Tu, quaeso, si quid in Hispaniis; iam enim poterit audiri, et omnes ita exspectant, ut, si recte fuerit, nihil negotii futurum putent, ego autem nec retentis iis confectam rem puto neque amissis desperatam. Silium et Ocellam et ceteros credo retardatos; te quoque a Curtio impediri video, etsi, ut opinor, habes † *EKITAONON.*

quae alio nomine Pithecusa appellatur, hodie *Ischia*,

exulibus ɔ: lege Pompeia de ambitu damnatis. cf. IX. 14, 2. *ut — polliceretur* scripsi cum L.W., quoniam Med. a prima manu et scidae Wirz. coniunctivum praebent. Vulgo editur: *exulibus reditum pollicetur.*

§ 2. *A Q. Axio.* cf. ep. 11, 2. Praenomen restituit Buechelerus l. c. p. 535. Vulgo *Ab Axio* editur. In Med. est *a Daxio.* — *Vettienum diligo* ɔ: multum amo, de eo contentus sum. cf. h. l. 15, extr. Quid *Vestorio* reddiderit, ignoramus. Credo tamen *nummos.*

observarit. „Fort. *asservarit.* cf. ep. 16, 2 et 18, 1." Orell. Male. *observare* est colere, officia alicui praestare.

videlicet, aut — imperatum est, (aut) coram n. non vult. Alterum *aut* Schuetzius addidit, quod plane necessarium est, ut aequalis sit oppositio. Saepe hanc particulam altero loco omiserunt librarii: hic corrector cod. Med. etiam priore loco expunxit. Aliter haec expl. Orellius, sed vereor ut recte. Facilius ei concedam inter *me imperatum* excidisse *ei.* cf. ep. 12, 1. *de me sibi imperatum dicit Antonius.* Caet. cf. ep. 15 h. l., 3.

§ 3. *retardatos* „interceptos custodiis Caesarianis, ut exire non possint." I. F. Gronovius.

habes † EKITAONON. Reieci Bosianum *κέλητα ὄκνον*, quod nititur falsa interpretatione voc. *diplomatis* in ep. 17, 4, ut ad eum locum ostendam. Sed concedamus, ibi agi de facultate utendi cursu publico, quomodo potuit Atticus suspicari illud ius significari appellatione *equi impigri?* Fuerit sane Atticus magna sagacitate, non tamen erat Oedipus. Aliud igitur eruendum e corruptela codicis, velut *ἔκπλουν*, quod Baiterus excogitavit, vel, si duae ultimae litterae *ου* adiectivi terminationem servant, *ἔκπλουν ἀκώλουτον*, ut coniecit Muecke l. l. p. 7 propter praecedens *impediri.* Quomodo Curtius impediverit Atticum, non solvendo pecuniam ei debitam, an alio modo, non liquet.

XIV. (*A. U. C.* 705.)

1. O vitam miseram maiusque malum tam diu timere, quam est illud ipsum, quod timetur! Servius, ut antea scripsi, quum venisset Nonis Maiis, postridie ad me mane venit: ne diutius te teneam, nullius consilii exitum invenimus. Nunquam vidi hominem perturbatiorem

metu, neque hercule quicquam timebat, quod non esset timendum, illum sibi iratum, hunc non amicum, horribilem utriusque victoriam, quum propter alterius crudelitatem, alterius audaciam, tum propter utriusque difficultatem pecuniariam, quae erui nusquam nisi ex privatorum bonis possent. Atque haec ita multis cum lacrimis loquebatur, ut ego mirarer eas tam diuturna miseria non exaruisse. Mihi quidem etiam lippitudo haec, propter quam non ipse ad te scribo, sine ulla lacrima est, sed saepius odiosa est propter vigilias. 2. Quamobrem quicquid habes ad consolandum collige et illa scribe, non ex doctrina neque ex libris — nam id quidem domi est, sed nescio quomodo imbecillior est medicina quam morbus —: haec potius conquire, de Hispaniis, de Massilia, quae quidem satis bella Servius affert, qui etiam de duabus legionibus luculentos auctores esse dicebat; haec igitur si habebis et talia, et quidem paucis diebus aliquid audiri necesse est. 3. Sed redeo ad Servium. Distulimus omnino sermonem in posterum, sed (erat) tardus ad exeundum: »multo se in suo lectulo malle, quicquid foret,'' odiosus scrupulus de filii militia Brundisina, unum illud firmissime asseverabat, si damnati restituerentur, in exilium se iturum. Nos autem ad haec, et id ipsum certo fore, et, quae iam

§ 1. *postridie ad me mane venit.* Lambinus post *me* addidit *mane* e codice Z, ut videtur. Quoniam in scidis Wirz. idem legitur, recepi.

ne diutius te teneam. Quod Rosc. Am. 20, Verr. Act. II. I. 34 scribitur *Ne diutius teneam* omisso *vos*, non est argumento *te* h. l. esse delendum, ut nonnemini visum est. Obiectum additur Fam. VI. 16, 3: *Non tenebo te pluribus.*

quae erui — possent scripsi cum I. F. Gronovio. In libris Mss. ex ERVI factum est FRVI; deinde casus pronominis mutatus ita videtur, ut huic verbo conveniret. Nam *erui aliqua re* dici posse pro *liberari aliqua re* temere affirmant post Bosium, scribuntque *qua erui. Erui* usitate ponitur pro *extrahi* recteque dicitur de pecuniis, non de difficultate pecuniaria. Ideo Gronovius *posset* mutavit in *possent.* Difficultas levatur, tollitur, exuitur, non eruitur.

lippitudo — sine ulla lacrima. Laborabat igitur lippitudine, quae dicitur *arida* vel *sicca*, Gr. ξηροφθαλμία, de qua agit Celsus VI. 6, 29. Plin. H. N. XXVIII. 169. Quae sequuntur sic scribenda putabam *est saepius odiosa propter vigilias*, nunc video Madvigium A. C. III p. 186 corrigere: *et per se odiosa est (et) propter vigilias.*

propter vigilias. Apud Celsum quoque legimus VI. 6, 1 lippos nonnunquam nocturna vigilia urgeri.

§ 2. *id q. domi est* ɔ: ipse habeo, ut non opus sit ab aliis sumere. *Domi sunt, domi habeo, domi meae nascuntur* notissimae sunt hac in re locutiones.

de duabus legionibus. cf. ep. 12 b., 3 *Legiones etiam has, quas in Italia assumpsit* (Caesar), *alienissimas esse video.*"

§ 3. *sed tardus ad exeundum.* In Med. verbum deest. Lambinus correxit *tardus est.* Wesenb. melius *erat tardus*, cui respondent imperfecta *asseverabat, colligebamus, augebant.* Idem correxit *fierent*, pro quo in codice est *fiebant.* Male Ern. *fiant.*

de filii militia Brundisina. cf. IX. 18, 2 et 19, 2.

et id ipsum certo fore. Codd. habent *et ipsum*, quod defensores invenit. Sed merito negavit Madvigius *ipse* a Cicerone positum esse pro *is ipse*, quum significetur in aliqua re id, quod dicatur, inveniri. vid. ad Fin. p. 298 sq. Cum Lambino scripsi *et id ipsum.*

fierent, non esse leviora, multaque colligebamus; verum ea non animum eius augebant, sed timorem, ut iam celandus magis de nostro consilio quam ad idem * * videretur. Quare in hoc non multum est; nos a te admoniti de Caelio cogitabimus.

*quam ad idem * * videretur.* „Excidit *excitandus, invitandus, cohortandus* vel simile quid." Or. „*ad id adhibendus*" Madv. *De Caelio.* cf. ad ep. 12, 6.

XV. (*A. U. C.* 705.)

1. Servius quum esset apud me, Cephalio cum tuis litteris VI. Idus venit, quae nobis magnam spem attulerunt meliorum rerum de octo cohortibus — etenim eae quoque, quae in his locis sunt, labare dicuntur —: eodem die Funisulanus a te attulit litteras, in quibus erat confirmatius idem illud. Ei de suo negotio respondi cumulate cum omni tua gratia. Adhuc non satisfaciebat; debet autem mihi multos nummos, nec habetur locuples: nunc ait se daturum, cui expensum tulerit, morari, tabellariis, si apud te esset, qua satis fecisset, dares. Quantum sit Eros Philotimi tibi dicet. 2. Sed ad maiora redeamus. Quod optas, Caelianum illud maturescit; itaque torqueor, utrum ventum exspectem: vexillo opus est; convolabunt. Quod suades, ut palam, prorsus assentior itaque me profecturum puto; tuas tamen interim litteras exspecto. Servii consilio nihil expeditur: omnes cap-

§ 1. *quae nobis magnam spem attulerunt meliorum rerum de octo cohortibus.* ɔ: quae nobis spem attulerunt fore ut octo cohortes a Caesare deficerent. *Labare* est dictum pro inclinare ad Pompeium.

cum omni tua gratia ɔ: ita ut simul gratiae tuae rationem haberem. Usum praepositionis in indicandis rebus arctissime cohaerentibus illustravit Matthiae ad orat. p. Mur. 2. cf. Hand. in Turs. II. p. 153 sq.

nunc ait se daturum — dares. Verba sic fere constituit Manutius. Ea tolerabilem efficiunt sententiam, quam post Graevium ita explicavit Orellius: „Nunc Funisulanus ait se nummos daturum, sed eum, qui sibi debeat, non solvere; scripsisse tamen, ut is tibi solveret; quatenus is solvisset, si tu ea pecunia carere posses, tabellariis dares ad me perferendam." Verba tamen *qua satisfecisset* mendosa videntur. Intelligo, si sic corriguntur: *quod satis esset.*

§ 2. *Caelianum illud maturescit* ɔ: occasio tumultus faciendi contra Caesarianos in dies maior fit. cf. ep 12 b, 3 h. l.

torqueor, utrum ventum exspectem. Omisit alterum membrum: an Caelianum illud agam. Nam *utrum* non ponitur nisi in quaestione disiunctiva. Similis breviloquentiae exempla afferuntur e Verr. II. 167. Flacc. 45. Phil. VIII. 7. cf. infra XIII. 38, 2.

vexillo opus est, convolabunt ɔ: dux deest Pompeianis; quem si me ostendero, undique ad signum concurrent.

Ut palam. Saepe in superioribus litteris declaravit se clam abire velle. Nunc amici monitu se ducem esse velle affirmat. Quod Gronovio in mentem venit *palam* esse acc. nominis et respici ad narrationem de Gyge, qui pala anuli ad manum conversa se non videndum reddebat, nimis quaesitum est. Cicero saltem addidisset Gygis nomen, si illud voluisset.

tiones in omni sententia occurrunt. Unum C. Marcellum cognovi timidiorem, quem consulem fuisse paenitet: ὢ πολλῆς ἀγεννείας! qui etiam Antonium confirmasse dicitur, ut me impediret, quo ipse, credo, honestius. 3. Antonius autem VI. Id. Capuam profectus est; ad me misit, se pudore deterritum ad me non venisse, quod me sibi suscensere putaret. Ibitur igitur, et ita quidem, ut censes, nisi cuius gravioris personae suscipiendae spes erit ante oblata; sed vix erit tam cito. Alienus autem praetor putabat aliquem, si ego non, ex collegis suis: quivis licet, dummodo aliquis. 4. De sorore, laudo. De Quinto puero, datur opera: spero esse meliora. De Quinto fratre, scito eum non mediocriter laborare de versura, sed adhuc nihil a L. Egnatio expressit. Axius de XIII. milibus pudens! saepe enim ad (me) scripsit, ut Gallio, quantum is vellet, darem: quodsi non scripsisset, possemne aliter? et quidem saepe sum pollicitus, sed tantum voluit cito; me vero adiuvarent his in angustiis. Sed dii istos! Verum alias. Te a quartana liberatum gaudeo itemque Piliam. Ego, dum panis et cetera in navem parantur, excurro in Pompeianum. Vettieno velim gratias,

captiones. Utitur vocabulo a Servii arte petito dicitque rem non posse expediri.

C. Marcellum. cf. ad ep. 12 a, 3.

quo ipse — honestius sc. remaneret.

§ 3. *Alienus — putabat — aliquem — ex collegis suis* sc. missum iri ad Caesarem de pace legatum. *Alieni* nomen simplici *l* scripsi ex auctoritate libri Med. et Wirz. cf. Zumpt. ad Divin. in Caec. 48 et Garat. ad Phil. XI. 30.

§ 4. *de versura* ɔ: de pecunia tibi solvenda per alium. Codd. male *de usura.*

Axius de XIII milibus pudens. In Mss. est XII, sed numerum correxi ex ep. 11, 2. Ironice Axium dicit pudentem, qui non solum non reddebat hoc tempore eam summam, sed plus postulabat quam Gallius.

possemne aliter? Quam Gallio pecuniam mutuam dare, propter amicitiam, quae mihi cum eo est. Sermo videtur esse de illo homine, qui memoratur XI. 20, 2.

Te a quartana liberatum gaudeo. Raro *liberare* cum praep. construitur. In Timaeo Ciceronis c. 6: *Itaque eum ab omni erratione liberavit.* p. Marc. 13 *a scelere liberati sumus* olim edebant, nunc auctoritate meliorum librorum *a* delent.

dum panis et cetera in navem parantur. Libri scripti et editi dant *panes.* Ego correxi. Nam ubi indefinite sermo est de pane tam veteres semper usi sunt singulari numero, quam recentiores utuntur. Vid. Cic. Pis. 67. Corn. Them. 10. Sall. Iug. 44 et 45 et cogita votum populi Ro. *panem et circenses* optantis. De verbis *in navem parantur* haec Peerlkampius me monuit: „Corr. *in navigationem.* Ep. seq. 4: *dum, quae ad navigandum opus essent, pararentur. In navem* aliud significat. Lucan. I. 306 *in classem cadit omne nemus.* Manilius — *silicem in muros.* cf. Gronov. ad Tac Ann. II. 16 extr. Navis ipsa erat parata. Nil deerat, nisi panes et quae ad usus navigantium opus essent." Peerlkampii dubitatio non tollitur eo, quod Wexius in Proleg. ad Taciti Agricolam p. 86 *navi* pro *navigatione* dici affirmat. Nam in locis ibi laudatis navi nihil aliud est quam navigio, nostrum *te scheep.* Deterioris aevi scriptores navigium pro navigatione usurpasse docuerunt I. F. Gronovius in Observ. eccles. c. 23 in. et A. G. Zumptius ad Rutil. Namat. I. 541.

quod studiosus est. Addendum puto *mei.* Tum mutavi distinctionem praeeunte C. F. Muellero in coni. Tull. p. 10, ut appareret coniunctivum *des* pendere a *velim.*

quod studiosus est: si quemquam nanctus eris, qui perferat, litteras des antequam discedimus.

XVI. (*A. U. C.* 705.)

1. Commodum ad te dederam litteras de pluribus rebus, quum apud me bene mane Dionysius fuit; cui quidem ego non modo placabilem me praebuissem, sed totum remisissem, si venisset, qua mente tu ad me scripseras: erat enim sic in tuis litteris, quas Arpini acceperam, eum venturum facturumque, quod ego vellem; ego volebam autem vel cupiebam potius esse eum nobiscum; quod quia plane, quum in Formianum venisset, praeciderat, asperius ad te de eo scribere solebam. At ille perpauca locutus hanc summam habuit orationis, ut sibi ignoscerem, se rebus suis impeditum nobiscum ire non posse. Pauca respondi, magnum accepi dolorem, intellexi fortunam ab eo nostram despectam esse; quid quaeris? — fortasse miraberis — in maximis horum temporum doloribus hunc mihi scito esse. Velim ut tibi amicus sit: hoc quum tibi opto, opto ut beatus sis; erit enim tamdiu. 2. Consilium nostrum spero vacuum periculo fore; nam et dissimulavimus et, ut opinor, (non) acerrime asservabimur. Navigatio modo sit, qualem opto, cetera, quae quidem consilio provideri poterunt, cavebuntur. Tu, dum adsumus, non modo quae scieris audierisve, sed etiam quae futura providebis, scribas velim. 3. Cato, qui Siciliam tenere nullo negotio potuit, et, si tenuisset, omnes boni ad eum se

§ 1. *Apud me.* In libris Mss. *ad me.* Sed cf. ad ep. 4, 8.

erat — sic in tuis litteris pro *scriptum erat in t. l.* saepius in epistolis legimus, ut XI. 7, 2. XV. 14, 1.

Velim ut tibi amicus sit. Aliquotiens Ciceronem scripsisse *velim* et *vellem ut* ostendit Madv. ad Fin. III. 10.

§ 2. *nam — asservabimur.* Verba in Med. mendose scripta Orellius pro parte emendavit, pro *asservabimus* futurum passivi reponens. Correctionem perfecit Madvigius A. C. III p. 186 monens post *opinor* excidisse *non*. Si Cicero acerrime asservaretur, consilium exeundi ex Italia non fuisset sine periculo. Verbum *asservari* eadem vi legitur in ep. 18, 1 *custodiae, quibus asservor* et Verr. A. S. V. 77 *privatis custodiis asservabitur*. Perfectum *dissimulavimus* a plerisque editt. repudiatur, qui cum Pio futurum eius loco ponunt. Perperam. Cicero dissimulaverat, occultaverat suum consilium, et sperabat eo ipso fore, ut non acerrime custodiretur.

dum adsumus. Cicero non aderat, sed iam profectus erat in Pompeianum. Ergo scribendum: *dum absumus*, ut coniecit P. Starker.

§ 3. *Cato, qui — potuit et — ad eum se cont.* Transitus a pronomine relativo ad demonstrativum frequens est apud scriptores utriusque sermonis. De Graecis vid Matth. Gramm. Gr. § 472, 3; de Romanis Kritz. ad Sall. Iug. 101, 5, qui tamen aliena exempla immiscuit, ut docuit Madvigius in Opusc. Acad. II. p, 178. Iahn. ad Cic. Brut. 258, Peerlkamp. ad Georg. I. 203 in Mnemos. Leidensi X. p. 128.

nullo negotio ɔ: sine ullo labore, facillime. cf. p. Cael. 22: *voluntas testium facillime fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri potest.* Corn. Ages. 5 *sine negotio — nos oppriment.*

contulissent, Syracusis profectus est ante diem VIII. Kal. Mai., ut ad me Curio scripsit. Utinam, quod aiunt, Cotta Sardiniam teneat! Est enim rumor: o, si id fuerit, turpem Catonem! 4. Ego ut minuerem suspicionem profectionis aut cogitationis meae, profectus sum in Pompeianum a. d. IIII. Id., ut ibi essem, dum, quae ad navigandum opus essent, pararentur. Quum ad villam venissem, ventum est ad me: »centuriones trium cohortium, quae Pompeiis sunt, me velle postridie convenire" — haec mecum Ninnius noster: velle eos mihi se et oppidum tradere. At ego tibi postridie † ad villam ante lucem, ut me omnino illi ne viderent. Quid enim erat in tribus cohortibus? quid, si plures? quo apparatu? Cogitavi eadem illa Caeliana, quae legi in epistola tua, quam accepi, simul et in Cumanum veni, eodem die, † et simul fieri poterat, ut temptaremur: omnem igitur suspicionem sustuli. 5. Sed dum redeo, Hortensius venerat et ad Terentiam salutatum devertèrat; sermone erat usus honorifico erga me: iam eum, ut puto, videbo; misit enim puerum se ad me venire, hoc quidem

Utinam — Cotta Sardiniam teneat. Non tenuit. cf. Caes. B. C. I. 30.

§ 4. *ventum est ad me* ɔ: mihi nuntiatum est. Quod nuntiatum est, continetur verbis: *centuriones — postridie,* sed male editores verba ita distinguunt, quasi etiam verba: *velle — tradere* eodem nuntio Ciceroni tradita sint. Immo Ninnius (qui nominatur supra III. 23, 4 et in Sestiana 68) hoc consilium esse centurionum Ciceroni declaravit.

me velle postridie convenire. Ultimum voc. deest in Med. nec ad sententiam requiritur. Nam in sermone familiari utebantur formula *te volo,* qui aliquem compellare volebant, ut e comicis novimus. Sed quum nitatur codd. ZC ɔ: optima auctoritate, cum W.K2 *convenire* prius a me expunctum restitui.

† *ad villam.* Sic codd. noti. Editores plerique correxerunt *a villa.* Orellius malebat *Atellam,* quo omnino venturus non erat Pompeiis in Cumanum proficiscens. Paene certum habeo in archetypo fuisse *abii clam.*

quid, si plures? quo apparatu? Fuitne: *quodsi plures, quò apparatu?* ɔ: quodsi ad eas tres cohortes plures aliae se adiungerent, unde pecuniam aliaque ad bellum necessaria haberem?

Cogitavi eadem illa Caeliana. Cur addit *eadem,* et num omnino addere potuit, ubi loquitur de re nota (*illa C.* ut ep. sup *Caelianum illud*)? Non credo. Scripsit, opinor: *Cogitavi equidem illa C.* Pro *simul,et* sine dubio scribendum *simul ut,* vel solum *simul.* cff. quae monui ad h. l. 4, 12. Postrema Peerlk. sic emendabat: *Et simulari poterat, ut temptaremur.* Aut sic scribendum est, aut *simul* deleto: *sed fieri poterat, ut temptaremur.*

ut temptaremur. „Ut commentum hoc esset Caesarianorum, centurionibus astute missis ad temptandum animum meum." Man.

omnem igitur suspicionem sustuli „ɔ: itaque sic egi, ut neminem putem suspicari quid cogitem." Gron.

§ 5. *Sed dum redeo, Hortensius venerat.* Ita Lambinus in marg. edit. sec. correxit *cum* v. *quum,* quod alii retinent. Atqui manifestum est Ciceronem scribere Hortensium venisse, quum ipse nondum redisset, sed occupatus esset in redeundo. Itaque dicere debuit: *dum redeo, H. venerat,* quemadmodum scripsit Verr. V. 91 *haec dum aguntur, interea Cleomenes — pervenerat.* cff. alia exempla in Handii Turs. II. p. 308. *Quum* recte poneretur cum indicativo praesentis, si sententia per hanc particulam adiecta modum et formam rei actae significaret; quod illustravit Madvigius, Op. Ac. II. p. 8.

iam eum — videbo. Iam ɔ: brevi, debetur Wesenbergio. Med. 1 *erga metam eum* Med. 2 *me tum eum.* Vulgo *tamen eum,* quod vix potest explicari.

melius quam collega noster Antonius, cuius inter lictores lectica mima portatur. 6. Tu, quoniam quartana cares et ** novum morbum removisti sed etiam gravedinem, te vegetum nobis in Graecia siste et litterarum aliquid interea.

collega noster A. sc. in auguratu, cf. supra IX. 9, 3. et lib. VIII de B. G. c. 50.

cuius inter lictores lectica mima portatur. Si haec verba ipsius Ciceronis sunt, non interpolatoris, ut mihi videntur, dicendum erit Antonii mentionem scribenti bilem movisse. Sed miror, si Hortensium cum laude Antonio opponere voluit, Ciceronem non potius scripsisse: *Hic quidem melior quam — Antonius.* Si Hortensium laudat tantum, quod ad se venturus erat, nulla causa erat cur Antonii turpes mores hic obiter tangeret.

§ 6. *et novum morbum removisti, sed etiam gravedinem.* Fluctuant h. l. libri scripti et editi inter *nedum* et *novum.* Illud inventum est in codd. Malaspinae et Memmianis; hoc in Med. a prima manu, Torn. teste Lambino, et in margine Crat. Illud tuentur Malaspina, Bosius, et recentiorum plurimi, ad Balbi exemplum provocantes, de quo dixi ad IX. 7 A. in. Quibus recte Lambinus opposuit locutionis insolentiam; vellem addidisset absurdam sententiam. Nam si Cicero Balbino more locutus est, *morbus* opponitur *gravedini,* ut in illo loco *homines humiles* opp. *viris amplissimis.* cf. Hand in Turs. II. p. 563 et IV. p. 154. Non melius res cessit iis, qui post Victorium *novum morbum* scripserunt, idque ad quartanam referunt. Nam Atticus iam plures menses laborabat quartana (vid. VII I, 1, 2, 2. 5, 1. 8, 2. VIII. 6, 3. IX. 4, 3. 8 extr. X. 9, 3. 15, 4); nuper accesserat δυςουρία, ut novimus ex ep. 10, 3. Quare in ep. seq. quartana dicitur *vetus morbus, novis* autem *temptationibus* designatur δυςουρία, quam nuper demum senserat. Hanc ob causam Lambinus in margine edit. sec. scripsit: *et non modo veterem morbum removisti, sed etiam gravedinem.* Recte addidit *non modo.* Nam quum *gravedo,* quae teste Celso de Medicina IV. 2, 4 „nares claudit, vocem obtundit, tussim siccam movet" multo lenior morbus sit, quam δυςουρία, hic *sed etiam* non praecedente *non modo* vel *non solum* probari non potest. Male scripsit *veterem.* Retineri debet *novum.*

te vegetum nobis — siste ɔ: exhibe te nobis, praesto sis nobis. cf. III. 25. Gellius N. A. XVIII. 10, 7 *sistas hunc nobis sanum atque validum.*

XVII. (*A. U. C.* 705.)

1. Pridie Idus Hortensius ad me venit scripta epistola: vellem † cetera eius, quam in me incredibilem ἐκτένειαν! qua quidem cogito uti. Deinde Serapion cum epistola tua, quam priusquam aperui, dixi

§ 1. *Prid. Idus* sc. Maias, ut e subscriptione apparet.

scripta epistola sc. ad te. Ea ipsa est, quae praecedit.

Vellem cetera eius. Admodum dure supplent: essent his similia, quae dixit. Verbum in *cetera eius* latere puto, quod regit sequentem accusativum velut: *vellem spectasses quam in me incredibilem — ἐκτένειαν* ɔ: prolixam benevolentiae significationem. Ita fere scripsi in ed. priore, necdum aliter de h. l. iudico lectis, quae Madvigius A. C. III p. 187 disputavit. Is negans verbis *scripta epistola* et *vellem cetera eius* sententiam inesse probabilem, et observans Hortensii benevolentiam erga Ciceronem laudari iis, quae sequuntur, *v* in *b* mutato scribendum censet: *scripta epistola belle ut cetera eius.* Sed non est verisimile, qui eodem die, quo haec scripta sunt, miserat puerum se ad Ciceronem venire (ep. 16, 5), ante adventum etiam scripsisse epistolam bellam, et dure post abl. *scripta epistola* sequitur nom. *cetera* sine verbo *sunt,* vel *bella sunt.*

priusquam aperui, dixi. „Vulgo omnes foedo mendo: *priusquam aperuissem, dixi;* quum aliquid simpliciter ante quam aliud factum esse dicitur, coniunctivus a Cicerone

ei te ad me de eo scripsisse antea, ut feceras; deinde epistola † scripta cumulatissime cetera. Et hercule hominem probo; nam et doctum et probum existimo: quin etiam navi eius me et ipso convectore usurum puto. 2. Crebro refricat lippitudo, non illa quidem perodiosa, sed tamen quae impediat scriptionem meam. Valetudinem tuam iam confirmatam esse et a vetere morbo et a novis temptationibus gaudeo. 3. Ocellam vellem haberemus; videntur enim esse haec paullo faciliora. Nunc quidem aequinoctium nos moratur, quod valde perturbatum erat: id si ἀκραὲς erit, utinam idem maneat! Hortensio quidem, ut adhuc erat, liberalius esse nihil potest. 4. De diplomate admiraris, quasi nescio cuius te flagitii insimularim; negas enim te reperire, qui mihi id in mentem venerit: ego autem, quia scripseras te profi-

eiusque aetatis scriptoribus nunquam ponitur (cf. Madv. Gr. lat. § 358 (385 interp. meae). Ego: *aperui* (cf. ibid. § 338 (mihi 363) b. adn. 5): aberravit librarius ad sq. *scripsisse*." Wesenberg, Em. alt. p. 123.

epistola † scripta. Sic. Med. ψ. Ball. Quod vulgo editur *lecta* debetur Manutii coniecturae certissimae. Librarius dormitans *scripta* e superioribus repetiit. Orellii coni. *scissa*, Klotzii *aperta* mentem Ciceronis non reddunt.

et hercule — existimo. Haec, quae totidem litteris in M. scripta exstant, non debuerant a Klotzio sollicitari. Is e margine M. arripuit *bonum* pro *probonam*, quae in codice continuatis litteris scripta sunt. Fac Ciceronem *bonum* et *probum* voluisse cumulare, certe iis non interposuisset diversi generis laudem, quae adiectivo *doctum* continetur.

navi eius ɔ: navi, quae Serapionem huc vexit. Videtur autem hic Serapio fuisse servus litteratus Attici, quem Cicero in Dionysii locum filii educationi praeponere cogitabat.

§ 2. *refricat lippitudo* ɔ: me rursus infestat. Usum verbi intransitivum nullo exemplo munire possum, nec potuit Ellendt ad Cic. de Orat. V. II. p. 265 *refricandi* verbum illustrans; sed licet audire *me*. Aut cum Corrado scribendum *refricatur* ɔ: recrudescit.

§ 3. *videntur — faciliora.* Non male Or. coniecit: *viderentur*, sc. si Ocellam haberemus.

aequinoctium. Aequinoctium vernum, quod nunc incidit in a. d. VIII Kal. Aprilis, ut apparet ex subscriptione huius epistolae, illo anno fuit a. d. XVIII Kal. Iunias. Cf. disp. G. F. Korbii in Orellii Onom. Tull. P. I. p. 139.

id si ἀκραὲς erit, utinam idem maneat! Hortensio quidem, ut adhuc erat, liberalius esse nihil potest. Ita haec a me emendata explico: Si tempus circa aequinoctium tranquillum erit, velim tranquillum maneat, ut ego ex Italia discedere possim. Hortensius certe discessum meum non impediet. Non tamen diffiteor etiam verba, ut vulgo leguntur, commodam praestare sententiam. Pro inepto *cras* Bosius dedit ἀκραές, quod Hesychius explicat οὔριον, *secundum.* Proprie est ventus, qui ἐπ' ἄκρᾳ τῇ θαλάσσῃ πνεῖ.

§ 4. *De diplomate.* cf. ep. 13 extr. Diplomata sunt tabulae publicae, quibus alicui aliquid conceditur. Varii generis diplomata apud antiquos scriptores memorantur, sed nulla frequentius quam ea, quibus *evectio* vel ius utendi cursu publico privatis hominibus dabatur. Haec sola nota fuisse videntur Bosio, quum ad ultima verba ep. 13 scriberet Atticum, ut tum putabat Cicero, obtinuisse diploma, quo ipsi liceret *cursu publico* ex Italia exire. Quod addit *cursu publico* falsum esse apparet e verbis Ciceronis: *etenim audieram nemini* ALITER *licere*: et omnino nullo satis certo argumento demonstrari potest ante Augustum cursum publicum in Italia vel extra eam fuisse institutum. Vere h. l. monuerat Manutius Ciceronem in ea opinione fuisse, Atticum a praefecto urbis sumpsisse diploma, quo ei exire liceret ex Italia; nisi quod *praefecto urbis*, qui eo tempore non creabatur nisi feriarum Latinarum causa, substituendum puto ipsum Caesarem, qui solus illam veniam

cisci cogitare, — etenim audieram nemini aliter licere — eo te habere censebam, et quia pueris diploma sumpseras. Habes causam opinionis meae, et tamen velim scire quid cogites imprimisque, si quid etiamnunc novi est. xvii. Kal. Iun.

dare potuit. cf. epist. Antonii h. l. 10, 2. — Caesarem iis quoque, quibus redire in urbem concessit, diplomata dedisse, docent ea, quae leguntur Fam. VI. 12, 3. cf. quoque Casaubonus ad Suet. Oct. 50. *De diplomate* non pendet ab *admiraris*, ub observavit Madv. ad Cic. Fin. p. 12, sed ponitur ea vi, de qua dixi ad I. 4, 2.

Quia pueris d. sumpseras. Orellius pro *pueris* malebat *prius*. Sed non erat, cur non acquiesceret in Med. scriptura germana, a correctore corrupta *quia a pueris*. Exitus enim illo tempore omnibus, igitur quoque Attici servis, sine diplomate praeclusi fuisse videntur.

XVIII. (*A. U. C.* 705.)

1. Tullia mea peperit xiiii. Kal. Iun. puerum ἑπταμηνιαῖον; quod ηὐτόκησεν, gaudebam; quod quidem est natum, perimbecillum est. Me mirificae tranquillitates adhuc tenuerunt atque maiori impedimento fuerunt quam custodiae, quibus asservor; nam illa † Hortensina omnia fuere infantia. ita fiet: homo nequissimus a Salvio liberto depravatus est. Itaque posthac non scribam ad te, quid facturus sim, sed quid

§ 1. ἑπταμηνιαῖον. Atticorum erat ἑπτάμηνον. Formae productae in αῖος et ιαῖος paulo diversam vim habebant, quae cernitur in δευτεραῖος, ἑβδομαῖος et similibus. Apud Lucianum in dial. D. IX. 2 memoratur quoque ἔμβρυον ἑπταμηνιαῖον. Cicero ob formam inusitatam vituperatur a Fritzschio in comm. ad Arist. Thesmoph. p. 268.

quod natum est. Sic solent neutro genere loqui de partu futuro vel recens edito. Exempla congessit Gronovius Lect. Plaut. p. 14 sq.

Tranquillitates. Plurali numero indicatur per plures dies mare ventis non fuisse agitatum. Plurima huius usus exempla e scriptoribus Latinis congessit C. G. Iacob, de usu num. plur. apud poetas Lat. p. 8; de Cicerone impr. conf. Ellendt de Orat. II. p. 378 seq.

maiori impedimento fuerunt. Sic scripsi cum Lambino et Orellio, idemque necessarium videbatur Wesenbergio Emend. p. 32. Reliqui editores e codd. receperunt *maiore*, ut esset ablativus qui dicitur qualitatis. cf. Kritz. ad Sall. Iug. 97, 3. Sed ea constructio h. l. admitti non potest, quum ex eo quod praecedit *me* necessario hic assumendum sit *mihi*. In altero loco, quem protulit Kritzius, ad Herenn. II. 16. *Nos vero arbitramur non modo nullo adiumento esse, sed potius maximo incommodo* ablativum defendere licet, quamvis incertum sit, an *nullo adiumento* non sit dativus, ut Cic. p. Mur. 26 scripsit *nullo usui.*

Nam illa Hortensina omnia fuere infantia. ita fiet. Verba dedi, ut leguntur in Mediceo, cuius unius libri auctoritate h. l. utimur. Mendis scatent. Statim *Hortensina* probari non potest. Nam a nominibus propriis in *ius* desinentibus quae formantur adiectiva omnia exeunt in *ianus.* Tum *omnia* friget post *illa Hortensiana. Fuere* est forma perfecti in Ciceronis scriptis suspecta. vid. ad IV. 8 *a*, 2, et A. G. Zumpt. ad oratt. de lege agr. p. 11. *Infantia* non solent dici, quae *puerilia* vel *inepta* appellanda sunt. *Ita fiet* plane ineptum est. Mitto aliorum coniecturas; Madvigius putabat se Ciceronis manum restituisse scribens: *nam illa Hortensiana omnia fuere inania fidei.* vid. A. C. III. p. 187. Mihi scribendum videtur: *nam illa Hortensiana omnino futura inania fidei video.* Cicero intelligit se deceptum iri confidentem Hortensii promissis, quum ille nebulo a liberto suo depravatus esset.

fecerim; omnes enim **Κωρυκαῖοι** videntur subauscultare, quae loquor. 2. Tu tamen, si quid de Hispaniis sive quid aliud, perge quaeso scribere, nec meas litteras exspectaris, nisi quum, quo opto, pervenerimus, aut si quid ex cursu; sed hoc quoque timide scribo; ita omnia tarda adhuc et spissa; ut [male] posuimus initia, sic cetera sequuntur. Formias nunc sequimur; eodem nos fortasse furiae persequentur. Ex Balbi autem sermone, quem tecum habuit, non probamus de Melita. Dubitas igitur, quin nos in hostium numero habeat? Scripsi equidem Balbo te ad me de benevolentia scripsisse et de suspicione: egi gratias de altero; (de altero) ei me purgavi. 3. Ecquem tu hominem infeliciorem? Non loquor plura, ne te quoque excruciem: ipse conficior venisse tempus, quum iam nec fortiter nec prudenter quicquam facere possim.

Κωρυκαῖοι. Corycaei, qui promunturium Ioniae, vel secundum alios Pamphyliae aut Ciliciae Corycum habitabant, piratis finitimis clam indicabant, quinam mercatores illuc venissent, quid veherent, quo cursum darent. cf. Strabo XIV. I. 32 et Zenob. cent. IV. 75 ibique Schneidewini adnot. et A. G. Winckelmannus in Act. Soc. Gr. II. p. 6. Hinc eo nomine appellari coeperunt callidi homines, qui delatorum munere funguntur.

§ 2. *si quid de H. sive quid aliud* sc. audieris. *sive* ponitur pro *vel si*, ut de Rep. IV. 12 *si quis occentavisset sive carmen condidisset.* Male hunc usum particulae Ciceroni denegat Draegerus in Synt. hist. III p. 141.

ita omnia tarda adhuc et spissa. Bosii argutiae non placent. Si in cod. Z. erat ONIA, erat scribendi compendium pro *omnia.* — *Spissa* dicuntur lenta, tenacia, in quibus haereas, unde non sine labore te expedias. cf. Ellendt. ad Brut. 138. Ortum videtur e Gr. σπιδνόν, quod apud Hesychium explicatur πυκνόν, συνεχές, πεπηγός.

ut [male] posuimus initia, sic cetera sequuntur. *Male* esse glossatoris Ernestus vidit. Praesens *sequuntur* in Med. non minus aptum est, quam futurum, quod editores posuerunt. Cf. Tac. Agric. 18 *non ignarus — prout prima cessissent, terrorem ceteris fore,* ubi conieci *tenorem ceteris fore.*

Formias nunc sequimur. Perperam sollicitatur, quod omnium librorum fide defenditur et confirmatur testimonio Caelii, Fam. VIII. 17, 1: *Ergo me potius in Hispania fuisse tum quam Formiis, quum tu profectus es ad Pompeium! Sequimur* est *petimus,* ut III. 16, *Cyzicum aut aliud quid sequimur.* cf. Graevius ad h. l. et Burm. ad Verg. Aen. IV. 361. *Italiam non sponte sequor.*

non probamus de Melita ɔ: Caesari non placet, quod Melitae esse volo, quod suspicatur me inde ad Pompeium contendere velle.

de altero bis ponendum videtur. *Egi gratias de altero* ɔ: de eius in me benevolo animo; *de altero ei me purgavi* ɔ: quod attinet ad suspicionem, Balbo me purgavi.

§ 3. *ipse conficior venisse tempus* ɔ: aerumna et dolore opprimor, ita doleo ut paene moriar, quum videam tempus venisse cet.

LIBER XI.

1. (*A. U. C.* 706.)

1. Accepi a te signatum libellum, quem Anteros attulerat, ex quo nihil scire potui de nostris domesticis rebus, de quibus acerbissime afflictor, quod, qui eas dispensavit, neque adest istic neque ubi terrarum sit scio; omnem autem spem habeo existimationis privatarumque rerum in tua erga me mihi perspectissima benevolentia, quam si his temporibus miseris et extremis praestiteris, haec pericula, quae mihi communia sunt cum ceteris, fortius feram, idque ut facias te obtestor atque obsecro. 2. Ego in cistophoro in Asia habeo ad HS. bis et vicies. Huius pecuniae permutatione fidem nostram facile tuebere, quam quidem ego nisi expeditam relinquere (me) putassem, credens ei,. cui tu scis iam pridem minime (me) credere, commoratus essem paulisper nec domesticas res impeditas reliquissem; ob eamque causam serius ad te scribo, quod sero intellexi quid timendum esset. Te etiam atque etiam oro, ut me totum tuendum suscipias, ut, si ii salvi erunt, quibuscum sum, una cum iis possim incolumis esse salutemque meam benevolentiae tuae acceptam referre.

Longum silentium est inter ultimam epistolam libri X et priores epistolas huius libri. Paucis diebus postquam illam, quae post d. XIV Kal. Iunias a. DCCV scripta est, Attico miserat, Cicero consilium diu agitatum linquendae Italiae perfecit. Nam a. d. III Id. Iun. e navi dedit litteras ad uxorem et filiam, quae servatae sunt Fam. XIV. 7. Contulit se in Epirum ad Pompeium, unde scriptae sunt quattuor priores litterae huius libri ad Atticum. Post pugnam Pharsalicam castra reliquit et in Italiam rediit. Brundisii scripsit reliquas epistolas huis libri anno DCCVI et DCCVII.

§ 1. *qui eas dispensavit.* Is videtur fuisse Philotimus, ad eundemque referenda haec, quae § 2 leguntur: *credens ei, cui tu scis iam pridem minime credere.*

existimationis sc. tuendae, ut bonum nomen existimer.

§ 2. *Ego — in Asia habeo ad HS. bis et vicies.* Cogitandum sine dubio de illa pecunia, cuius meminit in ep. ad Fam. v. 20, 9, mense Ianuario anni 705 scripta. „*Simul illud cogitare debes me omnem pecuniam, quae ad me salvis legibus pervenisset, Ephesi apud publicanos deposuisse; id fuisse HS. XXII.*" Quod autem addit: *eam omnem pecuniam Pompeium abstulisse* verum non fuisse ex hac et duabus seqq. epistolis manifestum est. Addidit autem eo consilio, ut Rufus, qui eius quaestor in Cilicia fuerat, iacturam HS. centum aequiore animo ferret, si audiret proconsulem suum multo maius damnum fecisse. Iniquius de hac re iudicavit Wielandus in adnotatione ad h. l. Vol. IV. p. 515 seqq. interpr. Germ.

In cistophoro. Pinder in comm. laud. ad II. 6, 2 descripsit cistophoros Apameae cusos cum inscriptione M· CICERO PRO COS et Laodiceae, in quibus legitur M· TVLL. IMP.

relinquere (me) putassem. Me addidi cum Lambino, quum cod. Med. habeat *relinquerem.* Iterum hanc praepositionem requiro inter verba *minime credere.*

II. (*A. U. C.* 706.)

1. Litteras tuas accepi pridie Nonas Febr. eoque ipso die ex testamento crevi hereditatem. Ex multis meis miserrimis curis est una levata, si, ut scribis, ista hereditas fidem et famam meam tueri potest, quam quidem intelligo te etiam sine hereditate tuis opibus defensurum fuisse. 2. De dote quod scribis, per omnes deos te obtestor, ut totam rem suscipias, et illam miseram mea culpa et negligentia tueare meis opibus, si quae sunt, tuis, quibus tibi molestum non erit [facultatibus]; cui quidem deesse omnia, quod scribis, obsecro te, noli pati; in quos enim sumptus abeunt fructus praediorum? Iam illa HS. LX., quae scribis, nemo mihi unquam dixit ex dote esse detracta; nunquam enim essem passus. Sed haec minima est ex iis iniuriis, quas accepi, de quibus ad te dolore et lacrimis scribere prohibeor. 3. Ex ea pecunia, quae fuit in Asia, partem dimidiam fere exegi. Tutius videbatur fore ibi, ubi est, quam apud publicanos. Quod me hortaris, ut firmo sim animo, vellem posses aliquid afferre, quamobrem id facere possem; sed si ad ceteras miserias accessit etiam id, quod

§ 1. *crevi hereditatem.* Cernere hereditatem est consilium suum declarare hereditatis adeundae. Absens autem hoc fecit sive per epistolam sive per procuratorem. cf. Kusteri diatr. de v. *cernere* Sanctii Minervae ex edit. Perizonii adiecta et Schilling. ad Hugon. p. 199 sq. Hereditatem fortasse dicit Fufidii cuiusdam, de qua vid. inf. 13, 3. 14, 3. 15, 4.

ex multis meis scripsit P. Victorius, quum in cod. Med. invenisset *multissimis*, quem superlativum Ciceroniani olim hinc sumpserunt. cf. H. Stephani pseudoCicero p. 39 seqq. edit. Halens. Peerlkampius parum esse *multis* existimans Ciceronem scripsisse putabat *Ex millesimis meis m. c.*

§. 2. *De dote* cet. Agitur de dote Tulliae, cuius altera pensio Kal. Quint. huius anni Dolabellae solvenda erat. vid. ep. 3, 1. 4, 2.

mea culpa et negligentia. Domesticas enim res impeditas reliquerat, ut vidimus modo ep. 1, 2.

tuis, quibus tibi molestum non erit [*facultatibus*]. Ultimum voc. Ernestus glossatori tribuit. Reliqua sic scribenda mihi videntur: *tuisque, si tibi molestum non erit.*

in quos enim sumptus abeunt fructus praediorum? ɔ: quo impenduntur reditus aedium et agrorum meorum, ut Tullia iis frui nequeat?

ex dote esse detracta ɔ: ex prima dotis pensione. Detraxisse videtur Terentia eiusve iussu Philotimus, ut Bosius coniecit. Certum suspicionis argumentum deest. Nam ipsum verbi tempus vetat, ne huc trahamus quae leguntur infra ep. 16, 5 *eam scelerate quaedam facere.*

§ 3. *ibi, ubi est* sc. apud Egnatium, ep. 3, 3, cui vel Rufo vel Maximo cognomen fuit. L. Egnatius, Q. Ciceronis debitor, X. 15, 4, certe alius erat.

facere ɔ: firmo animo esse. *Facere* nonnunquam occupat locum verbi praecedentis, etsi illud non actionem, sed conditionem designat. Sic est ap. Cornelium in Chabria 3, 4. *Neque vero solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes fere principes fecerunt idem.* ibid. 4, 3, *perire maluit, quam — navem relinquere. Id ceteri facere noluerunt.* Hor. Sat. I. 1, 64. *Iubeas miserum esse, libenter quatenus id facit,* ad q. l. Orellius citavit verba Planci inter Cic. Fam. X. 18, 2 *cum collega consentiente, sicut milites faciunt* (ɔ: consentiunt), *hostibus obviam ire.* De simili usu v. ποιεῖν et δρᾶν cf. Plugk. ad Eurip Alcest. v. 73 et Stallbaum. ad Plat. Soph. p. 253 A.

de domo, fortasse ut diripiatur vel proscribatur a Caesarianis, quod ad Pompeium profectus sum.

mihi Chrysippus dixit parari — tu nihil significasti — de domo, quis me miserior uno iam fuit? Oro, obsecro, ignosce: non possum plura scribere; quanto maerore urgear profecto vides. Quod si mihi commune cum ceteris esset, qui videntur in eadem causa esse, minor mea culpa videretur et eo tolerabilior esset; nunc nihil est, quod consoletur, nisi quid tu efficis, si modo etiamnunc effici potest, ut ne qua singulari afficiar calamitate et iniuria. 4. Tardius ad te remisi tabellarium, quod potestas mittendi non fuit. A tuis et nummorum accepi HS. $\overline{\text{LXX}}$. et vestimentorum quod opus fuit. Quibus tibi videbitur velim des litteras meo nomine — nosti meos familiares —; si signum requirent aut manum, dices me propter custodias ea vitasse.

quis me miserior uno iam fuit? Praestat, opinor, quod coniecit H. Schwarz in Misc. philol. p. 31 *unquam* pro *uno iam*.

§ 4. *dices me propter custodias ea vitasse.* Recte scribitur: sed tamen quum post *dices* in Mss. legi videatur *vel*, fortasse Cicero scripsit: *dicas velim me — vitasse*, ut coniecit Kahnt, Symb. Crit. p. 8. — *Custodias* h. l. esse Pompeianas potius, quam Caesarianas, Corradus monuit.

III. (*A. U. C.* 706.)

1. Quid hic agatur scire poteris ex eo, qui litteras attulit, quem diutius tenui, quia quotidie aliquid novi exspectabamus, neque nunc mittendi tamen ulla causa fuit praeter eam, de qua tibi rescribi voluisti, quod ad Kal. Quint. pertinet, quid vellem. Utrumque grave est, et tam gravi tempore periculum tantae pecuniae et dubio rerum exitu ista, quam scribis, abruptio; quare, ut alia, sic hoc vel maxime tuae fidei benevolentiaeque permitto et illius consilio et voluntati, cui miserae consuluissem melius, si tecum olim coram potius quam per litteras de salute nostra fortunisque deliberavissem. 2. Quod negas praecipuum mihi ullum incommodum impendere, etsi ista res nonnihil habet consolationis, tamen iam praecipua multa sunt, quae tu profecto vides et gravissima esse et me facillime vitare potuisse; ea

§ 1. *quod ad Kal. Quint. pertinet, quid vellem.* Dubitat, utrum altera dotis pensio Dolabellae sit solvenda, an potius filiae matrimonium dirimendum. Nam, si illud placeret, imminebat magnae pecuniae iactura; sin hoc, odium Caesaris, cui Dolabella erat carissimus, sibi timebat. Illustravit hunc locum Wielandus, vol. IV. p. 519 seqq. In verbis distinguendis secutus sum Klotzium. Sed in hac sententiae conformatione etiam *pertineret* necessarium puto.

de salute nostra fortunisque. Cicero plenus στοργῆς et pietatis in matrimonio carissimae filiae agi de sua salute iudicabat, et videbat a genero pendere utrum fortunas suas salvas haberet an non.

§ 2. *etsi ista res nonnihil habet consolationis.* Ex omnibus libris affertur *nihil*, quod Manutius arguta explicatione tueri studuit. Sed praeclare Malaspina ostendit recte egisse, qui *nonnihil* corrigeret. Solamen miseris socios habere malorum. Quae post

tamen erunt minora, si, ut adhuc factum est, administratione diligentiaque tua levabuntur. 3. Pecunia apud Egnatium est: sit a me, ut est; — neque enim hoc, quod agitur, videtur diuturnum esse posse, ut scire iam possim, quid maxime opus sit — etsi egeo rebus omnibus, quod is quoque in angustiis est, quicum sumus, cui magnam dedimus pecuniam mutuam, opinantes nobis constitutis rebus eam rem etiam honori fore. Tu, ut antea fecisti, velim, si qui erunt, ad quos aliquid scribendum a me existimes, ipse conficias. Tuis salutem dic. Cura ut valeas. Imprimis id, quod scribis, omnibus rebus cura et provide ne quid ei desit, de qua scis me miserrimum esse. Idibus Iun. ex castris.

vides adduntur *ut sunt* e codd. Faerni et Z., delevi cum Buechelero Mus. Rhen. XI. p. 526. Deinde cum Klotzio scribendum videtur: *et a me f. vitari potuisse.*

§ 3. *sit a me, ut est.* Ambiguitas huius loci oritur ex incerta vi praep. *a.* Placet haec explicatio: quod ad me attinet, pecunia maneat apud Egnatium, ubi est. Ita Fam. V. 20, 1 *a quo* (loquitur de M. Tullio scriba) *mihi exploratum est, — nihil eum fecisse scientem,* cet. Alia collegit Handius Turs. I. p. 57. Sequentia prava distinctione laborabant. Itaque correxi.

is — quicum sumus ɔ: Pompeius.

constitutis rebus ɔ: si Pompeio victore tranquillitas publica erit stabilita. cf. Off. II. 40 *in constituta re publica.*

de qua scis me miserrimum esse ɔ: propter quam. Similem locutionem attulit Hand. Turs. II. p. 217 e Verr. I. 76. *Flebat uterque non de suo supplicio, sed pater de filii morte, de patris filius.*

ex castris Pompeii ad Dyrrachium positis. Caes. B. C. III. 13.

IV. (*A. U. C.* 706).

1. Accepi ab Isidoro litteras et postea datas binas. Ex proximis cognovi praedia non venisse; videbis ergo ut sustentetur per te. De Frusinati, si modo futuri sumus, erit mihi res opportuna. Meas litteras quod requiris, impedior inopia rerum, quas nullas habeo litteris dignas, quippe cui nec quae accidunt, nec quae aguntur ullo modo probentur. Utinam coram tecum olim potius quam per epistolas! Hic tua, ut possum, tueor apud hos. Cetera Celer. Ipse fugi adhuc omne munus, eo magis, quod ita nihil poterat agi, ut mihi et meis

§ 1. *praedia non venisse.* Praedium nullum venire potuisse cognorat eodem fere tempore e Terentiae litteris, Fam. XIV. 6.

ut sustentetur Tullia, cui nihil deesse volebat.

De Frusinati, cf. h. l. ep. 13, 4. Frusino erat oppidum Latii inter Ferentinum et Fregellas situm ad viam, quae Roma Beneventum ducebat.

Cetera Celer. Mire *tuis* ɔ: Attici praediis Epiroticis opponuntur *cetera,* quae Celer tueretur. Multo melius verba: *Cetera Celer* ab illis separantur, ut Manutius aliique volebant, qui supplent: narrabit. De Celere

rebus aptum esset. 2. Quid sit gestum novi quaeris: ex Isidoro scire poteris; reliqua non videntur esse difficiliora. Tu id velim, quod scis me maxime velle, cures, ut scribis, ut facis. Me conficit sollicitudo, ex qua etiam summa infirmitas corporis, qua levata ero una cum eo, qui negotium gerit estque in spe magna. Brutus amicus in causa versatur acriter. Hactenus fuit, quod caute a me scribi posset. Vale. De pensione altera, oro te, omni cura considera, quid faciendum sit, ut scripsi iis litteris, quas Pollex tulit.

cf. X. 1, 4 et XII. 8. Sed longe praestat *Cetera celo,* quod Manutius in antiquo libro se vidisse affirmat.

§ 2. Recte Manutius vidit hinc novam epistolam incipere. Conf. quoque Gruberus p. 19.

reliqua non videntur esse difficiliora ɔ: ut Pompeius apud Dyrrachium vicit, sic reliquum bellum feliciter confecturus videtur. Ceterum ex eo, quod Cicero et tam breviter et his verbis de ea re scribit, satis apparet eum non tantum, quantum alii Pompeiani, illi victoriae tribuisse. Caesar apud Dyrrachium se profligatum fatetur de B. C. III. 70. cf. Plut. Caes. 3 9.

ut scribis, ut facis. Malim: *ut scribis et facis.*

qua levata. Potest quoque scribi *levatus* e schidis Wirz. Nam ut dicitur *levare aliquem cura, onere, morbo,* sic oratione in passivam formam conversa aliquis levatur *infirmitate corporis,* sed etiam *cura, morbus levatur.* vid. ep. 2, 1.

Brutus amicus in causa cet. Scribendum videtur: *B. amicus est; in causa v. a.,* aut: *Brutus amici in causa v. acr.* Nam, ut recte observat Orellius, non solet Cicero aliquem simpliciter *amicum* appellare. M. Iunium Brutum tum in Pompeii castris fuisse novimus e Plutarcho in eius vita c. 4.

V. (*A. U. C.* 706.)

1. Quae me causae moverint, quam acerbae, quam graves, quam novae, coëgerintque impetu magis quodam animi uti quam cogitatione, non possum ad te sine maximo dolore scribere; fuerunt quidem tantae, ut id, quod vides, effecerint. Itaque nec quid ad te scribam de meis rebus nec quid a te petam reperio. Rem et summam negotii vides. Equidem ex tuis litteris intellexi et iis, quas communiter cum aliis scripsisti, et iis, quas tuo nomine, quod etiam mea sponte videbam, te subita re quasi debilitatum novas rationes tuendi mei quaerere. 2. Quod scribis placere, ut propius accedam iterque per oppida

§ 1. *Quae me causae moverint,* ut ab armis discederem inque Italiam redirem. Scripta est haec epistola post pugnam Pharsalicam Brundisii, quo rediit mense Octobri ut apparet e subscriptione ep. 12 lib. XIV ad Fam. Reditus sui nuntium iam miserat Attico, ab eoque litteras acceperat, quibus nunc respondet.

quas communiter cum aliis scripsisti ɔ: quibus a te scriptis aliorum nomina praescripsisti, ut ostenderes illorum eandem sententiam esse. Talium litterarum exempla plura inveniuntur in lib. XVI ad Fam.

te subita re quasi debilitatum, ut est in margine ed. Crat. et in fragm. Wirz., propius a vero abesse puto, quam quod in Med.

noctu faciam, non sane video, quemadmodum id fieri possit; neque enim ita apta habeo deversoria, ut tota tempora diurna in iis possim consumere, neque ad id, quod quaeris, multum interest, utrum me homines in oppido videant an in via; sed tamen hoc ipsum sicut alia considerabo, quemadmodum commodissime fieri posse videatur. 3. Ego propter incredibilem et animi et corporis molestiam conficere plures litteras non potui; iis tantum rescripsi, a quibus acceperam: tu velim et Basilo et quibus praeterea videbitur, etiam Servilio conscribas, ut tibi videbitur, meo nomine. Quod tanto intervallo nihil omnino ad vos scripsi, his litteris profecto intelliges rem mihi deesse, de qua scribam, non voluntatem. 4. Quod de Vatinio quaeris, neque illius neque cuiusquam mihi praeterea officium deesset, si reperire possent qua in re me iuvarent. Quintus aversissimo a me animo Patris fuit: eodem Corcyra filius venit. Inde profectos eos una cum ceteris arbitror.

est *te subdebilitatum.* Sed quum hominis fracti et debilitati non sit nova statim consilia inire, melius scriptum fuisset: *subita re minime debilitatum.*

§ 3. *tanto intervallo.* Multum temporis praeterierat inter primum nuntium sui adventus in Italiam et hanc epistolam scriptam, ut videtur, pridie Nonas Nov. Ergo initio mensis Octobris Cicero Brundisium venisse debuit. cf. W. Iudeich, Caesar im Orient, Lips. 1885, p. 169 et 179.

scripsi, his litteris profecto intelliges. Verba *scriptis litteris,* quae omnes codd. noti habent, certam correctionem praebent: *Quod t. i. nihil omnino ad vos* (i. e. Atticum et ceteros familiares) *scripsi, his litteris profecto intelliges* cet. Hanc emendationem occupavit Wesenbergius Emend. p. 45, qui addidit Ciceronem saepe dixisse *aliqua re intelligere, cognoscere, perspicere* pro *ex aliqua re,* citans Fam. I. 5 b, 1 *ea te et litteris multorum et nuntiis cognosse arbitror.* Adde Mil. 27 *quod re intellectum est.* Off. III. 33 *multa praecepta sunt, quibus perspici possit.*

§ 4. *Quod de Vatinio quaeris* sc. quo in me animo nunc sit. Vatinius tunc Brundisio praeerat. vid. Caes. de B. G. III. 100.

Quintus aversissimo a me animo Patris fuit. Unde repente illud Quinti odium erga M. fratrem eruperit, non satis constare Schuetzius scribit; suspicatur tamen hunc illi exprobrasse, quod se incitasset ad Pompeium consequendum; Quintum autem putasse, fratrem velle huius consilii culpam in se transferre.

profectos in Asiam ad Caesarem deprecandum, ut ex ep. seq. § 7 novimus.

VI. (*A. U. C.* 706.)

1. Sollicitum esse te cum de tuis communibusque fortunis, tum maxime de me ac de dolore meo sentio; qui quidem meus dolor non modo non minuitur, quum socium sibi adiungit dolorem tuum, sed etiam augetur. Omnino pro tua prudentia sentis qua consolatione levari maxime possim; probas enim meum consilium negasque mihi quicquam tali tempore potius faciendum fuisse. Addis etiam — quod etsi mihi levius est quam tuum iudicium, tamen non est leve — ce-

teris quoque, id est, qui pondus habeant, factum nostrum probari. Id si ita putarem, levius dolerem. 2. »Crede", inquis, »mihi." Credo equidem, sed scio quam cupias minui dolorem meum. Me discessisse ab armis nunquam paenituit; tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus coniunctio, ut non nominatim sed generatim proscriptio esset informata, ut iam omnium iudicio constitutum esset omnium vestrum bona praedam esse illius victoriae; vestrum plane dico: nunquam enim de te ipso nisi crudelissime cogitatum est. Quare voluntatis me meae nunquam paenitebit, consilii paenitet. In oppido aliquo mallem resedisse, quoad arcesserer: minus sermonis subiissem, minus accepissem doloris, ipsum hoc me non angeret. Brundisii iacere in omnes partes est molestum. Propius accedere, ut suades, quo modo sine lictoribus, quos populus dedit, possum? qui mihi incolumi adimi non possunt; quos ego nunc paulisper cum bacillis in turbam conieci ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret. † Recipio tempore me domo. 3. Te nunc ad oppidum: quoniam his placeret modo propius accedere, ut hac de re considerarent. Credo fore auctores; sic enim recipiunt Caesari non modo de conservanda sed etiam de augenda mea dignitate curae fore, meque hortantur, ut magno animo sim, ut omnia summa sperem: ea spondent, confirmant, quae quidem

§ 2. *sed scio — dolorem meum.* „Sed vereor ne ob studium erigendi animi mei officioso mendacio utaris." Gronovius.

in illis ɔ: in Pompeianis.

informata ɔ: mente concepta. cf. I. 1, 2.

minus sermonis subiissem. Ita Fam. IX. 3, 1 dixit *dare sermonem* hominibus et *in sermonem incidere.* cf. Matth. ad Cat. I. 23.

ipsum hoc, quod nunc me angit, me malum consilium iniisse.

in omnes partes. Belgice diceres *in alle opzichten.* De usu v. *partis* late patenti prudenter disputavit C. Nipperdeius in quaestt. Caesar. p. 51 sq. Sed apud Caesarem B. G. I. 2 omnino *qua ex re* scribendum videtur, non ut plures et meliores libri habent *qua ex parte.*

cum bacillis. Nolui lictores cum fascibus ordine ante me incedere, sed cum bacillis tantum, ut faciunt lictores magistratuum in municipiis, in turba hominum ire. cf. de lege agr. II. 93.

Recipio tempore me domo — considerarent. Locus conclamatus. Aliorum coniecturae quum mihi non satisfacerent, ipse hanc emendationem, partim Orellii vestigia secutus, excogitavi: *Recipi*AM (sc. lictores) *tempore idoneo.* MIT*te nunc ad Oppium (et Balbum), quonam his placeret modo* (ɔ: cum lictoribus an sine iis) *proprius accedere, ut hac de re considerare*M. Pleraque in his paene nihil a cod. Med. recedunt. Post *Oppium* vel ante *Oppium* nomen Balbi excidisse, certissimum habeo, quoniam Cicero in iis, quae sequuntur, plurali numero utitur et hi duo perpetuo fere in his rebus una nominantur. (B. et O. IX. 7, 3. XI. 7, 4. 8, 1. 14, 2. 18, 1. XII. 13, 2. XIII. 19, 2; inverso ordine O. et B. XIII. 2, 1. ibid. 50). Longe aliter Hofmannus verba constituit: *Reliquo tempore me domi tenui ad oppidum, eo quoniam displiceret modo propius accedere, ut hac de re considerarent.* Vel etiam sic: *Reliquo tempore me domi tenui ad oppidum, ut, quum cum his placeret modo propius accedere, ut hac de re considerarem.* Uter felicior fuerit in coniectando iudicent alii.

§ 3. *Sed ingero praeterita. Ingero* Orellio

mihi exploratiora essent, si remansissem. Sed ingero praeterita; vide, quaeso, igitur ea, quae restant, et explora cum istis, et si putabis opus esse et si istis placebit, quo magis factum nostrum Caesar probet quasi de suorum sententia factum, adhibeantur Trebonius, Pansa, si qui alii, scribantque ad Caesarem me, quicquid fecerim, de sua sententia fecisse. 4. Tulliae meae morbus et imbecillitas corporis me exanimat, quam tibi intelligo magnae curae esse, quod est mihi gratissimum. 5. De Pompeii exitu mihi dubium nunquam fuit; tanta enim desperatio rerum eius omnium regum et populorum animos occuparat, ut, quocunque venisset, hoc putarem futurum. Non possum eius casum non dolere; hominem enim integrum et castum et gravem cognovi. 6. De Fannio consoler te? Perniciosa loquebatur de mansione tua. L. vero Lentulus Hortensii domum sibi et Caesaris hortos et Baias desponderat. Omnino haec eodem modo ex hac parte fiunt, nisi quod illud erat infinitum; omnes enim, qui in Italia manserant, hostium numero habebantur. Sed velim haec aliquando solutiore animo. 7. Quintum fratrem audio profectum in Asiam, ut deprecaretur; de filio nihil audivi. Sed quaere ex Diochare, Caesaris liberto, quem ego

et mihi suspectum immerito fuit. *ingero praeterita* est commemoro ea, quae iam fieri nequeunt. Similiter hoc verbo utitur Tacitus Ann. IV. 42, Hist. IV. 78. Praeteritis opp. *ea, quae restant* ɔ: quae nunc fieri possunt, quae nunc assequi potero.

§ 5. Cn. Pompeius, qui natus est pridie Kal. Oct. C. Atilio Serrano, Q. Servilio Caepione coss., quique natali suo M. Pisone, M. Messalla coss. tertium triumphavit ex Asia (Plin. H. N. XXXVII. 13), trucidatus est annum agens duodesexagesimum pridie natalem ipsius, ut refert Vell. Paterc. II. 53. Errat Plutarchus in Pomp. c. 79 μιᾷ ὕστερον ἡμέρᾳ τῆς γενεθλίου necem adsignans et in Camillo, 19 ipso natali die eum periisse narrans. Quod Dio Cassius XLII. 5 narrat Pompeium eodem die, quo olim triumpharat, periisse, inde explicandum est, quod triumphus ille a. d. III Kal. Oct., ut tradit Plinius H. N. VII. 98, et sequenti die ductus est, ut docet Plutarchus in Pomp. 45. *hominem — cognovi*. Tenuis laudatio Pompeii. Sed summa Ciceronis de eo opinio paulatim valde erat imminuta, et Cicero fortasse non invitus videbat alterum e duobus, qui regnare volebant, esse sublatum.

§ 6. *De Fannio consoler te?* C. Fannius videtur eodem fere tempore atque Pompeius periissse. Est idem, cuius mentio fit in his epistolis VII. 15, 2. VIII. 15, 3, et saepius. — *L. Lentulus* Crus, qui superiore anno cum C. Marcello consul fuerat, Pompeium fugientem secutus a Ptolemaei militibus comprehensus et in custodia necatus est. Caes. B. C. III. 104. Plut. Pomp. 80.

Perniciosa loquebatur de mansione tua ɔ: te obiurgabat, quod non cum Pompeio mare transiisses.

nisi quod illud erat infinitum ɔ: sed in illa parte, apud Pompeianos, sine modo et numero fiebat.

omnes — habebantur. Saepius hoc profitetur Cicero, ut Fam. IX. 6, 3 et in Ligariana 33.

§ 7. *istas Alexandreas litteras* ɔ: litteras Caesaris Alexandrea missas. Eodem modo scripsit *exspectationem Corfiniensem* VIII. 5, 2, aliaque. Sed quoniam alias semper utitur adi. *Alexandrinus*, Fam. I. 5 a, 3, 5 b, 1. XV. 15, 2. Cael. 51. Rab. Post. 31 seqq. Q. fr. II. 2, 3, correxi: *qui istas Alexandrea litteras attulit*, quod B.W.K receperunt.

Is dicitur vidisse euntem an iam in Asia. Codd. dant *an euntem an iam in Asia.* Sed bene vidit Ernestus prius illud *an* nullo modo defendi posse, itaque delevit. Retinuit tamen

non vidi, qui istas Alexandrea litteras attulit. Is dicitur vidisse euntem an iam in Asia. Tuas litteras, prout res postulat, exspecto, quas velim cures quam primum ad me perferendas. IIII. Kal. Decembr.

Orellius sibi imponi passus ab Handio in Turs. I. p. 308, cuius errorem iam castigarat Madvigius ad Fin. p. 317 de toto hoc genere dubitandi accurate disputans.

VII. (*A. U. C.* 706.)

1. Gratae tuae mihi litterae sunt, quibus accurate perscripsisti omnia, quae ad me pertinere arbitratus es. † Factum igitur, ut scribis, istis placere [iisdem istis] lictoribus me uti, quod concessum Sestio sit; cui non puto suos esse concessos, sed ab ipso datos. Audio enim eum ea senatusconsulta improbare, quae post discessum tribunorum facta sunt, quare poterit, si volet sibi constare, nostros lictores comprobare. 2. Quamquam quid ego de lictoribus, qui paene ex Italia decedere sim iussus? Nam ad me misit Antonius exemplum Caesaris ad se litterarum, in quibus erat se audisse Catonem et L.

§ 1. † *Factum igitur, ut scribis, istis placere iisdem istis lictoribus me uti, quod concessum Sestio sit.* Graevius recte negans id, quod Bosius excogitaverat: *Fac tu — me uti* Latinum esse, male putabat integra esse haec verba, ut sunt a Victorio distincta: *Factum — istis placere.* Quasi vero infinitivus a verbo faciendi pendere possit. Sermonis legibus non repugnat, quod fere requiri iudicabat Orellius: *Factum est igitur, ut scribis, SC. senatui placere* cet, sed et longius hoc a codicum vestigiis recedit, et paene absurdum est statuere lictores Ciceroni esse concessos SCto, addita etiam causa, quoniam idem concessum esset Sestio. Aliam emendationem circumspiciamus. Primum verba *istis placere* minime sollicitanda sunt, quum comparanti ea, quae in ep. praec. § 3 de eadem re leguntur *si istis placebit,* appareat *istos* dici Oppium et Balbum, quorum sententiam Atticus interea exploraverat et amico nuntiaverat. Requiritur igitur aliquid, unde infinitivus *placere* suspensus sit. Quum autem manifestum sit Ciceronem non multum tribuere istorum opinioni, quoniam Sestius, cuius exemplum ab iis allatum erat, in alia causa erat atque ipse, ita scripsisse videtur: *Facetum est igitur, ut scribis, istis placere lictoribus me uti, quod concessum Sestio sit.* Nam *iisdem istis lictoribus me uti* non potuisse Ciceronem scribere manifestum est. Si voluisset indicare eosdem lictores, quos populus olim sibi dederat, saltem scripsisset *iisdem his.* Sed delenda censeo quae continent aliquam explicationem praecedentis vocabuli *istis.* Plura hic periisse statuit Madv. A. C. III. p. 187 in adn.

Sestio. Sestius a. 705 fuerat cum imperio. vid. VIII. 15, 3, atque ut colligimus ex epistola ad Rufum eodem anno data, Fam. V. 20, 5 provinciam Ciliciam pro praetore obtinuit post Ciceronem. Nihil autem obstat, quominus hunc esse P. Sestium statuamus, quem a. 698 Cicero defenderat.

cui non puto suos esse concessos, sed ab ipso datos. Cicero negat Sestium habere lictores *suos* ɔ: cum provincia sibi a Pompeio datos, sed eos, quos a Caesare acceperat.

post discessum tribunorum. M. Antonius et Q. Cassius tribuni plebis inter Nonas et Idus Ianuarias a. 705 cum Curione ad Caesarem, qui tum Ravennae erat, profecti sunt. Cic. Fam. XVI. 11, 2 coll. Caes. B. C. I. 5. Tribunorum discessu intercessio erat sublata, ideoque Caesar SCta post illum diem facta improbavit. cf. ibid. I. 7.

poterit — comprobare. Cicero enim imperium iam anno 703 acceperat, diu ante tribunorum discessum.

§ 2. *se audisse C. et M. in Italiam venisse.*

Metellum in Italiam venisse, Romae ut essent palam; id sibi non placere, ne qui motus ex eo fierent, prohiberique omnes Italia, nisi quorum ipse causam cognovisset: deque eo vehementius erat scriptum. Itaque Antonius petebat a me per litteras, ut sibi ignoscerem: facere se non posse, quin iis litteris pareret. Tum ad eum misi L. Lamiam, qui demonstraret illum Dolabellae dixisse, ut ad me scriberet, ut in Italiam quam primum venirem; eius me litteris venisse. Tum ille edixit ita, ut me exciperet et Laelium nominatim: quod sane nollem; poterat enim sine nomine res ipsa excipi. 3. O multas et graves offensiones! quas quidem tu das operam ut lenias, nec tamen nihil proficis, quin hoc ipso minuis dolorem meum, quod, ut minuas, tam valde laboras, idque velim ne gravere quam saepissime facere. Maxime autem assequere quod vis, si me adduxeris ut existimem me bonorum iudicium non funditus perdidisse. Quamquam quid tu in eo potes? nihil scilicet; sed, si quid res dabit tibi facultatis, id me maxime consolari poterit: quod nunc quidem video non esse, sed si quid, ex eventis, ut hoc nunc accidit. Dicebar debuisse cum Pompeio proficisci; exitus illius minuit eius officii praetermissi reprehensionem. Sed ex omnibus nihil magis tamen desideratur, quam quod in Africam non ierim. Iudicio hoc sum usus non esse barbaris auxiliis fallacissimae gentis rem publicam defendendam, praesertim contra exercitum saepe victorem. Non probant fortasse; multos enim viros bonos in Africam venisse audio et scio fuisse antea. Valde hoc loco urgeor. Hic quoque opus est casu, ut aliqui sint ex eis aut, si potest, omnes, qui salutem anteponant; nam si perseverant et obtinent, quid nobis futurum sit

Rumor de Catone falsus. Nam is post pugnam Pharsalicam Dyrrachio in Corcyram traiecit, unde in Africam profectus est. cf. Plut. Cat. min. 55 seq.

quorum ipse causam cognovisset ɔ: quos ipse causa cognita excepisset. Gronovius in lectt. Plaut. p. 356 locutionem explicavit.

Laelium. vid. ad 14, 1, h. l.

poterat — excipi. Cicero veritus odium Pompeianorum et necessitatem in Italia manendi libenter vitans maluerat non nominari in edicto Antonii. Potuerat hic eum tacite excipere patiendo ut libere ibi viveret.

§ 3. *bonorum iudicium* est bonorum bona de me opinio. I. F. Gronovius comparavit, quod legitur in praef. Iustini: *Sufficit enim mihi in tempore iudicium tuum.*

quod in Africam non ierim ɔ: quod cum reliquiis copiarum Pompeianarum non me contulerim in Africam. Illud poterat vituperari, non desiderari. Nam desideratur quod deest. Fortasse scribendum *vituperatur* pro *desideratur.* Aliter Kochius in Emendd. lib. p. 17 loco laboranti opem tulit, scribens: *Sed ex omnibus nihil malim* (e Med.) *tamen defendatur, quam quod in Africam non ierim.*

Iudicio hoc sum usus ɔ: sic mecum cogitavi, hac usus sum argumentatione.

si potest. cf. ad IV. 13, 1.

qui salutem anteponant. Consulto non addit, cui rei anteponant, Attico relinquens quid supplere vellet *honestati* an *gloriae* an *officio.* Causam reticentiae bene perspexit Wielandus.

vides. Dices, »quid illis, si victi erunt?" Honestior est plaga. Haec me excruciant. 4. Sulpicii autem consilium non scripsisti cur meo non anteponeres; quod etsi non tam gloriosum est quam Catonis, tamen et periculo vacuum est et dolore. Extremum est eorum, qui in Achaia sunt: ii tamen ipsi se hoc melius habent quam nos, quod et multi sunt uno in loco et, quum in Italiam venerint, domum statim venerint. Haec tu perge, ut facis, mitigare et probare quam plurimis. 5. Quod te excusas, ego vero et tuas causas nosco et mea interesse puto te istic esse, vel ut cum iis, quibus oportebit, agas, quae erunt agenda de nobis, ut ea, quae egisti, imprimisque hoc velim animadvertas: multos esse arbitror, qui ad Caesarem detulerint delaturive sint me aut paenitere consilii mei aut non probare, quae fiant; quorum etsi utrumque verum est, tamen ab illis dicitur animo a me alienato, non quo ita esse perspexerint. † Sed totum ut hoc Balbus sustineat et Oppius et eorum crebris litteris illius voluntas erga me confirmetur et hoc plane ut fiat, diligentiam adhibebis. 6. Alterum est, cur te nolim discedere, quod scribis T. efflagitare. O rem miseram! Quid scribam, aut quid velim? Breve faciam; lacrimae

si perseverant et obtinent ɔ: si in armis manent et valent vel vincunt. *Obtinere* absolute dicitur, ut in Sall. Iug. 80 *nulla* (uxor) *pro socia obtinet* et in locutione *hoc fama obtinet.* Ei respondet nostrum *zich staande houden.*

Honestior est plaga ɔ: honestius est pro bona causa occidere.

§ 4. *Sulpicii consilium,* qui post pugnam Pharsalicam se in Asiam contulit et Sami commoratus est, ubi M. Brutus eum vidit. Brut. 156. cf. Borghesii Opp. T. VII. p. 300.

quum in I. venerint, domum statim venerint ɔ: non detinebuntur in aliquo oppido, sed venia a Caesare impetrata statim urbem petent. Fut. exactum in utroque membro ponitur, ubi indicandum est utramque rem simul factum iri. cf. Madvigii Gramm. Lat. § 365, adn. 2 interpr. meae. Temere Schuetzius scripsit: *statim venient.*

§ 5. *tuas causas nosco* ɔ: accipio tuas rationes. cf. Leg. I. 11. *Vereor, ne istam causam nemo noscat,* ubi cf. Bakius. — Atticus videtur se excusasse, quod in urbe manebat neque Brundisium festinabat.

vel ut cum iis — agas. Non sequitur alterum *vel,* sed post longiorem sententiam interpositam pro eo ponitur *Alterum est* cet. cf. Madv. ad Fin. p. 795, qui simillimum exemplum ex III de Orat. 65 et 66 attulit.

non quo ita esse perspexerint. Infinitivum addidi e scidis Wirzeburgensibus, quae epist. 7 a verbis *tamen et periculo* usque ad ep. 12 *in praesentem acerbe dixerat* continent. Earum lectiones ab altera edit. Or. diversas notavit L. Spengelius in Relatt. doct. Monac. a. 1846, p. 917 sq.

Sed totum ut hoc B. sustineat cet. „Perversum est *sed totum* totaque constructio perturbata. Scribi oportet: *In eo est totum* cet." Madv. A. C. III. p. 187.

hoc plane ut fiat. Turpiter ignoravit Moserus vim adverbii *plane,* quum Symb. Crit. V. p. 16 hic *plene* scribendum esse contenderet. Meliora docent lexica, nisi forte librarii sexcentis locis *plane* scripserint, ubi *plene* dicendum erat. Exempla petantur ex Handii Turs. IV. p. 469 sq.

§ 6. *quod scribis T. efflagitare.* In Med. legitur: *quod scribis tefflagitare,* in marg. Crat. et in scidis Wirz. *q. s. te flagitare;* unde alii fecerunt *te flagitari* vel *te efflagitari,* alii T. ɔ: *Tulliam efflagitare.* Hoc rectum puto.

enim se subito profuderunt. Tibi permitto, tu consule: tantum vide, ne hoc tempore isti obesse aliquid possit. Ignosce, obsecro te, non possum prae fletu et dolore diutius in hoc loco commorari; tantum dicam nihil mihi gratius esse, quam quod eam diligis. 7. Quod litteras, quibus putas opus esse, curas dandas, facis commode. Quintum filium vidi qui Sami vidisset, patrem Sicyone; quorum deprecatio est facilis. Utinam illi, qui prius illum videbunt, me apud eum velint adiutum tantum, quantum ego illos vellem, si quid possem! 8. Quod rogas ut in bonam partem accipiam, si qua sint in tuis litteris, quae me mordeant, ego vero in optimam teque rogo, ut aperte, quemadmodum facis, scribas ad me omnia idque facias quam saepissime. Vale. XIIII. Kalend. Ianuar.

quid velim? Merito Orellium offendit coniunctivus, qui a librariis illatus videtur pro futuro *volam.*

Breve faciam ɔ: non longum faciam. At vel invitis libris dicendum esse *brevi dicam* ɔ: breviter, paucis verbis dicam, docuerunt intt. ad Sestianam, § 12. cff. quoque Or. et Wunder. ad Planc. § 95.

ne hoc tempore isti obesse aliquid possit. Non dubitavi leni remedio, quod Kochius suppeditavit, verba a scribis male habita resarcire. Scripserunt *temporis tibi.* Alterum *hoc temporis* recedit a consuetudine Tulliana, quae *hoc tempore* scribendum docet. cf. h. l. 8, 1. 12. 2. 13, 2. 16, 1. Neque *id temporis* Cicero de quovis tempore dixit, sed de certo tempore diei, velut infra XIII. 33, 4. Quum autem in Med. *pro tibi* initio scriptum fuerit *te*, idemque habeant Scidae Wirz., manifestum habemus indicium *isti* ɔ: Tulliae, quod sententia flagitat, esse verum.

In hoc loco ɔ: in hac re commemoranda.

§ 7. *videbunt* cum Graevio facere malui ex eo, quod Med. et scidae Wirz. dant *viderunt*, quam cum Corrado scribere *viderint.* In subscriptione epistolae fragm. Wirz. habet XIII.

VIII. A. U. C. 706.)

1. Quantis curis conficiar etsi profecto vides, tamen cognosces ex Lepta et Trebatio. Maximas poenas pendo temeritatis meae, quam tu (im)prudentiam mihi videri vis, neque te deterreo, quo minus id disputes scribasque ad me quam saepissime; nonnihil enim me levant tuae litterae hoc tempore. Per eos, qui nostra causa volunt valentque apud illum, diligentissime contendas opus est, per Balbum et Oppium maxime, ut de me scribant quam diligentissime; oppugnamur enim,

§ 1. *cognosces ex Lepta et Trebatio.* Idem eodem fere tempore scripsit Terentiae, Fam. XIV. 17.

prudentiam quum darent libri scripti et editi, *imprudentiam* scrib. esse me monuit Peerlkampius. Vicina sunt temeritas et imprudentia, sed temeritas longe distat a prudentia. Atticus iudicabat Ciceronem *incaute* fecisse. cf. initium epist. seq.

diligentissime — quam diligentissime. Fastidiose nimis Moserus Symb. Crit. V. p. 17 aut priore loco *accuratissime,* aut posteriore *quam studiosissime* scriptum fuisse coniecit. Potuit sane ita scribi; sed nemo tam anxie

ut audio, et a praesentibus quibusdam et per litteras. His ita est occurrendum, ut rei magnitudo postulat. 2. † Furnius est illic mihi inimicissimus. Quintus misit filium non solum sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei: dictitat se a me apud Caesarem oppugnari, quod refellit Caesar ipse omnesque eius amici; neque vero desistit, ubicunque est, omnia in me maledicta conferre. Nihil mihi unquam tam incredibile accidit, nihil in his malis tam acerbum. Qui ex ipso audissent, quum Sicyone palam multis audientibus loqueretur, nefaria quaedam ad me pertulerunt. Nosti genus, etiam expertus es fortasse; in me id est omne conversum. Sed augeo commemorando dolorem et facio etiam tibi. Quare ad illud redeo, cura ut huius rei causa dedita opera mittat aliquem Balbus. Ad quos videbitur velim cures litteras meo nomine. Vale. VI. Kal. Ianuar.

in familiari epistola scribenda verba singula ponderat.

His ita est occurrendum. Scripsi cum Scidis Wirz. et Crat. In M. *est* omittitur.

§ 2. † *Furnius.* Unum C. Furnium novimus, eumque semper Ciceroni amicissimum. vid. Onom. Tull. p. 263. Licet autem aliqua de re publica dissensio amicitiam fortasse divellerit eo tempore, non tamen vero simile est, acutissimum odium inde exstitisse. Hac de causa Manutius h. l. sermonem esse putabat de *Q. Fufio Caleno,* qui omni tempore Ciceronis fuit inimicissimus. *Furnium* tamen retinui, propter consensum librorum (Mediceo accedunt Scidae Wirz.), et quod res incerta est. cf. Wielandii adnot. vol. IV. p. 535.

Nosti genus, sc. sermonum et maledictorum, quo Q. Cicero iratus utitur, ut recte explicat Victorius.

VI Kal. Ian. In Scidis laud., ut in Med., est XVI.

IX. (*A. U. C.* 707.)

1. Ego vero et incaute, ut scribis, et celerius, quam oportuit, feci nec in ulla sum spe, quippe qui exceptionibus edictorum retinear, quae si non essent sedulitate effectae et benevolentia tua, liceret mihi abire in solitudines aliquas: nunc ne id quidem licet. Quid autem me iuvat, quod ante initum tribunatum veni, si ipsum quod veni nihil iuvat? Iam quid sperem ab eo, qui mihi amicus nunquam fuit, quum iam lege etiam sim confectus et oppressus? In dies iam Balbi

§ 1. *exceptionibus edictorum.* cf. ep. 7, 2; (*Antonius*) *edixit ita, ut me exciperet — nominatim.*

ante initum tribunatum ɔ: a. d. IIII. Id. Decembres, quo die tribuni pl. munus suum inibant. Redierat autem ante illud tempus, veritus ne novi tribuni in absentes gravius quid rogarent.

iam lege etiam ɔ: non Antonii tantum edicto, sed lege etiam lata ab eo, *qui mihi amicus nunquam fuit.* His Dolabellam trib. pl. significari suspicor et cum Ernesto pro *quum* malim *cuius.* Coniunctio particularum *iam etiam* non est insolens. cf. Cortius ad Fam. IV. 1, 9 *cogitabam ab urbe discedere, cuius iam etiam nomen invitus audio,* et Hand. Turs. III. p. 139.

in dies aptius esse, quam *quotidie,* quod de

ad me litterae languidiores, multaeque multorum ad illum, fortasse contra me. Meo vitio pereo: nihil mihi mali casus attulit, omnia (mea) culpa contracta sunt; ego enim, quum genus belli viderem, imparata et infirma omnia contra paratissimos, constitueram quid facerem ceperamque consilium non tam forte quam mihi praeter ceteros concedendum: 2. cessi meis vel potius parui; ex quibus unus qua mente fuerit, is, quem tu mihi commendas, cognosces ex ipsius litteris, quas ad te et ad alios misit, quas ego nunquam aperuissem, nisi res acta sic esset: delatus est ad me fasciculus, solvi, si quid ad me esset litterarum: nihil erat; epistola Vatinio et Ligurio altera; iussi ad eos deferri; illi ad me statim ardentes dolore venerunt, scelus hominis clamantes, epistolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. Hic Ligurius furere: se enim scire summo illum in odio fuisse Caesari, † illum tamen non modo favisse, sed etiam tantam illi pecuniam dedisse honoris mei causa. Hoc ego dolore accepto volui scire, quid scripsisset ad ceteros; ipsi enim illi putavi perniciosum fore, si eius hoc tantum scelus percrebruisset. Cognovi eiusdem generis, ad te misi: quas si putabis illi ipsi utile esse reddi, reddes; nihil me laedent. Nam quod resignatae sunt, habet, opinor, eius signum Pomponia. Hac ille acerbitate initio navigationis quum usus esset, tanto me dolore affecit, ut postea iacuerim, neque nunc tam

coniectura editur, quum in cod. tantum sit *die*, a Klotzio recte observatum est. cf. adnot. ad V. 7, 1. Mox *illum* dicit Caesarem,

omnia (mea) culpa contracta sunt. Mea facile omitti potuit post *omnia*. Ursinus illud e libro Longolii restituit.

constitueram quid facerem. Sciveram est in Med. e correctione prioris scripturae *sitveram*, quod dant quoque Scidae laudatae. Olim edidi *statueram*, ut coni. Madvigius ap. Wesenb. Emend. p. 9; nunc adsentior Wesenbergio tn Emend. alt. p. 124 observanti *constitueram* propius abesse a codicum ductibus. Nam *sciveram*, quod nonnullis placuit, decernendi vim nec apud Tullium nec apud ullum bonum Latinitatis auctorem habet.

§ 2. *unus qua mente fuerit.* Loquitur de Quinto fratre.

Ligurius. Caesaris familiaris, ad quem litteras se daturum M. Cicero promittit fratri, ad Q. fr. III. 7, 2. Eundem mortuum laudat Fam. XVI. 18, 3.

illum in odio fuisse C., illum — favisse, — illi pecuniam dedisse. Prius *illum* et *illi* manifesto indicant Q. Ciceronem. *Illum favisse* quum sit: Caesarem favisse Quinto, scribendum *hunc — favisse*, ut iam monuit Herm. Peter.

non modo — sed etiam. Cod. Med. dat, *sed et*, ut legitur Verr. I. 1, 1 et de prov. cons. 19, quod defendit Handius Turs. II. p. 516. Sed quum e scidis Wirz. afferatur *sed et tam tantam* non dubitavi reponere magis usitatum *sed etiam.*

honoris mei causa. Legantur quae de hac formula scripsit Madvigius, Ep. crit. ad Orellium p. 100, et Opusc. Acad. I. p. 168.

nihil me laedent scripsi cum W. pro vulgato *nil me laedet.* Nam de ipsis litteris haec intelligere praestat, quam de earum redditione.

Nam quod resignatae sunt, cet. ɔ: Nam illud te deterrere non debet, quod signa aperta sunt, quoniam denuo consignare poteris, siquidem Pomponia, quae Romae est, mariti signum habet.

pro se quam contra me laborare dicitur. 3. Ita omnibus rebus urgeor, quas sustinere vix possum vel plane nullo modo possum. Quibus in miseriis una est pro omnibus, quod istam miseram patrimonio, fortuna omni spoliatam relinquam. Quare te, ut polliceris, videre plane velim. Alium enim, cui illam commendem, habeo neminem, quoniam matri quoque eadem intellexi esse parata, quae mihi. Sed, si me non offendes, satis tamen habeto commendatam patruumque in ea, quantum poteris, mitigato. Haec ad te die natali meo scripsi, quo utinam susceptus non essem aut ne quid ex eadem matre postea natum esset! Plura scribere fletu prohibeor.

§ 3. *una est pro omnibus* ɔ: una gravitate sua reliquas omnes aequat, omnium loco mihi est. cf. II. 5, 1. *Cato, qui mihi unus est pro centum milibus.* Verg. Aen. III. 435 *unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum praedicam,* ubi contra optimos libros faciunt, qui scribant *prae,* quod Ortelius h. l. malebat. Sed hoc ne ferendum quidem erat. Recte dixeris: *una molestia est prae omnibus gravis* v. *gravissima;* sed quoniam *prae omnibus* est: si omnes alias comparamus, intelligitur non posse dici: *in miseriis una est prae omnibus.* Non recte de hoc usu praep. *pro* iudicavit Handius Turs. IV. p. 581.

patrimonio, fortuna omni spoliatam. Quod e Graevii coniectura et vestigiis duorum codd. nullius auctoritatis, quibus nunc tamen accedunt Scidae Wizz. his verbis praeponitur *patre* omnino delendum esse optime demonstravit Wesenbergius, Emend. p. 60. Asyndeton duorum nominum *patrimonio, fortuna* ne quem offendat, similia exempla ex his litteris laudo III. 13, 1 *causae meae, voluntati meorum* IX. 15, 3 *crudelem, iratum* V. 21, 12 *querentibus — postulantibus.* cf. praeterea Hofmann. ad ep. sel. II. 12, 2.

si me non offendes, ut supra *relinquam,* non cum Graevio explicandum est de moriendi, sed de alio abeundi consilio. In sententia conditionali futurum simplex rarius locum habet, sed non est sine exemplo. Vid. Sest. 51. *Quare moneo vos ne, si qua vos aliquando necessitas — vocabit, segniores sitis* cet. De tenui saepe discrimine inter utramque futuri temporis designationem Madvigius monuit Op Acad. II. p. 80 in adn.

in ea. Sine iusta causa in marg. Lamb. scripsit *in eam.* cf. supra ad IV. 17, 3.

die natali meo, qui erat a. d. III. Non. Ian.

utinam susceptus non essem aut ne quid — natum esset. Aliquod discrimen statuunt Ramshornius in Iahnii Ann. Philol. I. p. 371 et Haasius ad Reisigii Scholas adn. 495 inter *utinam non* et *utinam ne,* quasi illo modo fortius, quod fieri nolles, deprecareris. Illa sententia videtur probanda. *Utinam ne* est Fam. V. 17. 3 et recte a Baitero repositum est ad Q. fr. I. 3, 9 *sed haec utinam ne experiare,* ubi negatio in cod. Med. exciderat, et alii minus recte *non* interposuerunt.

X. (*A. U. C.* 707.)

1. Ad meas incredibiles aegritudines aliquid novi accedit ex iis, quae de Q. Q. ad me afferuntur. P. Terentius, meus necessarius, operas in portu et scriptura Asiae pro magistro dedit. Is Quintum

§ 1. *de Q. Q.* ɔ de Quintis, patre et filio, ut ea quae sequuntur docent.

operas — dedit ɔ: in vectigalibus Asiae exigendis societati publicanorum, qui ea conduxerant, magistri loco functus est. cf. Fam. XIII. 65, ubi eundem hunc P. Terentium Hisponem, *qui operas in scriptura pro magistro dat,* commendat P. Silio, qui a. 703

filium Ephesi vidit VI. Id. Decembr. eumque studiose propter amicitiam nostram invitavit, quumque ex eo de me percontaretur, eum sibi ita dixisse narrabat se mihi esse inimicissimum, volumenque sibi ostendisse orationis, quam apud Caesarem contra me esset habiturus; multa a se dicta contra eius amentiam, multa postea Patris simili scelere secum Quintum patrem locutum, cuius furorem ex iis epistolis, quas ad te misi, perspicere potuisti. Haec tibi dolori esse certo scio, me quidem excruciant, et eo magis, quod mihi cum illis ne querendi quidem locum futurum puto. 2. De Africanis rebus longe alia nobis, ac tu scripseras, nuntiantur: nihil enim firmius esse dicunt, nihil paratius. Accedit Hispania et alienata Italia, legionum nec vis eadem nec voluntas, urbanae res perditae. Quid est, ubi acquiescam, nisi quamdiu tuas litteras lego? quae essent profecto crebriores, si quid haberes, quo putares meam molestiam minui posse. Sed tamen te rogo, ut ne intermittas scribere ad me, quicquid erit, eosque, qui mihi tam crudeliter inimici sunt, si odisse non potes, accuses tamen, non ut aliquid proficias, sed ut tibi me carum esse sentiant. Plura ad te scribam, si mihi ad eas litteras, quas proxime ad te dedi, rescripseris. Vale XII. Kal. Febr.

Asiam pro praetore tenebat. Tales homines dicuntur quoque *esse in operis societatis*, ibid. 9, 3. De ceteris dixi ad V. 15, 3.

invitavit ɔ: ad caenam vocavit, hospitio excepit. cf. Cicero de Fato apud Macr. Sat. II. 12 (III. 16, 4). *Quum Scipio unum et alterum ex his qui eum salutatum venerant invitavisset.* Caes. B. C. I. 74 *alii suos in castra invitandi causa adducunt, alii ab suis abducuntur.*

§ 2. *Accedit Hispania.* Ibi tum Q. Cassius Longinus pro praetore a Caesare relictus animos Hispanorum a se alienaverat resque mire perturbaverat. Vid. liber de bello Alexandr. c. 48—64.

et alienata Italia. Antonii culpa — cf. Phil. II. c. 25 — et Dolabellae factis. ep. 12, 4 et 23, 3.

legionum — voluntas. Agitur de legionibus in Campania res novas molientibus. cf. Dio XLII. 30. — *urbanae res perditae* videntur referendae ad dissensionem inter Trebellium et Dolabellam, quam memorat Dio cap. 29.

XI. (*A. U. C.* 707.)

1. Confectus iam cruciatu maximorum dolorum, ne si sit quidem, quod ad te debeam scribere, facile id exsequi possim, † hoc minus, quod res nulla est, quae scribenda sit, quum praesertim ne spes quidem ulla ostendatur fore melius. Ita iam ne tuas quidem litteras exspecto, quamquam semper aliquid afferunt, quod velim. Quare tu quidem scribito, quum erit cui des: ego tuis proximis, quas tamen iam pridem accepi, nihil habeo quod rescribam: longo enim inter-

vallo video immutata esse omnia; illa esse firma quae † debeant, nos stultitiae nostrae gravissimas poenas pendere. 2. P. Sallustio curanda sunt HS. xxx., quae accepi a Cn. Sallustio: velim videas ut sine mora curentur. De ea re scripsi ad Terentiam. Atque hoc ipsum iam prope consumptum est; quare id quoque velim cum illa videas, ut sit qui utamur. Hic fortasse potero sumere, si sciam istic paratum fore; sed, priusquam id scirem, nihil sum ausus sumere. Qui sit omnium rerum status noster vides. Nihil est mali, quod non et sustineam et exspectem; quarum rerum eo gravior est dolor, quo culpa maior. Ille in Achaia non cessat de nobis detrahere; nihil videlicet tuae litterae profecerunt. Vale. VIII. Id. Mart.

§ 1. *hoc minus.* Omissum est ante haec verba *nunc possum* aut solum *nunc*, ut acute vidit W. Cf. Emend. alt. p. 124.

longo intervallo video ɔ: tandem aliquando video, quod ante non videram.

illa esse firma, quae debeant ɔ: Pompeianorum res in Africa et Hispania meliores esse. Pro *debeant* scripsissem *debent*, quum coniunctivi nullam esse rationem W. recte monuerit, nisi in hoc verbo putarem latere *debilia erant*, ut Kochius suspicatus est. Propterea vocabulum ut suspectum notavi.

§ 2. *hoc ipsum* ɔ: illa HS. xxx.

ut sit qui utamur ɔ: ut sit cuius usum capiamus, unde vivamus, ut sit in sumptum, ut scribit XV. 15, 4. cf. XIII. 23, 3 *habere qui utar laetor.* Ter. Ad. V. 9, 24 *dederis, unde utatur*, ubi cf. Donatus.

sumere ɔ: versuram facere, ut XIII. 6, 2.

Qui sit omnium rerum status noster. Observetur genetivus obiectivus, pro quo *in omnibus rebus* exspectes. Similiter in Cat. mai, 4, scripsit: *ceterarum rerum tuam excellentem sapientiam.* Fin. IV. 39 *virtutem volunt esse earum rerum*, ad q. l. cf. Madvigius, Caelius ad Fam. VIII. 14, 2: *neque mearum rerum quid consilii capiam reperio.* Praeiverant Plautus in Cistell. I. 1, 33 et Terentius in Adelph. IV. 5, 61.

Nihil est mali, quod non et sustineam et exspectem. Turpi ignoratione sermonis Latini Moserus Symb. Crit. V. p. 17 affirmavit h. l. *aut — aut* scribendum esse. Quasi vero is, qui alia mala sustinet, alia exspectat, non rectissime dicat *omnia mala sustineo et exspecto*, a quo *et sustineo et exspecto* ita diversum est, ut hac ratione utrique verbo par momentum tribuatur, quum *et* semel posito adiungatur id, quod levius videtur.

Ille in Achaia est Q. frater, qui Sicyone, deinde Patris moratus est. cf. h. l. 7, 7 et 10, 1.

XII. (*A. U. C.* 707.)

1. Cephalio mihi a te litteras reddidit a. d. IIX. Id. Mart. vesperi: eo autem die mane tabellarios miseram, quibus ad te dederam litteras. Tuis tamen litteris putavi aliquid rescribendum esse, ea re maxime, quod ostendis te pendere animi, quamnam rationem sim Caesari allaturus profectionis meae tum, quum ex Italia discesserim. Nihil opus est mihi nova ratione: saepe enim ad eum scripsi multisque mandavi

§ 1. *multisque mandavi me non potuisse.* Pron. *me* addidi e scidis Wirz. easdemque secutus sum paulo ante delens *lectis* in verbis *Tuis tamen lectis litteris* et post *rescribendum esse* inserens *ea re.* Nam e corr. Med. *esse eo* apparet in veteri exemplo, quo

me non potuisse, quum cupissem, sermones hominum sustinere, multaque in eam sententiam — nihil enim erat, quod minus eum vellem existimare quam me tanta de re non meo consilio usum esse — posteaque, quum mihi litterae a Balbo Cornelio minore missae essent illum existimare Quintum fratrem lituum meae profectionis fuisse — ita enim scripsit — qui nondum cognossem, quae de me Quintus scripsisset ad multos, etsi multa praesens in praesentem acerbe dixerat et fecerat, tamen † L. meo his verbis ad Caesarem scripsi:

2. »De Quinto fratre meo non minus laboro quam de me ipso, sed »eum tibi commendare hoc meo tempore non audeo; illud dumtaxat »tamen audebo petere abs te, quod te oro, ne quid existimes ab illo »factum esse, quo minus mea in te officia constarent minusve te dili»gerem, potiusque semper illum auctorem nostrae coniunctionis fuisse »meique itineris comitem, non ducem. Quare ceteris in rebus tantum »ei tribues, quantum humanitas tua amicitiaque vestra postulat; ego »ei ne quid apud te obsim, id te vehementer etiam atque etiam rogo."

3. Quare, si quis congressus fuerit mihi cum Caesare, etsi non dubito, quin is lenis in illum futurus sit idque iam declaraverit, ego tamen is ero, qui semper fui. Sed, ut video, multo magis est nobis laborandum de Africa, quam quidem tu scribis confirmari quotidie magis ad conditionis spem quam victoriae. Quod utinam ita esset! sed longe aliter esse intelligo, teque ipsum ita existimare arbitror, aliter autem scribere, non fallendi sed confirmandi mei causa, praesertim quum adiungatur ad Africam etiam Hispania. 4. Quod me admones ut scribam ad Antonium et ad ceteros, si quid videbitur tibi opus esse, velim facias id, quod saepe fecisti; nihil enim mihi venit

ille utebatur, tale quid ibi scriptum fuisse. cf. Halm in Mus. Rhen. XVIII. p. 461 sq. Deinde cum W. ex iisdem scidis et e Med. recepi *posteaque* pro *postea,* praecedentis sententiae distinctione mutata.

lituum meae profectionis. Apte Corradus comparavit locum ex Fam. VI. 12, 3, ubi Cicero scribit Ampium Balbum ab invidis *tubam belli civilis* vocari.

Tamen † L. meo his verbis — scripsi. Ita in Med. correctum est. Cod. Hisp. habere dicitur: *effecerat tamen moeroris verbis.* Scribendum videtur cum Lambino: *tamen de eo his verbis ad Caesarem scripsi.*

§ 2. *quod te oro.* Orare quum plus sit quam *petere,* vide ne scribendum sit: *quin te oro* et *audeo* pro *audebo.* Kochius illud intolerabile iudicans coniecit: *quoad te videro,* coll. quae seqq. initio § 3.

§ 3. *ad conditionis spem quam victoriae. Victoriae* recte opponi *conditionem* apparet ex his verbis Fam. VI. 2, 2 *si armis aut conditione positis aut defetigatione abiectis aut victoria detractis civitas respiraverit,* ubi similiter atque h. l. transactionem quandam indicat. cf. Gronov. ad Liv. XXXIV. 23 extr. Quare de *confirmandi* verbo dubitarent Ernestus et Orellius, causae nihil video.

§ 4. *velim facias — fecisti,* ut scribas epistolas ad eos meo nomine. cf. XI. 2, 4. 5, 3 et ep. seq. sub finem.

erectiorem esse animo. Ita codd. Med. et

in mentem, quod scribendum putem. Quod me audis erectiorem esse animo, quid putas, quum videas accessisse ad superiores aegritudines praeclaras generi actiones? Tu tamen velim ne intermittas, quod eius facere poteris, scribere ad me, etiam si rem, de qua scribas, non habebis; semper enim afferunt aliquid mihi litterae tuae. Galeonis hereditatem crevi; puto enim cretionem simplicem fuisse, quoniam ad me nulla missa est. VIII. Id. Mart.

Hisp. Et standum est hac Mss. scriptura, quae correctione Victoriana *fractiorem* longe potior est. Sequenti enim quaestione ostendit Cicero, quare non possit animo esse erectus et confirmatus.

generi actiones. cf. ep. 14, 2 et quae adnotabo ad ep. 23, 3.

quod eius facere poteris. Vulgo cum M[2] scribunt *quoad.* Ego cum Baitero revocavi quod M[1] servavit *quod eius f. p.*, quia hoc et legum formulis et Mss. auctoritate confirmatur. cf. H. Iordan, krit. Beitr. p. 336 seqq.

cretionem simplicem fuisse ↄ: meram cretionem, nihil praeter cretionem, quum Galeo nihil reliquerit et hereditas igitur nulla sit. Ineptas aliorum sententias de cretione simplici bene reiecit Schillingius in Observ. ad Hugonis hist. iur. Rom. p. 201. Wesenbergii suspicio post *nulla* intercidisse *epistola* sine dubio falsa est.

XIII. (*A. U. C.* 707.)

1. A Murenae liberto nihil adhuc acceperam litterarum. P. Siser reddiderat eas, quibus rescribo. De Servii patris litteris quod scribis, item Quintum in Syriam venisse quod ais esse qui nuntient, ne id quidem verum est. Quod certiorem te vis fieri quo quisque in me animo sit aut fuerit eorum, qui huc venerunt, neminem alieno intellexi; sed, quantum id mea intersit, existimare te posse certe scio. Mihi quum omnia sint intolerabilia ad dolorem, tum maxime, quod in eam causam venisse me video, ut sola utilia mihi esse videantur, quae semper nolui. P. Lentulum patrem Rhodi esse aiunt, Alexandreae filium, Rhodoque Alexandream C. Cassium profectum esse constat. 2. Quintus mihi per litteras satisfacit multo asperioribus verbis, quam

§ 1. *P. Siser.* Nomen hominis ignoti multis offensioni fuit, sed libr. consensu comprobatur.

De Servii p. litteris fortasse ad Caesarem datis.

certe scio. Ita Med. Vulgo *certo.* cf. ad III. 20, 1.

Mihi quum omnia sint intolerabilia cet. „Mihi et omnia alia, quae nunc me circumstant, causantur gravissimos et non ferendos dolores, et illud praecipue, quod eo descendisse videor, ut mihi tantummodo id prodesse possit, a quo semper abhorrui et in praesens abhorreo, ut Caesar vincat et perpetuam tyrannidem obtineat. Hoc autem dicit propter metum Pompeianorum in Africa et Hispania resurgentium, quibuscum se reconciliari posse non putabat." I. F. Gron.

in eam causam venisse. Causa de conditione ponitur. cf. Madv. ad Fin. I. 49.

P. Lentulum p. Rhodi esse aiunt. A Rhodiis eum non receptum fuisse narrat Caesar B. C. III. 102, et confirmat Lentuli filius in ep. ad Ciceronem data, Fam. XII. 14, 3.

quum gravissime accusabat: ait enim se ex litteris tuis intelligere tibi non placere, quod ad multos de me asperius scripserit, itaque se paenitere, quod animum tuum offenderit, sed se iure fecisse. Deinde perscribit spurcissime quas ob causas fecerit; sed neque hoc tempore nec antea patefecisset odium suum in me, nisi omnibus rebus me esse oppressum videret. Atque utinam vel nocturnis, quemadmodum tu scripseras, itineribus propius te accessissem! nunc nec ubi nec quando te sim visurus possum suspicari. 3. De coheredibus Fufidianis nihil fuit quod ad me scriberes; nam et aequum postulant et, quicquid egisses, recte esse actum putarem. 4. De fundo Frusinati redimendo iam pridem intellexisti voluntatem meam; etsi tum meliore loco res erant nostrae, neque tam mihi desperatum iri videbantur, tamen in eadem sum voluntate: id quemadmodum fiat tu videbis. Et velim, quoad poteris, consideres ut sit unde nobis suppeditentur sumptus necessarii. Si quas habuimus facultates, eas Pompeio tum, quum id videbamur sapienter facere, detulimus; itaque tum et a tuo vilico sumpsimus et aliunde mutuati sumus, quum Quintus queritur per litteras sibi nos nihil dedisse, qui neque ab illo rogati sumus neque ipsi eam pecuniam adspeximus. Sed velim videas quid sit quod confici possit, quidque mihi de omnibus (rebus) des consilii, et causam nosti. 5. Plura ne scribam dolore impedior. Si quid erit, quod ad quos scribendum meo nomine putes, velim, ut soles, facias, quotiesque habebis, cui des ad me litteras, nolim praetermittas. Vale.

§ 2. *spurcissime.* Vere Moserus Symb. Crit. V. p. 18 in fratre obiurgando mitius vocabulum desiderat. Sed non recte *apertissime* correxit. Magis probandum *parcissime*, quod proposuit C. F. Hermannus in Mus. Rhen. noviss. serie IV. 2. p. 316.

tu scripseras. cf. h. l. 5, 2.

§ 4. *De fundo Frusinati* cet. Vid. supra 4, 1.

videbantur. I. F. Gron. correxit *videbatur*, quod probo.

detulimus ɔ: tribuimus, concessimus.

quum Quintus queritur cet. Codd. *quereretur.* Non agitur de querela olim prolata, sed de eo quod Quintus nunc queritur. Itaque praesens pro coniunctivo imperfecti temporis reposui, obtemperans Madvigio A. C. III p. 188.

Et causam nosti. „Quid potissimum attendendum sit in ea consultatione, qui ponendi calculi, nosti. Locutio de foro, ut *docere causam* dicitur, qui patronum instruit de lite, Fam. VII. 21, et *discere causam* patronus dicitur ibid. X. 26." I. F. Gron.

§ 5. *quod ad quos scribendum — putes.* F. Ursinus, ut solet e vet. libro commendat: *ad quenquam.* Sed hoc ne Latinum quidem est. Scribe cum marg. edit. 1584 *ad aliquos.*

XIV. (*A. U. C.* 707.)

1. Non me offendit veritas litterarum tuarum, quod me quum communibus tum praecipuis malis oppressum ne incipis quidem, ut sole-

bas, consolari faterisque id fieri iam non posse: nec enim ea sunt, quae erant antea, quum ut nihil aliud comites me et socios habere putabam; omnes enim Achaici deprecatores itemque in Asia, quibus non erat ignotum, etiam quibus erat, in Africam dicuntur navigaturi. Ita praeter Laelium neminem habeo culpae socium, qui tamen hoc meliore in causa est, quod iam est receptus. 2. De me autem, non dubito quin ad Balbum et ad Oppium scripserit, a quibus, si quid esset laetius, certior factus essem, tecum etiam essent locuti: quibuscum tu de hoc ipso colloquare velim et ad me, quid tibi responderint, scribas, non quod ab isto salus data quicquam habitura sit firmitudinis, sed tamen aliquid consuli et prospici poterit: etsi omnium conspectum horreo, praesertim hoc genero, tamen in tantis malis quid aliud velim non reperio. 3. Quintus pergit, ut ad me et Pansa scripsit et Hirtius, isque item Africam petere cum ceteris dicitur. Ad Minucium Tarentum scribam et tuas litteras mittam, ad te scribam numquid egerim. HS. xxx. potuisse mirarer, nisi multa de Fufidianis praediis. † Et advideo tamen te exspecto, quem videre, si ullo modo

§ 1. *praecipuis malis* ɔ: quae mihi propria sunt. Saepe Cicero *praecipua* hac ratione opponit *communibus*, ut de prov. cons. 2. p. Sulla, 9 et passim in epistolis. cf. Matth. ad ep. 108, 1. Zumpt. ad Oratt. agrar. p. 102.

ut nihil aliud np. haberem. Elliptica locutio eiusdem generis, quod illustravi ad II. 15, 2.

Achaici deprecatores appellantur Pompeiani, qui in Achaia morabantur, Caesaris clementiam invocantes. cf. ep. seq. 1. et 16, 2.

itemque in Asia ɔ: qui in Asia sunt, ut scripsit ep. 16, 2. *Asiani*, quod ex vet. libro affert Ursinus, falsum est. Cicero appellasset *Asiaticos*. Vid. ad I. 17, 9.

quibus non erat ignotum ɔ: qui a Caesare veniam non impetraverant.

praeter Laelium. cf. h. l. 7, 2 et 15, 2. Est D. Laelius, qui classi Asiaticae Pompeii praefuerat, Caes. B. C. III. 5, et Brundisium circa tempus pugnae Pharsalicae obsedit, ibid. 100.

§ 3. *Quintus pergit* np. male de me loqui et scribere.

Tarentum. Ita nunc recte editur e coni. I. F. Gronovii. Med. dat *parentum*. Cicero volebat a Minucio sibi numerari XXX milia nummum, quae e venditione praediorum confecta Atticus Romae Minucii procuratoribus esset redditurus. Sed Minucius curavit tantum XII, ut legimus ep. 15, 2. Et Cicero ipse mirabatur potuisse tantum confici e praediis suis.

ad te scribam numquid egerim ɔ: numquid ea re apud Minucium effecerim. Temere *egerim* in multis editionibus in *egerit* est mutatum.

† *Et advideo tamen te exspecto.* Orellius putabat in *advideo* latere *aveo.* Malim sic corrigere: *sed avide tamen te exspecto*, ut tecum et de re mea familiari et de re publica colloquar.

si ullo modo potest np. *fieri.* cf. quae monui ad IV. 13, 1. Adde X. 4, 1. XI. 7, 3 alia. Deinde *poscit* quod non est e libris Mss., sed additum a Graevio, omisi, scripsique *est* cum Bosio. Verba *est enim res* designant: est operae pretium. Non displicet tamen lectio Lambini: *si ullo modo potes venire*, quae et ipsa non longe a codd. vestigiis abest. *Pervelim* debetur Ernesto pro vitioso *pervellem.*

Iam extremum concluditur. cf. ep. 25, 3, *iam enim mihi videtur adesse extremum.* Concludere saepius habet claudendi perficiendique vim, ut Fam. V. 12, 5 *varii casus si exitu notabili concluduntur.*

ibi facile est — existimare ɔ: quum res

potest — (est) enim res —, pervelim. Iam extremum concluditur; † ibi facile est quid quale sit hic gravius existimare. Vale.

ad exitum spectent, iam licet coniicere, quae pars quibusque de causis superior sit futura. Propter perpetuas Ciceronis dubitationes non facile reperies quid scripserit. Proxime tamen a vero abesse iudico, quod Wesenbergius in adn. critica proposuit: „*tibi facile est* ***, *quod quale sit, hic gravius est existimare*, ut exciderit subiectum verborum *tibi facile est*, infinitivus aliqui cum obiecto neutrius generis, ad quod relatum fuerit *quod*."

XV. (*A. U. C.* 707.)

1. Quoniam iustas causas affers, quod te hoc tempore videre non possim, quaeso quid sit mihi faciendum: ille enim ita videtur Alexandream tenere, ut eum scribere etiam pudeat de illis rebus, hi autem ex Africa iam affuturi videntur, Achaici, item ex Asia redituri ad eos aut libero aliquo loco commoraturi. Quid mihi igitur putas agendum? Video difficile esse consilium: sum enim solus aut cum altero, cui neque ad illos reditus sit neque ab his ipsis quicquam ad spem ostendatur. Sed tamen scire velim quid censeas, idque erat cum aliis cur te, si fieri posset, cuperem videre. 2. Minucium XII. sola curasse scripsi ad te antea; quod superest, velim videas ut curetur. Quintus non modo non cum magna prece ad me sed acerbissime scripsit, filius vero mirifico odio. Nihil fingi potest mali, quo non urgear: omnia tamen sunt faciliora quam peccati dolor, qui et maximus est et aeternus, cuius peccati si socios essem habiturus, quos ego putavi, tamen esset ea consolatio tenuis; sed habet aliorum omnium ratio exitum, mea nullum. Alii capti, alii interclusi non veniunt in dubium de voluntate, eo minus scilicet, quum se expedierint et una esse coeperint: ii autem ipsi, qui sua voluntate ad Fufium venerunt, nihil possunt nisi timidi existimari; multi autem sunt, qui, quocunque modo ad illos

§ 1. *iustas causas affers, quod.* Non solet Cicero sic loqui. *Quod* depravatum videtur e *quor* ɔ: *cur*, ut volebat Ursinus.

ille enim ita videtur cet. ɔ: Caesar tenet Alexandream, sed eam urbem adeo non subegit, ut pudeat eum scribere de iis, quae ibi geruntur. Cf. adnot. nostra ad VII. 13 A. 1. Verba si sic explicamus, nihil opus est coniectura Schuetzii, qui temptabat: *Illum enim ita videtur Alexandrea tenere* cet.

hi autem ex Africa, Achaici, ex Asia sunt omnes Pompeiani.

aut cum altero. Significat Laelium. cf. ep praec. § 1.

si socios essem habiturus ego, quos putavi. Sic vulgo cum Med. Corradus *ego* in *eos* mutavit. Ego e codice Faerni recepi: *quos ego putavi.* Pronomen cum vi hic additur.

§ 2. *ii ipsi, qui sua voluntate ad Fufium venerunt.* „Achaici, qui ultro concessere ad Fufium Calenum, quem Achaiae praefecerat Caesar (B. C. III. 55), non possunt accusari perfidiae, sed tantum timoris; itaque patet illis reditus ad partes." Gronov.

se recipere volent, recipientur. Quo minus debes mirari non posse me tanto dolori resistere; solius enim meum peccatum corrigi non potest et fortasse Laelii. Sed quid me id levat? nam C. quidem Cassium aiunt consilium Alexandream eundi mutavisse. 3. Haec ad te scribo, non ut queas tu meam demere sollicitudinem, sed ut cognoscam ecquid tu ad ea afferas, quae me conficiunt; ad quae gener accedit et cetera, quae fletu reprimor ne scribam: quin etiam Aesopi filius me excruciat. Prorsus nihil abest, quin sim miserrimus. Sed ad primum revertor, quid putes faciendum, occultene aliquo propius veniendum an mare transeundum; nam hic maneri diutius non potest. 4. De Fufidianis quare nihil potuit confici? genus enim conditionis eiusmodi fuit, in quo non solet esse controversia, quum ea pars, quae videtur esse minor, licitatione expleri posset. Hoc ego non sine causa quaero; suspicor enim coheredes dubiam nostram causam putare et eo rem in integro esse (velle). Vale. Pridie Idus Maias.

solius meum peccatum. Saepe Cicero genetivos adiectivorum numeralium pronominibus possessivis adiunxit, ut Cat. IV. 23 *suo solius periculo.* Pison. 6 *mea unius opera.* Vat. 8 *cum mea unius salute.* Fam. II. 6, 5 *unius tuo studio,* ubi is, qui cod. Med. correxit, male scripsit *tui.* ibid. VI. 16 *nostra ipsorum amicitia.* In orat. p. Plancio 26 in verbis: *cui nomen meum absentis honori fuisset, ei meas praesentis preces non putas profuisse?* haud scio an pronomina *meum* et *meas* interpolata sint. In fragmento ex oratione Lycurgi apud Rutilium Lupum I. 7 p. 25 Ruhnk. *itaque unius opera mea non concitatum bellum non necessarium scitis ante bellum intercidisse credo sed sedatum.*

Sed quid me id levat? Inepta quaestio. Scribendum puto *is* pro *id,* ut Cicero quaerat num sua culpa levior sit futura, quod Laelii eadem est.

C. Cassium cet. In ep. 13, 1 scripserat hunc Alexandream profectum esse, ut se Caesari adiungeret. Nunc nuntiabatur consilium mutasse neque se victori credere velle. Itaque Cassii alia causa erat, quam Ciceronis.

§ 3. *quin etiam Aesopi filius me excruciat.* Insanam hominis, qui a patre tragoedo amplissimum patrimonium acceperat, luxuriam narrant Horatius Sat. II. 3 v. 239 seqq. et Plinius H. N. IX. 122. Amabat Metellam P. Cornelii Lentuli Spintheris uxorem, amoribus suis famosam, quam eodem tempore Tulliae praeferebat Dolabella. Vid. h. l. 23, 3. XIII. 7, 1. Cicero igitur indignatur, quod filiae suae maritus cum perditissimo homine eiusdem mulieris amore tenebatur, cf. Wielandi adnot. Vol. V. p. 281 sq.

§ 4. Cicero cum aliis a Fufidio quodam heres factus habebat familiae erciscundae actionem, quae inter coheredes dabatur e XII tabulis, si nollent totam hereditatem plurimum licitanti tradere. Hoc quum vulgo fieret, coheredes rem in integro servare cupiebant, fortasse ea spe ducti, ut Cicero suam hereditatis partem potius cum damno sibi cederet, quam in iure experiretur.

expleri posset. Male e Corradi suspicione edunt *possit.* Nam his verbis *quum ea pars — posset* ratio redditur verborum: *genus — fuit,* ut recte observavit Wesenbergius Emend. p. 20. Cum eodem scripsi *hoc* pro *haec,* quia de una re quaeritur.

Dubiam nostram causam putare, „in ambiguo esse, utrum sim veniam consecuturus an non, itaque fieri posse, ut mea bona proscribantur." I. F. Gron.

Esse (velle). Scripsi ex mea coniectura. Nam *malle* non nititur certa libri Ms. auctoritate. At in Mediceo est: — *esse. Vale.*

XVI. (*A. U. C.* 706.)

1. Non meo vitio fit, hoc quidem tempore — ante enim est peccatum —, ut me ista epistola nihil consoletur; nam et exigue scripta est et suspiciones magnas habet non esse ab illo, quas animadvertisse te existimo. De obviamitione ita faciam, ut suades. Neque enim ulla de adventu eius opinio est, neque, si qui ex Asia veniunt, quicquam auditum esse dicunt de pace, cuius ego spe in hanc fraudem incidi. Nihil video quod sperandum putem, nunc praesertim, quum ea plaga in Asia sit accepta, in Illyrico, in Cassiano negotio, in ipsa Alexandrea, in urbe, in Italia; ego vero, etiamsi rediturus ille est, qui adhuc bellum gerere dicitur, tamen ante reditum eius negotium confectum iri puto. 2. Quod autem scribis quandam laetitiam bonorum esse commotam, ut sit auditum de litteris, tu quidem nihil praetermittis, in quo putes aliquid solatii esse, sed ego non adducor quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti *** fuisse, ut eam peterem ab illo, et eo minus, quod huius consilii iam ne socium quidem habeo quemquam. Qui in Asia sunt rerum exitum exspectant. Achaici etiam Fufio spem deprecationis auferunt. Horum et timor idem fuit primo,

§ 1. *ista epistola*, quam mihi misisti, tanquam a. d. V. Id. Febr. Alexandrea a Caesare ad me datam. Vid. ep. seq. § 3.

exigue scripta est ɔ: ut recte expl. I. F. Gronovius, „ieiune, tenuiter, non effusa comitate verborum, vix ut habeat benevolentiae notas." cf. Cic. Or. III. 144 *celeriter exigueque dicere*. Discrimen inter *exiguum* et *exile* aperuit Seiffertus ad Cic. Lael. p. 365. H. l. miror Ciceronem non scripsisse *exigue et exiliter*, ut fecit in illo Laelii loco § 58. Non opus est Pluygersii invento *ambigue*.

De obviamitione ita faciam, ut suades. ɔ: „quod suades, ut Caesari venienti quanto fieri potest cum honore obviam eam, faciam et facile possum promittere." Gronov. *Obviamitio* iterum legitur XIII. 50, 4.

quum ea plaga in Asia sit accepta, cet. Enumerat loca, ubi Caesaris res minus prospere successerant. Pluribus haec persequitur scriptor de bello Alexandrino. *In Asia* Cn. Domitius Caesaris legatus male cum Pharnace pugnarat, op. l. c. 34—41; *in Illyrico* Gabinius rem male gesserat, ibid. 43; in Hispania Q. *Cassius* Longinus paene a coniuratis interfectus, a militibus suis relictus periit, ibid. 48—64; *Alexandrea* victorem diutius morata est, ibid. 1—33; *in urbe* propter contentiones tribunorum res male administrabantur, ibid. 65; *in Italia* milites rapiebant, M. Antonius multa libidinose et avare agebat, Phil. II. 61.

negotium confectum iri ɔ: Pompeianos ex Africa in Italiam venturos esse, ut scripsit ep. sup. § 1.

§ 2. *ut sit auditum de litteris.* Kochio adsentior scribendum esse *de iis litteris*, ut in § 1. dicitur *ista epistola* et in § 4. *de iis litteris* et *istae litterae*. In omnibus his locis sermo est de Caesaris litteris.

non adducor quemquam bonum — putare. Plenius dixisset: *non adducor, ut credam, quemquam — putare*, ut scripsit Lael. 59. Omisso vero *credendi* verbo sequitur modo *ut*, modo accus. cum infin. Vid. Madvigius ad Fin. p. 32 sq. Feldh. ad Leg. II. 3, 6.

mihi tanti fuisse. Kochius Emendd. p. 17 sq. de h. l. disputavit et ostendit Ciceronem debuisse scribere *mihi tanti faciendam fuisse*. Non agitur de eo, quod fecerit, sed quod facere debuisse videretur. Itaque lacunae signa posui.

auferunt. Non dubitavi ita corrigere librorum scripturam *afferunt*. Dudum hoc in men-

qui meus, et constitutum; mora Alexandrina causam illorum correxit, meam evertit. 3. Quamobrem idem a te nunc peto, quod superioribus litteris, ut, si quid in perditis rebus dispiceres, quod mihi putares faciendum, me moneres: si recipior ab iis, quod vides non fieri, tamen, quoad bellum erit, quid agam aut ubi sim non reperio; sin iactor, eo minus. Itaque tuas litteras exspecto, easque ut ad me sine dubitatione scribas rogo. 4. Quod suades, ut ad Quintum scribam de iis litteris, facerem, si me quicquam istae litterae delectarent. Etsi quidam scripsit ad me his verbis: »Ego, ut in his malis, Patris sum »non invitus; essem libentius, si frater tuus ea de te loqueretur, quae »ego audire vellem." Quod ais illum ad te scribere me sibi nullas litteras remittere, semel ab ipso accepi; ad eas Cephalioni dedi, qui multos menses tempestatibus retentus est. Quintum filium ad me acerbissime scripsisse iam ante ad te scripsi. 5. Extremum est, quod te orem, si putas rectum esse et a te suscipi posse, cum Camillo communices, ut Terentiam moneatis de testamento: tempora monent, ut videat ut satisfaciat, quibus debet. Auditum ex Philotimo est eam scelerate quaedam facere. Credibile vix est, sed certe, si quid est, quod fieri possit, providendum est. De omnibus rebus velim ad me scribas,

tem venerat Manutio, qui tamen vulgatam lectionem quoque stare posse putabat, dum ita explices: „spem illi quidem Fufio afferunt, ituros se ad Caesarem, ut deprecentur; non tamen eunt." Non placet tam contorta explicatio.

constitutum vocatur id, de quo convenit inter homines, et potest tam negotium, quam locum et tempus indicare. Exempla vide p. Cael. 61. Att. XII. 1, 1. 23 extr. Fam. VII. 4. Temere igitur *institutum* vel *consilium* scribendum esse nonnullis placuit.

§ 3. *dispiceres — putares — moneres.* Pendent haec imperfecta a verbo *petivi*, quod audiendum est in enuntiato secundario. cf. Madv. Gr. Lat. § 408 adn. 4 interpr. meae. Totum hoc genus diligenter tractavit C. G. Dietricus in quaestt. gramm. et crit. Lips. a. 1835 editis, p. 34 seqq.

sin iactor. Scribendum puto: *Si reiicior,* non ut W. e cod. Crat. et Torn. edidit: *sin iactor aut reiicior.* Verbis *si recipior* egregie opponitur *si reiicior,* non recte *sin iactor* ɔ: si perturbor, si incertus sum quid agam.

easque ut — scribas. Cum Orellio de lectionis fide dubito, et vel cum eo *eaque* „sc. quae mihi facienda putes" vel *omniaque* melius puto.

§ 4. *iam ante — scripsi.* ep. 15, 2.

§ 5. *Extremum est, quod te orem* ɔ: Unum superest, quod te orem. *Quod* est pron. relat. et coniunctivus in sententia relativa ponitur de more post *est.*

cum Camillo. Errat Gronovius hunc vocans Ciceronis libertum. Sine dubio est idem ille amicus, qui Ciceronis absentis negotia curabat, de quo sermo est Fam. V. 20, 3. XIV. 5, 2 et in his epistolis V. 8, 3. VI. 1, 19. h. l. 23, 1.

ut satisfaciat, quibus debet ɔ: quemadmodum creditoribus suis solvat. Terentia si testamentum recte facere vellet, debebat rationem habere aeris sui alieni. Aliquid lucis haec accipient ex ep. 18 *a*, libri XII.

quid † scribas de ea cet. *Scribas* videtur deberi librario vocem modo positam male repetenti. Scrib. *sentias* v. *censeas*, ut vidit Wesenberg. Emend. 44 sq. qui praeterea emendat: — *de ea* (sc. re), *in qua tuo consilio egeo.* Verissime. Cicero in extrema epistola iterum flagitat, quod supra § 3 iam se

et maxime quid † scribas de ea (re), in qua tuo consilio egeo, etiam si nihil excogites; id enim mihi erit pro desperato. III. Nonas Iun.

ab amico edoceri velle monuerat. Male antea edebatur: — *de ea. In quo* cet.

etiam si nihil excogites. Haec praecedentibus iungenda et explicanda esse „etiam scribas velim, si nihil excogites, quod mihi faciendum putes" vidit Wesenbergius, qui pro vitioso *excogitas* restituit *excogites* propter *scribas.*

XVII. (*A. U. C.* 707.)

1. Properantibus tabellariis alienis hanc epistolam dedi; eo brevior est et quod eram missurus meos. Tullia mea venit ad me pridie Idus Iun. deque tua erga se observantia benevolentiaque mihi plurima exposuit litterasque reddidit trinas; ego autem ex ipsius virtute, humanitate, pietate non modo eam voluptatem non cepi, quam capere ex singulari filia debui, sed etiam incredibili sum dolore affectus, tale ingenium in tam misera fortuna versari idque accidere nullo ipsius delicto, summa culpa mea. Itaque a te neque consolationem iam, qua cupere te uti video, nec consilium, quod capi nullum potest, exspecto, teque omnia quum superioribus saepe litteris, tum proximis temptasse intelligo. Ego cum Sallustio Ciceronem ad Caesarem mittere cogitabam, Tulliam autem non videbam esse causam cur diutius mecum tanto in communi maerore retinerem. Itaque matri eam, quum primum per ipsam liceret, eram remissurus. Pro ea, † quam ad modum consolandis scripsisti, P. tanta eo me scripsisse, quae tu ipse intelligis responderi potuisse. 2. Quod Oppium tecum scribis locutum, non abhorret a mea suspicione eius oratio, sed non dubito quin istis persuaderi nullo modo possit ea, quae faciant, mihi probari posse,

§ 1. *Tullia mea* cet. Cf. Fam. XIV. 11, a. d. XVII. Kal. Quint. ad Terentiam data. Pater Tulliam duitius secum tenuit, ut apparet ex ep. 15 l. 1., qua simul uxorem certiorem facit, se filium non ad Caesarem misisse. cf. h. l. ep. 18, 1.

pro ea — potuisse. Post multos criticorum labores cum Manutio etiamnunc confitebor: „mendum video, correctionem adhuc quaero." Ne illud quidem satis constat, utrum his verbis sermo sit de epistola, an de filia. Hoc si admittas sententiam loci foede corrupti recte assecutus videtur Malaspina, quum scriberet: „quum quaedam pro Tullia fortasse Dolabellae aut alii cuidam scribenda essent, eam curam Cicero suo more in Atticum derivat." Si illud magis placet, ceteris coniecturis haec accedat: *Pro epistola, quam ad me consolandum scripsisti* πρᾳότατα, *putato ea me rescripsisse* cet. Neque enim Cicero *ad modum consolantis* scribere poterat, quum vellet *more consolantis* indicare, vel comparationem cum consolante instituere. Peerlkampius coniecit: *Pro ea, quam — scripsisse me putas, epistola, tantum scito ea me scripsisse* cet Verba dedi, ut in Med. inveniri Hauptius monuit l. c. p. 17.

quoquo modo loquar; ego tamen utar moderatione, qua potero, quamquam, quid mea intersit, ut eorum odium (ne) subeam, non intelligo. 3. Te iusta causa impediri quo minus ad nos venias video, idque mihi valde molestum est. Illum [ab] Alexandrea discessisse nemo nuntiat, constatque ne profectum quidem illim quemquam post Idus Mart., nec post Idus Decembr. ab illo datas ullas litteras, ex quo intelligis illud de litteris a. d. v. Id. Febr. datis — quod inane esset, etiamsi verum esset — non verum esse. L. Terentium discessisse ex Africa scimus Paestumque venisse. Quid is afferat aut quo modo exierit aut quid in Africa fiat scire velim; dicitur enim per Nasidium emissus esse; id quale sit, velim, si inveneris, ad me scribas. De HS. $\overline{x}$., ut scribis, faciam. Vale. XIIX. Kalend. Quint.

§ 2. *Ut eorum odium ne subeam.* Inserui *ne* de Wesenbergii sententia, Emend. p. 14. Putat enim Cicero nihil sua interesse, ut caveat, ne Caesaris amicos oratione sua irritet. *Ne* facilius excidit, quam *non*, quod non minus recte diceretur. *Non subeam* enim esset *effugiam.*

§ 3. [*ab*] *Alexandrea discessisse.* Baiterus coll. ep. 25, 2 et 18 init. recte vidit *ab* delendum esse.

de litteris a. d. V. Id. Febr. datis. Initio superioris epist. Cicero iam negavit illas Caesaris esse. Nunc et fictas vocat et inanes, quae nihil ipsum iuvarent.

per Nasidium. Hunc nominat Caesar B. C. II. 3 seqq. et scriptor de bello Afr. c. 98.

XVIII. (*A. U. C.* 705.)

1. De illius Alexandrea discessu nihil adhuc rumoris contraque opinio valde esse impeditum: itaque nec mitto, ut constitueram, Ciceronem et te rogo, ut me hinc expedias; quodvis enim supplicium levius est hac permansione. Hac de re et ad Antonium scripsi et ad Balbum et ad Oppium: sive enim bellum in Italia futurum est sive classibus utetur, hic esse me minime convenit; quorum fortasse utrumque erit, alterum certe. 2. Intellexi omnino ex Oppii sermone, quem tu mihi scripsisti, quae istorum ira esset, sed ut eam flectas te rogo. Nihil omnino iam exspecto nisi miserum, sed hoc perditius, in quo nunc sum, fieri nihil potest. Quare et cum Antonio loquare velim et cum istis rem, ut poteris, expedias et mihi quam primum de omnibus rebus rescribas. Vale. XII. Kal. Quint.

§ 1. *ut constitueram.* cf. ep. 17, 1 et Fam. XIV. 11.

ut me hinc expedias ɔ: ut efficias per Caesarianos, qui istic sunt, ut me Brundisio discedere patiantur.

§ 2. *quae istorum ira esset.* Recte monuit C. F. Hermannus in Philol. III, p. 106 pro *via*, ut e codd. edebatur, scribendum esse *ira*, eoque ducere v. *flectas*.

cum istis ɔ: cum Caesarianis, qui tecum in urbe sunt. Recte Ernestus *et* deleto his adiunxit sequentia: *rem, ut poteris, expedias.*

XIX. (*A. U. C.* 707.)

1. Quum tuis dare possem litteras, non praetermisi, etsi quod scriberem non habebam. Tu ad nos et rarius scribis, quam solebas, et brevius, credo, quia nihil habes, quod me putes libenter legere aut audire posse; verumtamen velim, si quid erit, qualecunque erit, scribas. Est autem unum, quod mihi sit optandum, si quid agi de pace possit; quod nulla equidem habeo in spe, sed, quia tu leviter interdum significas, cogis me sperare, quod optandum vix est. 2. Philotimus dicitur Idib. Sext.: nihil habeo de illo amplius. Tu velim ad ea mihi rescribas, quae ad te antea scripsi. Mihi tantum temporis satis est, dum, ut in pessimis rebus, aliquid caveam, qui nihil unquam cavi. Vale. xi. Kal. Sext.

§ 1. *quid erit* solum est in M. Incertum quid Cicero scripserit, *si quid*, ut legitur e cod. Urs., an *quod*, ut Lambinus, an *quicquid*, ut Klotzius correxit. Scripsi *si quid erit*, ut est in ep. 13, 5. 23 extr. et 24 extr.

§ 2. *Philotimus dicitur Idib. Sext.* Manutius, quem ceteri interpretes sequuntur, omissum putat *adfuturus* vel *ex Asia venturus*. Neque aliter haec explicari sinit subscriptio *XI Kal. Sext.* Sed quum sciamus ex ep. 23, 2 Philotimum cum litteris ad Ciceronem a. d. VII. Id. Quint. iam Rhodum venisse, et haec epistola tam diu ante Idus Sext. scripta sit, admodum suspecta mihi est temporis indicatio, eamque e scripturae corruptae mala correctione ortam puto. Etsi enim Philotimus revera circa Id. demum Sext. litteras Caesaris Ciceroni reddi curavit, vid. Fam. XIV. ep 23 et 24, tamen multo citius Rhodo Brundisium navigare potuisset. Fac olim scriptum fuisse: *Philotimus dicitur visus; set nihil habeo de illo amplius.* Postquam librarii oscitantia *visus* abiit in *idus*, quod in ed. Rom. legitur, hinc factum est *Idibus*, cui nomini tunc *Set* una littera auctum optime congruebat.

Mihi tantum temporis cet. Manutius vidit agi de consilio discedendi Brundisio, quod ep. 25, 1 indicarat his verbis: *dum erit ad quem des, quod longum non erit*, atque haec ita interpretatur: „Brundisii non est, cur diutius iaceamus; satis est, dummodo tantisper commoremur, dum aliquid caveamus." eodemque fere modo I. F. Gronovius haec interpretatus est. Verba *qui nihil unquam cavi* et ad Clodianum negotium et ad hoc civile bellum referri debent.

XX. (*A. U. C.* 707).

1. xvii. Kal. Sept. venerat die xxiix Seleucea Pieria C. Trebonius, qui se Antiocheae diceret apud Caesarem vidisse Quintum filium cum Hirtio; eos de Quinto, quae voluissent, impetrasse nullo quidem negotio: quod ego magis gauderem, si ista nobis impetrata quicquam

§ 1. *Seleucea Pieria.* Erat urbs Syriae maritima non longe ab Orontis ostio sita. cf. Plin. H. N. V. 79.

C. Trebonius. Hic alius erat, quam ὁμώνυμος, qui post praeturam urbanam a Caesare subito in Hispaniam (ulteriorem) missus est. Fam. XV. 21, 2. cf. Iudeich, op. laud. p. 194.

de Quinto patre, ut in Caesaris gratiam reciperetur.

si ista nobis impetrata cet. *Nobis* pendet a v. *haberent*, itaque loco non suo ponitur, sed

ad spem explorati haberent; sed et alia timenda sunt ab aliis, et ab hoc ipso quae dantur, ut a domino, rursus in eiusdem sunt potestate. 2. Etiam Sallustio ignovit. Omnino dicitur nemini negare, quod ipsum est suspectum notionem eius differri. M. Gallius Q. F. mancipia Sallustio reddidit. Is venit, ut legiones in Siciliam traduceret: eo protinus iturum Caesarem Patris; quod si faciet, ego, quod ante mallem, aliquo propius accedam. Tuas litteras ad eas, quibus a te proxime consilium petivi, vehementer exspecto. Vale. xvi. Kal. Septembr.

vel ante *ista* vel post *impetrata* collocandum est. Mox pro *ab aliis* Med. et editt. vett. *ab aliisque*. *Que* iamdiu recte deletum est.

§ 2. *Sallustio ignovit.* In Onom. Tull. hic locus perperam refertur ad C. Sallustium Crispum historicum. Nam nisi hic ab initio Caesarem esset secutus, non hoc eodem anno Africam cum imperio proconsulari obtinuisset, ut tradit scriptor de bello Afr. c. 97. At nihil obstat, quominus haec referantur ad Cn. Sallustium, ad quem scripta est ep. 17 lib. II. Fam. et qui nominatur in XIV. 11 ibid. et h. l. 11, 2.

quod ipsum — differri ɔ: quod ipsum movet suspicionem, Caesarem nunc omnibus veniam dantem, postea de singulis diligentius esse cogniturum. *Notionem* dici aliquando pro cognitione docuit Gronovius ad Tac. Ann. III. 59, allato praeter h. l. alio ex oratione p. domo 35. Schöne in Diar. antiq. a. 1848 p. 817 *notionem* h. l. et in or. p. Caec. 35 iudicat indicare poenam per honoris deminutionen, fere ut in notione censoria. Ego vel *cognitionem* vel cum Orellio *ultionem* h. l. a Cicerone scriptum fuisse iudico. Illo modo erratum est quoque in Orat. § 135, ubi pro vitioso *questionis* e duobus ll. correctum est *conquestionis*, et in Bruto § 142, ubi Lambinus recte scripsit *in conquestionibus* pro librorum omnium scriptura *in questionibus*.

M. Gallius mancipia Sallustio reddidit. Ille huius Pompeiani servos ut praedam occupaverat, nunc in gratiam Caesaris recepto reddidit.

XVI. Kal. In scidis Wirz. legitur *XIII Kal.*

XXI. (*A. U. C.* 707.)

1. Accepi vi. Kal. Sept. litteras a te datas xii. Kal. doloremque, quem ex Quinti scelere iampridem acceptum iam abieceram, lecta eius epistola gravissimum cepi. Tu etsi non potuisti ullo modo facere, ut mihi illam epistolam non mitteres, tamen mallem non esse missam. Ad ea autem, quae scribis de testamento, videbis quid et quo modo: de nummis et illa sic scripsit, ut ego ad te antea, et nos, si quid opus erit, utemur ex eo, de quo scribis. 2. Ille ad Kal. Sept. Athenis

§ 1. *de testamento* Terentiae. cf. ep. 16, 5. 22 extr. et 25, 3.

utemur ex eo, de quo scribis. Utemur *nummis*. Ita in verbis Varronis de re rust. I. 11 extr. „Si omnino aqua non est viva, cisternae faciundae sub tectis et lacus sub dio, ex altero loco ut homines, ex altero ut pecus uti possit" audiendum est ad v. *uti* e praecedentibus *aqua*.

§ 2. *Sulla* est P. Sulla, quem a. 692 de vi accusatum Cicero defenderat, quique et ad Dyrrachium et in pugna Pharsalica Caesari adfuit. cf. Caes. B. C. III. 51 et 89. *Primum* I. F. Gronovius mutavit in *primam*, adscrip-

non videtur fore: multa eum in Asia dicuntur morari, maxime Pharnaces. Legio XII., ad quam primum Sulla venit, lapidibus egisse hominem dicitur; nullam putant se commoturam. Illum arbitrabantur protinus Patris in Siciliam; sed, si hoc ita est, huc veniat necesse est. Ac mallem illim: aliquo enim modo hinc evasissem. Nunc metuo, ne sit exspectandum et cum reliquis etiam loci gravitas huic miserrimae perferenda. 3. Quod me mones ut † ea, quae ad tempus accommodem, facerem, si res pateretur et si ullo modo fieri posset. Sed in tantis nostris peccatis tantisque nostrorum iniuriis nihil est, quod aut facere dignum nobis aut simulare possim. Sullana confers, in quibus omnia genere ipso praeclarissima fuerunt, moderatione paullo minus temperata; haec autem eiusmodi sunt, ut obliviscar mei multoque malim, quod omnibus sit melius, (quam) quorum utilitati meam (ad)iunxi. Tu ad me tamen velim quam saepissime scribas eoque magis, quod praeterea nemo scribit ac, si omnes, tuas tamen maxime exspectarem. Quod scribis illum per me Quinto fore placatiorem, scripsi ad te antea eum statim Quinto filio omnia tribuisse, nostri nullam mentionem. Vale.

sitque: sc. earum, quas ex Italia in Siciliam ducere iussus erat. cf. Observ. I. 7.

lapidibus egisse. Orellius malebat *eiecisse*, Wesenb. *exegisse.* Non video quare *agere* minus ferendum sit, quam *pellere*, quo utitur in hac re ep. 22, 2. *Nullam putant se commoturam* ɔ: milites negant se usquam ire velle, nisi praemiis acceptis.

Illum arbitrabantur protinus Patris in Siciliam. Imperfectum revocavi e Mediceo estque prorsus necessarium. Sententia haec est: putabant Caesarem Patris non transiturum Brundisium, sed maritimo cursu in Siciliam traiecturum; sed nunc consilium mutabit.

Ac mallem illim. In codd. scriptura *ac mallem illum* C. F. Hermannus Philol. III. p. 106 mutat *itum.* Non fecisset, opinor, si inspexisset Wesenbergii Emend. p. 126 ubi *illum* mutatur in *illinc.* E scriptura *illim* ortum est *illum.* Sive autem *illim*, sive *illud* restitueris, hoc dicet, se malle Caesarem protinus Patris in Siciliam ire, quam iter facere per Italiam.

loci gravitas ɔ: gravitas huius caeli, ep. 22, 2. Utitur eadem appellatione Livius XXV. 26 extr.

huic miserrimae. Quum scidae Wirz. plane hoc dent, sine dubio reiiciendum quod olim Victorium secutus defendi *hic miserrime*, cui cod. Med. scriptura *huic miserrime* parum favet. Tulliae, quae tunc cum patre erat, aëris Brundisini gravitas non minus molesta erat. quam patri, qui de ea re queritur in ep. seq., 2.

§ 3. *Ut ea, quae ad tempus accommodem.* cf. 24, 5. Kochius monuit h. l. potius scribendum esse: *Ut me meaque ad tempus accommodem*, eique Baiterus paruit. Wesenbergius id improbavit Emend. alt. p. 125 et verbum *loquar* inter *ea, quae* omissum esse statuit. In re incerta verba corrupta esse indicavi.

genere ipso. „Quia pro nobilitate et optimatibus bellum gestum." Ern.

ut obliviscar mei ɔ: ut nullam meae salutis rationem habeam nolimque per Caesarem salvum esse.

malim, quod omnibus sit melius, (quam) quorum utilitati meam(ad)iunxi. quam debetur Madvigio, qui in Adv. crit. II p. 238 ostendit sine ea particula sententiam esse plane absurdam. Cicero id quod omnibus erat melius, sive communem utilitatem, praefert partium suarum utilitati. Pro eo, quod in Wirz. est *utilitatem eam*, in Med. *utilitatem meam*, Wes. scripsit *utilitate meam.* Sed Ciceronis est aliquid iungere cum re vel ad rem, non iungere cum dativo aut ablativo rei. cf. ad I. 19, 6. Propterea correxi: *quam quorum utilitati meam adiunxi.*

XXII. (*A. U. C.* 707.)

1. Diligenter mihi fasciculum reddidit Balbi tabellarius. Accepi enim a te litteras, quibus videris vereri, ut epistolas illas acceperim, quas quidem vellem mihi nunquam redditas; auxerunt enim mihi dolorem nec, si in aliquem incidissent, quicquam novi attulissent. Quid enim tam pervulgatum, quam illius in me odium et genus hoc litterarum? quas ne Caesar quidem ad istos videtur misisse quo illius improbitate offenderetur, sed, credo, uti notiora nostra mala essent. Nam quod te vereri scribis, ne illi obsint, eique rei (me vis) mederi, ne rogari quidem se passus est de illo; quod quidem mihi molestum non est, illud molestius, istas impetrationes nostras nihil valere. 2. Sulla, ut opinor, cras erit hic cum Messalla. Currunt ad illum pulsi a militibus, qui se negant usquam, nisi acceperint. Ergo ille huc veniet, quod non putabant, tarde quidem; itinera enim ita facit, ut multos dies in † oppidum ponat. Pharnaces autem, quoquo modo aget, afferet moram. Quid mihi igitur censes? Iam enim corpore vix sustineo gravitatem huius caeli, quae mihi laborem affert in dolore.

§ 1. *si in aliquem incidissent* ɔ: si non in meas, sed in alienas manus pervenissent. cf. ad Q. fr. III. 1, 21 *nihil scribo, quod si in alicuius manus inciderit, moleste ferendum sit.* Neque tamen *aliquis* apud Ciceronem aut bonos auctores ponitur pro *alio quo,* quod olim temere decretum et a Zumptio ad Verrin. p. 886 repetitum, recte explosum est a Madvigio ad Fin. III. 63. cf. Haasii obs. ad Reisigii Scholas 351, Bakius ad Leg. p. 424. Seyffert, Pal. Cicer. p. 166 et ad Laelium p. 232 et 408, qui docent *aliquem* plane referre Gr. τινα.

quo — offenderetur. Quod his proponitur *quasi* recte vidit Ernestus esse glossema particulae *quo,* quae post negationem (*ne — quidem*) nihil aliud est nisi *quasi.* cf. Wesenbergius Emend. p. 113. Paullo ante cum Kaysero scripsi *quas* pro *quod,* quoniam manifesto pronomen ad *litteras,* non ad *genus litterarum* referri debet.

eique rei (me vis) mederi. Recepi necessarium supplementum, quod invenit Madv. A. C. III. p. 188.

ne rogari quidem se passus est de illo ɔ: Caesar ultro Quinto filio, patris culpam deprecari cupienti, omnia tribuit.

istas impetrationes nostras nihil valere ɔ: id, quod impetramus, nihil esse, neminem confidere posse veniae a Caesare datae. *impetratio* rarissime in veterum scriptis legitur.

§ 2. *nisi acceperint* pecuniam, mercedem. Idem verbum absolute legimus V. 21, 5.

ut multos dies in oppidum ponat. Accusativus praepositioni additus distributionem designat. Saepe additur adi. *singuli* vel *omnes.* cf. Plancius ad Cic. Fam. X. 24, 1 *facere non possum, quin in singulas res — tibi gratias agam.* Diversa ratio est verborum ex epist. 37, XII ad Att.. quae Manutius in adnot. ad h. l. comparavit. Caesar, qui incredibili celeritate itinera faciebat, Suet. Caes. 57, tum fortasse tardius progrediebatur in oppidis conventus agens et legationes audiens. Peerlkampius *in uno oppido* necessarium putabat, Lambinus scripsit *in oppidis,* Wesenbergius *in oppidorum legationibus* simileve aliquid desiderat. Ego propter ea, quae legimus in Bello Alex. 65 cum Lambino facio. cf. W. Iudeich, op. laud. p. 110 seq.

laborem. Ursinus e vet. libro, ut ait, affert *languorem.* Magis Tullianum puto *dolorem in dolore.* Habebat *dolorem animi,* accedebat *dolor corporis.* Paulo ante codd. *qui.* Incertum, *quae* (Lamb.), an *quod* (Corr.), an *quia* (Klotz) Ciceronis sit.

An his illuc euntibus mandem ut me excusent, ipse accedam propius? Quaeso attende et me, quod adhuc saepe rogatus non fecisti, consilio iuva; scio rem difficilem esse, sed, ut in malis, etiam illud mea magni interest te ut videam; profecto aliquid profecero, si id acciderit. De testamento, ut scribis, animadvertes.

his, Sullae et Messalae.

saepe rogatus non fecisti. Schuetzius, ne Cicero amico iniuriam faceret, qui toties eum consiliis iuvarat, negationem transposuit *saepe non rogatus f.* Sed, recte ei opposuit Wesenbergius Emend. p. 16 *consilium* esse h. l. solam deliberationem, utrum Brundisii maneret an propius Romam accederet, iussitque conferri ep. 15, 1. 20, 2.

ut in malis ɔ: quantum licet in malis. Manutius haec recte explicavit comparans quoque ex 25, 3 *ut in perditis rebus* et *ut in pessimis rebus* ex ep. 19, 2. cf. quoque ad Q. fr. I. 1, 39. Fam. XII. 2, 2.

XXIII. (*A. U. C.* 707.)

1. Quod ad te scripseram ut cum Camillo communicares, de eo Camillus mihi scripsit te secum locutum. Tuas litteras exspectabam, nisi illud quidem mutari, si aliter est et oportet, non video posse; sed quum ab illo accepissem litteras, desideravi tuas, etsi putabam te certiorem factum non esse; modo valeres. Scripseras enim te quodam valetudinis genere temptari. 2. Agusius quidam Rhodo venerat IIX. Id. Quint. Is nuntiabat Quintum filium ad Caesarem profectum IV. Kal. Iun., Philotimum Rhodum pridie eum diem venisse, habere ad me litteras. Ipsum Agusium audies; sed tardius iter faciebat: eo feci, ut celeriter eunti darem. Quid sit in iis litteris nescio, sed mihi valde Quintus frater gratulatur: equidem in meo tanto peccato nihil ne cogitatione quidem assequi possum, quod mihi tolerabile possit esse.

§ 1. *scripseram.* h. l. 16, 5.

nisi illud — non video posse ɔ: sed video testamentum Terentiae mutari non posse, si aliter est atque esse oportet. Nulla in his verbis est obscuritas, quam Handius Turs. I. p. 269 iis intulit male distinguendo. De *aliter — et* monui ad X. 11, 1.

ab illo. Ita Scidae Wirz. Med. *a nillo,* unde I. F. Gronovius coni: *Camilli.* Mox pro *etsi* scribi *et sic* eidem placebat. Sed Cicero non scripsit: *desideravi et putabam.*

certiorem np. a Camillo, quod ille litteras ad me daturus erat, quibus tu tuas adiungere potuisses.

§ 2. *Agusius quidam* non debet confundi cum T. Agusio, quem suum necessarium Cicero commendavit P. Servilio Fam. XIII. 71.

pridie eum diem. Conspirant in hac lectione omnes codd. noti, soletque Cicero adverbiis *pridie* et *postridie* accusativum adiungere. ut II. 3, 3 *pridie Compitalia,* in subscr. ep. 15 h. l. et XIII. 25, 2 *pridie Idus. Pridie* et *postridie eius diei* dixit Caesar B. G. I. 47 et 48, et Cicero Fam. I. 4, 1.

litteras, quas Philotimus ad Ciceronem habebat, esse Caesaris, manifestum est. De iisdem agitur Fam. XIV. 24.

Eo feci, ut celeriter eunti darem. Delevi *eo* ante *celeriter* e praecedenti *eo* male repetitum, nisi forte in hac voce latet nomen tabellarii.

3. Te oro ut de hac misera cogites, et illud, de quo ad te proxime scripsi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam, et etiam de ipso testamento. Illud quoque vellem antea, sed omnia timuimus: melius quidem in pessimis nihil fuit discidio. Aliquid fecissemus ut viri, vel tabularum novarum nomine vel nocturnarum expugnationum vel Metellae vel omnium malorum, nec res perisset et videremur aliquid doloris virilis habuisse. Memini omnino tuas litteras, sed et tempus illud; etsi quidvis praestitit. Nunc quidem ipse videtur denuntiare; audimus enim † de staturi elodi. Generumne nostrum potissimum, ut hoc, vel tabulas novas? Placet mihi igitur et item tibi nuntium remitti. Petet fortasse tertiam pensionem. Considera igitur tumne, quum ab ipso nascetur, an prius. Ego, si ullo modo potuero, vel

§ 3. *etiam de ipso testamento* ɔ: etiam ut Terentiam moneas de testamento faciendo. Quod sequitur *illud* non ad testamentum, sed ad discidium Tulliae a Dolabella referri debet. Mallet Cicero id iam antea factum, sed veritus est, ne Dolabella Caesarem in se excitaret.

Aliquid fecissemus ut viri np. si antea matrimonium illud diremissemus. Pro *viri*, quod Pantagathi ingenio debetur, Bosius recepit *vini*, probavit Ernestus. Error libri Med. et Wirz. *vivi* non displicebat Corrado et Graevio. Adeo saepe certi librariorum errores doctissimis criticis imposuerunt.

vel tabularum novarum nomine, cet. Enumerat causas discidii, quas afferre potuisset. De lege a Dolabella lata, qua tabulas novas daret, quum ipse aere alieno obrutus esset, vid. Cassius Dio XLII 29 et 32.

vel nocturnarum expugnationum ɔ: vel hoc nomine, quod ille noctu impetus fecit in inimicorum aedes.

vel Metellae. cf. supra ad ep. 15, 3. Hic rursus cod. Torn. error, in quo *velim* aut *vel in* scriptum erat e prava repetitione sequentis literae *m* peperit infelicissimam Orellii suspicionem, qui malebat: *expugnationum villae Metellae.*

nec res perisset „sic statum salvum dotemque integram haberet Tullia." Gronovius.

Memini omnino — praestitit ɔ: scio equidem, quale tu mihi dederis consilium, sed temporibus servire tum mihi satius visum est; caecus tamen fui, nam quidvis pati praestabat, quam Dolabellae insolentiam ferre. Interpungendo haec verba obscuravit Tunstallus p. 183 sq.

denuntiare. Quum sine dubio sermo sit de repudianda uxore, scribendum est *renuntiare*, quod in tali re sollemne est. Correxit I. F. Gronovius, laudans Plauti Aul. IV. 10, 53. Ei respondet nostrum *opzeggen.*

audimus enim † de staturi elodi. In his conspirant Med. Torn. Hisp. Vulgo emendant: *Audimus enim de statu rei p.* (vel *urbis*). *O dii!* Ego malim: *Audimus enim de statu rei p. dira.* In iis quae sequuntur infinitivum requiro et legendum puto: *Generumne nostrum potissimum — velle tabulas novas!* Quae his interposita sunt, *ut hoc* non expedio, neque Schuetzium in add. VI. p. 500 bene correxisse puto: *Generumne nostrum potissimum uti hoc, ut tabulas novas.* Wesenbergius suspicatur Ciceronem fere sic scripsisse: *G. n. p. tam esse perditum, ut cogitet vel tabulas novas*, F. Schmidt: *audimus enim de Agusio eodem generum nostrum p. in hoc velle t. n.*

item scripsi de Orellii coni. Cod. Med. dat *idem.*

nuntium remitti ɔ: divortium fieri. Locutio sollemnis in ea re, tam de viro cf. de Or. I. 183 et 238, quam de muliere Top. 19 sq.

Considera igitur tumne (np. nuntius ei sit remittendus), *quum ab ipso nascetur* (ɔ: quum ipse nobis renuntiabit divortium), *an prius.* Cf. epist. ad Terentiam VI Id. Quint. missa, Fam. XIV. 13.

tu et haec — scribas velim. W. *haec* in *hoc* mutavit, quoniam haec referenda sunt ad verba: *Considera tumne — an prius.*

nocturnis itineribus experiar, ut te videam: tu et haec et si quid erit, quod intersit mea scire, scribas velim. Vale.

XXIV. (*A. U. C.* 707.)

1. Quae dudum ad me et quae etiam † ad me bis ad Tulliam de me scripsisti, ea sentio esse vera: eo sum miserior — etsi nihil videbatur addi posse —, quod mihi non modo irasci gravissima iniuria accepta, sed ne dolere quidem impune licet. Quare istuc feramus. Quod quum tulerimus, tamen eadem erunt perpetienda, quae tu ne accidant ut caveamus mones; ea enim est a nobis contracta culpa, ut omni statu omnique populo eundem exitum habitura videatur. 2. Sed ad meam manum redibo; erunt enim haec occultius agenda. Vide quaeso etiamnunc de testamento, quod tum factum (est), quum illa haerere coeperat. Non, credo, te commovit, neque enim rogavit ne me quidem; sed, quasi ita sit, quoniam in sermonem iam venisti, poteris eam monere, ut alicui committat, cuius extra periculum huius belli fortuna sit. Equidem tibi potissimum velim, si idem illa velit, quam quidem celo miseram me hoc timere. De illo altero, scio equidem venire nunc nil posse, sed seponi et occultari possunt, ut extra

§ 1. *et quae etiam ad me bis ad T. de me scripsisti.* Vitiosum est *ad me.* Neque placet *bis* vel *vis;* nam si Atticus plus semel scripsisset, Cicero potius dixisset *saepius.* E Speciani libro Manutius verba ita emendavit: *et quae etiam ad meam T. de me scripsisti.* Probarem, nisi longius a notorum Mss. vestigiis recederet. Requiritur aliquid, quod opponatur v. *dudum,* et fortasse in illis verbis *ad me vis* temporis designatio latet, velut *a. diem VII.*

gravissima iniuria accepta. Haec videntur spectare Dolabellam, cuius iniuria erga Tulliam non vindicanda, sed tacite ferenda erat, ne Ciceroni apud Caesarem noceret.

omni statu omnique populo ɔ: quicunque rerum status sit futurus, quemcunque populum sim experturus, sive propenso in me animo, sive iniquo.

§ 2. *Sed ad meam manum redibo; erunt enim haec occultius agenda.* Superiora Cicero dictaverat librario, hinc ipse scribere coepit. Pro vitioso *reddiderunt* Bosius e Scidis, ut ait, reposuit *redi dehinc.* Sed qui sua manu scribere incipit, ad suam ipse manum redit, non iubet eum, ad quem litteras dat, eo redire. Itaque alii scripserunt *redeo* vel *redii.* Ego malui: *redibo; erunt enim h. o. a.* Aliter haec temptavit Peerlkampius; *sed ad rem. Manus dedi* ɔ: sentio vera esse, quae scripsisti; *dehinc enim* cet.

de testamento. cf. ad ep. 25, 3 h. l.

haerere. Verissima est Pii, Ursini, Mureti emendatio *haerere,* quo verbo apte declaratur rei familiaris inopia. Codd. *quaerere.*

Non, credo, te commovit ɔ: tuum consilium non rogavit, tibi molesta non fuit. Sequentia verba sine distinctione scripsi, ut v. *rogavit* obiectum habeat *me.*

in sermonem iam venisti ɔ: de testamento cum Terentia colloqui iam coepisti.

si idem illa velit. Sic pro *vellet* scripsit Wes. Non video, qui possint haec de Tullia accipi. *Illa,* ut supra, est Terentia, quam miseram celabat timorem suum, ne bona sua proscriberentur.

De illo altero cet. Illustrantur iis, quae ante scripserat ep. 25, 3 *Te oro, ut in perditis rebus, si quid cogi confici potest, quod sit in tuto, ex argento — supellectile, des operam. Venire* est itaque i. q. *venumdari.*

§ 3. *quod scribis nostra et tua* cet. Quod

ruinam sint eam, quae impendet. 3. Nam quod scribis nostra et tua Tulliae fore parata, tua credo, nostra quae poterunt esse? De Terentia autem — mitto cetera, quae sunt innumerabilia — quid ad hoc addi potest? Scripseras, ut HS. $\overline{\text{XII}}$. permutarem, tantum esse reliquum de argento. Misit illa CCIↃↃ. mihi et adscripsit tantum esse reliquum. Quum hoc tam parvum de parvo detraxerit, perspicis quid in maxima re fecerit. 4. Philotimus non modo nullus venit, sed ne per litteras quidem aut per nuntium certiorem facit me, quid egerit. Epheso qui veniunt, ibi se eum de suis controversiis in ius adeuntem vidisse nuntiant, quae quidem — ita enim veri simile est — in adventum Caesaris fortasse reiiciuntur. Ita aut nihil puto eum habere, quod putet ad me celerius perferendum, † ut eo me magis esse despectum, ut etiamsi quid habet, id, nisi omnibus suis negotiis confectis, ad me referre non curet; ex quo magnum equidem capio dolorem, sed non tantum, quantum videor debere: nihil enim mea minus interesse puto, quam quid illinc afferatur. Id quamobrem te intelligere certe scio. 5. Quod me mones de vultu et oratione ad tempus accommodanda, etsi difficile est, tamen imperarem mihi, si mea quicquam interesse putarem. Quod scribis litteris putare Africanum negotium confici posse, vellem scriberes cur ita putares; mihi quidem nihil in mentem venit, quare id putem fieri posse. Tu tamen velim, si quid erit, quod consolationis aliquid habeat, scribas ad me; sin, ut perspicio, nihil erit, scribas id ipsum. Ego ad te, si quid audiero citius, scribam. Vale. IIX. Id. Sext.

post v. *scribis* in codd. est *nobis* librario oscitanti deberi quum vix dubium esset, delevi.

ut HS. $\overline{XII}$. permutarem. Recte Corradus correxit codd. scripturam *permutaret.* Atticus amico scripserat, ut Brundisii ab aliquo sumeret HS. $\overline{\text{XII}}$, Romae a Terentia solvenda; Terentia autem HS. X misit, atque igitur, si Atticus summam accurate indicarat, duo milia HS. detraxerat.

§ 4. *Philotimus.* cf. ad ep. 19, 2. *nullus* pro *omnino non* est quoque XIV. 3, 1. XV. 22 et 29, 1. cf. Reisig cum adnot. Haasii 395.

in ius adeuntem. Solet in hac formula praepositio addi, ut in Plebiscito de Thermensibus col. 2. v. 42 QUO DE EA RE IN IOUS ADITUM ERIT. Ac. Verr. L. II. § 55 *antequam in ius aditum est.* Caes. B. C. I. 87 *ad Caesarem in ius adierunt.*

ut eo me magis esse despectum, ut — non curet. Ita M. vitiose. Pro priore *ut* Ursinus *aut* edidit. Madvigius primus intellexit *magis* alienum esse et sententiam restituit scribendo: *aut adeo me in malis esse despectum* cet. cf. A. C. III p. 189.

§ 5. *litteris* ɔ: per epistolas utrinque missas.

scribas ad me; sin — nihil erit, scribas cet. Ita distinxi verba, ut appareret utrumque *scribas* pendere a *velim.* cf. Mulleri coni. Tull. p. 10.

XXV. (*A. U. C.* 707.)

1. Facile assentior tuis litteris, quibus exponis pluribus verbis nullum consilium, quo a te possim iuvari: consolatio certe nulla est, quae levare possit dolorem meum; nihil est enim contractum casu — nam id esset ferendum —, sed omnia fecimus iis erroribus et miseriis et animi et corporis, quibus proximi utinam mederi maluissent! Quamobrem, quoniam neque consilii tui neque consolationis cuiusquam spes ulla mihi ostenditur, non quaeram haec a te posthac: tantum velim, ne intermittas, scribas ad me, quicquid veniet tibi in mentem, quum habebis cui des, et dum erit ad quem des, quod longum non erit. 2. Illum discessisse Alexandrea rumor est non firmus, ortus ex Sulpicii litteris, quas cuncti postea nuntii confirmarunt: quod verum an falsum sit quoniam mea nihil interest, utrum malim nescio. 3. Quod ad te iampridem de testamento scripsi, apud † epistolas velim, ut possim, adversas. Ego huius miserrimae † facultate confectus conflictor: nihil unquam simile natum puto; cui si qua re consulere aliquid possum, cupio a te admoneri. Video eandem esse difficultatem, quam in consilio dando ante; tamen hoc me magis sollicitat quam omnia. In pensione secunda caeci fuimus: aliud mallem, sed

§ 1. *Nullum consilium.* Merito Orellius in alt. edit. repudiavit verba *te habere,* quae sine ullius libri Mss. auctoritate vulgo his verbis interponuntur. Ea si Ciceronis essent, certe non sequeretur *a te.* Suspicor tamen post *verbis* intercidisse *esse.*

utinam mederi maluissent. Quum putaret deesse, quod opponeretur verbo *mederi,* editor Iuntinae addidit *quam obesse,* quod extricavit e seqq. *quam ob rem.* Cicero posuisset aliud verbum. Sed nullo additamento opus est. Quivis enim sentit audiendum esse: *quam illas sua culpa augere.*

neque consolationis cuiusquam spes ulla mihi ostenditur ↄ: quum nulla spes sit ullius hominis consolatione meum dolorem levari posse. Recte Wes. sprevit Madvigii coniecturam *usquam* pro *cuiusquam* minime necessariam.

ne intermittas. Usus verbi absolutus denuo vexavit antiquum editorem, qui de suo dedit: *ne pristinum hoc officium intermittas.* Sed e *velim* — *scribas* ad *intermittas* supplendum esse *scribere* luce clarius est.

§ 3. *Quod — scripsi.* ep. 16, 5. Rursus de hoc negotio scribit ep. 23, 1 et 24, 2. Quae sequuntur foede corrupta sunt. Ego partim duce Bosio ita fere corrigo: — *apud* εὔπιστόν τινα *velim ut possit adservari.* In eandem fere sententiam scribit ep. 24, 2 *poteris eam monere, ut alicui committat, cuius extra periculum huius belli fortuna sit.*

† *facultate.* In edit. Rom. legitur *fatuitate,* quod pessimae coniecturae debetur. *Haec miserrima,* ut ep. 21 2, erat Tullia, cuius miserias deflere solet. Sententia requirit *infelicitate,* ut vidit Orellius. Usus dicendi Tullianus adversatur invento Klotzii *vacuitate* scribentis, neque Kochius in Emendd. lib. p. 19 suum *fecunditate* nobis probavit. Verba, quae hunc vexabant *nihil unquam simile natum puto,* quae de novo partu Tulliae accepisse videtur, sic explicanda sunt: neminem mortalium tam malo fato natum puto.

conflictor. „Fort. *afflictor.*" D. Wyttenbach. in adnot. MS.

In pensione secunda caeci fuimus ↄ: poenitet me nunc, quod pensionem dotis secundam Dolabellae solvi; factum nollem, sed sero est.

praeteriit. Te oro, ut in perditis rebus, si quid cogi, confici potest, quod sit in tuto, ex argento atque satis multa ex supellectile, des operam; iam enim mihi videtur adesse extremum nec ulla fore conditio pacis eaque, quae sunt, etiam sine adversario peritura. Haec etiam, si videbitur, cum Terentia loquere tu opportune: non queo omnia scribere. Vale. III. Non. Quint.

ex argento atque satis multa ex supellectile. Ernestum merito offendebant vv. *neque* (ita legebat cum Victorio) *satis multa.* E scriptura codicis Medicei *ex argento teque satis multa est supellectile* Kochius eruit: *ex argento, vestimentis, supellectile.* Recte, nisi potius fuit: *ex argento et vestimentis et supellectile.*

etiam sine adversario peritura, suis factionibus, quum dissentirent in repb. Dolabella, Trebellius, Antonius.

loquere tu. E codd. citantur *loqueretur* et *loquetor.* Itaque scribas censeo: *loquitor,* ut volebat Malaspina.

LIBER XII.

I. (*A. U. C.* 708.)

1. Undecimo die postquam a te discesseram, hoc litterularum exaravi egrediens e villa ante lucem, atque eo die cogitabam in Anagnino, postero autem in Tusculano, ibi unum diem: v. Kalend. igitur ad constitutum. Atque utinam continuo ad complexum meae Tulliae, ad osculum Atticae possim currere! Quod quidem ipsum scribe quaeso ad me, ut, dum consisto in Tusculano, sciam quid garriat: sin rusticatur, quid scribat ad te, eique interea aut scribes salutem aut nuntiabis, itemque Piliae. Et tamen, etsi continuo congressuri sumus, scribes ad me, si quid habebis. 2. Quum complicarem hanc epistolam,

§ 1. *e villa.* Videtur hanc epistolam dedisse ex Arpinati, unde commode uno die in Anagninum iter facere poterat. cf. ad Q. fr. II. 7. E mentione V *Kal.* retro computando apparet scriptam esse a. d. VIII Kal. Sed cuius mensis Kalendae fuerint, non liquet.

ad constitutum ɔ: in locum, ubi tecum constitui. cf. ad XI. 16, 2.

Quod ipsum np. osculum sive parvum os Atticae. Haec iungenda sunt cum verbo *garriat.*

Et tamen, etsi cet. Recte haec distinguuntur. Itaque hic locus eximendus est ex exemplis, quae Muretus V. L. XI. collegit, in quibus *tamen etsi* pro *tametsi* legitur. Monui de hoc usu ad V. 17, 1.

§ 2. *noctuabundus.* Hoc ἅπαξ εἰρημένον

noctuabundus ad me venit cum epistola tua tabellarius, qua lecta de Atticae febricula scilicet valde dolui; reliqua, quae exspectabam, ex tuis litteris cognovi omnia, sed quod scribis, »igniculum matutinum γεροντικόν," γεροντικώτερον est memoriola vacillare. Ego enim IIII. Kal. Axio dederam, tibi III., Quinto, quo die venissem, id est V. Kal. Hoc igitur habebis, novi nihil. Quid ergo opus erat epistola? quid quum coram sumus et garrimus quicquid in buccam? Est profecto quiddam λέσχη, quae habet, etiamsi nihil subest, collocutione ipsa suavitatem.

mihi suspectum est. Talia enim adiectiva vel participia Latini a verbis formarunt. M. Seyfferto ad Tusc. II. 30 neganti illa a verbis primae coniugationis ducta esse Tulliana oppono *volutabundum* ex lib. II de Rep. apud Nonium p. 491. Sed neque demonstrari potest eos habuisse verbum *noctuare*, neque si vel maxime habuerint, apparet quomodo dici possit *noctuabundus venit* de eo, qui per totam noctem in via fuit. Quod Vitriolo in mentem venit *nauseabundus*, non displicet. Tabellarius fortasse saepius caupones intrans nimia cibi vinique copia stomachum oneraverat.

de Atticae febricula. Iam ante suum dolorem de Attica aegrotante patri indicavit in ep. 6 h. l. ultimis verbis. *Scilicet valde dolui.* Particula *scilicet* urget, quod dicit *valde dolui*, diciturque de re minime dubia. Nos dicimus *natuurlijk*, Germani *allerdings*. cf. XIII. 1, 2 *maxime scilicet ob eam causam.* XIII. 3, 1 *A te litteras exspectabam, nondum scilicet.* Fam. I. 6, 1 *maxime scilicet consolatur spes.* Madv. ad Fin. V. 3.

quod scribis „igniculum matutinum γεροντικόν" cet. Cicero amicum rogarat, ut sibi ignem accenderet frigoris matutini depellendi causa. Hoc quum Atticus illo anni tempore ingravescentis senectutis indicium esse rescripsisset, Cicero respondet: „Immo vero multo magis senium prodit memoriae defectus, quo tu laboras."

dederam ɔ: constitueram, *IIII Kal.* obiectum habet. Illo die cum Axio esse constituerat, III Kal. cum Attico, non ut hic memoriae lapsu credebat V Kal. Cicero tamen, ut e superioribus apparet, nunc promittit se illo die ad constitutum venturum esse.

id est V Kal. Sic recte legitur in Med., ut in § 1. Manutium V in II mutantem male plerique editores et ego in priore editione secutus sum. Illud bene defendunt Mongaltius ad h. l. et Th. Schiche, ad epp. ad Att. II p. 11.

Hoc — habebis ɔ: Sic tuo te gladio iugulo, tuo dicto in te utor. Cicero videtur respicere locutionem gladiatorum: *Hoc habet.*

λέσχη, *confabulatio*, qua qui nimis delectantur ἀδολέσχοι, *fatui*, appellantur. Cf. Casaub. ad Theophr. Charact. cap. 3 init. et Valcken. anim. ad Ammon. p. 211 seqq.

II. (*A. U. C.* 708.)

1. Hic rumores tamen Murcum perisse naufragio, Asinium delatum vivum in manus militum, L. naves delatas [in] Uticam reflatu hoc,

§ 1. *Hic rumores tamen Murcum perisse naufragio.* Sine causa haec verba suspecta sunt. *Tamen* referendum est ad Attici quandam epistolam, qui scripserat se non credere post suum discessum quicquam novi Romam allatum esse. cf. ep. 35 h. l. et Fam. IX. 19, ubi *tamen* initio epistolae nemini offensioni fuit. Si quid mutandum, mallem cum Peerlkampio scribere *Huc rumores manant Murcum* cet., quam cum Orellio *Hic rumor est Statium Murcum* cet. Rumores autem illi vani fuerunt, ut facile demonstrari potest. De Murco vid. Fam. XII. 11. Phil. XI. 30. Vell. II. 77.

Pompeium non comparere nec in Balearibus omnino fuisse, ut Paciaecus affirmat. Sed auctor nullius rei quisquam. Habes quae, dum tu abes, locuti sunt. 2. Ludi interea Praeneste — ibi Hirtius et isti omnes — et quidem ludi dies octo. Quae coenae! quae deliciae! Res interea fortasse transacta est. O miros homines! At Balbus aedificat; τί γὰρ αὐτῷ μέλει; verum si quaeris, homini non recta sed voluptaria quaerenti nonne βεβίωται? Tu interea dormis. Iam explicandum est πρόβλημα, si quid acturus es: si quaeris quid putem, ego † fructum puto. Sed quid multa? iam te videbo, et quidem, ut spero, de via recta ad me; simul enim et diem Tyrannioni constituemus et si quid aliud.

L. naves delatas in Uticam. In Med. quum sit *navis delata in Uticam*, mihi suspicio orta est scribendum esse: *L. navem delatam Uticam*, ut L. non sit *quinquaginta*, sed compendium nominis proprii. *reflatu hoc* ɔ: adverso vento reiectam a cursu. — *Pompeium.* Latet de utro Cn. Pompei filio sermo sit. Plerique interpretes ad Cnaeum referunt.

Paciaecus. Recte Orellius ex ep. 18, 2 libri VI ad Fam. Plenum hominis nomen fuisse L. Iunium Paciaecum e libro de bello Hispan. 3 novimus.

§ 2. *Ludi interea Praeneste.* Fortunae, ut videtur, quae ibi colebatur. de Div. II. 85.

O miros homines! qui in tanto rerum discrimine, quum Caesar nondum oppresserit Pompeii filios, ludos spectent et epulis delicatis vacent.

verum si quaeris, cet. In explicando hoc loco interpretes plerique secuti sunt Manutium et Hadr. Turnebum, qui Advers. XII. 2, βεβίωται ad eos refert, qui genio indulgent, putatque Ciceronem amico auctorem esse, ut vitae felicitatem in fruendo s. in voluptate ponat. Sed huic explicationi obstat forma verbi βεβίωται, quae nihil aliud indicare potest, nisi *vita peracta est* ut XIV. 21, 3, ubi scripsit Cicero: *Sed mihi quidem* βεβίωται, et in verbis Senecae Epist. I. 12, unde male Turnebus suae opinionis praesidium petiit. Et quis ignorat *fuisse* et *vixisse* mali ominis vitandi causa dixisse veteres pro mortem obiisse, quod exemplorum copia illustravit Gatakerus, de stylo novi foederis, cap. 19. Hoc quoque dispicere mihi videor verbis *si quaeris quid putem* instaurari atque repeti illam quaestionem: *si quaeris — nonne* βεβίωται cui nunc demum respondetur: *ego peractum puto*, ut Moserus Symb. Crit. V. p. 19 emendavit, vel *ego confectum puto*, ut legimus Fam. IX. 2, 4. Illa tamen: *tu interea dormis* (ɔ: nihil agis.) *Iam explicandum est* πρόβλημα, *si quid acturus es* mire his interponuntur.

diem Tyrannioni constituemus, quo librum suum nobis legat. cf. ep. 6, 2 h. l.

III. (*A. U. C.* 708.)

1. Unum te puto minus blandum esse quam me et, si uterque nostrum est aliquando adversus aliquem, inter nos certe nunquam sumus; audi igitur me hoc ἀγοητεύτως dicentem: ne vivam, mi Attice, si mihi non modo Tusculanum, ubi ceteroqui sum libenter,

§ 1. *adversus aliquem* ɔ: erga aliquem blandus. Moneo, ne quis forte cum Handio in Turs. I. p. 185 et Freundio in Lexico I. p. 109 *contra aliquem* explicet. Ad rem cf. ep. 5, 4: *Scis me minime esse blandum,* quo nunc tamen non respicitur.

ἀγοητεύτως, sine praestigiis, sine fuco, sincere.

sed μακάρων νῆσοι tanti sunt, ut sine te sim tot dies. Quare obduretur hoc triduum, ut te quoque ponam in eodem πάθει, quod ita est profecto. Sed velim scire hodiene statim de auctione, et quo die venias. Ego me interea cum libellis, ac moleste fero Vennonii me historiam non habere. 2. Sed tamen, ne nihil de re, nomen illud, quod a Caesare, tres habet conditiones, aut emptionem ad hastam — perdere malo, etsi praeter ipsam turpitudinem hoc ipsum puto esse perdere — aut delegationem a mancipe annua die — quis erit cui credam, aut quando iste Metonis annus veniet? — aut Vettieni conditione semissem: σκέψαι igitur. Ac vereor, ne iste iam auctionem nullam faciat, sed ludis factis ἀτύπῳ subsidio currat, ne talis vir

ceteroqui. Hoc adverbium, quod Orellius ad Cic. Orat. § 83 edit. minoris a librariis saepe obliteratum putabat, certa auctoritate nititur h. l. et Fam. VI. 19, 1, atque recte editur Att. XIV. 16, 1. XVI. 4, 1. N. D. I. 60. Orat. 83, ubi *ceteroque, certoque* manifesti librariorum errores sunt. Sine causa Handio Turs. II. p. 44 suspectum fuit, ut visum quoque Seyfferto, Pal. Cicer. p. 15. Cf. O. Ribbeck, de particulis lat. p. 19.

tot dies ↄ: triduum. Vulgo *totos dies.* Ursini coniecturam confirmat cod. Hisp.

obduretur. Impersonaliter scripsit, non *obdurabo* ↄ: perferam, ut hoc non ad se solum pertineret, quum sciret similiter Atticum essse affectum, esse in eodem πάθει. *Hoc triduum* est acc. temporis.

Vennonii. Vix ulla huius historici mentio fit, nisi a Cicerone Leg. I, 6 ubi cum veteribus annalium scriptoribus commemoratur et orationis exilitas ei obiicitur, et apud Dion. Hal. IV. 15.

§ 2. *nomen illud* cet. „Ciceroni pecuniam debebat proscriptus civis Pompeianus, cuius bona Caesar quum vellet publicare, permisit ut Cicero quod sibi deberetur exigeret. Ideo dicit: *nomen illud, quod a Caesare* mihi concessum ut exigam, tribus modis consequi potero, emptione ab hasta, delegatione a mancipe, semisse ↄ: ut emam in auctione ex proscripti bonis, quantum satis est pro debito meo (et non solvam), vel solutionem ad annum accipiam a mancipe, qui illa bona emit, vel denique in praesenti pecunia accipiam dimidiam partem debiti." Popma.

emptionem ad hastam. Sic, ut volebat Orellius in edit. priore, scripsi e cod. Hisp. Ex Oxon. ψ notatur *ob hastam;* in Med. h. l. *ab hastam,* infra in ep. 5 libri XVI, ubi haec epistola mire repetitur, *ab hasta* scriptum est.

praeter ipsam turpitudinem. Ex antiqua correctione Orellius scripsit *propter.* Mihi codicum fides defendi posse videtur. Dicit proscripti Pompeiani bona emere non solum mihi, qui in eadem causa fui, turpe erit, verum etiam damnum afferet. Nam male parta cito dilabuntur.

annua die ↄ: ea conditione, ut bonorum emptor post annum mihi solvat.

Metonis annus. Fortasse debitori nomen Metonis fuit, ut non male suspicantur ex ep. 51, 3 h. l. Nomen illud Ciceronem admonuit de anno Metonis cyclico annorum XIX vel e Callippi correctione annorum LXXVI. Ausonius in epist. 2: *Quis fuit ille dies? non annus longior ille est, Attica quem docti collegit cura Metonis.* Ergo haec quaestio fere idem significat, quod alibi Kalendae Graecae.

Vettieni conditione semissem. Sic codd. noti, quod ut mutarem in *V. conditionem semisse* magnorum nominum auctoritate non sum permotus. Enumerat tres illas conditiones, emptionem hastariam, delegationem, semissem sive dimidiam partem debiti, quam Vettienus ei proposuerat, si sibi nomen cedere vellet. *Conditione* eodem modo ponitur, ut Fam. VI. 2, 2 *armis conditione positis,* et in aliis exemplis, quae affert Kritzius ad Sall. Iug. 112. Ablativi *semisse* rationem nemo explicuit. Nam quod Gronovius Observ. I. 20 affirmat compendium loquendi esse pro *ut semisse simus contenti* fidem superat. — De Vettieno vid. X. 5, 3 et saepius.

iste est Caesar.

ἀλογηθῇ. sed μελήσει. Tu Atticam quaeso cura et ei salutem et Piliae, Tulliae quoque verbis, plurimam.

ludis factis ἀτύπῳ *subsidio currat, ne talis vir* ἀλογηθῇ. Bosius restituit κτύπῳ, pro eo quod depravatum est in codd. *clypo.* Quamvis autem κτύπῳ recte dicatur de plausu, valde tamen hoc friget. Propterea amplector ingeniosam Popmae suspicionem, Tunstallo p. 160 quoque probatam, scripsisse Ciceronem ἀτύπῳ, eoque nomine significasse Balbum. Nam et atypus et balbus eum indicat, qui impedite loquitur, etsi non plane eodem linguae vitio uterque laborat. cff. intt. ad Gell. N. A. IV. 2. Klotz. edidit κτύπῳ, Bait. † clypo, Wes. ex altero exemplo Med. *Olympo. Ludis factis* ambigue dici respicique quum ad ludos Praeneste factos ex ep. 2, 2, tum ad metum ne a Caesare ludificaretur, probabile est. Sententia igitur haec est: Vereor, ne Caesar iam auctionem nullam faciat, sed nos ludificet et Balbo aedificanti et propterea nummis egenti subveniat, ne talis vir a se negligatur.

Tu Atticam — plurimam. Haec h. l. in codd. omissa accedunt e repetito exemplo huius epistolae.

IV. (*A. U. C.* 708).

1. O gratas tuas mihi iucundasque litteras! Quid quaeris? restitutus est mihi dies festus. Angebar enim, quod Tiro ἐνερευθέστερον te sibi esse visum dixerat: addam igitur, ut censes, unum diem. 2. Sed de Catone πρόβλημα Ἀρχιμήδειον est: non assequor ut scribam, quod tui convivae non modo libenter, sed etiam aequo animo legere possint, quin etiam, si a sententiis eius dictis, si ab omni voluntate consiliisque, quae de re publica habuit, recedam ψιλῶς que velim gravitatem constantiamque eius laudare, hoc ipsum tamen istis odiosum ἄκουσμα sit. Sed vere laudari ille vir non potest, nisi haec ornata sint, quod ille ea, quae nunc sunt, et futura viderit et ne fierent contenderit et facta ne videret vitam reliquerit: horum quid est, quod Alledio probare possimus? Sed cura obsecro ut valeas,

§ 1. ἐνερευθέστερον, magis solito rubicundum. Docte veram vim v. ἐνερευθής explicavit Casaubonus ad Athen. p. 36 sq. docuitque ita distare ab ἐρευθής et ἐρυθρός, ut *ruber* a modice rubro vel rubicundo. Praepositio igitur minuit vim vocabuli.

addam — unum diem ɔ: triduo, quod me in Tusculano mansurum scripseram (ep. 3, 1), addam unum diem, ut tibi sit copia mei visendi.

§ 2. *de Catone.* cf. ad ep. 5, 2 h. l.

aequo animo = patienter. Etiam ubi de pluribus sermo est, singulari numero poni solet. Exempla congessit Allgayer in suppl. Antibarbari Krebsiani p. 11.

a sententiis eius dictis. Ultimum vocabulum sine sententiae dispendio abesse potest, neque tamen delendum est, aut cum Bosio scrib. *si a seriis eius dictis.* Opponerentur enim ioci, quibus sane locus non erat in gravitate constantiaque viri laudanda. At cogitandum de sententiis a Catone in senatu dictis.

nisi haec ornata sint np. quae statim addit, Catonis prudentiam in malis reip providendis, fortitudinem in repellendis, constantiam in defugiendis morte voluntaria.

Alledio. Idem nomen invenitur h. l. ep. 23, 1. 24, 27, 28, libris tamen inter *Aledium* et *Atedium* (cf. Lipsius ad Tac. Ann. I. 10)

eamque, quam ad omnes res adhibes, imprimis ad convalescendum adhibe prudentiam.

variantibus. Alii interpretes putant esse nomen Caesariani alicuius, alii fictum nomen habent Caesaris ipsius. Mihi arridet Tunstalli suspicio, qui hoc nomine Balbum occultari putabat. *Arredius* enim, sic ille op. l. p. 160 est *balbus*, quique διαῤῥήδην non loquatur. *Arredius* porro per imitationem balbutientis soni in *Alledius* mutatur, ut ex Hirro fit Hillus, Fam II. 10, 1. Idem nomen duplici *l* scribitur in Tac. Ann. XII. 7.

V. (*A. U. C.* 708.)

1. Quintus pater quartum vel potius millesimum nihil sapit, qui laetetur Luperco filio et Statio, ut cernat duplici dedecore cumulatam domum. Addo etiam Philotimum tertium: o stultitiam, nisi mea maior esset, singularem! Quod autem os in hanc rem ἔρανον a te? fac, non ad *διψῶσαν κρήνην*, sed ad *Πειρήνην* eum venisse, et *ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφειοῦ* † in te *ῥήνην*, ut scribis, haurire, in tantis suis praesertim angustiis, *ποῖ ταῦτ' ἄρ ἀποσκήψει*; sed ipse viderit. 2. Cato me quidem delectat, sed etiam Bassum Lucilium sua. De

Hanc epistolam e tribus vario tempore scriptis conflatam esse probavit Th. Schiche, zu Cic. Briefen an Att. II p. 13 seqq. Una continetur verbis *Quintus pater — Lucilium sua*, altera verbis *De Caelio — hunc igitur locum expedies*, tertia solam § 4 complectitur.

§ 1. *Q. pater quartum — nihil sapit.* „Videtur *quartum* sumptum ex dicto poetae alicuius Graeci aut Latini, qui quum varia genera stultitiae recensuisset, quarto loco dixit eos parum sapere, qui improbis domesticis volentes ac libentes uterentur." Gronovius. Casu, non consilio factum puto quod epistola incipit iisdem verbis atque Ennii versus apud Gellium N. A. X. 1. *Quintus pater quartum fit consul.*

qui laetetur Luperco filio. Quintus filius probante patre videtur paulo ante Lupercus factus esse, quae sodalitas omnino ab honestioribus contemnebatur. Cic. Cael. 26. Si per temporis rationem statuere liceret, eum Lupercis Iuliis adscriptum esse, ista quoque adulatio victoris Ciceroni molesta fuisset. Sed hoc collegium a. 708 nondum erat institutum. cf. Suet. Caes, 76. Dio XLIV. 6. *Statius* et *Philotimus* libertini Lupercis non sunt adscripti, neque ministri et calatores Quinti Ciceronis Luperci fuerunt, ut multi temere statuunt, sed memorantur, quod Quinto patri dedecori erant. Is male audiebat ob familiaritatem cum Statio et Philotimus Terentiae libertus videtur apud eum in honore fuisse.

nisi mea maior esset. Quam dicat suam stultitiam ignoro. Manutius explicat de eo, quod ipse, qui tantas res in rep. gesserat, libertate oppressa, tamen in urbe maneret. Mongaltius putat Ciceronem sibi stultum videri, quod fratris stultitiam aegre ferat. Gronovius in notulis Mss. ad haec verba: „qui haec video et vivere sustineo." En tres opiniones. Cui nulla placebit, ei fortasse satisfaciet Schuetzii audax mutatio, pro *mea* scribentis *alia*.

fac non — ἀποσκήψει; Sententia est: Fac eum non venisse ad sitientem fontem (ↄ: ad arcam paene exhaustam), sed ad Pirenen, uberrimum fontem (ↄ: ad arcam plenam), et venerandum ostium Alphei (ut Arethusam appellat Pindarus Nem. I. 1) haurire, quorsum haec tandem erumpent in tantis suis praesertim angustiis? — Altero loco v. κρήνην seclusit Lambinus, et sane otiosum est. Ego suspicor *integrum* latere in Med. corruptela ΙΝΤΕΡΗΝΗΝ.

§ 2. *Cato me — delectat.* Catonis, qui mense Aprili huius anni Uticae mortem sibi consciverat, vitam scripsit Cicero, qui liber

Caelio tu quaeres, ut scribis, ego nihil novi: noscenda est natura, non facultas modo. De Hortensio et Verginio tu, si quid dubitabis; etsi quod magis placeat, ego quantum adspicio, non facile inveneris. Cum Mustela, quemadmodum scribis, quum venerit Crispus. Ad Avium scripsi ut ea, quae bene nosset de auro, Pisoni demonstraret; tibi enim sane assentior, et istud nimium diu duci et omnia nunc undique contrahenda. Te quidem nihil agere, nihil cogitare aliud, nisi quod ad me pertineat, facile perspicio meisque negotiis impediri cupiditatem tuam ad me veniendi; sed mecum esse te puto, non solum quod meam rem agis, verum etiam quod videre videor, quo modo agas; neque enim ulla hora tui mihi est operis ignota. 3. Tubulum praetorem video L. Metello, Q. Maximo consulibus. Nunc velim, P. Scaevola pontifex maximus quibus consulibus tribunus pl. Equidem puto [proximis] Caepione et Pompeio; praetor enim L. Furio, Sex. Atilio; dabis igitur tribunatum, et, si poteris, Tubulus quo crimine. Et vide quaeso L. Libo, ille qui de Ser. Galba, Censorino et Manilio, an T.

laus Catonis inscriptus est, teste Gellio N. A. XIII. 19. Saepius hic liber M. Bruti rogatu compositus in epistolis memoratur, ad Att. XII. 4. XIII. 27. 46. Disputarunt de eo Frid. Schneiderus in Diariis Antiquariis a. 1837 fol. 140 sq., C. G. Goettlingius, Op. acad p. 153—162.

sed etiam Bassum Lucilium sua sc. delectant. Videtur carpere malum scriptorem vel poetam, nunc plane ignotum. Cf. A. Weichert, de L. Varii et Cassii Parm. vita p. 143. Conferri possunt, quae de poetis scripsit Cicero Tusc. V. 63: *Sic se res habet: te tua, me delectant mea.*

De Caelio argentario, cuius mentio fit ep. seq. 1, unde non dubium est, quid Cicero cum eo agere vellet, et VII. 3, 11. XIII. 3, 1. Quae sequuntur *de Hortensio et Verginio* quo pertineant incertum est.

Cum Mustela (sc. ages) — *Crispus.* Rursus hi duo simul nominantur XIII. 3, 1 et 5, 1. *Mustela* solus h. l. 44, 2 et 47, 1. XIII. 7, 1.

Ad Avium scripsi, ut — Pisoni demonstraret. Haec aliquatenus illustrantur iis, quae XIII. 2, 1 et 4, 2 de illis scripta sunt. Ex eo loco *Avium* recte pro *Aulum,* quod Med. h. l. dat, scripserunt. Cff. Victorius et Malaspina ad XIII. 4, 2.

istud — contrahenda ɔ: nimis differri eam permutationem auri et tempora ea esse, ut quod salvum esse velimus, sine mora colligendum sit.

§ 3. *Tubulum praetorem video* cet. Cicero de quibus hic dubitat, ex Attico, historiae Romanae peritissimo, cognovit iisque usus est in libro de Fin. II. 54. Quod quaerit de anno, quo L. Scribonius Libo tribunus fuerit, pertinet ad Brutum, ubi vid. c. 23.

L. Metello, Q. Maximo consulibus a. u. 612.

proximis. Vocabulum in libro Med. non inventum, et verum illud quidem, sed nullius libri certa auctoritate fretum seclusi. Proscripsit Buechelerus in Mus. Rhen. XI. p. 524.

L. Furio, Sex. Atilio a. u. 618. Furii praenomen in libris Mss. omissum, in editis male suppletum P., e fastis correxit Beierus. L. appellatur quoque in Bruto 108. Cicero autem annum praeturae indicavit, ut confirmaret suam suspicionem de anno, quo P. Scaevola tribunus pl. fuisset. Sic enim tempus inter utrumque magistratum a Scaevola gestum satis longum fuisse apparebat. Cf. disputatio C. Nipperdeii de legibus annal. Rom. (Lips. 1865) p. 34 sq.

quo crimine. Pecuniae ob rem iudicandam acceptae, ut novimus e l. l. de Finibus.

qui de Ser. Galba np. rogationem tulit, ut Lusitani qui post deditionem a Galba in Galliam servi venierant, in libertatem restituerentur. cf. Epit. Liv. 49. Meierus, fragm. orat. Rom. p. 121 et 166 sq. — *Censorinus*

Quinctio, M'. Acilio consulibus tribunus pl. fuerit. Conturbabat etiam me, in Bruti epitoma Fannianorum quod erat in extremo, idque ego secutus hunc Fannium, qui scripsit historiam, generum esse scripseram Laelii, sed tu me γεωμετρικῶς refelleras, te autem nunc Brutus et Fannius. Ego tamen de bono auctore, Hortensio, sic acceperam, ut apud Brutum est; hunc igitur locum expedies. 4. Ego misi Tironem Dolabellae obviam: is ad me Idibus revertetur; te exspectabo postridie. De Tullia mea tibi antiquissimum esse video, idque ita ut sit te vehementer rogo. Ergo ei in integro omnia; sic enim scribis. Mihi etsi Kalendae vitandae fuerunt Nicasionumque ἀρχέτυπα fugienda conficiendaeque tabulae, nihil tamen tanti, ut a te abessem, fuit. Quum Romae essem et te iam iamque visurum me putarem, quotidie

et Manilius Coss. fuerunt a. 605. *T Quinctius, M. Acilius* a. 604.

Conturbat enim me epitome Bruti Fanniana in Bruti epitoma Fannianorum scripsi quod erat in extremo. Verba ita servata in cod. Med. et Crat. Wesenbergius egregie correxit Emend. p. 118. Haec enim quum nulla ratione cum Libonis tribunatu cohaereant, primum *enim* mutandum est in *etiam*. Tum *conturbabat* verum esse, non *conturbat*, ostendit imperf. *erat*, pro quo aliter *est* scribi debuerat. Verba deinde *epitome Bruti Fanniana* nihil continere nisi aliam eamque deteriorem lectionem v. *Bruti epitoma Fannianorum*, olim margini adscriptam, apertum est; quae simulac inter verba scriptoris recepta sunt, librarii e praep. *in*, quae in cod. Med. remansit et ex Hisp. mihi notatur, callide *an* fecerunt. Quasi vero de inscriptione epitomes dubitasset Cicero, aut omnino historia C. Fannii a Bruto in compendium redacta *epitome Bruti Fanniana* appellari posset. De vero titulo nullam dubitationem relinquunt, quae legimus XIII. 8 *epitomen Bruti Caelianorum*. Postremo *scripsi* potius credo librario deberi, qui oculis ad sequens *scripsit* aberravit, quam corrigendum esse *scriptum*, ut I. Fr. Gronovius volebat.

scripseram. Ita est in Bruto 101. Sed respicit nunc magis ad locum de Repb. I. 18, ubi C. Fannium et Q. Scaevolam generos Laelii vocavit, auctorem secutus Hortensium. Ceterum de duobus Fanniis ad Bruti Tulliani l. c. disputavit Mommsenus in Corp. inscr. Lat. I. p. 158. Cf. Schiche l. l. p. 17.

Brutus et Fannius. Si ipse Fannius se Laelii generum scripsit, non potuit dubitare Cicero. Sed viderat in Bruti epitoma. Quare scribendum censeo: *Brutus ex Fannio.*

§ 4. *Idibus* sc. Quintilibus, si Gruberus recte epistolas huius libri 5, 3, 4, 6 huic mensi adscripsit, disp. laud, p. 21 sq.

antiquissimum esse ɔ: summae curae esse, vel potius omnium primum esse, nihil ei anteponi. Solent Romani dicere *nihil homini est antiquius* et talia. cf. Att. II. 22, 2. XII. 21, 3. XV. 2, 1. Off. I. 155, et quae I. F. Gronovius et Drakenb. congesserunt ad Liv. I. 32, 2.

Ergo ei in integro omnia. Pro *et* scripsi *ei*, ut Orellius volebat. Sine dubio haec referenda sunt ad Tulliae dotem, et negatur esse periculum, ne illa dotem perdat.

Kalendae vitandae, ne pecunia egens incideret in argentarios vel faeneratores. Hi enim Kalendas reddebant odiosas faenore exigendo. Inde vocantur *tristes Kalendae* in Horat. Sat. I. 3, 87.

Nicasionumque ἀρχέτυπα fugienda. Ita dedit Lambinus, scripturae veteris auctoritatem secutus idemque in marg. Cratandrinae adscriptum erat. *Nicasiones* vocat in universum argentarios. Nomen legitur quoque in Verr. IV. 113 et in versu ex Afranii fabula apud Nonium p. 268, 2. Male Fr. Schmidt ex eo quod in Med. scriptum est *mea assionumque* eruit *exactionumque*, nec I. F. Gronovius νεοεικοστωνῶνque ἀρχέτυπα huc intulisset, nisi Bosii codicibus fidem tribuisset. — *Tabulae* sunt accepti et expensi.

Quum Romae essem. Nunc autem erat in

tamen horae, quibus exspectabam, longae videbantur. Scis me minime esse blandum; itaque minus aliquanto dico, quam sentio.

Tusculano, cf. ep. 3, 1, quo se contulisse videtur ante Nonas, ut scripserat paulo ante Varroni, Fam. IX. 5 extr.

blandum. cf. ep. 3. Graeci vocant ἄρεσκον, quem depinxit Theophrastus, Char. c. 5, ubi cf. adnot. Casauboni, et Gatakerus ad Marc. Anton. V. 5 p. 143.

VI. (*A. U. C.* 708.)

1. De Caelio, vide quaeso ne quae lacuna sit in auro. Ego ista non novi; sed certe in collybo est detrimenti satis: huc aurum si accedit... sed quid loquor? tu videbis. Habes Hegesiae genus, quod Varro laudat. 2. Venio ad Tyrannionem. Ain tu? verum hoc fuit, sine me? At ego quoties, quum essem otiosus, sine te tamen nolui? Quo modo hoc ergo lues? uno scilicet, si mihi librum miseris; quod ut facias, etiam atque etiam rogo, etsi me non magis liber ipse delectabit, quam tua admiratio delectavit. Amo enim πάντα φιλόδημον, teque istam tam tenuem θεωρίαν tam valde admiratum esse gaudeo: etsi tua quidem sunt eiusmodi omnia; scire enim vis, quo uno animus alitur. Sed quaeso quid ex ista acuta et gravi refertur ad τέλος?

§ 1. *De Caelio.* cf. ep. 5, 2.

lacuna pro detrimento dicitur, ut Verr. II. 138 *lacunam rei familiaris explere.*

in collybo. Κόλλυβον Graeci dicebant ἀργυρίου ἀλλαγήν, teste Polluce III. 9, 84, sive eam pecuniam, quam argentarii retinent, quando nummos permutant. Legitur quoque Verr. III. 181 et in dicto Cassii Parmensis apud Suet. Aug. 4. Postea invenit nomen *cambii*, hodieque Italis est *cambio*, a Gallis vocatur *agio*, nobis est *opgeld.* Mox pro *quid loquor?* Gronovius coniecit: *cui loquor?* quasi dicat: ego videor oblitus me agere cum Attico, homine diligentissimo in re familiari tuenda.

Habes Hegesiae genus. Hegesias Magnesius orator usus est genere dicendi fracto et conciso, quod vehementer displicuisse Ciceroni apparet ex eius Bruto, 286 et Orat. 226. Cf. de eo Ruhnkenius ad Rut. Lup. p. 25 seqq. et Boeckhius in prolus. de Pausaniae stilo, Berol. 1825.

§ 2. *Venio ad Tyrannionem.* cf. ep. 2 extr. Ex iis, quae Cicero de eius libro scribit *tam tenuem* θεωρίαν et *ex ista acuta et gravi* Bosius coniecit librum egisse *de accentibus*, περὶ προσῳδιῶν. Ea coniectura iam confirmatur testimonio *Servii de accentibus* § 20 in Steph. Endlicheri Anal. Gramm p. 530. Ibidem § 21 provocatur ad eos, *qui ante Varronem et Tyrannionem de prosodia aliquid reliquerunt.*

verum hoc fuit? sine me? ɔ: aequumne fuit, Tyrannionem librum suum tibi legere me absente?

Amo enim πάντα φιλόδημον, hominem in omnibus rebus popularem, qui etiam vulgaria non contemnit, sed minuta quoque et humilia investigat, vulgo explicant, quemadmodum Wielandius haec interpretatur: *Ich liebe die Popularität auch in wissenschaftlichen Dingen.* Vol. V. p. 117. Sed magis placet correctio, quam ante Meinekium in Vindiciis Strabon. p. 242, Aus. Popma e nescio quibus libris protulit, φιλειδήμονα, quod voc. eodem modo corruptum est in Strabonis IX. p. 397. cf. ibid p. 134.

ad τέλος ɔ: ad summum v. extremum, quod in omni vita tenendum est. Errant, qui hinc efficiunt Ciceronem iam tum occupatum fuisse in scribendis libris de Finibus.

in meo fortasse aliquo n. Quod Bosius post *meo* inseruit *quidem*, ut otiosum delevi.

et — repetemus. Perperam Orellius statuit

Sed longa oratio est et tu occupatus es in meo fortasse aliquo negotio, et pro isto asso sole, quo tu abusus es in nostro pratulo, a te nitidum solem unctumque repetemus. Sed ad prima redeo: librum, si me amas, mitte: tuus est enim profecto, quoniam quidem est missus ad te. 3. *Chreme, tantumne ab re tua est oti tibi*, ut etiam Oratorem legas? Macte virtute! mihi quidem gratum (est) et erit gratius, si non modo in libris tuis, sed etiam in aliorum per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli. 4. Caesar autem mihi irridere visus est »quaeso" illud tuum, quod erat εὐπινὲς et urbanum; ita porro te sine cura esse iussit, ut mihi quidem dubitationem omnem tolleret. Atticam doleo tam diu, sed quoniam iam sine horrore est, spero esse ut volumus.

haec verba spectare ad alium locum litterarum Attici, et propterea maximam distinctionem iis praeposuit. Sed ante nexum orationis verba ipsa sunt explicanda. *Assus* est siccus, ut apparet ex *assa sudatione* et *assa cella*, quae dicitur ea pars balnei, ubi vapore elicitur sudor. *Sole asso* utitur, qui non unctus in sole ambulat, quod ante balneum facere solebant. cf. Plin. Ep. VI. 16, 5 *usus ille sole, mox frigida* cet. et III. 1, 8 *ubi hora balinei nuntiata est, in sole, si caret vento, ambulat nudus.* Opponitur *sol unctus* et, quoniam uncta nitent, *nitidus*, quem homines delicatiores praeferebant. De v. *abuti* dixi ad III. 13, 2. Haec autem non proprie accipienda esse, ut putabat Manutius, sed figurate, certissimum est. Finxit enim Cicero se de claris oratoribus collocutum esse cum Attico et Bruto *in pratulo* propter Platonis statuam sedentibus, Brut. 24. Eo libro delectabatur Atticus, quum ipsi Ciceroni paulo ieiunior nec satis ornatus videretur. Hoc igitur dicit: tu fortasse occupatus es in negotio quodam meo et pro tenui dono, quod tibi obtuli, aliquid lautius et magis excultum a te exspecto.

§ 3. *Chreme,* cet. Notissimus versus e Terentii Heautont. I. 1, 23. De Oratore ipsius Ciceronis iudicium habemus in epist. ad Fam. VI. 18, 4..

gratum est et erit gratius. Inserui *est* ex Orellii coni., quoniam futuri temporis designatio praesentis notam abesse non sinit. cf. Wesenbergii Emend. p. 17.

si — Aristophanem reposueris pro Eupoli. Hoc factum in Orat. 29, ubi cf. adnot. Goelleri.

§ 4. *Caesar* cet. Non risit Caesar vocabulum tanquam obsoletum; nam apud Ciceronem frequens est et postea demum *quaeso* nonnullis displicuit, ut auctor nobis est Quintilianus I. O. VIII. 3, 25, ubi scribendum: *Satis est vetus* QUAESO; *quid necesse est dicere?;* sed risit Caesar Atticum, qui in epistola quadam ad eum hac voce saepius erat usus.

εὐπινές. Πίνος est, ut docuit Toupius ad Longinum p. 203, *robigo antiquitatis,* quae artificum opera commendabat. Εὐπινές igitur est, quod eleganter priscam simplicitatem refert. cf. Ernesti Lexicon Rhet. Gr. p. 143 et 265.

sine cura esse de negotiis Buthrotiorum, quos agris multatos Caesar decreto suo liberavit, ut scimus e Ciceronis epist. ad Capitonem, inf. XVI. 16 *c*, 11.

Atticam doleo tam diu sc. febri laborare, quod ex *horroris* mentione apparet et confirmatur ep. 1 h. l., quam Gruberus recte ad hunc annum retulit.

VII. (*A. U. C.* 709.)

1. Quae desideras, omnia scripsi in codicillis eosque Eroti dedi, breviter, sed etiam plura quam quaeris, in iis de Cicerone, cuius

quidem cogitationis initium tu mihi attulisti. Locutus sum cum eo liberalissime, quod ex ipso velim, si modo tibi erit commodum, sciscitere; sed quid differo? exposui te † ex me detulisse et quid vellet et quid requireret: »velle Hispaniam, requirere liberalitatem." De liberalitate, dixi quantum Publilius, quantum flamen Lentulus filio; de Hispania, duo attuli, primum idem quod tibi, me vereri vituperationem; non satis esse, si haec arma reliquissemus? etiam contraria? deinde fore ut angeretur, quum a fratre familiaritate et omni gratia vinceretur. Vellem magis liberalitate uti mea quam sua libertate: sed tamen permisi; tibi enim intellexeram non nimis displicere. Ego etiam atque etiam cogitabo teque, ut idem facias, rogo. Magna res est; simplex est manere, illud anceps: verum videbimus. 2. De Balbo et in codicillis scripseram et ita cogito, simulac redierit; sin ille tardius, ego tamen triduum et, quod praeterii, Dolabella etiam mecum.

§ 1 *cuius q. cogitationis initium tu mihi attulisti* ɔ: cuins consilii tu mihi auctor fuisti. Cogitabat autem Cicero hoc tempore filium suum Athenas mittere, ut optimis disciplinis artibusque ibi erudiretur.

exposui † te ex me detulisse. Haec corrupta sunt. Nam non licet *ex me* cum Corrado interpretari *meo iussu, meo nomine.* Lambinus in margine scripsit *ad me,* quod verum puto.

velle Hispaniam. Marcum filium cupere ire comitem Caesari bellum gesturo cum Pompei filiis.

De liberalitate cet. ɔ: Promisi me tantum pecuniae ei daturum esse, quantum nobiles et opulenti homines filiis suis concederent.

non satis esse — contraria? ɔ: Pompeiani rogabunt, an non satis sit has partes reliquisse, et num placeat etiam filium mittere ad Caesarem.

a fratre patrueli, Q. filio, qui apud Caesarem gratia valebat.

Vellem. Quum in Med. esset *vel imma,* correxerunt, *velim, velit, vellet.* Sermo esse videtur de eo, quod Cicero cupiebat fieri, quum non fieret; itaque scripsi *vellem.* Cicero malebat filium laute Athenis vivere, quam ire in Hispaniam; hoc tamen ei permisit.

Magna res est; simplex cet. Ita emendavit Orellius, quem laudavit propterea Wesenbergius Emend. p. 18. In codd. *res et simplex. Simplex,* quum opponatur *ancipiti,* est sine periculo.

§ 2. *De Balbo* cet. Haec brevitate sua valde obscura sunt, neque amissis illis *codicillis* certo explicari possunt. Ex initio ep. 12, ubi Balbus quoque nominatur, suspicor ad quaestionem de dote Tulliae haec pertinere.

Dolabella etiam mecum sc. veniet vel erit. Cicero antea scripserat se ei Tironem obviam misisse ep. 5, 4.

VIII. A. U. C. 709.)

De Cicerone, multis res placet, comes est idoneus; sed de prima pensione ante videamus. Adest enim dies et ille currit. Scribe quaeso,

De Cicerone, multis res placet ɔ: quod constitui hoc tempore Marcum filium Athenas mittere, hoc consilium multis probatur. Nihil in his inest, quod non conveniat Ciceronis ingenio. Non probo igitur Tunstallum, qui haec ita distingui volebat p. 189 l. cit.: *De Cicerone multis* (sc. egisti). *Res placet.*

comes, L. Tullius Montanus. Vid. ep. 52 in.

de prima pensione a Dolabellae procuratoribus exigenda. Fam. VI. 18, 5. Nam Dola-

quid referat Celer egisse Caesarem cum candidatis, utrum ipse in Foenicularium, an in Martium campum cogitet. [Et] scire sane velim numquid necesse sit comitiis esse Romae; nam et Piliae satisfaciendum est et utique Atticae.

bella ipse non erat tunc in Italia, sed cum Caesare profectus in Hispaniam contra Pompeianos citato itinere inde redibat; atque hoc est, quod dicit: *ille currit.* — Qui de prima pensione Caesari solvenda cogitant, respicere videntur ad ea, quae legimus in epist. a. 704 datis ad Att. VII. 3, 11 et 8, 5, sed parum attendisse ad ea, quae ibidem adduntur: *Est ἄμορφον ἀντιπολιτευομένου χρεωφειλέτην esse.* Nummos illos iamdiu solutos fuisse vel inde apparet, quod de illo nomine in epistolis nulla amplius mentio fit.

Celer, libertus Attici, qui memoratur quoque X. 1, 4. XI. 4, 1, fortasse ex Hispania tunc redierat. Ridicule Mongaltius hunc hominem fratrem Piliae et candidatum praetorium fecit.

utrum ipse in Foenicularium an in M. campum cogitet. Ipse videtur esse Caesar. *Foenicularius campus* est τὸ μαραθῶνος πεδίον Strabonis III. 4, 9 in Hispania ita appellatus, quod multum foeniculum, μάραθον, gignit. Sententia igitur haec est: Scribe quaeso, utrum Caesar comitia magistratuum in Hispania, an in urbe haberi velit, utrum candidatos ipse renuntiaturus, an creationem populi suffragiis sit permissurus. Quod sequitur *et* melius abest et e geminatione praecedentium litterarum ortum videtur.

nam et Piliae satisfaciendum est et utique Atticae, rogantibus, opinor, ut Romam veniam. Quod Corrado placet, Ciceronem Piliae operam daturum esse in deducendo aliquo candidato affini, mera est suspicio.

IX. (*A. U. C.* 709.)

Ne ego essem hic libenter atque id quotidie magis, ni esset ea causa, quam tibi superioribus litteris scripsi. Nihil hac solitudine iucundius, nisi paullum interpellasset Amyntae filius: *ὢ ἀπεραντολογίας ἀηδοῦς!* Cetera noli putare amabiliora fieri posse villa, litore, prospectu maris, tum his rebus omnibus. Sed neque haec digna longioribus litteris, nec erat quod scriberem et somnus urgebat.

Epistolam male ad a. 708 retulit Gruberus, in eo quoque errans quod ex Antiati datam putat. Propter solitudinem cogitandum potius de Astura, ubi L. Marcium Philippum — nam hunc dicit nunc *Amyntae filium.* cf. h. l. ep. 16 et 18, 1 — vicinum habebat. Hanc epistolam et sequentem post libri XIII ep. 34 scriptas esse VI et V Kal. Sext., quum Cicero Asturae esset, defendit Th. Schiche in Hermae vol. XVIII p. 611.

superioribus litteris. Eae interciderunt; itaque quae fuerit illa *causa* non liquet.

ὢ ἀπεραντολογίας ἀηδοῦς ɔ: o loquacitatem molestam v. ineptam. De ἀηδία cff. intt. ad Theophr. Charact. c. 20.

Cetera noli putare cet. Ernestus haec corrupta pronuntiat, quum ineptam contineant sententiam. Sed longius a codd. scriptura recedit Schuetzii correctio: *Ceterum noli putare amoenius quicquam fieri posse villa l. p. m, tum reliquis rebus omnibus.* Fuitne: *Ceterum noli putare amabiliora videri posse ulla* (hoc e codd.) *litore, prospectu maris, his rebus omnibus* ɔ: tota natura huius loci.

X. (*A. U. C.* 708.)

Male mehercule de Athamante. Tuus autem dolor humanus is qui-

dem, sed magno opere moderandus; consolationum autem multae viae, sed illa rectissima: impetret ratio, quod dies impetratura est. Alexim vero curemus, imaginem Tironis, quem aegrum Romam remisi, et, si quid habet collis ἐπιδήμιον, ad me cum Tisameno transferamus: tota domus vacat superior, ut scis. Hoc puto valde ad rem pertinere.

Male — de Athamante. Male et *factum male* erat formula lugentis obitum alicuius. Cf. ep. seq. init. et XV. 1 init. Similiter Catullus in Carm. 3: *O factum male, o miselle passer.* Athamas videtur fuisse servus vel libertus Attico dilectus. *Alexim,* qui Attico Tiro quidam erat, novimus e lib. V. 20, 9. VII. 7, 7. XVI. 15, 1.

impetret ratio, quod dies impetratura est. cf. Fam. V. 16, 5 et 6.

collis Quirinalis, ubi Attici aedes erant. *Ad me* ɔ: domum meam in Palatino.

ἐπιδήμιον vocatur pestilentia, quae in certo loco regnat. Usus loquendi ex illo adiectivo fecit substantivum, quod talem morbum designat, *eene epidemie.*

cum Tisameno. Fortasse erat servus Ciceronis, cui aegroti Alexidis curam committi volebat.

ad rem pertinere ɔ: animadvertendum esse • cf. Cic. Brut. 88 *addebat etiam idque ad rem pertinere putabat* et quae laudat Gronovius ad Senec. de Benef. II. 12.

XI. (*A. U. C.* 708.)

Male de Seio; sed omnia humana tolerabilia ducenda: ipsi enim quid sumus, aut quamdiu haec curaturi sumus? Ea videamus, quae ad nos magis pertinent nec tamen multo, quid agamus de senatu. Et ut ne quid praetermittam, Caesonius ad me litteras misit Postumiam Sulpicii domum ad se venisse. De Pompeii Magni filia tibi rescripsi nihil me hoc tempore cogitare; alteram vero illam, quam tu scribis, puto nosti: nihil vidi foedius. Sed adsum; coram igitur.

Obsignata epistola accepi tuas. Atticae hilaritatem libenter audio, commotiunculis συμπάσχω.

Male de Seio. Apud eundem mense Iunio caenarat, Fam. IX. 7, 1, eratque Attici familiaris, supra V. 13, 2.

quae ad nos magis pertinent „in quibus est aliquid arbitrii nostri et licet agere in hanc vel in illam partem; *nec tamen multo,* nec id arbitrium tamen multo liberius est, quia sc. oppressa erat resp." I. F. Gronovius.

quid agamus de senatu ɔ: in senatumne sit veniendum an non.

Postumiam Sulpicii uxorem, cuius mores ex epistolis illustravit Martyni-Laguna in Epistt. Cicer. p. 161.

nihil me — cogitare. Dimissa Terentia novas nuptias inire e re sua putabat Cicero. Postumia, ut erat δραστήρια mulier, conditionem aliquam Ciceroni offerebat. In sequenti sententia *puto* aperte ironiae inservit.

commotiunculis συμπάσχω ɔ: febricula, quae eam temptat, me quoque eius causa afficit. *Commoveri* in simili re legitur XIV. 5, 1.

XII. (*A. U. C.* 709.)

1. De dote, tanto magis perpurga. Balbi regia conditio est delegandi. Quoquo modo confice; turpe est rem impeditam iacere. Insula Arpinas habere potest germanam ἀποθέωσιν, sed vereor ne minorem τιμὴν habere videatur ἐκτοπισμός: est igitur animus in hortis, quos tamen inspiciam, quum venero. 2. De Epicuro, ut voles, etsi μεθαρμόσομαι in posterum genus hoc personarum: incredibile est, quam ea quidam requirant; ad antiquos igitur, ἀνεμέσητον γάρ. Nihil habeo ad te quod perscribam, sed tamen institui quotidie mittere, ut eliciam tuas litteras, non quo aliquid ex iis exspectem, sed nescio quo modo tamen exspecto. Quare sive habes quid sive nihil habes, scribe tamen aliquid teque cura.

§ 1. *De dote* cet. Sententia haec est: Quod attinet ad dotem Terentiae post divortium reddendam, quo magis impedita res est, tanto studiosius a te est explicanda. De eadem re agitur in ep. 19, 4. 20, 2. 21, 3. 22, 1. 23, 2 et 37, 3. De perpurgando vid. Wyttenbach ad Plut. Mor. I. p. 499.

Balbi regia conditio est delegandi. ɔ: Quod Balbum mihi delegavit, est haec conditio dura atque iniqua. Qui enim possim nummos exigere ab homine Caesaris familiari? „*Delegare* est vice sua alium reum dare creditori vel cui iusserit." Ulpianus in l. 11 pr. Dig. de novationibus (46, 2).

Insula Arpinas. cf. Leg. II. 3. — Ex comparatione huius loci cum seqq. epistolis apparet Tulliam mortuam esse, patremque dolore oppressum dilectissimae filiae memoriam fano colere voluisse. Recte autem Gruberus op. l. p. 24 sq. epistolas huius libri 12—34 mense Martio anni 709 Asturae scriptas esse tradit. Ordinem perturbatum sic restituit Th. Schiche in comm. II ad epp. ad Atticum p. 23, ep. 13—16, 18, 17, 18 a, 19, 20, 12, 21—29, 33, 30, 31, 3 cum 32, 31, 1 et 2, 34.

ἐκτοπισμός. Recepi emendationem Lambini, quae a scriptura libr. Mss. ἐκτόπιμος s. ἐκγόνιμος minus recedit, quam Gronovianum ἔκτροπος. Nomen substantivum quoque adiectivo h. l. praestat. Graecum esse ἐκτοπισμόν vel Suidas docere potest. Indicat *locum devium.* — Cicero volebat fanum fieri *in hortis* ɔ: loco celebri prope urbem. cf. ep. 19, 1. Temere Hofmannus legendum putat l. c. p. 33: *sed videatur* ἐκτόπιος, in quibus *sed* adscivit ex interpolatione Cratandri, quam vocat, et *habere*, quod omnes codd. dant, delevit.

§ 2. *De Epicuro, ut voles.* Non opus esse coniectura Orellii, qui *de Epicureo* scribendum iudicabat, monuit Madvigius in Praef. ad Cic. Fin. p. LIX. Hoc enim dicit quod receptum est e Mss.: „De Epicuri sententia in alicuius persona explicanda faciam, ut voles."

XIII. (*A. U. C.* 709.)

1. Commovet me Attica, etsi assentior Cratero, Bruti litterae scriptae et prudenter et amice multas mihi tamen lacrimas attulerunt. Me haec solitudo minus stimulat quam ista celebritas, te unum desidero,

§ 1. *Commovet me Attica.* cf. ep. 6 extr. 1, 2. 14 extr. — Craterum eundem puto, quem Horatius Sat. II. 3, 161 et Persius Sat. 3, 65 principem medicum laudant.

Bruti litterae, quibus me consolatur de morte filiae.

stimulat ɔ: angit et vexat. Mox doloris e morte filiae suscepti violentiam vocat *ar-*

sed (etsi) litteris non difficilius utor, quam si domi essem, ardor tamen ille idem urget et manet, non mehercule indulgente me, sed tamen non repugnante. 2. Quod scribis de Appuleio, nihil puto opus esse tua contentione nec Balbo et Oppio, quibus quidem ille receperat mihique etiam iusserat nuntiari se molestum omnino non futurum; sed cura ut excuser morbi causa in dies singulos. Laenas hoc receperat. Prende C. Septimium, L. Statilium; denique nemo negabit se iuraturum, quem rogaris. Quod si erit durius, veniam et ipse perpetuum morbum iurabo; quum enim mihi carendum sit conviviis, malo id lege videri facere quam dolore. Cocceium velim appelles; quod enim dixerat, non facit. Ego autem volo aliquod emere latibulum et perfugium doloris mei.

dorem. etsi addidi auctore Wesenbergio propter sequens *tamen.* In cod. Faerni erat *sed et.*

§ 2. *de Appuleio.* cf. de hac re ep. 14, 1. 15, 1. 18, 3 et 17 in., unde apparet hic agi de aditiali coena novi auguris, quae in plures dies trahi solebat, et cui augures reliqui interesse debebant, nisi tres e collegio iurarent morbo impediri collegam, quominus adesset.

Quod si erit durius ɔ: si erit difficilius invenire, qui iurare velint.

lege ɔ: secundum institutum augurale.

appelles. vid. ad I. 8, 3. De re h. l. 18, 3 et 19, 2.

XIV. (*A. U. C.* 709.)

1. De me excusando apud Appuleium dederam ad te pridie litteras. Nihil esse negotii arbitror: quemcunque appellaris, nemo negabit; sed Septimium vide et Laenatem et Statilium. Tribus enim opus est; sed mihi Laenas totum receperat. 2. Quod scribis a Iunio te appellatum, omnino Cornificius locuples est, sed tamen scire velim quando dicar spopondisse et pro patre anne pro filio, neque eo minus, ut scribis, procuratores Cornificii et Appuleium praediatorem videbis.

§ 1. Cf. ep. praeced. § 2.

Nihil esse negotii ɔ: facillimum esse. cf. h. l. 21. 2. Fam. XII. 2, 1 *nihil esset negotii libertatem et rem p. reciperare.* — Mox *totum receperat* est non solum de se, sed etiam de duobus, qui me excusarent absentem, promiserat.

§ 2. cf. ep. 17 et 19, 2. Negotium, de quo agitur, Manutius exposuit his verbis: „Iunius Atticum appellaverat quasi Ciceronis procuratorem, Ciceronem sibi debere dicens, quod pro Cornificio spopondisset. Cicero sponsionem non recordatur et ait Cornificium posse ipsum solvere". *Cornificius* pater hoc tempore iam vita functus videtur; filius tum Africam pro praetore tenebat atque Syriam a Caesare sibi tributam repudiavit, ut colligitur ex epistolis, quas Cicero ad eum hoc anno et duobus seqq. dedit, Fam. XII. 17—30. Quoniam Cornificius aberat, Atticus rogatur ut eius procuratores conveniat. Rem illustravit Ph. Ed. Hueschke in libro, qui inscribitur Gaius. Beiträge zur Kritik-seiner Institutionen, p. 86 seq.

Appuleium praediatorem. Praediatores dicebantur, qui mercabantur *praedia* i. e. bona publico obligata, erantque earum rerum, quae ad ius praediatorium pertinebant, periti. Ci-

3. Quod me ab hoc maerore recreari vis, facis, ut omnia, sed me mihi non defuisse tu testis es; nihil enim de maerore minuendo scriptum ab ullo est, quod ego non domi tuae legerim, sed omnem consolationem vincit dolor. Quin etiam feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per litteras consolarer, quem librum ad te mittam, si descripserint librarii. Affirmo tibi nullam Consolationem esse talem. Totos dies scribo, non quo proficiam quid, sed tantisper impedior, non equidem satis — vis enim urget —, sed relaxor tamen † ad omniaque nitor, non ad animum, sed ad vultum ipsum, si queam, reficiendum, idque faciens interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus esse, nisi faciam. Solitudo aliquid adiuvat, sed multo plus proficeret, si tu tamen interesses, quae mihi una causa est hinc discedendi — nam pro malis recte habebat —, quamquam (id) ipsum doleo; non enim iam in me idem esse poteris. Perierunt illa, quae amabas. 4. De Bruti ad me litteris scripsi ad te antea: prudenter scriptae, sed nihil quod me adiuvaret. Quod ad te scripsit, [id] vellem ut ipse adesset; certe aliquid, quoniam me tam valde amat, adiuvaret; quodsi quid scies, scribas ad me velim, maxime autem, Pansa

cero igitur huius Appuleii, ab augure Appuleio in § 1 sane diversi, sententiam de illa sponsione cognoscere aut ab eo adiuvari cupiebat. Miror Reinium in opere de iure civili Rom. p. 170 non modo e duobus Appuleiis unum fecisse, verum etiam hanc causam cum illa ita confudisse, ut putet Ciceronem, quum nollet sponsum solvere, morbo se excusavisse et tres alios sponsores dedisse. Quasi vero apud creditorem talis excusatio quicquam valuisset. Cf. intt. ad Suet. Claud. 9.

§ 3. *quem librum* de consolatione. De hoc opere Tullii deperdito docte disputavit Fr. Schneiderus, Vratisl. 1835. De Consolatione satis eleganter consarcinata, sed Ciceroni falso tributa, quae anno 1583 Venetiis prodiit, vid. I. P. Krebsii narratio de Car. Sigonio, Francof. 1840, p. 58 seqq. qui fraudis culpam a Sigonio, qui cupidius eius fidem defenderat, avertere studuit.

vis enim urget. Vix credo *vim* sic nude hic recte dici. Requiritur vis doloris, vis mali vel aliud eiusmodi.

† *ad omniaque nitor.* In codd. Malaspinae et in Z. Lambini non erat *ad.* Inde natae sunt coniecturae Moseri Symb. Crit. V. p. 20, *omninoque enitor*, Wesenbergii, Emend. p. 123 *omnique vi enitor*. Cobeti *omnique ope enitor*, coll. XIV. 14, 6. Ego malim: *a dolore atque enitor*. Nam et *impedior* et *relaxor* videtur requirere eiusmodi additamentum.

ad vultum ipsum — reficiendum ɔ: ad vultum per se ita componendum, ut tristitiae signa non ostendat. Hunc usum pronominis *ipse*, quo rem notat per se spectatam, illustravit Kritzius ad Sal. Iug. 66, 4.

nam pro malis recte habebat ɔ: locus ubi nunc sum et unde discedere volo, ut te videam, remotus a celebritate mihi in his malis non displicebat.

quamquam (id) ipsum doleo. „Sed id ipsum doleo, quod hinc mihi discedendum est, quia te carere nequeo, cui tamen ut me approbem suavemque consuetudinem meam reddam ignoro." Gron. De *id* addito vid. ad X. 14, 3.

§ 4. *[id] vellem.* Pronomen seclusi, quod e terminatione v. *scripsit* male geminatum videtur.

Pansa quando profecturus sit. Cf. ep. 17 extr., 19, 3.

De Attica — Cratero. cf. ep. 13 init.

satis est (me) maerere pro omnibus. Editores a Bosio decepti ridiculam receperunt scripturam, munitam ab illo auctoritate codicis decurtati: *satis solitus es maerere.* Veri ves-

quando. De Attica doleo, credo tamen Cratero. Piliam angi veta; satis est (me) maerere pro omnibus.

tigia manifesta sunt in cod. Mediceo: *Piliam angi vetabat is est merere.* Scribendum, ut feci, e cod. Z. Cicero omnium maerorem in se unum recipit.

XV. (*A. U. C.* 709.)

Apud Appuleium, quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuser videbis. In hac solitudine careo omnium colloquio, quumque mane me in silvam abstrusi densam et asperam, non exeo inde ante vesperum: secundum te nihil est mihi amicius solitudine. In ea mihi omnis sermo est cum litteris; eum tamen interpellat fletus, cui repugno, quoad possum, sed adhuc pares non sumus. Bruto, ut suades, rescribam; eas litteras cras habebis. Quum erit cui des, dabis.

XVI. (*A. U. C.* 709.)

Te tuis negotiis relictis nolo ad me venire, ego potius accedam, si diutius impediere; etsi ne discessissem quidem e conspectu tuo, nisi me plane nihil ulla res adiuvaret. Quodsi esset aliquod levamen, id esset in te uno, et quum primum ab aliquo poterit esse, a te erit: nunc tamen ipsum sine te esse non possum; sed nec tuae domi probabatur nec meae poteram, nec, si propius essem uspiam, tecum tamen essem; idem enim te impediret, quo minus mecum esses, quod nunc etiam impedit. Mihi adhuc nihil prius fuit hac solitudine, quam vereor ne Philippus tollat; heri enim vesperi venerat. Me scriptio et litterae non leniunt, sed obturbant.

nihil prius fuit. In Med. initio erat *peius*, deinde correctum est *aptius*. Kahnt. Symb. Crit. p. 8 malebat *optatius*. Ego in Victoriano illo *prius* acquiescere malo.

Philippus. cf. ep. 9 h. l. et 18, 1 extr.

XVII. (*A. U. C.* 709.)

Marcianus ad me scripsit me excusatum esse apud Appuleium a Laterense, Nasone, Laenate, Torquato, Strabone; iis velim meo nomine reddendas litteras cures gratum mihi eos fecisse. Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis xxv. spopondisse dicit Flavius, etsi reus

me excusatum esse cet. cf. ad ep. 13, 2, et de sponsione pro Cornificio ad epist. 14, 2.

mihi — nihil erat cum Cornificio ɔ: nulla necessitudo inter nos fuit. cf. Att. XIV. 15,

locuples est et Appuleius praediator liberalis, tamen velim des operam, ut investiges ex consponsorum tabulis, sitne ita — mihi enim ante aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio; potest tamen fieri, sed scire certum velim —, et appelles procuratores, si tibi videtur: quamquam quid ad me? Verumtamen. Pansae profectionem scribes, quum scies. Atticam salvere iube et eam cura, obsecro, diligenter. Piliae salutem.

3 *si mihi cum Bruto nihil fuisset.* Contrarium est *mihi omnia sunt tecum,* ut Fam. XIII. 1, 2 *Cum Patrone mihi omnia sunt.*

Verumtamen saepe elliptice ponitur. Hic supplendum: appelles licet aut eiusmodi aliquid. cf. Fam. XVI. 23, 1. Att. XIII. 2, 1. XIV. 8 extr. 12, 1. XVI. 3, 3. In quaestione *quid ad me?* sc. pertinet, temere B.W. addunt *id.* Ea utuntur Catullus 10, 31. Martialis XII. 30.

Pansae profectionem scribes ɔ: mihi per litteras nuntiabis quando Pansa profectus sit. cf. 14, 4 h. l. In Med. est *profectione,* unde W. effecit: *De Pansae profectione scribes.* Fortasse recte.

XVIII. (*A. U. C.* 709.)

1. Dum recordationes fugio, quae quasi morsu quodam dolorem efficiunt, refugio ad te admonendum: quod velim mihi ignoscas, cuicuimodi est. Etenim habeo nonnullos ex iis, quos nunc lectito auctores, qui dicant fieri id oportere, quod saepe tecum egi et quod a te approbari volo: de fano illo dico, de quo tantum, quantum me amas, velim cogites. Equidem neque de genere dubito — placet enim mihi Cluatii —, neque de re — statutum est enim —, de loco nonnunquam: velim igitur cogites. Ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profecto illam consecrabo omni genere monumentorum ab omnium ingeniis sumptorum et Graecorum et Latinorum; quae res forsitan sit refricatura vulnus meum. Sed iam quasi voto quodam et promisso me teneri puto, longumque illud tempus, quum non ero, magis me movet quam hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum videtur: habeo enim nihil temptatis rebus omnibus in quo acquiescam. Nam, dum illud tractabam, de quo ante ad te scripsi,

§ 1. *refugio ad te admonendum* scripsi de Madvigii coniectura, quam proposuit in Emend. Livian. p. 226. Quod editur e codd. *a te amonendo* falsum esse ea, quae sequuntur, ostendunt. — *Recordationes* plur. num. redeunt Fam. V. 13, 4. — *dolorem efficiunt* retinui, etsi magis probo, quod Pluygersius volebat, *refricant,* coll. de Or. II. 199 *dolorem — oratione refricabam.*

de genere ɔ: de forma operis.

Cluatii. Huius architecti opera et consilio in fano Tulliae exstruendo Cicero uti volebat. cf. ep. 36 h. l.

monumentorum. Monumentum est „quicquid ob memoriam alicuius factum est, ut fana, porticus, scripta et carmina." Festus p. 139. Hic de carminibus vel inscriptionibus cogitandum est.

quasi fovebam dolores meos, nunc omnia respuo, nec quicquam habeo tolerabilius quam solitudinem, quam, quod eram veritus, non obturbavit Philippus; nam, ut heri me salutavit, statim Romam profectus est. 2. Epistolam, quam ad Brutum, ut tibi placuerat, scripsi, misi ad te. Curabis cum tua perferendam; eius tamen misi ad te exemplum, ut, si minus placeret, ne mitteres. 3. Domestica quod ais ordine administrari, scribes quae sint ea; quaedam enim exspecto. Cocceius vide ne frustretur; nam Libo quod pollicetur, ut Eros scribit, non incertum puto. De sorte mea Sulpicio confido et Egnatio scilicet. De Appuleio, quid est quod labores, quum sit excusatio facilis? 4. Tibi ad me venire, ut ostendis, vide ne non sit facile; est enim longum iter discedentemque te, quod celeriter tibi erit fortasse faciendum, non sine magno dolore dimittam. Sed omnia, ut voles; ego enim, quicquid feceris, id quum recte, tum etiam mea causa factum putabo.

longum illud tempus — *exiguum*. Muret. Var. Lect. XI. 12 suspicatur Ciceronem haec scribentem cogitasse Sophoclis versus ex Antigone 73 sqq. In vv. *quum non ero* sequitur vulgi opinionem.

§ 3. *quaedam enim exspecto* „quaedam enim sunt, de quibus scire cupiam." Man.

Cocceius — *frustretur*. cf. ep. 13, 2. Ut hic, ita Libo, videtur aliquid debuisse Ciceroni. cf. ep. 19, 2.

De sorte mea. Pessime nonnulli haec accipiunt de iudicandi munere sortito in Ciceronem delato, quem errorem repetiit Ellendt. ad Cic. Brut. 117. *Sors* est pecunia, quam Libo et fortasse Cocceius quoque debebat Ciceroni, Sulpicius et Egnatius sua fide esse iusserant.

XVIII. a. (*A. U. C.* 709.)

1. Heri, quum ex aliorum litteris cognovissem de Antonii adventu, admiratus sum nihil esse in tuis; sed erant pridie fortasse scriptae quam datae. Neque ista quidem curo, sed tamen opinor propter praedes suos accucurrisse. 2. Quod scribis Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui, primum tibi persuade me istaec non curare

§ 1. *propter praedes suos accucurrisse*. Lucem haec accipiunt e Cic. Phil. II. c. 29—31. M. Antonius bona Cn Pompeii ad hastam emerat, sed pretium nondum solverat. Subito Narbone rediit in urbem, metuens ne L. Munatius Plancus pecuniae cogendae a Caesare praefectus et sua et eorum, qui pro eo fide iusserant, bona venderet. — De forma perfecti monui ad IV. 1, 6. Propter consensum codd. tamen hic reduplicatam formam servavi. Meliores libri de Or. III. 52 *percucurri* tuentur. At in iisdem I. 218 invenitur *percurrisse*. Similis varietas in aliis locis regnat.

§ 2. Post obitum Tulliae Cicero condiderat testamentum, in quo Terentia metuebat ne nepotem suum Dolabella natum minus, quam par erat, curasset. Metuebat autem

neque esse quicquam aut parvae curae aut novae loci; sed tamen quid simile? Illa eos non adhibuit, quos existimavit quaesituros, nisi scissent quid esset: num id etiam mihi periculi fuit? Sed tamen faciat illa, quod ego. Dabo meum testamentum legendum cui voluerit; intelliget non potuisse honorificentius a me fieri de nepote, quam fecerim. Nam quod non advocavi ad obsignandum, primum mihi non venit in mentem, deinde ea re non venit, quia nihil attinuit. Tute scis — si modo meministi — me tibi tum dixisse, ut de tuis aliquos adduceres; quid enim opus erat multis? Equidem domesticos iusseram: tum tibi placuit ut mitterem ad Silium, inde est natum, ut ad Publilium; sed necesse neutrum fuit. Hoc tu tractabis, ut tibi videbitur.

idcirco, quod nemo e Dolabellae propinquis, sed Publilius, frater Publiliae, alterius uxoris, in obsignando adfuerat, cum aliquot Attici domesticis.

quid esset ɔ: quid in tabulis scriptum esset.

Nam quod non advocavi ad obsignandum. Suspicor excidisse aliquid, fortasse *alios* ante v. *advocavi* vel post illud, etsi non ignoro *advocare* absolute poni, ut p. Cluent. 54.

Quid enim opus erat multis? Numerus obsignatorum lege definitus (Cic. Verr. II. 1, 45) iam ab initio septenarius videtur fuisse. cf. Schraderus ad Instit. Iust. II. 10, 2, p. 288.

XIX. (*A. U. C.* 709.)

1. Est hic quidem locus amoenus et in mari ipso, qui et Antio et Circeiis adspici possit, sed ineunda nobis ratio est, quemadmodum in omni mutatione dominorum, quae innumerabiles fieri possunt in infinita posteritate, si modo haec stabunt, illud quasi consecratum remanere possit. Equidem iam nihil egeo vectigalibus et parvo contentus esse possum. Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare, et quidem ob hanc causam maxime: nihil enim video, quod tam celebre esse possit; sed quos, coram videbimus, ita tamen, ut hac aestate fanum absolutum sit. Tu tamen cum Apella Chio confice de columnis.

§ 1. *hic locus.* Astura, ubi Atticus fanum strui volebat.

si modo haec stabunt ɔ: si modo imperium Romanum stabit. Plane sic in orat. p. Sulla, 76 *neque enim est quisquam, qui arbitretur diutius haec stare potuisse.* Plura collegerunt Halm. ad § 32, Du Mesnil ad or. Flacc. 104.

illud quasi consecratum. Ita appellat fanum illud, quod non rite per pontifices consecraretur, sed quod Cicero privata religione erat dedicaturus. cf. Instit. Iust. II. 1, 8 (nam Gaius in eo loco mutilus est, vid. Instit. Gaii II. § 35.) Imprimis huc facit Aelius Gallus apud Festum p. 321.

vectigalibus. Vectigalia nonnunquam appellantur reditus ex agris privati. cf. ep. 25, 1. Off. II. 88. Parad. VI. 49. Hor. Sat. II. 2, 100, ubi Ofellus dicit: *ego vectigalia magna divitiasque habeo.*

parare = emere. cf. p. Flacco, 71 *mallem — in Capenati paravisses* (sc. agros).

Tu tamen — de columnis ɔ: etsi locum

2. De Cocceio et Libone quae scribis, approbo, maxime quod de iudicatu meo. De sponsu, si quid perspexeris; et tamen quid procuratores Cornificii dicant velim scire, ita ut in ea re te, quum tam occupatus sis, non multum operae velim ponere. De Antonio Balbus quoque ad me cum Oppio conscripsit, idque tibi placuisse, ne perturbarer: illis egi gratias. Te tamen, ut iam ante ad te scripsi, scire volo me neque isto nuntio esse perturbatum nec iam ullo perturbatum iri. 3. Pansa si hodie, ut putabas, profectus est, posthac iam incipito scribere ad me de Bruti adventu quid exspectes, id est quos ad dies: id, si scies ubi iam sit, facile coniectura assequere. 4. Quod ad Tironem de Terentia scribis, obsecro te, mi Attice, suscipe totum negotium; vides et officium agi meum quoddam, cui tu es conscius, et, ut nonnulli putant, Ciceronis rem. Me quidem id multo magis movet, quod mihi est et sanctius et antiquius, praesertim quum hoc alterum neque sincerum neque firmum putem fore.

nondum constitui, tu tamen interea agas velim cum Apella lapicida de pretio columnarum e marmore Chio.

§ 2. *maxime quod de iudicatu meo. Iudicatus* est munus et officium iudicis (cf. Phil. I. 20), cuius eo tempore Cicero vacationem petebat, fortasse quod augur erat. Nam controversum fuit haberentne augures vacationem a iudiciis. Brut. 117. Nihil hoc attinet ad Cocceium et Libonem, qui promiserant se soluturos, quod Ciceroni deberent. cf. ep. 18, 3.

De sponsu cf. ad ep. 14, 2.

De Antonio Balbus quoque cet. Subitum Antonii ex itinere Hispaniensi reditum, quem Cicero iam ex aliorum litteris cognoverat, ep. 18 a, 1, nunc ex Balbi quoque et Oppii epistolis didicerat. Omnino itaque scribendum *B. quoque*, non ut in Med. est *quoque Balbus*. cf. Wesenb. p. 36. Reliqua male sollicitantur a Mosero Symb. Crit. VIII. p, 4. *Conscripsit* non est *una cum Oppio scripsit*, sed verbi simplicis loco ponitur, ut XIII. 50, 1 *conscripsi de his libris epistolam*, III. 15, 8 et saepius.

§ 3. *Quos ad dies* ɔ: circa quos dies exspectes M. Brutum e provincia Gallia rediturum esse. cf. ep. 27, 3. 29, 1. *Quos* adversus Orellium bene defendit Klotzius, laudans ultima verba ex ep. 9 libri XIII.

§ 4. Agitur de dote Terentiae. cf. ad ep. 12, 1.

officium agi meum ɔ: quaestionem esse de eo, quod mihi agendum sit, ut virum bonum deceat. cf. Fam. XIII. 7, 1: *quum — summum meum officium ageretur.* ibid. 9, 2 *is, cuius praecipuum agitur officium.*

hoc alterum ɔ: Marci filii commodum, cui Terentia videbatur ita consulere, ut neque optima fide ageret et, si tunc vel maxime adolescenti bene vellet, postea tamen sententiam mutaret.

XX. (*A. U. C.* 709.)

1. Nondum videris perspicere, quam me nec Antonius commoverit, nec quicquam iam eiusmodi possit commovere. De Terentia autem scripsi ad te iis litteris, quas dederam pridie. Quod me hortaris, idque a ceteris desiderari scribis, ut dissimulem me tam graviter dolere, possumne magis, quam quum totos dies consumo in litteris? quod

etsi non dissimulationis, sed potius leniendi et sanandi animi causa facio, tamen, si mihi minus proficio, simulationi certe facio satis. 2. Minus multa ad te scripsi, quod exspectabam tuas litteras ad eas, quas ad te pridie dederam; exspectabam autem maxime de fano, nonnihil etiam de Terentia. Velim me facias certiorem proximis litteris, Cn. Caepio, Serviliae Claudii pater, vivone patre suo naufragio perierit an mortuo, item Rutilia vivone C. Cotta filio suo mortua sit an mortuo. Pertinent ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus.

§ 1. *simulationi facio satis* ɔ: tantum praesto, ut aliis videri debeam non dolere.

§ 2. *Cn. Caepio.* De hoc nihil constat. De *Rutilia* quum dubitaret Atticus, vid. ep. 22, 2, dubitationem tollit narratio in Senecae cons. ad Helviam, 16. Laudatur ibi, quod in Cotta filio expulso virtutem, in amisso prudentiam ostendit.

XXI. (*A. U. C.* 709.)

1. Legi Bruti epistolam eamque tibi remisi, sane non prudenter rescriptam ad ea, quae requisieras. Sed ipse viderit, quamquam illud turpiter ignorat: Catonem primum sententiam putat de animadversione dixisse, quam omnes ante dixerant praeter Caesarem, et quum ipsius Caesaris tam severa fuerit, qui tum praetorio loco dixerit, consularium putat leniores fuisse, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcacii, Figuli, Cottae, L. Caesaris, C. Pisonis, etiam M'. Glabrionis, Silani, Murenae, designatorum consulum. Cur ergo in sententiam Catonis? quia verbis luculentioribus et pluribus rem ean-

§ 1. Brutus in suo Catone (cf. XIII. 46, 2), quo libro avunculi famam contra Caesaris et Hirtii criminationes defendit, in laudando modum fuerat egressus et quae aliorum laudes erant ad Catonem retulerat. Cf. F. Schneideri Comm. de Bruti Catone in Diariis Antiq. 1842, fasc. 9, p. 891 seqq. Ita omnia, quae Nonis Decembribus a. 691 in senatu gestae sunt, ad Catonem retulerat, quasi nullae in eo negotio aliorum partes fuissent. Atticus Bruto ostenderat, rem illam non accurate ab ipso esse narratam; cui rescripserat Brutus ea, quae Cicero h. l. improbat. Est autem hic locus magni momenti in diiudicanda auctoritate orationis in Catilinam quartae, eumque exploraverunt Ahrensius, Schnitzerus, Hinrichsius, alii, qui eam orationem a Tullio abiudicarunt eive vindicarunt.

non prudenter. Recte Ernestus hoc praefert ei, quod in aliquo codice inventum est: *non pudenter.* E sequentibus nulla Bruti impudentia, sed magna rerum gestarum ignorantia prodit.

qui tum praetorio loco dixerit. De ordine in sententiis rogandis servato a consulibus cf. Phil. V. 13 seqq. Gell. N. A. IV. 10 et disp. Kolsteri in Diar. Antiq. 1842, fasc. 5. Cicero posuit coniunctivum *dixerit*, ut adiungeret notionem causalem. cf. Madv. ad Cic. de Fin. p. 51.

etiam M' Glabrionis. Particulae *etiam* ante hoc nomen nulla causa apparet; transposita (*M'. Gl., etiam*) Silanum et Murenam Coss. designatos recte a consularibus seiunget, quorum omnium nomina in Fastis intra annos CIƆCLXXIIII et CIƆCXC invenies. Iidem nominantur in Philippica II. 12 seqq.

quod retulerim — iudicaverim ɔ: quod de puniendis Catilinae sociis ad senatum retu-

dem comprehenderat. Me autem hic laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique, antequam consulerem, ipse iudicaverim. Quae omnia quia Cato laudibus extulerat in caelum perscribendaque censuerat, idcirco in eius sententiam est facta discessio. Hic autem se etiam tribuere multum mihi putat, quod scripserit »optimum consulem." Quis enim ieiunius dixit inimicus? Ad cetera vero tibi quemadmodum rescripsit! Tantum rogat de senatusconsulto ut corrigas. Hoc quidem fecisset, etiam si † Rario admonitus esset. Sed haec iterum ipse viderit. 2. De hortis, quoniam probas, effice aliquid: rationes meas nosti, si vero etiam a Faberio aliquid † recedit, nihil negotii est, sed etiam sine eo posse videor contendere: venales certe sunt Drusi, fortasse et Lamiani et Cassiani. Sed coram. 3. De Terentia non possum commodius scribere, quam tu scribis. Officium sit nobis antiquissimum; si quid nos fefellerit, illius malo me quam mei paenitere. 4. Oviae C. Lollii curanda sunt HS. $\overline{\text{c}}$. Negat Eros posse sine me, credo, quod accipienda aliqua sit et danda aestimatio. Vellem tibi dixisset; si enim res est, ut mihi scribit, parata nec in eo ipso mentitur, per te confici potuit. Id cog-

lerim, non quod latentem coniurationem aperuerim, anxios patres confirmaverim, primus declaraverim mihi placere poenam severam.

Quis enim ieiunius dixit inimicus? Non erat Cicero tam ineptus, ut crederet inimicos omnes se vocasse optimum consulem, sed sine dubio scripsit: *Quid enim ieiunius dixerit inimicus?*, ut eum scribere debuisse vidit Cobetus monuitque in Mnemosynes N. S. VIII p. 259.

de senatusconsulto ut corrigas. Videtur Brutus, quum Catonem scriberet, SCtum de sociis coniurationis non accurate descripsisse, sed memoriter eius argumentum citasse; qua in re errores, quos commiserat, ab Attici librariis corrigi cupit.

Hoc quidem fecisset, etiamsi Rario admonitus esset. Verba vides vehementer corrupta. Plerique interpretes scribendum putant: *etiamsi a Ranio admonitus esset,* et Ranium illum fuisse scribam aliquem, aut libertum Bruti suspicantur. Ernestus malebat: *Hoc quidem fecisses, etiamsi ab alio admonitus non esses* ɔ: tua sponte. Mihi magis placet: *Hoc quidem fecisset etiam librarii admonitu* vel: *etiamsi a librario admonitus esset.* — *Fecisset* est: rogasset, ut corrigeres.

§ 2. *si — a Faberio aliquid recedit.* Faberius erat debitor Ciceronis. Vid. 25, 1. 51, 3 h. l. Fortasse idem, quem Appianus de B. C. III. 5 appellat τὸν γραμματέα τοῦ Καίσαρος Φαβέριον. Pecunia, quam redigit creditor, ad eum *redire* dicitur; *recedere* hac in re non est usitatum. Scribe: *redit* vel *redierit.* Quod editum est in epistolis selectis II. p. 73 ab Andreseno *Si Eros etiam a Faberio recepit,* longius ab eo quod codd. dant recedit.

contendere ɔ: operam dare, ut hortos comparem.

§ 3. *De Terentia* cet. Agitur de eadem re, de qua scripsit in ep. 18 a., 2 et 19, 4, ubi vide quae animadverti. Cicero nunc scribit primam sibi esse curam eius, quod honestum et pium erat, et se dum illud sequitur, si forte minus suae utilitate consuluerit, malle dolere, quum illa se non gerat uti debet, quam sibi conscium esse se spe commodi sui aliquid praeter officium fecisse.

§ 4. *Oviae* cet. cf. ep. 24, 1. 30. 2. XIII. 22, 4.

credo — aestimatio. Cogitandum videtur de aestimatione possessionum ex edicto Iulii Caesaris facienda per arbitros, de qua consulendi Caesar B. C. III. 1 et Suetonius in

noscas et conficias velim. 5. Quod me in forum vocas, eo vocas, unde etiam bonis meis rebus fugiebam; quid enim mihi cum foro sine iudiciis, sine curia, in oculos incurrentibus iis, quos aequo animo videre non possum? Quod autem homines a me postulare scribis, ut Romae sim, neque [mihi, ut absim, concedere aut] † quatenus eos mihi concedere, iam pridem scito esse, quum unum te pluris quam omnes illos putem. Ne me quidem contemno meoque iudicio multo stare malo quam omnium reliquorum, neque tamen progredior longius, quam mihi doctissimi homines concedunt, quorum scripta omnia, quaecunque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis aegroti accipere medicinam, sed in mea etiam scripta transtuli, quod certe afflicti et fracti animi non fuit. Ab his me remediis noli in istam turbam vocare, ne recidam.

Caes. 42. Res aestimata *accipienda* erat a debitore praesente et *danda* vel solvenda creditori.

§ 5. *quid mihi cum foro* np. negotii est? cf. Att. I. 16, 10 *quid, inquit, homini Arpinati cum aquis calidis?* p. Quint. 55. *Quid mihi, inquit, cum ista summa diligentia?* Et sic semper praepositio additur, etiam quum de rebus sermo est. Recte igitur *cum* in Mediceo antea omissum corrector eius libri addidit. De aliis codd. non satis constat, sed e libro Hispano *cum* diserte affertur. Poterat etiam scribi: *Quid mihi forum?*

ut Romae sim, neque mihi, ut absim, concedere. Haec quae a Med. aliisque absunt partim certe sunt necessaria. Nam dicendum erat, quid homines postularent. Quae adduntur: *aut quatenus eos mihi concedere* continent aliquam restrictionem eorum, quae proxime praecedunt, sed non bene enuntiatam. Muretus et Graevius ea delenda censebant. Ego hunc locum interpolatum et corruptum puto et sic fortasse restituendum: *Quod — scribis, ut Romae sim, neque quietem consulari mihi concedere, iam pridem scito* cet. Corradus iam suspicatus est voc. *consulari* per compendium *cos.* scriptum latere in *eos.*

meo iudicio stare malo. cf. ad VIII. 4, 1.

quaecunque sunt in eam sententiam np. scripta. Exemplis hanc formulam illustravit Handius Turs. III. p. 325.

ne recidam. Verbum proprium de iis, qui morbo sanati eodem denuo temptantur. cf. Liv. XXIV. 29. Hinc *febres recidivae* in Plinii H. N. XXX. 104.

XXII. (*A. U. C.* 709.)

1. De Terentia, quod mihi omne onus imponis, non cognosco tuam in me indulgentiam; ista enim sunt ipsa vulnera, quae non possum tractare sine maximo gemitu. Moderare igitur, quaeso, ut potes: neque enim a te plus, quam potes, postulo; potes autem quid veri sit perspicere tu unus. 2. De Rutilia, quoniam videris dubitare, scribes ad

§ 1. *cognosco.* „Fortasse *agnosco.*" Orell. Non probo, quamquam saepe confundi haec verba in Mss. Bakio concedo, qui correxit de Leg. I. 25. Sed *cognoscere,* quum sit aliquid accurate spectatum intelligere, saepe poni pro *agnoscere* iam vidit Nonius p. 276. cf. Madv. ad Fin. p. 278.

§ 2. *De Rutilia* cet. cf. ep. 20, 2. *Clodia*

me, quum scies, sed quam primum, et num Clodia D. Bruto consulari, filio suo, mortuo vixerit. Id de Marcello aut certe de Postumia sciri potest, illud autem de M. Cotta aut de Syro aut de Satyro. 3. De hortis, etiam atque etiam te rogo: omnibus meis eorumque, quos scio mihi non defuturos, facultatibus — sed potero meis — enitendum mihi est. Sunt etiam, quae vendere facile possim; sed, ut non vendam eique usuram pendam, a quo emero, non plus annum, possum assequi quod volo, si tu me adiuvas. Paratissimi sunt Drusi: cupit enim vendere; proximos puto Lamiae, sed abest: tu tamen, si quid potes, odorare. Ne Silius quidem quicquam utitur (suis) et is usuris facillime sustentabitur. Habe tuum negotium, nec quid res mea familiaris postulet, quam ego non curo, sed quid velim et cur velim existima.

fuit uxor D. Bruti Gallaeci cos. cum Scipione Nasica a. u. 616, mater D. Bruti cos. a. 677. *Syrum* et *Satyrum* nescio quam vere faciunt servos litteratos Attici.

§ 3. *ut non vendam* ɔ: etiamsi non vendam, fac me non vendere quicquam ex meis.

eique usuram pendam — non plus annum, possum assequi quod volo, si tu me adiuvas. „Graevius parum recte pro *annum* legi voluit *annua* sc. *die;* locis enim ab ipso citatis *dies* non per ellipsin auditur, sed aut additum est, aut ex superioribus intelligitur; neque vero *non plus annum usuram pendam* minus recte dicitur, quam Att. VI. 6, 3 *non plus annum obtinere provinciam.* Orellius coniectura illa recepta sententiam Ciceronis totam corrupit, quum ita distinxit: — „emero, non plus annua possum assequi: quod volo, cet." Wesenbergius Emend. p. 116. In alt. edit. Orellius a Wesenbergio admonitus *annum* revocavit, sed vitiosam distinctionem retinuit.

proximos p. Lamiae ɔ: post hortos Drusi nulli erunt parabiliores Lamianis.

Ne Silius quidem quicquam utitur (*suis*) ɔ: neque Silio ullus est usus hortorum suorum, ita ut facile eos vendere velit. *Suis* additum est a Wes. cf. Emend. alt. p. 127.

et is usuris facillime sustentabitur. Lipsius Antiq. Lect. IV. 19 emendat *is* p. *iis;* nec pronomen illud otiosum esse monuit Wes. l. l. Cicero hoc volebat: Drusus et Lamia, homines minus divites, hortos suos non vendent nisi pecunia numerata. At Silius *facillime usuris sustentabitur,* quum dives sit neque sorte egeat.

Habe tuum negotium ɔ: considera hoc negotium, tanquam sit tuum. Similiter XIII. 49, 2, *Habuit suum negotium Gallus.* — Verba *et cur velim* accesserunt e margine Crat. neque mihi otiosa videntur, ut Buechelero in Mus. Rhen. XI p. 525.

XXIII. (*A. U. C.* 709.)

1. Putaram te aliquid novi — quod eiusmodi fuerat initium litterarum, quamvis non curarem quid in Hispania fieret, tamen te scripturum, — sed videlicet meis litteris respondisti, ut de foro et de

§ 1. *Putaram te aliquid novi,* cet. Paullo aliter, quam alii editores haec interpunxi, ut magis appareret illa *quamvis — scripturum* respicere ad Attici litteras, in quibus scriptum fuerit: „Quamvis non cures, quid in H. fiat, tamen scribam."

meis litteris ep. 21. Partic. *ut* deinde libenter carerem.

curia. »Sed domus est", ut ais, »forum." Quid ipsa domo mihi opus est carenti foro? Occidimus, occidimus, Attice, iam pridem nos quidem, sed nunc fatemur, postea quam unum, quo tenebamur, amisimus: itaque solitudinem sequor, et tamen, si qua me res isto adduxerit, enitar, si quo modo potero — potero autem —, ut praeter te nemo dolorem meum sentiat, si ullo modo poterit, ne tu quidem. Atque etiam illa causa est non veniendi: meministi quid ex te Alledius quaesierit? qui etiam nunc molesti sunt, quid existimas, si venero? 2. De Terentia ita cura, ut scribis, meque hac ad maximas aegritudines accessione non † maxima libera. Et, ut scias me ita dolere, ut non iaceam, quibus consulibus Carneades et ea legatio Romam venerit scriptum est in tuo annali; haec nunc quaero, quae causa fuerit. De Oropo, opinor, sed certum nescio; et, si ita est, quae controversiae? praeterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenisque praefuerit hortis? qui etiam Athenis πολιτικοὶ fuerint illustres? quae te etiam ex Apollodori puto posse invenire. 3. De Attica molestum,

Sed domus est forum. Atticus ita fere videtur scripsisse: Foro abstineas licet, multi tamen ad te se conferent, ut consilia tua exquirant. Itaque domo tua uteris pro foro.

solitudinem sequor. Mediceum rursus sequi malui, quam eos, qui *solitudines* e Cratandrina singulari praeferunt. Frustra. De eadem ἐρημίᾳ scripsit in ep. 26, 2; *Sed mihi solitudo et recessus provincia est* et saepius *solitudinem* appellat, ut 14, 3. 15. 16. 18, 1. Aliud est *discedere in solitudines* Fam. II. 16, 2 et *solitudines sequi* Att. XIII. 16 ɔ: loca solitaria.

si ullo modo poterit, ne tu quidem. Wes. coniecit: — *poterit, ut ne tu q.* Libentius sequar Pluygersium corrigentem: — *potero, ut ne tu quidem.*

illa causa. Malim: *alia causa:* quum enim statim *causam* declaret, requiritur potius *haec* quam *illa.*

Alledius. cf. supra ad ep. 4 extr.

qui etiam nunc molesti sunt, quid existimas si venero? ɔ: Caesaris illos amicos, qui etiam absenti mihi molesti sunt, quid putas futuros, si in urbem rediero? *Qui* scribendum esse pro *quin,* quum primum haec legerem, vidi, in quam emendationem incidit quoque Wesenbergius Emend. p. 123. *Quin* h. l. non magis ferendum est, quam I. 13, 2, ubi cf. adnotatio.

§ 2. *me hac ad maximas aegritudines accessione non † maxima libera.* Qui *maximis* aegritudinibus premitur, non multum levatur, si *parva* accessione liberatur. Recte Pius correxit *minima.* Haec a librariis permutari Zumpt. docuit ad Verrinas p. 10.

quibus consulibus Carneades, cet. Carneades Academicus cum Diogene Stoico et Critolao Peripatetico a. u. 599 P. Cornelio Scipione Nasica II. M. Claudio Marcello II. Coss. legati Atheniensium Romam venerunt, multae propter Oropum vastatam civibus Atticis impositae remissionem petituri. Cf. Plut. in Cat. Mai. 22. Gell. N. A. VII. 14. Nobilissimae legationis saepe mentionem fecit Cicero, ut de Orat. II. 155. Tusc. IV. 5. Acad. II. 137, eamque non omiserat Atticus in eo libro, quo „septingentorum annorum memoriam inclusit," ut scribit Cic. Orat. 120. Cf. quoque Corn. Nep. Hannib. 13. Att. 18. Asconius ad Pison, § 52.

Athenisque praefuerit hortis. Recte Klotzius hanc libri Med. scripturam revocavit monuitque id quod vulgo editur: *fuerit Athenis, qui praefuerit hortis* vitiosum esse. Nam de uno homine quaeritur, non de duobus, quorum alter nobilis Epicureus fuerit, alter hortis praefuerit.

ex Apollodori sc. libro vel opere. Similis ellipsis est XIII. 32, 3 *in Libonis* et Acad. I. 13 *contra Philonis.* Respicitur autem ad *Chronica,* quae Apollodorus grammaticus

sed quoniam leviter, recte esse confido. De Gamala dubium mihi non erat: unde enim tam felix Ligus pater? Nam quid de me dicam, cui ut omnia contingant, quae volo, levari non possum? De Drusi hortis, quanti licuisse tu scribis, id ego quoque audieram et, ut opinor, heri ad te scripseram, sed quantiquanti, bene emitur quod necesse est. Mihi, quoquo modo tu existimas — scio enim ego ipse quid de me existimen — levatio quaedam est, si minus doloris, at officii debiti. Ad Siccam scripsi, quod utitur L. Cotta. Si nihil conficeretur de Transtiberinis, habet in Ostiensi Cotta celeberrimo loco, sed pusillum loci; ad hanc rem tamen plus etiam quam satis: id velim cogites. Nec tamen ista pretia hortorum pertimueris; nec mihi iam argento nec veste opus est nec quibusdam amoenis locis, hoc opus est. Video etiam a quibus adiuvari possim. Sed loquere cum Silio; nihil enim est melius. Mandavi etiam Siccae: rescripsit constitutum se cum eo habere; scribet igitur ad me quid egerit, et tu videbis.

Atheniensis iambis conscripsit, quibus multum usus est Diogenes Laertius. cf. Ionsius, de hist. philos. scriptt. II. 15, 2.

§ 3. *De Gamala.* Med. *Magala;* sed in re incerta codicem Cratandri sequi tutius est. Videtur fuisse nomen filii vel filiae Aelii Liguris cuiusdam, cuius obitum a Cicerone provisum Atticus nuntiarat.

quanti licuisse tu scribis ɔ: quo pretio venales fuisse scribis. cf. Plinii H. N. XXXV, 88, ubi cum Silligio legendum *percontanti quanti licerent opera effecta* et Mart. VI, 66 *parvo quum pretio diu liceret* (puella).

quantiquanti gen. pretii. Reduplicare vocabula est sermonis familiaris et comicorum. *Quantus quantus* est in Plauti Poenulo III. 4, 28 et in Terentii Ad. III. 3, 40, *ubiubi* in Eun. V. 8, 12, *circumcirca* in Sulpicii epist. Fam. IV. 5, 4.

quod utitur L. Cotta ɔ: quod L. Cottae familiaris est. Nota sunt *multum uti aliquo* et *familiarissime uti.* Nudo verbo in ea re usus est Horat. Ep. I. 12, 22 et 17, 13 sq. et fortasse Cicero in Bruto, 147, nisi verba corrupta sunt.

Si nihil conficeretur. Malim cum Pio et Mosero Symb. Crit. VIII. p. 5 *conficietur,* et in extr. sententia dedi *plus etiam quam satis* e marg. Crat. Mosero tamen concedo *etiam* melius abesse.

nec mihi iam argento nec veste opus est nec quibusdam amoenis locis. Ingeniose Pluygersius in Mnemos. Leid. V. p. 327 sq. haec sic correxit: N e c m i h i t a m a r g e n t o n e c v e s t e o p u s e s t n e q u e b u b u s, quam amoenis locis: h o c o p u s e s t. In his verba diductis litteris scripta sunt alicuius poëtae, fortasse Lucilii.

rescripsit — habere ɔ: Sicca rescripsit se cum Silio de ea re acturum esse.

XXIV. (*A. U. C.* 709.)

1. Bene fecit A. Silius, qui transegerit; neque enim ei deesse volebam et quid possem timebam. De Ovia confice, ut scribis. De Cicerone tempus esse iam videtur, sed quaero, quod illi opus erit,

§ 1. *Bene fecit A. Silius* cet. Perperam nonnulli ex h. l. efficiunt Silium hortos Ciceroni vendidisse. Recte Gronovius vidit hic agi de lite quadam per transactionem composita inter A. Silium et alium, qui non nominatur. Non est verisimile hunc A. Si-

Athenis permutarine possit an ipsi ferendum sit, de tota quere, quemadmodum et quando placeat, velim consideres. Publilius iturusne sit in Africam et quando ex Alledio scire poteris; quaeras et ad me scribas velim. 2. Et, ut ad meas ineptias redeam, velim me certiorem facias, P. Crassus, Venuleiae filius, vivone P. Crasso consulari, patre suo, mortuus sit, ut ego meminisse videor, an post; item quaero de Regillo, Lepidi filio, rectene meminerim patre vivo mortuum. 3. Cispiana explicabis itemque Preciana. De Attica, optime est. Ei salutem dices et Piliae.

lium esse eum Silium, cuius frequens mentio est in proximis epistolis. — *De Ovia* cf. ep. 21, 4.

Athenis permutarine possit cet. Praestat, opinor, nomen *Athenis* seiungere ab iis, quae praecedunt, ut feci.

§ 2. *ut ad meas ineptias redeam* ɔ: ad consolationem, in qua scribenda quod tamdiu occupatus sum, possim aliis ineptus videri.

de Regillo, Lepidi filio. Fuisse filium M. Aemilii Lepidi, cos. a. 676, fratrem L. Aemilii Lepidi Paulli et M. Aemilii Lepidi, qui fuit triumvirum, probabiliter coniecit Borghesius in disp. de censoribus, Oper. IV. p. 73 seq.

§ 3. *Cispiana explicabis itemque Preciana.* Cispium et Precium aliquid debuisse Ciceroni liquet e verbo *explicabis.* cf. XIII. 29, 1 et 2.

De Attica, optime est. Ei salutem dices et Piliae. E librorum scriptura *optime id ei* Bosius effecit *optime it. ei* cet. Sed sic ab Attico amico nuntiari potuit, non contra, *si optime ire* pro ex voto cedere Latinum est, quod negandum videtur. Quod scripsi, meum est inventum. Vulgo editur: *De A. optime: et ei s. d. et Piliae* contra morem Ciceronis.

XXV. (*A. U. C.* 709.)

1. Scripsit ad me diligenter Sicca de Silio, seque ad te rem detulisse, quod tu idem scribis. Mihi et res et conditio placet, sed ita, ut numerato malim quam aestimatione: voluptarias enim possessiones nolet Silius, vectigalibus autem ut his possum esse contentus, quae habeo, sic vix minoribus. Unde ergo numerato? HS. $\overline{\text{DC}}$. exprimes ab Hermogene, quum praesertim necesse erit, et domi video esse HS. $\overline{\text{DC}}$. Reliquae pecuniae usuram Silio pendemus, dum a Faberio vel ab aliquo, qui Faberio debet, repraesentabimus; erit etiam aliquid aliunde.

§ 1. *ut numerato malim quam aestimatione* ɔ: ut hortos praesenti pecunia emere malim, quam permutare cum aliquo praedio, quod eodem pretio aestimatur.

vectigalibus cf. ad ep. 19, 1.

HS. $\overline{DC}$. Merito haec pecuniae summa Wielando, interpr. Germm. epistt. V. p. 551 nimia visa est. Nam si tantum ipse haberet, alterum tantum ab Hermogene exprimere posset, potuisset sane hortos illos praesenti pecunia comparare et aliquantum in arca retinere. Itaque in numeris erratum videtur et fortasse utrobique legendum est HS. $\overline{\text{LX}}$.

quum pr. necesse erit. Posuit Cicero futuri indicativum post *quum* causale, ut in V de Fin. 28 *quum id sua causa faciet*, ad quae verba Madvigius hunc locum laudavit.

domi video. Temere Otto ad Cic. Rep. p. 129 Osann. hic *domui* inveniri scribit. Nam *domui ideo* in Med. apertus est librarii error, litterarum sedem permutantis.

repraesentabimus. Repraesentare esse ante

Sed totam rem tu gubernabis. 2. Drusianis vero hortis multo (hos) antepono, neque sunt unquam comparati. Mihi crede, una me causa movet, in qua scio me *τετυφῶσθαι*; sed, ut facis, obsequere huic errori meo. Nam quod scribis *ἐγγήραμα*, actum, iam de isto est; alia magis quaero.

diem constitutum solvere, neque a vulgari sententia recedendum esse, recte adversus Budaeum monuit P. Manutius ad h. l.

aliunde praeeunte Gronovio scripsi pro *alicunde*, ut X. 1, 3. Cf. Wesenberg. ad Tusc. I. 53 in vol. IV edit. Orell. alt.

§ 2. *Drusianis vero hortis.* E ficto Bosii codice plures scripserunt: *D. vero hos hortis*, B. et K2 delerunt *hos*, quod a codd. abest. Ego cum W. e margine ed. Lambini aptiorem in locum transposui.

τετυφῶσθαι. Gronovius, qui interpr. *ambitiosius et prope insolentius efferri*, aliique qui similem vim verbo tribuunt, falluntur. Harpocration, qui legerat in Dem. p. Cor. 5. Phil. III. 4. de male gesta leg. 64, recte explicat verbo ἐμβεβροντῆσθαι, *mente captum esse, insanire.*

Nam quod scribis ἐγγήραμα, eet. Quid nunc dicat ἐγγήραμα, interpretes dissentiunt. Rectam viam explicandi iniit Corradus, quem sequuntur Gronovius et Wielandus. Nam dubitari non potest quin ea, quae leguntur in ep 29 *vel tu illud ἐγγήραμα — vel ἐντάφιον putato* expressa sint e dicto Catonis Censorii, quod nobis servavit Plutarchus in Cat. 24 extr., ubi ille dicitur ὥσπερ Διονύσιόν τις ἔπεισε κάλλιστον ἐντάφιον ἡγεῖσθαι τὴν τυραννίδα, κάλλιστον αὐτὸς ἐγγήραμα τὴν πολιτείαν ποιησάμενος κ. τ. λ. Cicero igitur hoc dicit: Nam quod me Catonis exemplo in forum revocas et in curiam, ut ibi consenescam, res publica iam nulla est; solitudinem et litteras sequor.

XXVI. (*A. U. C.* 709.)

1. Sicca [ut scribit], etiamsi nihil confecerit cum A. Silio, tamen se scribit x. Kal. esse venturum. Tuis occupationibus ignosco, eaeque mihi sunt notae: de voluntate tua ut simul simus, vel studio potius et cupiditate non dubito. 2. De Nicia quod scribis, si ita me haberem ut eius humanitate frui possem, in primis vellem illum mecum habere; sed mihi solitudo et recessus provincia est, quod quia facile ferebat Sicca, eo magis illum desidero. Praeterea nosti Niciae nostri imbecillitatem, mollitiam, consuetudinem victus: cur ergo illi molestus esse velim, quum mihi ille iucundus esse non possit? Voluntas tamen eius mihi grata est. Unam rem ad me scripsisti, de qua decrevi nihil tibi rescribere; spero enim me a te impetrasse ut privares me ista molestia. Piliae et Atticae salutem.

§ 1. *ut scribit.* Obelos appingendos curavi, quia haec molesta sunt, quum sequatur *scribit.*

§ 2. *De Nicia* cet. Cf. ad VII. 3, 10. In l. l. Suetonii haec usque ad *grata est* citantur.

provincia est. Alii appetunt provincias, mihi solitudo provincia est. Inutilis est Schuetzii coniectura *pro victu est.*

imbecillitatem, mollitiam. Non animi vitia his nominibus designantur. E corporis imbecillitate oritur molle et anxium vitae genus.

Unam rem cet. Spectant haec ad Terentiae testamentum. cf. ep. 22, 1.

privares — molestia. cf. *privari dolore* Fin. I. 37, *iniuria* leg. agr. I. 13.

XXVII. (*A. U. C.* 707).

1. De Siliano negotio, etsi mihi non est ignota conditio, tamen hodie me ex Sicca arbitror omnia cogniturum. Cottae quod negas te nosse, ultra Silianam villam est, quam puto tibi notam esse, villula sordida et valde pusilla, nihil agri, ad nullam rem loci satis nisi ad eam, quam quaero. Sequor celebritatem, sed si perficitur de hortis Silii, hoc est, si perficis — est enim totum positum in te —, nihil est scilicet, quod de Cotta cogitemus. 2. De Cicerone, ut scribis, ita faciam: ipsi permittam de tempore, nummorum quantum opus erit ut permutetur, tu videbis. Ex Alledio, quod scribas, si quid inveneris, scribes. Et ego ex tuis animadverto litteris et profecto tu ex meis nihil habere nos, quod scribamus; eadem quotidie, quae iam iamque ipsa contrita sunt: tamen facere non possum, quin quotidie ad te mittam, ut tuas accipiam. 3. De Bruto tamen, si quid habebis; scire (te) enim iam puto ubi Pansam exspectet. Si, ut consuetudo est, in prima provincia, circiter Kal. affuturus videtur. Vellem tardius; valde enim urbem fugio multas ob causas; itaque id ipsum dubito an excusationem aliquam ad illum parem, quod quidem video facile esse; sed habemus satis temporis ad cogitandum. Piliae et Atticae salutem.

§ 2. *Ex Alledio — scribes.* Pro *quod scribis* Wes. egregie reposuit *quod scribas*, ut haec oriatur sententia: Si quid de Publilii in Africam profectione quaerendo ex Alledio cognoveris, quod scribere possis, scribes.
contrita sunt ɔ: saepius tractata, ad fastidium repetita. Patrio sermone dicimus *afgezaagd.*

§ 3. *De Bruto* cet. cf. ad ep. 19, 3.
in prima provincia ɔ: in ea provinciae parte, quae Roma venientibus prima est. Cf. Fam. III. 6, 2. Opp. *ultima provincia*, Att. V. 16, 4.

XXVIII. (*A. U. C.* 709.)

1. De Silio nihilo plura cognovi ex praesente Sicca quam ex litteris eius; scripserat enim diligenter. Si igitur tu illum conveneris, scribes ad me, si quid videbitur. De quo putas ad me missum esse, sit missum necne nescio, dictum quidem mihi certe nihil est: tu igitur, ut coepisti, et, si quid ita conficies, quod equidem non arbitror fieri posse, ut illi probetur, Ciceronem, si tibi placebit, adhibebis.

§ 1. *De quo putas* cet. Agitur de Terentia, quae indicatur pronominibus *illi* et *illius.* Cicero rogat amicum, ut cum Terentia agat de dote reddenda et, si quid ab ea impetraret, ut Marci filii rationem habere vellet, hunc ad illam adducere iubet.

Eius aliquid interest videri illius causa voluisse, mea quidem nihil nisi id, quod tu scis, quod ego magni aestimo. 2. Quod me ad meam consuetudinem revocas, fuit meum quidem iam pridem rem publicam lugere, quod faciebam, sed mitius — erat enim ubi acquiescerem —: nunc plane nec ego victum nec vitam illam colere possum, nec in ea re quid aliis videatur mihi puto curandum. Mea mihi conscientia pluris est quam omnium sermo. Quod me ipse per litteras consolatus sum, non paenitet me quantum profecerim: maerorem minui, dolorem nec potui nec, si possem, vellem. 3. De Triario bene interpretaris voluntatem meam; tu vero nihil, nisi ut illi volent: amo illum mortuum, tutor sum liberis, totam domum diligo. De Castriciano negotio, si Castricius pro mancipiis pecuniam accipere volet eamque † ei solvi, ut nunc solvitur, certe nihil est commodius; sin autem ita actum est, ut ipsa mancipia abduceret, non mihi videtur esse aequum — rogas enim me ut tibi scribam, quid mihi videatur —: nolo enim negotii Quintum fratrem quicquam habere, quod videor mihi intellexisse tibi videri idem. Publilius, si aequinoctium exspectat, ut scribis Alledium dicere, navigaturus videtur; mihi autem dixerat per Siciliam: utrum et quando velim scire. Et velim aliquando, quum erit tuum commo-

illius causa voluisse ɔ: matri studuisse, pietatis officiis in eam functum esse. Locutionem tetigi ad III. 24, 1.

id quod tu scis, ne inofficiosus videar. cf. ep. 19, 4.

§ 2. *Quod me — revocas* ɔ: ut scripsit in ep. 21, 5, *quod me in forum vocas,* quod vis me denuo causas agere.

erat — ubi acquiescerem, in amore Tulliae, quae curas meas de rep. levabat. Quod praecedit *mitius* debetur Bosio. Codd. dant *intus.* Illud verum videtur. Dicit se antea luctum temperasse. cf. Tusc. II. 53 *patientia dolorem nescio quo pacto mitiorem facit.*

nec ego victum nec vitam illam colere possum. Recte Ernestum puto dubitasse, an *colere victum* et *colere vitam* a Cicerone profectum sit, (etsi Plautus in Rud. I. 5, 25 dixit: *Egomet vix vitam colo*) neque displicet, quod ille coniecit, *tolerare. Vita* et *victus* ubi coniunguntur, illud vitam publicam, hoc privatam indicat. cf. de Leg. III 32. Brut. 95. Corn. in Alcib. 1, 3.

non paenitet quantum profecerim. cf. ad I. 20, 3.

maerorem — dolorem. Maeror est summa aegritudo, quae animum lacerat et conficit, et saepe in fletum et lamentationem erumpit. *Dolor* est aegritudo animi, quae hominem minime dedecet, atque indolentiae opponitur.

§ 3. *De Triario* cet. Dicit C. Valerium Triarium, quem in lib. I de Finibus disputationi interesse finxit. cf. Madvigius ad eos libros p. 3.

De Castriciano negotio cet. „Q. Cicero vendiderat (potius: promiserat) Castricio cui debebat mancipia, quae postea voluit sibi retinere et debitum solvere ex lege Iulia datis in solutum rebus aestimatis; sed quum ita actum esset (ɔ: ita inter eos convenisset) ut Castricius ipsa mancipia abduceret, non erat aequum cogi illum ad aestimationem accipiendam." Ita Popma recte h. l. expedivit. cf. ep. 30, 2 et adnot. ad II. 7, 5.

eamque ei solvi. ei pro *sibi* non est ferendum. Aut depravatum est e *sic,* aut librarii additamentum.

navigaturus ɔ: totum iter in Africam (cf. ep. 24, 1) mari facturus. *Aequinoctium* dicitur vernum, a. d. VIII Kal. Apr., quo mare desinebat esse clausum.

Lentulum puerum cet. cf. ep. 30, 1. Est ille

dum, Lentulum puerum visas eique de mancipiis, quae tibi videbitur, attribuas. Piliae et Atticae salutem.

nepos, infans paucorum mensium, de quo agitur h. l. 18 a., 2. Lentuli nomen habebat a patre. Nam patri P. Dolabellae fuisse quoque Lentulo nomen ex Ascon. p. 4, Plut. in Cic. 41, Macr. Sat. II. 3 constat. Cf. Orellii adnot ad Cicer. hist. in Onom. Tull. I. p. 91.

XXIX. (*A. U. C.* 709.)

1. Silius, ut scribis, hodie. Cras igitur vel potius quum poteris scribes, si quid erit, quum videris. Nec ego Brutum vito nec tamen ab eo levationem ullam exspecto, sed erant causae cur hoc tempore istic esse nollem; quae si manebunt, quaerenda erit excusatio ad Brutum, et, ut nunc est, mansurae videntur. 2. De hortis, quaeso, explica — caput illud est, quod scis; sequitur, ut etiam mihi ipsi quiddam opus sit; nec enim esse in turba possum nec a vobis abesse; huic meo consilio nihil reperio isto loco aptius; — et de hac re quid tui consilii sit. Mihi persuasum est et eo magis, quod idem intellexi tibi videri me ab Oppio et Balbo valde diligi. Cum iis communices quanto opere et quare velim hortos, sed id ita posse, si expediatur illud Faberianum. Suntne igitur auctores futuri? si qua etiam iactura facienda sit in repraesentando, quoad possunt, adducito; totum enim

§ 1. *Silius — hodie* „Scil. te conveniet tecumque aget de hortis". Gron. Post *igitur* in Med. apparet *cum,* in quo Kl *tu* latere putabat. Pro *quum poteris* scribendum censeo *quum primum poteris.* Hoc enim aptius Ciceronis impatientiae, qui de ea re hodie, quam cras, ad se scribi malebat.

excusatio ad Brutum. Rarioris constructionis exempla collegit Handius in Turs. I, 94.

ut nunc est ɔ: quantum ex iis, quae nunc aguntur, colligere licet. cf. Polionis verba ad Fam. X. 31, 6 *constitui, ut nunc est, cum exercitu proficisci.*

§ 2. *sequitur ut — opus sit.* Merito Ernestus his offensus est, sed non feliciter coniecit: *ut etiam mihi ipsi quidam locus sit.* Pro *quiddam* fortasse scribendum *quiete iam.*

quid tui consilii sit. Gronovius explicuit per omissum verbum *exspecto.* Moserus Symb. Crit. VIII. 6 omissum suspicatur *mihi perscribes.* Ego verba sic distinxi, ut appareret haec pendere ab *explica.* Recte dicitur: De hortis explica et consilium tuum de hac re ɔ: de eo, quod sequitur.

cum iis communices. Post hoc verbum intercidisse videtur *quaeso,* neglectum a scribis ob sequens *quanto,* vel de Wes. coniectura scribendum: *cum iis fac communices.*

illud Faberianum. Cf. ep. 21, 2. 25, 1. 31, 2. Post haec verba in Med. est: *sin igitur auctores futuri* et *quod possum adducito tum.* In cod. Crat. erat: *sintne* cet., idque editores vel probant vel ferunt. Nego verum esse, et de mea coniectura sic scripsi: *Suntne igitur auctores futuri? si qua etiam iactura f. sit in r. quoad possunt, adducito. Totum enim illud desperatum.* Auctor est, qui debitoris nomen creditori praestat. Cicero igitur rogat, num Oppius et Balbus illud Faberianum sibi praestare velint, et quoniam videbat eos non totam summam ante diem soluturos esse, rogat Atticum ut eos saltem eo adducat, ut de summa debita et ante diem solvenda ne nimium deducant.

illud desperatum. Denique intelliges ecquid inclinent ad hoc meum consilium adiuvandum: si quid erit, magnum est adiumentum; sin minus, quacunque ratione contendamus. Vel tu illud ἐγγήραμα, quemadmodum scripsisti, vel ἐντάφιον putato. De illo Ostiensi nihil est cogitandum; si hoc non assequimur, a Lamia non puto posse, Damasippi experiendum est.

sin minus — contendamus ɔ: sed si Oppius et Balbus illud repraesentare nolent, aliunde nummos comparemus.

Vel tu — putato. cf. ad ep. 25, 2.

De illo Ostiensi cf. ep. 23, 3. De *Lamiae* hortis 21, 2 et 22, 3. — *Damasippus*, qui nominatur rursus ep. 33, 1 et Fam. VII. 23 est idem, quem Horatius derisit Sat. II. 3. De eo vid. Estré in prosopogr. Horat. p. 161 seqq.

XXX. (*A. U. C.* 709).

1. Quaero quod ad te scribam, sed nihil est: eadem quotidie. Quod Lentulum invisis, valde gratum; pueros attribue ei quot et quos videbitur. De Silii voluntate vendendi et de eo, quanti, tu vereri videris, primum ne nolit, deinde ne tanti: Sicca aliter; sed tibi assentior. Quare, ut ei placuit, scripsi ad Egnatium. Quod Silius te cum Clodio loqui vult, potes id mea voluntate facere, commodiusque est quam, quod ille a me petit, me ipsum scribere ad Clodium. 2. De mancipiis Castricianis commodissimum esse credo transigere Egnatium, quod scribis te ita futurum putare. Cum Ovia quaeso vide ut conficiatur. Quoniam, ut scribis, nox erat, in hodierna epistola plura exspecto.

§ 1. *Quare — scripsi ad Egnatium*, ut cum Druso de eius hortis ageret. cf. ep. 31, 2.

cum Clodio. Eundem esse, qui in seq. ep. vocatur *Hermogenes* e XIII. 24 suspicari licet.

§ 2. *De mancipiis Castricianis.* cf. ep. 28, 3. De negotio cum Ovia ep. 21, 4 et 24, 1.

XXXI. (*A. U. C.* 709.)

1. Silium mutasse sententiam Sicca mirabatur: equidem magis miror, quod, quum in filium causam conferret, quae mihi non iniusta videtur — habet enim qualem vult —, ais te putare, si addiderimus

§ 1. *equidem — venditurum* ɔ: Non miror Silium invito filio bono adolescente hortos nolle vendere, sed miror, quod scribis te putare illum, si *aliquid* (ut Wes. coniecit pro *aliud*) addidero ad pretium, quod solvere volo, tamen venditurum illud, a quo vendendo filii causa alienus sit, quum ipse vendere vellet. Verba: *quum ab ipso id fuerit destinatum* Gronovius interpretatur: „*ubi ab ipso hunc locum emerimus*" et exemplis Plautinis ostendere studuit *destinare* esse *emere, parare*, id quod visum quoque Nonio p. 289. In illis locis, ut Fam. VII. 23, 3, indicat sane emendi voluntatem. Sed quando de domino rei dicitur, ut h. l., designat vendendi propositum.

† aliud, a quo refugiat, quum ab ipso id fuerit destinatum, venditurum. 2. Quaeris a me quod summum pretium constituam et quantum anteire istos hortos Drusi: accessi nunquam; Coponianam villam et veterem et non magnam novi, † silvam nobilem, fructum autem neutrius, quod tamen puto nos scire oportere. Sed mihi utrivis istorum tempore magis meo quam ratione aestimandi sunt; possim autem assequi necne tu velim cogites. Si enim Faberianum venderem, explicare vel repraesentatione non dubitarem de Silianis, si modo adduceretur ut venderet; si venales non haberet, transirem ad Drusum vel tanti, quanti Egnatius illum velle tibi dixit. Magno etiam adiumento nobis Hermogenes potest esse in repraesentando. At tu concede mihi, quaeso ut eo animo sim, quo is debeat esse, qui emere cupiat, et tamen ita servio cupiditati et dolori meo, ut a te regi velim. 3. Egnatius mihi scripsit. Is si quid tecum locutus erit — commodissime enim per eum agi potest —, ad me scribes, et id agendum puto; nam cum Silio non video confici posse. Piliae et Atticae salutem. Haec ad te mea manu. Vide quaeso quid agendum sit.

§ 2. *Drusi* sc. hortis cf. ep 25, 2. — *accessi nunquam* ɔ: nunquam in Drusi nec in Silii hortis fui. — *Coponianam villam* dici vel hortos Drusi vel partem eorum, quae antea fuerat alicuius Coponii, non ut Wielandus volebat cogitandum esse de alio praedio apparet, quod nunquam postea ea villa nominatur, et quod in seqq. de solis hortis Silianis et Drusianis sermo est.

† *silvam nobilem.* Egregie Wes. Emend. alt. p. 128 ostendit scribendum esse *Silianam nobilem.*

fructum neutrius sc. novi, nescio quantum quotannis ex utriusque hortis percipi possit.

Si enim — Silianis ɔ: „si enim possem invenire, qui numerata pecunia praesenti transscribi sibi pateretur, quod mihi Faberius debet, vel praesenti pecunia sperarem emere me posse Silianos." Gronov.

Hermogenes. cf. ep. 25, 1.

servio cupiditati et dolori meo ɔ: facio, quod cupiditas et dolor me iubent. Cf. *servire dignitati et gloriae* Fam. IX. 14, 6, *temporibus* IX. 17, 3, *corpori* XVI. 4. 4.

§ 3. *Haec ad te mea manu.* Quum superiora dictasset liberto, Cicero sua manu adscripsit *Piliae et Atticae salutem,* iterumque de hortis emendis pauca addidit. Male Wes. cum Iunio hoc initium epistolae sequentis fecit.

XXXII. (*A. U. C.* 709.)

1. Publilia ad me scripsit matrem — quasi cum Publilio loqueretur — ad me cum illo venturam et se una, si ego paterer; orat

§ 1. *Publilia.* Est nomen illius puellae, quam Cicero dimissa Terentia sexagenarius uxorem duxerat, cf. Quint. I. O. VI. 3, 75, eo maxime consilio, ut per magnas eius opes aere alieno se liberaret, quod Ciceroni exprobat Fufius Calenus apud Cassium Dionem XLVI. 18 et e Tirone refert Plutarchus in Cic., 41. Neque dubitare nos sinunt ea, quae ipse Cicero scribit ad Cn. Plancium, qui novas ipsi nuptias gratulatus erat, Fam. IV. 14, 3. Quae epistola quum certissime scripta sit post ep. 11, Lib. XII ad Atticum,

multis et supplicibus verbis, ut liceat et ut sibi rescribam. Res quam molesta sit vides. Rescripsi me etiam gravius esse (affectum) quam tum, quum illi dixissem me solum esse velle, quare nolle me hoc tempore eam ad me venire. Putabam, si nihil rescripsissem, illam cum matre venturam; nunc non puto; apparebat enim illas litteras non illius esse. Illud autem, quod fore video, ipsum volo vitare, ne illae ad me veniant, et una est vitatio, ut ego *. Nollem: sed necesse est. Te hoc nunc rogo ut explores, ad quam diem hic ita possim esse, ut ne opprimar: ages, ut scribis, temperate. 2. Ciceroni velim hoc proponas, ita tamen, si tibi non iniquum videbitur, ut sumptus huius

in qua vidimus Ciceronem novam conditionem quaerentem, non ad initium anni 708, ut fecit Gruberus, referenda est, sed melius collocabitur inter epistolas exeunte illo anno vel initio anni 709, Caesare in Hispaniam profecto, datas. Novae necessitudinis, non ex amore, sed propter rationes rei familiaris initae cito Ciceronem paenituisse ex hoc loco apparet, neque est quod miremur nusquam praeterea in epistolis Publiliae mentionem fieri. Atque iam aestate a. 709 divortium esse factum (cf. Plut. l. l.) apparet ex iis, quae in ep. 34 et 47, 2, lib. XIII ad Att. legimus, quae vix aliter explicari possunt, quam si statuas agi de dote uxoris fratri solvenda. cf. Abeken, Cicero aus seinen Briefen, p. 318 et 328.

quasi cum Publilio loqueretur. Quum superiores editores vel e Med. dedissent *matrem suam. cum Publilio loqueretur*, vel acquiescerent in Bosii commento valde inepto *cum Publilio loqui retur*, Wes. de Klotzii coniectura edidit: *quum Publilio videretur.* Quod si verum est, non intelligo, quomodo Cicero potuerit offendi illo nuntio, quum adderet uxor *si tu pateris*, et multis verbis veniam rogaret. Vitium quod haec verba obscuravit, sustuli pro *suam* reponens *quasi*. Scripserat Publilia: *Mater ad te veniet*, non: *Mater mea ad te veniet*, eaque appellatio, qua illa mulier sibi quoque ut mater imponebatur, Ciceroni displicuise videtur.

cum illo. Haec mihi valde suspecta sunt, et quia Publilius paulo ante in Africam profectus videtur, ut novimus ex ep. 24, 1 et 28, 3, et quod in iis, quae sequuntur nulla eius mentio fit, sed de solis mulieribus agitur. Fortasse in his latet nomen loci, unde venturae essent, aut scribendum *cum Camillo.*

Rescripsi me etiam gravius esse (affectum). Ultimam vocem in Med. omissam unde primi editores sumpserint nescimus. Malui tamen eam retinere, quam de Orellii coniectura scribere: *mi etiam gravius esse,* quoniam *se gravite habere* est *periculose aegrotare,* cf. VII. :, 3, et Cicero non gravem morbum simulare, sed animi maestitiam ob filiae obitum excusare debuit.

illas litteras non illius esse. Cicero suspicabatur eas a matre filiae fuisse dictatas et Publiliam magis ob matrem, quam sua voluntate esse venturam. Vulgo editur *non esse ipsius.* Redii ad id, quod Med. habet, quum sit optimum.

Illud, quod fore video cet. Non videbat fore, ut mulieres tamen venirent; nam modo scripsit se nunc non putare, ut Publilia cum matre veniret; sed congressum cum matre vitare volebat. Quare verba ita distinguenda et partim cum Madvigio in Adv. crit. II p. 299 corrigenda videntur: *Illud autem quod fore video, ipsum volo vitare, ne illa ad me veniat, et una est vitatio, ut ego alio* (vel *avolem*) ɔ: congressum cum P. matre non aliter vitare possum, quam hinc discedendo. *Nollem, sed necesse est* ɔ: invitus hinc discedam, sed hoc uno modo eam quam videre nolo, effugere possum.

ages, ut scribis, temperate. Male hinc efficiunt Atticum quoque de consilio mulierum scripsisse ad Ciceronem. Tum enim Cicero illud non tot verbis explicuisset. *Ages temperate* est, id explorabis moderate et prudenter, *ut scribis* ɔ: quemadmodum scribere soles.

§ 2. *quibus — contentus futurus erat.* Pronomen pertinet ad *mercedes,* non ad *sumptus,* quod ut melius intelligatur, haec verba col-

peregrinationis, quibus, si Romae esset domumque conduceret, quod facere cogitabat, facile contentus futurus erat, accommodet ad mercedes Argileti et Aventini, et quum ei proposueris, ipse velim reliqua moderere, quemadmodum ex iis mercedibus suppeditemus ei, quod opus sit. Praestabo nec Bibulum nec Acidinum nec Messallam, quos Athenis futuros audio, maiores sumptus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur. Itaque velim videas primum conductores qui sint et quanti, deinde ut sint qui ad diem solvant, et quid viatici, quid instrumenti satis sit: iumento certe Athenis nihil opus est. Quibus autem in via utatur, domi sunt plura quam opus erit, quod etiam tu animadvertis.

locanda sunt post *Aventini*. In eadem sententia video esse Madvigium A. C. III p. 189.

Argileti. In Argileto, (de quo dixi ad I. 14, 7) et in Aventino Ciceronem aedes vel tabernas habuisse, quas locaret, hinc discimus.

Praestabo cet. Polliceor me effecturum, ut ex iis mercedibus tanta pecunia redigatur, ut ne nobilissimi quidem adolescentes, qui Athenis studiorum causa commorabuntur, lautius et sumptuosius victuri sint.

recipietur. Recipere pecuniam et quaestum est colligere. Cf. p. Q. Rosc. 24 de leg. agr. II, 47 et 62.

et quanti. Est genetivus pretii. Audiendum v. *conduxerint* e nomine *conductores*. In sequenti membro cum Lambino plur. numerum (*ut sint, qui — solvant*) restitui, quum interpretatio Gronovii, qua singularem *sit* — *solvat* tuetur: „ut si non omnes certe aliquis sit, a quo diligenter ad diem pecunia praestetur" reiicienda sit. Nisi enim omnes vel certe plurimi conductores mercedem solvebant, Cicero non poterat suppeditare filio, quod opus erat.

quod etiam tu animadvertis. Wesenb. Emend. alt. p. 128 recte monet scribendum esse *animadvertes*, quum domum meam inspicies, aut *animadvertisti*, quum domi meae eras.

XXXIII. (*A. U. C.* 709.)

1. Ego, ut heri ad te scripsi, si et Silius is fuerit, quem tu putas, nec Drusus facilem se praebuerit, Damasippum velim aggrediare. Is, opinor, ita partes fecit in ripa nescio quotenorum iugerum, ut certa pretia constitueret, quae mihi nota non sunt. Scribes ad me igitur quicquid egeris. 2. Vehementer me sollicitat Atticae nostrae valetudo, ut verear etiam ne qua culpa sit; sed et paedagogi probitas et medici assiduitas et tota domus in omni genere diligens me rursus id suspicari vetat. Cura igitur; plura enim non possum.

§ 1. *Damasippus*, de quo vid. ep. 29 extr., dimensus erat agros suos in ripa Tiberis per iugera, easque partes certis pretiis pro natura soli diversis vendere velle dicebatur.

§ 2. *paedagogi*. Noli cogitare de Q. Caecilio Epirota, qui Atticam iam nuptam M. Agrippae docuit et in ea suspectus fuit. cf. Suet. de gramm. 16.

XXXIV. (*A. U. C.* 709.)

1. Ego hic vel sine Sicca — Tironi enim melius est — facillime possem esse, ut in malis, sed, quum scribas videndum mihi esse ne opprimar, ex quo intelligam te certum diem illius profectionis non habere, putavi esse commodius me istuc venire, quod idem video tibi placere. Cras igitur in Siccae suburbano; inde, quemadmodum suades, puto me in Ficulensi fore. 2. Quibus de rebus ad me scripsisti, quoniam ipse venio, coram videbimus: tuam quidem et in agendis nostris rebus et in consiliis ineundis mihique dandis in ipsis litteris, quas mittis, benevolentiam, diligentiam, prudentiam mirifice diligo. 3. Tu tamen, si quid cum Silio, vel illo ipso die, quo ad Siccam venturus ero, certiorem me velim facias et maxime, cuius loci detractionem fieri velit; quod enim scribis, »extremi'', vide ne is ipse locus sit, cuius causa de tota re, ut scis, est a nobis cogitatum. Hirtii epistolam tibi misi et recentem et benevole scriptam.

§ 1. *Sicca — Tironi.* „Utroque adiutore in studiis utebatur; sed Sicca solo, dum Tironem impediebat morbus." Gron.

facillime — esse ɔ: libenter esse cf. Fam. II. 16, 2 *quod autem in maritimis facillime sum, moveo,* ut recte Med. dat a prima manu. Perperam Orellius ex eius libri correctione edidit: — *sum, facillime moveo.* Att. XIII. 26, 2 *locum habeo nullum, ubi facilius esse possim.*

ne opprimar a Publiliae matre. Conf. epist. 32, 1.

ex quo intelligam ɔ: ut ex eo intelligam, unde vis me intelligere. Temere Orellius putabat scribendum *intelligebam.*

in Ficulensi. Praedium erat Attici, quod Corn. Nepos in Att. 14 vocat *Nomentanum.* Nam Ficulea et Nomentum erant oppida vicina, et via Nomentana olim dicebatur Ficulensis, ut Livius refert III, 52. Cicero modo villam dicit 36, 2, modo suburbanum, 37, 2. 38, 1. 40, 5, vel etiam hortos 40, 2, unde simul apparet triginta eum dies ibi cum Attico vixisse.

§ 3. *Tu tamen — scriptam.* Haec cum Schuetzio et partim cum Lambini editione a. 1584 huic epistolae adieci. Vulgo hinc sequentem epistolam ordiuntur. E libris Mss. res confici non potest, quum in hoc libro plures saepe epistolae continuentur.

cuius loci detractionem fieri velit ɔ: quem locum excipere et retinere velit in hortis vendendis.

XXXV. (*A. U. C.* 709.)

Antequam a te proxime discessi, nunquam mihi venit in mentem, quo plus insumptum in monumentum esset quam nescio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum esse; quod non magno

quo plus, ὅσῳ πλέον. Vindicavit Madvigius, Emend. I. p. 73.

quod lege conceditur. Incertum est, quam legem dicat. Propter Plutarchum in Sulla c. 35 tamen de lege Cornelia, quam de Iulia sumptuaria cogitare malo. Sed nihil definio.

nisi mutato loco. „Locus erat in hortis transtiberinis, ubi multa sepulcra. Ibi pro

opere (me) moveret, nisi nescio quomodo, ἀλόγως fortasse, nollem illud ullo nomine nisi fani appellari; quod si volumus, vereor ne assequi non possimus nisi mutato loco. Hoc quale sit quaeso considera; nam etsi minus urgeor meque ipse propemodum collegi, tamen indigeo tui consilii. Itaque te vehementer etiam atque etiam rogo, magis quam a me vis aut pateris te rogari, ut hanc cogitationem toto pectore amplectare.

sepulcro futurum fuisse videtur monumentum, nec sanctitatem fani habiturum." Ernestus. Male Schuetzius spreta hac explicatione coniecit: *nisi tuto a mutatione loco.*

magis quam a me vis — rogari. Atticus iniuriam sibi fieri putare poterat, si Cicero ita instaret. cf. Fam. I. 9, 24. III. 10, 2.

XXXVI. (*A. U. C.* 709.)

1. Fanum fieri volo, neque hoc mihi erui potest: sepulcri similitudinem effugere non tam propter poenam legis studeo, quam ut maxime assequar ἀποθέωσιν: quod poteram, si in ipsa villa facerem, sed, ut saepe locuti sumus, commutationes dominorum reformido. In agro ubicunque fecero, mihi videor assequi posse, ut posteritas habeat religionem. Hae meae tibi ineptiae — fateor enim — ferendae sunt; nam habeo ne me quidem ipsum, quocum tam audacter communicem, quam te. Si tibi res, si locus, si institutum placet, lege quaeso legem mihique eam mitte: si quid in mentem veniet, quo modo eam effugere possimus, utemur. 2. Ad Brutum si quid scribes, nisi alienum putabis, obiurgato eum, quod in Cumano esse noluerit propter eam causam, quam tibi dixit; cogitanti enim mihi nihil tam videtur potuisse facere rustice. Et, si tibi placebit sic agere de fano, ut coepimus, velim cohortere et exacuas Cluatium; nam, etiam si alio loco placebit, illius nobis opera consilioque utendum puto. Tu ad villam fortasse cras.

§ 1. *Fanum fieri volo.* Idem consilium iam antea aperuit Attico h. l. 18, 1 et 19, 1. Non tamen a pontificibus, sed privata religione locum consecrari voluisse videtur. cf. Marquardt. Antiq. Rom. IV. p. 435 sq. — Th. Schiche hanc epistolam cum superiore coniungendam esse monuit in Hermae vol. XVIII p. 588.

erui. Cum Lambino *exui*, aut cum Ernesto *eripi* reponamus censeo. cf. Moseri Symb. Crit. V. p. 20.

in ipsa villa ɔ: in Tusculano, ubi Tullia decessit. cf. ep. 46 h. l.

ut posteritas habeat religionem ɔ: ut posteri sibi temperent ab eo violando. cf. Verr. IV. 98 *ut posteris nostris monumenta religiosa esse videantur.*

Nam habeo ne me quidem ipsum cet. Sic Med. *Non habeo* nullius libri Ms. fide nititur. Kahntius Symb. Crit. p. 8 Ciceronem scripsisse putabat: *Nam habeo neminem, ne me quidem ipsum* cet. Sed non opus est additamento. Nam qui illo modo de se negat, certe alios excludit, etsi eos non nominat.

§ 2. *Cluatium.* cf. ep. 18, 1.

XXXVII. (*A. U. C.* 709.)

1. A te heri duas epistolas accepi, alteram pridie datam Hilaro, alteram eodem die tabellario, accepique ab Aegypta liberto eodem die Piliam et Atticam plane belle se habere. Hae litterae mihi redditae sunt tertio decimo die. Quod mihi Bruti litteras, gratum: ad me quoque misit. Eam ipsam ad te epistolam misi et ad eam exemplum mearum litterarum. 2. De fano, si nihil mihi hortorum invenis — qui quidem tibi inveniendi sunt, si me tanti facis, quanti certe facis —, valde probo rationem tuam de Tusculano. Quamvis prudens ad cogitandum sis, sicut es, tamen, nisi magnae curae tibi esset, ut ego consequerer id, quod magno opere vellem, nunquam ea res tibi tam belle in mentem venire potuisset; sed nescio quo pacto celebritatem requiro, itaque hortos mihi conficias necesse est. Maxima est in Scapulae celebritas; propinquitas praeterea † ubi sis, ne totum diem in villam; quare, antequam discedis, Othonem, si Romae est, convenias pervelim. Si nihil erit, etsi tu meam stultitiam consuesti ferre, eo tamen progrediar uti stomachere. Drusus enim certe vendere vult; si ergo (nihil) aliud erit, non mea erit culpa, nisi emero? qua in re ne labar quaeso provide: providendi autem una ratio est, si quid de Scapulanis possumus. Et velim me certiorem facias, quamdiu in suburbano sis futurus. 3. Apud Terentiam gratia opus est nobis tua tuaque

§ 1. *Hae litterae mihi redditae sunt tertio decimo die.* Eas dicit litteras, quas sibi Aegypta libertus suus (Fam. XVI. 15) ab Attico attulerat, qui tamen tardius profectus vel in via plures dies retentus fuerat. Temere haec Manutius aliunde huc inlata, Schuetzius post *ad me q. misit* transponenda pronuntiavit.

§ 2. *prudens ad cogitandum.* Malim *p. ad excogitandum,* quo verbo utitur in hac re ep. 42, 2. cf. IX. 6 extr. XI. 16, 5. Sed non assentior Bakio in II de Or., 219 pro *cogitari* desideranti *excogitari.*

in Scapulae sc. hortis. Ex eorum mentione in ep. 38, 4. 40, 4. 41, 3. 52, 2 discimus Scapulam fuisse defunctum et heredes, in quibus erat Otho (de quo cf. praeterea 39, 2. 42, 1. 43, 2), eos vendere voluisse.

propinquitas praeterea ubi sis. Interpretes illa *ubi sis* explicant: *ut in iis commode esse possis* vel *ubi ita esse potes, ut ne totum diem in villam ponas.* Sed talis adiectio esset supervacanea. Longe melius sententia procedit, si sic corrigas: *propinquitas praeterea utilis* (vel *urbis,* ut correxit Fr. Schmidt), *ne totum diem in villam* ɔ: in Tusculanum. Accusativum *in villam* pendere ab omisso eundi vel itineris faciendi verbo, Orellius recte olim monuit. cf. Hand. Turs. III. p. 348. Sententia haec est: Probo Scapulae hortos, quod multi eo commeant et quod non longe ab urbe sunt, quum si fanum erit in Tusculano, in visendo eo totus dies consumatur.

si ergo aliud non erit, mea erit culpa, nisi emero scripsit Orellius cum Graevio transposita negatione. Nam in Med. est: *aliud erit, non mea.* Magis placet quo modo Io. F. Gronovius locum sanavit: *Si ergo nihil aliud erit, non mea erit culpa, nisi emero?* in quibus *non* est particula rogandi.

si quid de Sc. possumus ɔ: si Scapulae hortos bene emere possum, aut si tu efficere potes, ut illos hortos bene emam.

auctoritate. Sed facies, ut videbitur; scio enim, si quid mea intersit, tibi maiori curae solere esse quam mihi. 4. Hirtius ad me scripsit Sex. Pompeium Corduba exisse et fugisse in Hispaniam citeriorem, Cnaeum fugisse nescio quo; neque enim curo: nihil praeterea novi. Litteras Narbone dedit XIIII. Kal. Mai. Tu mihi de Caninii naufragio quasi dubia misisti; scribas igitur, si quid erit certius. Quod me a maestitia avocas, multum levaris, si locum fano dederis. Multa mihi *εἰς ἀποθέωσιν* in mentem veniunt, sed loco valde opus est, quare etiam Othonem vide.

§ 4. Cf. scriptor de bello Hisp. c. 32 seqq. De Caninio Caesaris in Hispania legato ibid. 35 et infr. ep. 44, 4.

quare — vide. Manifesto respicit ea, quae legimus in § 2 *Othonem, si Romae est, convenias velim,* itaque cum Wes. scribendum: *Quare etiam atque etiam O. vide.*

XXXVIII a. (*A. U. C.* 709.)

1. Non dubito quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil litterarum; sed homo nequam, qui tuum commodum non exspectarit, quum ob eam unam causam missus esset. Nunc quidem, nisi quid te tenuit, suspicor te esse in suburbano. At ego hic scribendo dies totos nihil equidem levor, sed tamen aberro. 2. Asinius Polio ad me scripsit de impuro nostro cognato: quod Balbus minor nuper satis plane, Dolabella obscure, hic apertissime. Ferrem graviter, si novae aegrimoniae locus esset; sed tamen ecquid impurius? O hominem cavendum! quam-

§ 1. *qui tuum commodum non exspectarit* ɔ: qui non exspectarit, donec tibi commodum fuerit aliquid litterarum ad me dare.

aberro. Sc. a dolore vel a miseria, ut ep. 45, 1 et 38 *b*, 1.

§ 2. *Asinius Polio.* Si Cicero h. l. et ep. 39 ita scripsit currente calamo neglexit constantem fere in suis epistolis et orationibus, usum designandi hominis vel tribus nominibus (*C. Asinius Polio*), vel solo cognomine (*Polio*), vel cognomine ante nomen collocato. G. Lahmeyerus, qui quaestionem de ordine nominum Rom. accurate tractavit in Philol. vol. XXII p. 469 seqq. his in locis et supra V. 20, 4. VI. 2, 10 nominibus *Asinii Dentonis* et *Sempronii Rufi* praenomina addenda censuit.

quamquam mihi quidem..... Non assentior iis, qui verba *mihi quidem* initium putant esse versus Plautini e Trinummo, qui integer affertur in epist. 2 ad Brutum: *Mihi quidem aetas acta ferme est; tua istuc refert maxime.* Nam sententia Ciceroni nunc vix apta est, et qui potuisset Atticus, si vel totum Plautum memoriter tenuisset, e duobus vocabulis perquam vulgatis initium versus Plautini odorari? Bosius sententiam ita explet: quamquam mihi quidem iam satis ab illo cautum est. Gronovius: „*mihi quidem* est, qui illum ulciscar."

sic scribes aliquid, si vocabis. Similiter in Antonii ep. infra XIV. 13 *a*, 2 et in Horatii Ep. I. 7, 69 *sic* ɔ: ea conditione et *si* se excipiunt.

Quae sequuntur male cum superioribus unam epistolam efficere putantur. Scripta sunt postridie, ut recte vidit Th. Schiche l.l. p. 589. Itaque ex una epistola duas huius iussu feci.

quam mihi quidem . . . ; sed tenendus dolor est. Tu, quoniam necesse nihil est, sic scribes aliquid, si vacabis.

XXXVIII. b. (*A. U. C.* 709.)

1. Quod putas oportere pervideri iam animi mei firmitatem graviusque quosdam scribis de me loqui quam aut te scribere aut Brutum, si, qui me fractum esse animo et debilitatum putant, sciant quid litterarum et cuius generis conficiam, credo, si modo homines sint, existiment me, sive ita levatus sim, ut animum vacuum ad res difficiles scribendas afferam, reprehendendum non esse, sive hanc aberrationem a dolore delegerim, quae maxime liberalissima doctoque homine dignissima, laudari me etiam oportere. 2. Sed, quum ego faciam omnia, quae facere possum ad me adlevandum, tu effice id, quod video te non minus quam me laborare: hoc mihi debere videor neque levari posse, nisi solvero aut videro me posse solvere, id est, locum, qualem volo, invenero. Heredes Scapulae, si istos hortos, ut scribis tibi Othonem dixisse, partibus quattuor factis liceri cogitant, nihil est scilicet emptori loci; sin venibunt, quid fieri possit videbimus. Nam ille locus Publicianus, qui est Trebonii et Cusinii, erat ad me allatus, sed scis aream esse: nullo pacto probo. Clodiae sane placent, sed non puto esse venales. De Drusi hortis, quamvis ab iis abhorreas, ut scribis, tamen eo confugiam, nisi quid inveneris. Aedificatio me non movet; nihil enim aliud aedificabo nisi id, quod etiam, si illos non habuero.

§ 1. *quae maxime liberalissima.* Etsi poëtae comparativum comparativo, superlativum superlativo augere non detrectaverunt, quod exemplis docet Monkius ad Eur. Hipp. 487, Ruhnkenius tamen ad Vell. Pat. II. 27 iure negavit integros esse locos Ciceronis et Livii, ubi *maxime* superlativo adderetur. Hic Lambinus post *delegerim,* Handius Turs. III. p. 591 post *oportere* collocandum putabant. Ego cum Gronovio *maxime liberalis* scribendum censeo, et superlativum invectum a librariis, ut responderet sequenti superlativo *dignissima.* Malaspina docet fuisse qui scriberent *maxima, liberalissima* cet.

§ 2. *ad me adlevandum.* Scripsi e coniectura Orellii, probata quoque Wesenbergio Emend. p. 123 pro *adiuvandum.* Adiuvamus enim alios, nemo se ipse adiuvat. *Adlevandum* confirmatur seq. *levari* et eo, quod est in ep. 39, 2, *adlevor.*

Heredes Scapulae erant Otho, ep. 37, 2. 43, 2. Mustela, 44, 2. Crispus, 5, 2. XIII. 3, 1 et Vergilius 51, 2 et XIII. 26, 1.

liceri ɔ: inter se plurimum licitanti vendere. Opponitur: *sin venibunt* ɔ: sed si publice distrahentur, vel, ut scribit ep. 40, 4 *si praeconi subiicientur.*

locus Publicianus, qui fuit olim Publicii cuiusdam, nunc est T. et C. cf. ep. 41, 3.

scis aream esse ɔ: locum vacuum esse, non arboribus nec arbustis consitum.

Clodiae horti ad Tiberim. cf. orat p. Cael. 35.

Κῦρος δ', έ. Antisthenes Socraticus multa scripsit, decem tomis evulgata. Tomo quarto continebantur Κῦρος et Ἡρακλῆς ἢ περὶ ἰσχύος, quinto Κῦρος ἢ περὶ

Κῦρος δ΄, ε΄, mihi sic placuit, ut cetera Antisthenis, hominis acuti magis quam eruditi.

βασιλείας et Ἀσπασία. Vid. Diog. Laert. VI. 1, 16. Hinc laudatur Antisthenes ἐν θατέρῳ τῶν Κύρων apud Athenaeum V. p. 220 C.

XXXIX. (*A. U. C.* 709.)

1. Tabellarius ad me quum sine litteris tuis venisset, existimavi tibi eam causam non scribendi fuisse, quod pridie scripsisses ea ipsa, ad quae rescripsi epistola. Exspectaram tamen aliquid de litteris Asinii Polionis, sed nimirum ex meo otium (tuum) specto; quamquam tibi remitto, nisi quid necesse erit, necesse ne habeas scribere, nisi eris valde otiosus. 2. De tabellariis facerem quod suades, si essent ullae necessariae litterae, ut erant olim, quum brevioribus diebus tamen quotidie respondebant tempori [tabellarii] et erat aliquid, Silius, Drusus, alia quaedam; nunc, nisi Otho exstitisset, quod scriberemus non erat. Id ipsum dilatum est; tamen adlevor, quum loquor tecum absens, multo etiam magis, quum tuas litteras lego; sed quoniam et abes — sic enim arbitror —, et scribendi necessitas nulla est, conquiescent litterae, nisi quid novi exstiterit.

§ 1. *ea ipsa, ad quae rescripsi epistola.* Orellius laudat Lambini correctionem: *eâ ipsâ, ad quam rescripsi, epistolâ.* Ego malim: *ea ipsa, ad quae rescripsi epistolam* sc. eam, quae ordine hanc praecedit.

nimirum. Lambinus restituit, quum in codd. sit *nimium.* Pro *otio* revocavi e Med. *otium,* post quam vocem facile *tuum* a librario omitti potuit.

remitto. Male Mongaltius et Wielandus supplent *tabellarium.* Pendent ab hoc verbo *necesse ne habeas scribere,* idque dicitur pro: necessitatem scribendi tibi condono, concedo ut nihil scribas. *Necesse habeo* a Cicerone non iungitur cum infinitivo nisi in sententiis negantibus. cf. X. 1, 4. XVI. 2, 5. Partit. orat. 47. Non observarunt hoc posteri, ut Petronius, 3. *doctores, qui necesse habent cum insanientibus furere.*

§ 2. *De tabellariis facerem quod suades* ɔ: mitterem certos, non contentus essem forte oblatis.

respondebant tempori ɔ: tempore aderant. Nomen *tabellarii* ab interprete additum puto.

quod scriberemus non erat. Vulgo *quid.* Correxit qui multa huius generis Wesenbergius Emend. p. 55.

Id ipsum dilatum est eo, quod Atticus, qui tum erat in suburbano (ep. 38 a, 1 et 40, 4), Othonem convenire non poterat.

XL. (*A. U. C.* 709.)

1. Qualis futura sit Caesaris vituperatio contra laudationem meam perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis. Itaque misi librum ad Muscam, ut tuis librariis daret; volo enim eum divulgari, quod quó fa-

cilius fiat, imperabis tuis. 2. *Συμβουλευτικὸν* saepe conor: nihil reperio, et quidem mecum habeo et *Ἀριστοτέλους* et *Θεοπόμπου* † *πρὸς Ἀλέξανδρον*· sed quid simile? Illi et quae ipsis honesta essent scribebant et grata Alexandro. Ecquid tu eiusmodi reperis? mihi quidem nihil in mentem venit. Quod scribis te vereri, ne et gratia et auctoritas nostra hoc meo maerore minuatur, ego quid homines aut reprehendant aut postulent nescio: ne doleam? qui potest? ne iaceam? quis unquam minus? Dum tua me domus levabat, quis a me exclusus (est)? quis venit, qui offenderet? Asturam sum a te profectus. Legere isti laeti, qui me reprehendunt, tam multa non possunt, quam ego scripsi; quam bene, nihil ad rem, sed genus scribendi id fuit, quod nemo abiecto animo facere posset. Triginta dies in hortis fui: quis aut congressum meum aut facilitatem sermonis desideravit? Nunc ipsum ea lego, ea scribo, ut ii, qui mecum sunt, difficilius otium ferant quam ego laborem. 3. Si quis requirit cur Romae non sim: quia discessus est; cur non sim in iis meis praediolis, quae sunt huius temporis: quia frequentiam illam non facile ferrem; ibi sum igitur, ubi is, qui optimas Baias habebat, quotannis hoc tempus consumere solebat. Quum Romam venero, nec vultu nec oratione reprehendar: hilaritatem illam, qua hanc tristitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisi: constantia et firmitas nec animi nec orationis requiretur. 4. De hortis Scapulanis hoc videtur effici posse, aliud tua gratia, aliud

§ 1. *misi librum* Hirtii de Catone. cf. ep. 44, 1. 45, 3. 47, 3.

§ 2. *Συμβουλευτικὸν saepe conor.* Librum de ordinanda re publica, quem ad Caesarem mitteret, ut Aristoteles ferebatur simile scriptum Alexandro obtulisse. Infra appellat epistolam ad Caesarem. XIII. 28.

Θεοπόμπου πρὸς Ἀλ. Pro πρὸς in Med. scriptum est TIBPOC in quo latere *libros* πρὸς acute coniecit Mücke, de locis graecis cet. p. 10. Indicatur Theopompi Chii ἐπιστολὴ πρὸς Ἀλ., quae memoratur ab Athenaeo XIII. p. 595 A, sive συμβουλαὶ πρὸς Ἀλ., ut appellantur ibid. VI. p. 230 F.

qui potest? cf. ad IV. 13, 1. Sine causa a nonnullis scribitur *qui pot' est?*

quis — exclusus (est)? Addidit *est* Wesenbergius p. 17. Mox Orellius recte cum codd. reposuit *offenderet*, quum *offenderetur* ex editione Romana principe in editiones sequentes irrepsisset. Cf. ad VII. 14, 3.

in hortis. Attici. cf. XII. 34, 1 *in Ficulensi* cum adnot.

§ 3. *discessus* vocatur illud tempus, quo proceres aestus vitandi causa rus abeunt. Apte Manutius laudavit verba e Fam. III. 9, 4: *in ipsum discessum senatus incidisse credo meas litteras,* sed male hanc epistolam mense Ianuario aut Februario scriptam putabat. Corradus recte ex ultimis verbis ep. 41 aliisque indiciis statuit eam scriptam fuisse mense Maio. Atque *huius temporis* erant praedia in Campania.

is, qui optimas Baias habebat. Incertum est, quem dicat et ignorantiam confiteri malo, quam indulgere coniecturis gratuitis.

nec vultu nec oratione reprehendar ɔ: nemo me propterea reprehendet, quod vultu tristior aut in sermone non satis comis sum.

hilaritatem — requiretur. Eodem fere tempore Cicero ad Dolabellam scripsit Fam. IX. 11, 1: *hilaritas illa nostra, quae te praeter ceteros delectabat, erepta mihi omnis est; fir-*

nostra, ut praeconi subiiciantur: id nisi fit, excludemur; sin ad tabulam venimus, vincemus facultates Othonis nostra cupiditate. Nam quod ad me de Lentulo scribis, non est in eo; Faberiana modo res certa sit tuque enitare, quod facis, quod volumus consequemur. 5. Quod quaeris quam diu hic: paucos dies, sed certum non habeo. Simul ac constituero, ad te scribam, et tu ad me quam diu in suburbano sis futurus. Quo die ego ad te haec misi, de Pilia et Attica mihi quoque eadem, quae scribis, et scribuntur et nuntiantur.

mitatem tamen et constantiam — eandem cognosces, quam reliquisti.

§ 4. *ad tabulam,* quae continebat auctionis indicium. Memoratur saepe, ut Quinct. 25. Caecin. 16. Off. III. 68. Att. XIII. 33, 4. XV. 3, 2. Q. fr. II. 6, 5.

de Lentulo cet. Haec varie explicantur. Manifesto agitur de debitore Ciceronis. De quo Lentulo agatur plane incertum. Verba *non est in eo* obscura sunt, nec videntur posse indicare: „id parvi refert," ut putabat Manutius, nec pati J. F. Gronovii interpretationem: „non est spes futurum, ut solvat." Madvigius A. C. correxit: *non extimesco.* De re Faberiana vid. 21, 2. 25, 1. 29, 2.

XLI. (*A. U. C.* 709.)

1. Nihil erat quod scriberem; scire tamen volebam ubi esses, si abes aut afuturus es, quando rediturus esses: facies igitur me certiorem. Et, quod tu scire volebas ego quando ex hoc loco, postridie Idus Lanuvii constitui manere, inde postridie in Tusculano aut Romae: utrum sim facturus eo ipso die scies. 2. Scis quam sit φιλαίτιον συμφορά, minime in te quidem, sed tamen avide sum affectus de fano, quod nisi, non dico, effectum erit, sed fieri videro — audebo hoc dicere et tu, ut soles, accipies —, incursabit in te dolor meus, non iure ille quidem, sed tamen feres hoc ipsum, quod scribo, ut omnia mea fers ac tulisti. Omnes tuas consolationes unam hanc in rem velim conferas. 3. Si quaeris quid optem, primum Scapulae, deinde Clodiae, postea, si Silius nolet, Drusus aget iniuste, Cusinii et Trebonii — puto tertium esse dominum, Rebilum fuisse certo scio —; sin autem tibi Tusculanum placet, ut significasti quibusdam litteris, tibi assentior. Hoc quidem utique perficies, si me levari vis, quem iam etiam

§ 2. *minime in te* ɔ: non sum querulus in te, nolo te experiri meam μεμψιμοιρίαν.

avide sum affectus. Insolita hac locutione Cicero simul suam cupiditatem et dolorem propter Attici in eo negotio negligentiam significat.

§ 3. *puto tertium esse dominum* ɔ: ille locus praeter Cusinium et Trebonium habet, ni fallor, tertium dominum, habuit certe Rebilum. Addit hoc, quia illi duo tunc aberant, ep. 43, 2. Itaque tertius dominus, si inveniri poterat, erat conveniendus.

gravius accusas, quam patitur tua consuetudo, sed facis summo amore et victus fortasse vitio meo, sed tamen, si me levari vis, haec est summa levatio vel, si verum scire vis, una. 4. Hirtii epistolam si legeris, quae mihi quasi πρόπλασμα videtur eius vituperationis, quam Caesar scripsit de Catone, facies me quid tibi visum sit, si tibi erit commodum, certiorem. Redeo ad fanum: nisi hac aestate absolutum erit, quam vides integram restare, scelere me liberatum non putabo.

§ 4. πρόπλασμα. „nos dicimus *ein Modell.* Imprimis statuariorum proprium est." Ern. Ita Plinius H. N. XXXV. 155 *proplasmata* Arcesilai plastae laudavit.

scelere me liberatum non putabo. „Scelerati putantur, qui vota non solvunt. Itaque Cicero scelere (potius: religione) se adstrictum putabat, donec fanum, quod filiae manibus promiserat, non fecisset, cf. ep. 43, 2 et 18, 1." Manutius.

XLII. (*A. U. C.* 709.)

1. Nullum a te desideravi diem litterarum; videbam enim quae scribis, et tamen suspicabar vel potius intelligebam nihil fuisse quod scriberes. A die VI. Id. vero et abesse te putabam et plane videbam nihil te habere: ego tamen ad te fere quotidie mittam; malo enim frustra quam te non habere cui des, si quid forte sit, quod putes me scire oportere. Itaque accepi VI. Id. litteras tuas inanes; quid enim habebas quod scriberes? Mihi tamen illud, quicquid erat, non molestnm fuit, (si) nihil aliud, scire me novi te nihil habere. Scripsisti tamen nescio quid de Clodia: ubi ergo ea est, aut quando ventura? Placet mihi res sic, ut secundum Othonem nihil magis; 2. sed neque hanc vendituram puto — delectatur enim et copiosa est — et, illud alterum quam sit difficile, te non fugit. Sed, obsecro, enitamur ut aliquid ad id, quod cupio, excogitemus. 3. Ego me hinc postridie

§ 1. *Nullum a te desideravi diem litterarum* ɔ: „non postulavi a te, ut ad certum diem litterae mihi a te redderentur, ut tu mea verba accepisse videris. Non praefixi tibi certum diem." Gronovius. Hanc explicationem verborum veram esse demonstrat *enim*, quod qui aliter interpretantur tacite omittunt. Videbat enim Cicero Atticum negotiis impediri et tamen intelligebat eum scripturum fuisse, si quid fuisset, quod scire sua interesset.

A die VI. Id. scripsi, ut Cicero hoc dicat: ab eo die te extra urbem esse putabam. Neque enim verisimile est eum putasse Atticum uno illo die afuturum, quod continetur verbis, si litteris *A* et *d* puncta apponuntur.

si nihil aliud scripsi cum W. de Madvigii coni. addito *si*, quod in codd. omissum. vid. Adv. crit. II p. 239.

ut secundum Othonem nihil magis ɔ: ut primum Scapulae hortos comparare velim, deinde Clodiae. cf. ep. 41, 3. 44 2 et saepius.

§ 2. *illud alterum,* de Othone et hortis Scapulanis.

§ 3. *postridie* (*Id.*) Recepi necessarium additamentum, sive id in codice inventum est, sive ab editore excogitatum. cf. ep. 41, 1. 43, 1. 44, 3. Nam quum in iis, quae praece-

(Id.) exiturum puto, sed aut in Tusculanum aut domum, inde fortasse Arpinum: quum certum sciero, scribam ad te. Venerat mihi in mentem monere te ut id ipsum, quod facis, faceres; putabam enim commodius te idem istud domi agere posse interpellatione sublata.

dunt, Idus non nominentur, earum mentio hic omitti non poterat. Cf. Moseri Symb. Crit. VI. p. 7.

id ipsum quod facis. Ex iis, quae legimus in ep. 44, 3 apparet Atticum occupatum fuisse in conficiendis rationibus. — Ultima epistolae XLII verba: *Venerat — sublata* sequentis esse initium apparebit comparanti cum iis initium epistolae XLI, quae temporis ordine secuta est post XLII. Monuit Th. Schiche ll. p. 589.

XLIII. (*A. U. C.* 709.)

1. Ego postridie Idus, ut scripsi ad te ante, Lanuvii manere constitui, inde aut Romae aut in Tusculano: scies ante utrum. Quod scribis recte mihi illam rem fore levamento, bene facis, † tum id est, mihi crede, perinde ut existimare tu non potes. Res indicat quantopere id cupiam, quum tibi audeam confiteri, quem id non ita valde probare arbitrer; sed ferendus tibi in hoc meus error: ferendus? immo vero etiam adiuvandus. 2. De Othone diffido, fortasse quia cupio; sed tamen maior etiam res est quam facultates nostrae, praesertim adversario et cupido et locuplete et herede. Proximum est, ut velim Clodiae; sed si ista minus confici possunt, effice quidvis: ego me maiore religione, quam quisquam fuit ullius voti, obstrictum puto. Videbis etiam Trebonianos, etsi absunt domini. Sed, ut ad te heri scripsi, considerabis etiam de Tusculano, ne aestas effluat, quod certe non est committendum.

§ 1. *scies ante utrumque.* Collato simillimo loco ex ep. 41, 1, quo Cicero Attico remittit, pro *utrumque* scripsi *utrum* sc. facturus sim.

Quod scribis recte mihi illam rem fore levamento, cet. Locus mendose in cod. M. scriptus. In priore sententiae parte recepi cod. Z. scripturam a Lambino memoratam (*scribis* pro *scies*) et cum eodem pro *recte* scribendum puto *certe,* non cum Manutio *reri te.* Pro *tum id est* dubito, utrum *tamen id est* an *quum id sit* reponi debeat. Cicero laudat Atticum, quod dolorem suum fano extruendo levari posse indicaret, idemque negat eum doloris sui magnitudinem plane intelligere. De *perinde ut* = *prout* XI. 6, 7 cf. de Or. III. 213. Brut. 188. Aliter h. l. correxit Madv. A. C. III p. 190.

ferendus tibi in hoc meus error, ferendus? immo vero etiam adiuvandus. Eadem orationis forma est in Cat. I. 2. Mil. 64.

§ 2. *sed tamen maior* cet ɔ: praeterea emptio hortorum Scapulae superat meas opes, praesertim si Othonem habebo adversarium, qui parem affert cupiditatem et dives est et unus ex heredibns Scapulae.

XLIV. (*A. U. C.* 709.)

1. Et Hirtium aliquid ad te *συμπαθῶς* de me scripsisse facile patior — fecit enim humane — et te eius epistolam ad me non misisse, multo facilius; tu enim etiam humanius. Illius librum, quem ad me misit de Catone, propterea volo divulgari a tuis, ut ex istorum vituperatione sit illius maior laudatio. 2. Quod per Mustelam agis, habes hominem valde idoneum meique sane studiosum iam inde a Pontiano: perfice igitur aliquid; quid autem aliud, nisi ut aditus sit emptori? quod per quemvis heredem potest effici, sed Mustelam id perfecturum, si rogaris, puto. Mihi vero et locum, quem opto, ad id, quod volumus, dederis et praeterea ἐγγήραμα. Nam illa Silii et Drusi non satis *οἰκοδεσποτικὰ* mihi videntur; quid enim sedere totos dies in villa? Ista igitur malim, primum Othonis, deinde Clodiae: si nihil fiet, aut Druso ludus est suggerendus aut utendum Tusculano. 3. Quod domi te inclusisti, ratione fecisti. Sed quaeso confice et te vacuum redde nobis. Ego hinc, ut scripsi antea, postridie Idus Lanuvium, deinde postridie in Tusculano. Contudi enim animum et fortasse vici, si modo permansero. Scies igitur fortasse cras, summum perendie. 4. Sed quid est quaeso? Philotimus negat artius (Cn.) Pompeium teneri —

§ 1. *tu enim etiam humanius.* Gronovius ambigue dictum putabat, vel quod luctum amici missa Hirtii epistola augere nollet, vel quod Hirtium tacite reprehendit, qui de illa re ad Atticum potius, quam ad se scripserat.

§ 2. *iam inde a Pontiano.* Nihil de hoc constat, sed probabilis est suspicio Manutii, fuisse Mustelae amicum vel affinem a Cicerone defensum. *Mustelam* autem fuisse unum ex heredibus Scapulae hic locus satis docet.

ἐγγήραμα. Cf. ad ep. 25, 2.

οἰκοδεσποτικά, patri familias apta. Hortos Silii et Drusi iudicabat parum fructuosos.

Druso ludus est suggerendus. Ludum suggerere alicui dictum videtur pro ludere vel ludificari aliquem. Hoc igitur dicit: excogitandum est aliquid, quo Drusus capiatur et aequiore pretio hortos suos mihi vendat.

§ 3. *Quod domi te inclusisti* cet. cf. ep. 42 extr. Cur W. *ratione* ɔ: cum iudicio, prudenter, in *recte* mutaverit nescio. Quae de ea re scripsit in Emend. alt. p. 129 necessitatem mutationis non probant. Madvigius ad Fin. I. 32 paulo insolentius hic poni in facto comprobando monuit, sed intactum reliquit. In Verr. L. III. 194 et 206 codex optimus Lagom. *ratione facere* tuetur.

confice sc. negotium. cf. I. 5, 4.

Contudi animum et fortasse vici ɔ: eo quod in Tusculanum ire decrevi, ubi omnia servant Tulliae meae memoriam, me ipsum vici. cf. 46 init. Gronovius adscripsit versus e Plauti Trinummo II. 2, 27 seq.

Si animus hominem pepulit, actumst, animo servit, non sibi;
Sin ipse animum pepulit, vivit, victor victorum cluet.

§ 4. *Ph. negat artius Pompeium teneri.* Vulgo e Man. suspicione editur *nec Carteiae.* Sed primum e scriptura Med. *nec cartivi* facilius eruitur *nec artius;* tum *nec* ortum esse e compendio scripturae NEG' pro *negat,* ut factum I. 3 extr., potius credo, quam verbum *narrat* longe remotum hic audiendum esse. De re cf. ep. 37, 4 h. l. Carteiae

qua de re litterarum ad Clodium Patavinum missarum exemplum mihi Oppius et Balbus miserant, se id factum arbitrari — bellumque narrat reliquum satis magnum: solet omnino esse † fulvimaster; sed tamen, si quid habes. Volo etiam de naufragio Caniniano scire quid sit.

mentio fieri tamen potuit; nam post pugnam a. d. XVI Kal. Apr. ad Mundam pugnatam Cn. Pompeius Carteiam se contulit, ut scimus e libro de bello Hisp. c. 32. Sequenti anno S. Pompeium eodem receptum dicebant. Vid. infra XV. 20, 3.

† *fulvinaster*. In monstro hoc nominis latere aliquid Graece scriptum videtur. Gronovius coniecit ψευδομάρτυρ, Tunstallus, Ep. crit. p. 18, οὐλῶν ἰατήρ, quae appellationes designant hominem, qui saepe pro Pompeio mentiebatur. Cf. X. 9, 1.

de naufragio Caniniano. cf. ep. 37, 4.

XLV. (*A. U. C.* 709.)

1. Ego hic duo magna *συντάγματα* absolvi; nullo enim alio modo a miseria quasi aberrare possum. Tu mihi, etiamsi nihil erit, quod scribas, quod fore ita video, tamen id ipsum scribas velim, te nihil habuisse quod scriberes, dum modo ne his verbis. 2. De Attica, optime. *Ἀκηδία* tua me movet, etsi scribis nihil esse. In Tusculano eo commodius ero, quod et crebrius tuas litteras accipiam et te ipsum nonnunquam videbo; nam ceteroqui *ἀνεκτότερα* erant Asturae. Nec haec, quae refricant, hic me magis angunt, etsi tamen, ubicunque sum, illa sunt mecum. 3. De Caesare vicino scripseram ad te, quia cognoram ex tuis litteris: eum *σύνναον* Quirino malo quam Saluti. Tu vero

§ 1. *duo magna συντάγματα*. Academica et libros de Finibus. Scripsit Asturae, unde datae sunt epistolae XII, 13—46. Saepe scribit se ibi totos dies scribere, velut 14, 3. 38 *b*, 1. 40, 2. Prior pars epistolae *Ego hic — verbis* scripta est *hic*, id est Asturae, itaque adiicienda est superiore epistolae. Quae sequuntur scripta videntur Lanuvii. Itaque *hic me m. angunt* non debet referri ad Tusculanum, ubi nondum erat, sed quo tendebat.

§ 2. *Ἀκηδία* est torpor quidam vel ea mentis conditio, quae nulla re commovetur (*onverschilligheid*), morbi instantis nonnunquam indicium.

ceteroqui. Standum est codd. auctoritate, temere a veteribus editoribus spreta, qui *cetera quidem* dederunt. *Ceteroqui* saepe librarios et editores offendit. cf. ad h. l. 3, 1. Pro *nec haec* scribunt vulgo de Graevii coniectura *nunc haec*. Probarem si haec scripta essent in Tusculano. De vi v. *refricare* intransitiva vide ad X. 17, 2. Simili in re posuit *recrudescere* Fam. IV. 6, 2 *illa, quae consanuisse videbantur, recrudescunt*.

§ 3. *De Caesare vicino scripseram ad te*. Id nunc legitur in epist. 47, 3, quae igitur temporis ordine hanc praecedit.

eum σύνναον Quirino malo quam Saluti. In colle Quirinali erat templum Quirini, quod L. Papirius Cursor Samnitibus devictis dedicavit et hostium spoliis exornavit, Liv. X. 46. Anno 705 illa aedes igne consumpta est. Renovavit Iulius Caesar atque a. 709 eius statua ibi posita est cum hoc titulo *Deo invicto*. cf. Urlichs in descript. urbis Romae vol. III. P. 2, p. 369 seqq. De aede Salutis a. C. Iunio Bubulco a. 451 in eodem monte dedicata vid. ibidem p. 376 sq. Acerbo cum ioco Cicero scribit se malle Caesarem esse *Quirini contubernalem* (XIII. 28, 3), quam *Salutis* ɔ: necari potius

pervulga Hirtium; id enim ipsum putaram quod scribis, ut quum ingenium amici nostri probaretur, ὑπόθεσις vituperandi Catonis irrideretur.

a civibus suis, quam servari. *Salutem Attici vicinam* appellavit quoque supra IV. 1, 4. *pervulga Hirtium* ɔ: Hirtii librum. cf. 47, 3. Nomen scriptoris pro libro poni est notum genus metonymiae. Non probo W. corrigentem *Hirtii librum*.

XLVI. (*A. U. C.* 709.)

1. Vincam, opinor, animum et Lanuvio pergam in Tusculanum; aut enim mihi in perpetuum fundo illo carendum est — nam dolor idem manebit, tantum modestius — aut nescio quid intersit, utrum illuc nunc veniam, an ad decem annos: neque enim ista maior admonitio, quam quibus assidue conficior et dies et noctes. »Quid ergo?" inquies; »nihil litterae?" In hac quidem re vereor ne etiam contra; nam essem fortasse durior: exculto enim (in) animo nihil agreste, nihil inhumanum est. 2. Tu igitur, ut scripsisti, nec id incommodo tuo; vel binae enim poterunt litterae; occurram etiam, si necesse erit. Ergo id quidem, ut poteris.

§ 1. *tantum modestius* cum Lambini vet. cod. scripsi, etsi non male F. G. Smidt in Nov. Ann. Philol. CIX p. 742 e Medicei mendo eruit: *tantummodo occultius.*

et dies et noctes. Alibi scripsit *dies noctesque, noctes diesque, noctes et dies.* vid. Madv. ad Fin. p. 101.

exculto enim in animo nihil agreste. Liber Med. habet *exto,* omissa media syllaba. Recte emendavit Victorius. Quod Bosio in mentem venit ξεστῷ, merito a Graevio est repudiatum. Praepositionem, quae abesse non possit, excidisse post *enim* monuit Wesenbergius p. 46.

§ 2. De Schichii sententia prolata in Hermae vol. XVIII p. 591 huc transtuli verba, quae ab editoribus male ad sequentem epistolam sunt relata. Cicero amici iudicio permittit utrum ad se in Tusculanum venire velit, an rem litteris binis ultro citroque missis perficere. Si neutrum placet, declarat se amicum Romae convenire velle.

XLVII. A. U. C. 709.)

1. De Mustela, ut scribis, etsi magnum opus est: eo magis delabor ad Clodiam, quamquam in utroque Faberianum nomen explorandum est, de quo nihil nocuerit, si aliquid cum Balbo eris locutus, et quidem, ut res est, emere nos velle nec posse sine isto nomine nec audere re incerta. 2. Sed quando Clodia Romae futura est? et quanti rem

§ 1. *De Mustela,* „scil. temptando, ut Scapulani horti praeconi subiiciantur, facies ut scribis, etsi vix pretio salubri locus erit." Gronovius. cf. ep. 44, 2.

Faberianum nomen. cf. ad ep. 21, 2.

§ 2. *cum cupido — herede.* Haec spectant

aestimas? Eo prorsus specto, non quin illud malim, sed et magna res est et difficile certamen cum cupido, cum locuplete, cum herede, etsi de cupiditate nemini † concedam: ceteris rebus inferiores sumus. Sed haec coram. 3. Hirtii librum, ut facis, divulga. De Philotimo idem et ego arbitrabar. Domum tuam pluris video futuram vicino Caesare. Tabellarium meum hodie exspectamus. Nos de Pilia et Attica certiores faciet.

ad Othonem. Cf. ep. 43, 2. Verbo *concedam* W. recte notam dubitandi praeposuit, monuitque *concedo* vel *concedimus* scribendum et ante *ceteris* ponendum esse *sed.*

§ 3. *De Philotimo — arbitrabar.* Cf. ep. 44, 4.

Domum — vicino Caesare. vid. adn. ad ep. 45, 3.

XLVIII. (*A. U. C.* 709.)

Domi te libenter esse facile credo, sed velim scire quid tibi restet aut iamne confeceris. Ego te in Tusculano exspecto, eoque magis, quod Tironi statim te venturum scripsisti et addidisti te putare opus esse. Sentiebam omnino quantum mihi praesens prodesses, sed multo magis post discessum tuum sentio; quamobrem, ut ante ad te scripsi, aut ego ad te totus aut tu ad me, quod licebit.

Ne ordinem perturbarem, reliqui hoc epistolium. Sed plane assentior Schichio priorem partem *Domi — opus esse* pertinere ad ep. praecedentem, reliqua *Sentiebam — licebit* esse initium ep. sequentis, quae scripta est post ep. L. Nam verba *ut ante ad te scripsi* spectant ea, quae ibi legimus: *Ipse Romam venirem.*

totus. Manutius explicat: *cum universa familia,* Gronovius *cum omnibus meis.* Quasi vero omnes servi una ducendi fuissent, atque hoc Latine sic diceretur. Non melius Mongaltius interpretatur: *pour jouir tout-à-fait l'un de l'autre,* aut Wielandus: *mit Leib und Seele.* Immo *totus ad te veniam* est: non tantum occurram tibi, sed plane istuc veniam.

quod licebit. Aliis *quotus libebit,* aliis *quom licebit* scribendum videtur. Nihil muto. *Quod licebit* est *quod facere poteris,* quatenus id tuo commodo fieri potest.

XLIX. (*A. U. C.* 709.)

1. Heri non multo post, quam tu a me discessisti, puto, quidam urbani, ut videbantur, ad me mandata et litteras attulerunt a C. Mario

§ 1. *puto.* Schuetz. delevit, Orellio corruptum visum, a Klotzio in *subito* mutatum est. Explicari posse verbis: „si recte memini," ut olim visum Wesenbergio Emend. p. 50, non credo.

urbani. Sine dubio h. l. sunt homines ex urbe, non ioculares. Externa species satis indicabat eos non fuisse rusticos. Cf. Varro in praef. libri II de re rust: *Nostri maiores praeponebant rusticos Romanos urbanis.*

a C. Mario C. F. C. N. De hoc homine dicam ad XIV. 6, 1.

C. F. C. N. multis verbis agere mecum per cognationem, quae mihi secum esset, per eum Marium, quem scripsissem, per eloquentiam L. Crassi, avi sui, ut se defenderem, causamque suam mihi perscripsit. Rescripsi patrono illi nihil opus esse, quoniam Caesaris, propinqui eius, omnis potestas esset, viri optimi et hominis liberalissimi; me tamen ei fauturum. O tempora! fore quum dubitet Curtius consulatum petere! Sed haec hactenus. 2. De Tirone, mihi curae est; sed iam sciam quid agat. Heri enim misi qui videret, cui etiam ad te litteras dedi. Epistolam ad Caesarem tibi misi. Horti quam in diem proscripti sint velim ad me scribas.

per cognationem. Repetenda videtur a Gratidia Ciceronis avia, cuius frater M. Gratidius, de quo vid. Brut. 168, de Leg. III. 36, filium habuit a M. Mario, quem C. Marii fratrem fuisse docuit Perizonius, adoptatum.

per eum Marium, quem scripsissem. Bene de tempore huius carminis disputavit Bakius ad Leg. p. 267.

L. Crassi avi sui. Infra XIV. 8, 1 hunc Marium appellat *Crassi nepotem.* Igitur filiarum L. Crassi altera nupta videtur C. Marii filio, altera Licinia uxor fuit P. Scipionis Nasicae. Brut. 211.

ut se defenderem. Falsarius ille videtur in iudicium adductus fuisse, quod Marium se esse simularet. Eam ob causam a Caesare relegatus est.

Caesaris propinqui eius. Nam C. Marius, quem hic avum dicebat, duxerat Iuliam C. Iulii Caesaris amitam. Vid. Plut. in Caes. 1. Appian. B. C. III. 2.

me ei fauturum. De patronis dicitur *adesse* et *non deesse,* non dicitur *favere.* Cf. Oudendorpii Scholia in sel. Cic. epist. p. 65 sq. Ergo malim *affuturum.*

Curtius. Est ille Caesarianus (Att. IX. 2, 3), qui quadriennio ante auguratum sperarat (Fam. II. 16, 7). Indignatur Cicero, quod talis homo, de consulatu petendo deliberabat. *Dubitare* enim nunc habet vim in utramque partem considerandi, ut de N. D. I. 113. de Off. I. 9.

§ 2. *Epistolam ad Caesarem.* Contra Med. et marg. Crat., qui *Ciceronem* dant, hic reposui propter frequentem huius epistolae mentionem in litteris illius temporis. Vide XIII. 26. XII. 51, 2. 52, 2. XIII. 1, 3. 27, 1. 28, 2. 31, 3. Si Cicero Attico epistolam Marco filio destinatam misisset, adiecisset, opinor, quare id faceret.

L. (*A. U. C.* 709.)

Ut me levarat tuus adventus, sic discessus afflixit; quare quum poteris, id est, quum Sexti auctioni operam dederis, revises nos. Vel unus

Sexti Peducaei. cf. ep. seq. 2. XIII. 2, 3.

quid dicam gratius? Reduxi scripturam Medicei, male opinor a Victorio mutatam ita: *quid dicam, gratus?* Nam qui sic loquitur, indicat se invitum id quod sequitur (*gratus* h. l.) dicturum esse. At nulla causa erat, quamobrem diem cum Attico *gratum* sibi fore non fateretur; *iucundum* dicere non potuit. Tunstallus p. 64 perperam secutus est correctorem libri Medicei atque verba sic distinxit: — *utilis. Quid? dicam gravius: ipse Romam venirem* cet.

satis consilium esse Ciceronis nego pro *satis consilii,* etsi ita visum Iano Guilielmio, Plaut. quaest. p. 154. Neque tamen cum Corrado *satis consilii,* nec cum Vitriolo *satis consiliorum,* nec cum Mosero *satis certum consilium* scribendum censeo, sed Cicero scripsit quod traditur, et tam *satis* quam acc. *consilium* referri debet ad verbum *haberem.*

dies mihi erit utilis, quid dicam gratius? Ipse Romam venirem, ut una essemus, si satis consilium quadam de re haberem.

Ergo *si s. c. haberem* dicitur pro: si haberem consilium, quod satis esset, quadam de re. Cf. Corn. Epamin. 4, 6: *Abstinentiae erit hoc satis testimonium* ɔ: hoc testimonium abstinentiae erit satis. Rhet. ad Her. I. 1, 1 *vix satis otium studio suppeditare possumus.* Lucret. de R. N. I. 241 *tactus enim leti satis esset causa profecto,* quae Gronovio immerito suspecta erant. Dissentit Madv. ad Fin. p. 283.

quadam de re. Speciosa est Wielandi suspicio Ciceronem tunc deliberasse de nuntio Publiliae remittendo.

LI. (*A. U. C.* 709.)

1. Tironem habeo citius quam verebar, venit etiam Nicias et Valerium hodie audiebam esse venturum, Quamvis multi sint, magis tamen ero solus, quam si (tu) unus esses; sed exspecto te, a Peducaeo utique: tu autem significas aliquid etiam ante; verum id quidem, ut poteris. 2. De Vergilio, ut scribis; hoc tamen velim scire quando auctio. Epistolam ad Caesarem mitti video tibi placere. Quid quaeris? mihi quoque hoc idem maxime placuit, et eo magis, quod nihil est in ea, nisi optimi civis, sed ita optimi, ut tempora, quibus parere omnes πολιτικοὶ praecipiunt; sed scis ita nobis esse visum, ut isti ante legerent. Tu igitur id curabis, sed, nisi plane iis intelliges placere, mittenda non est: id autem utrum illi sentiant anne simulent tu intelliges: mihi simulatio pro repudiatione fuerit; τοῦτο δὲ μηλώσῃ. 3. De Caerellia quid tibi placeret Tiro mihi narravit: debere non esse dignitatis meae, perscriptionem tibi placere, *hoc metuere, alterum*

§ 1. *Tironem* cet. Hunc Romae aegrotasse vidimus in ep. 49, 2. Praeter spem Ciceronis iam venerat in Tusculanum. De *Nicia* vid. ad VII. 3, 10. *Valerium* eum dici puto, quem in Phil. I. 8 familiarem suum et itineris comitem appellat.

quam si unus esses. Cum Ernesto *tu* inserendum putavi.

a Peducaeo utique ɔ: saltem post auctionem S. Peducaei. cf. ep. 50.

§ 2. *De Vergilio.* cf. XIII. 26, 1 et 33, 2.

Epistolam ad Caesarem se scripsisse narrat XIII. 26, 1. De mittenda Caesaris amicos per Atticum consuli volebat, ut scribit h. l. et XII. 52, 2. XIII. 1, 3. Quid illi suaseirint discimus ex ep. 27. XIII; quid Cicero decreverit ex ep. seq. et 31, 3.

ut tempora. Supplent *postulant.* Mihi longe quaesitum videtur, neque video qua ratione laboranti sententiae succurras, nisi statuas post v. *praecipiunt* propter litterarum similitudinem excidisse *patiuntur.* Cuius suspicionis ne nunc quidem me paenitet, quum legi, quae Moserus de hoc loco scripsit Symb. Crit. VI. p. 6, quasi nemo tam stultus esset, quin videret scribendum esse *ut sunt tempora.* Ego vero non video.

quibus parere omnes πολιτικοὶ *praecipiunt.* cf. Fam. I. 9, 21.

τοῦτο δὲ μηλώσῃ ɔ: sed hoc tu exploraveris. μηλώσῃ est fut. med. verbi μηλοῦν, quod est medicorum, qui μήλῃ vel *specillo* vulnera explorant. Gall. *sonder.*

§ 3. *debere* ɔ: debitorem esse Caereliae, non solvere. Pronomen *ei,* in nullo codice inventum, non desideratur.

in metu non ponere. Sed et hoc . et multa alia coram; sustinenda tamen, si tibi videbitur, solutio est nominis Caerelliani, dum et de Metone et de Faberio sciamus.

perscriptionem. cf. adnot. ad IV. 17, 2.

hoc —ponere. Versus incerti auctoris, quem Cicero adduxit iterum infra XIV. 21 et Topic. 55. *Hoc* referendum est ad *debere, alterum* ad *verscriptionem.*

sustinenda ɔ: differenda vel inhibenda. cf. XIII. 21, 3.

de Metone, qui tarde solvebat. cf. XII. 3, 2.

LII. (*A. U. C.* 709.)

1. L. Tullium Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est: ab eius sororis viro litteras accepi Montanum Planco debere, quod praes pro Flaminio sit, HS. $\overline{\text{xxv}}$., de ea re nescio quid te a Montano rogatum. Sane velim, sive Plancus est rogandus sive qua re potes illum iuvare, iuves: pertinet ad nostrum officium. Si res tibi forte notior est quam mihi aut si Plancum rogandum putas, scribas ad me velim, ut quid rei sit et quid rogandum sciam. 2. De epistola ad Caesarem quid egeris exspecto. De Silio, non ita sane laboro: tu mihi aut Scapulanos aut Clodianos efficias necesse est; sed nescio quid videris dubitare de Clodia, utrum quando veniat an sintne venales? Sed quid est, quod audio Spintherem fecisse divortium? 3. De lingua Latina securi es animi. Dices: »qui talia conscribis?" Ἀπόγραφα sunt, minore labore fiunt, verba tantum affero, quibus abundo.

§ 1. *quod praes pro Flaminio sit.* Montanus videtur praes fuisse Flaminii, qui aliquid de hasta Caesaris emerat. Pro debitore praedes aerario obligati erant. Si ille non solveret, non hi quidem ipsi, sed eorum bona a. L. Planco, cui Caesar hoc mandaverat. cf. Phil. II. 78, distrahebantur. Cf. XIV. 16, 4. 17, 6. 18, 4.

HS $\overline{XXV}$. B.K.W. cum Med. scribunt $\overline{\text{XX}}$, infra XVI. 15, 5 cum eodem codice XXV. Vix dubitandum quin utroque loco de eadem pecuniae summa agatur. Itaque vero similius est hic V a librario omissum, quam illic additum esse.

§ 2. *tu mihi Scapulanos — efficias necesse est.* Corrige *conficias,* ut est 37, 2: *itaque hortos mihi conficias necesse est.*

Spintherem fecisse divortium. cf. XIII. 7, 1. Est P. Cornelius Lentulus Spinther filius eius, qui consul de revocando Cicerone in senatu retulit.

§ 3. *securi es animi.* Pro *es* malim *esto,* quum e Mediceo afferatur *est.* Ostendit autem his verbis se parvo labore libros philosophos componere et posse tales res bene Latine conscribi. cf. Madvigius praef. ad libr. de Fin. p. LXIII.

ἀπόγραφα, descripta ex aliorum libris. Plinius H. N. XXXV. 125 eodem nomine designat tabulae exemplar, *eene kopie.*

LIII. (*A. U. C.* 709.)

Ego, etsi nihil habeo quod ad te scribam, scribo tamen, quia tecum loqui videor. Hic nobiscum sunt Nicias et Valerius. Hodie tuas litteras

exspectabamus matutinas: erunt fortasse alterae posmeridianae, nisi te Epiroticae litterae impedient, quas ego non interpello. Misi ad te epistolas ad Marcianum et ad Montanum; eas in eundem fasciculum velim addas, nisi forte iam dedisti.

posmeridiane an *postmeridiane* in cod. Med. legendum sit, quod per compendium scriptum est, Baiterus dubitabat. Ego illud edidi, quia Cicero in Orat. 157 scribit: *Et posmeridianas quadrigas quam postmeridianas libentius dixerim.* cf. Ritsch. in Mus. Rhen. N. S. VII p. 571 seq. In Gaii ed. Studemundt ter legitur *pos mortem* III. 100. 117. 157.

Epiroticae litterae sunt litterae ab Attico in Epirum ad procuratores suos mittendae. Cum his Cicero expediri cupiebat epistolas ad duos homines, quorum alter Montanus cum Marco filio erat. vid. ep. 52, 1.

LIBER XIII.

I. (*A. U. C.* 709).

1. Ad Ciceronem ita scripsisti, ut neque severius neque temperatius scribi potuerit nec magis, quemadmodum ego maxime vellem; prudentissime etiam ad Tullios: quare aut ista proficient aut aliud agamus. 2. De pecunia vero video a te omnem diligentiam adhiberi vel potius iam adhibitam esse; quod si efficis, a te hortos habebo. Nec vero ullum genus possessionis est, quod malim, maxime scilicet ob eam causam, quae suscepta est, cuius festinationem mihi tollis, quoniam de aestate polliceris vel potius recipis; deinde etiam ad *καταβίωσιν* maestitiamque

§ 1. *ut neque severius.* Merito Ernestus reiecit Bosianum a Tullii consuetudine alienum *ulli ut neque s.* Melius erat: *ei ut neque,* sed ne hoc quidem codicis noti fide nititur.

temperatius. Supra XII. 32, 1 *ages temperate.* In Orat. 95 memoratur *oratio temperata,* de Or. II, 212 *oratio temperatior.* Att. IV, 6, 1 *homo multa humanitate temperatus.* Ita vocantur omnes res vel personae, quibus ab aliis modus imponitur, qui ab aliis temperantur. Contra *temperans, temperantia, temperanter* apud Ciceronem usurpantur, ubi sermo est de eo, qui sibi temperat.

nec magis, quemadmodum — vellem. quam ante *quemadmodum* in M. scriptum recte Manutius et Corradus tollendum censuerunt. Ille contulit ex ep. 27, 1 verba: *nec mihi — quicquam magis, ut vellem, accidere potuit.*

ad Tullios. Marcianum et Montanum, Marci filii comites. Vid. XII, 52 et seq.

§ 2. *a te hortos habebo* ɔ: tua opera mihi erit, unde hortos emam.

ad καταβίωσιν, ad vitae decursum, ad id tempus quod mihi superest. Voluitne igitur Cicero reliquam vitam in hortis agere? Non credo. Vel usurpavit voc. *καταβίωσιν*

minuendam nihil mihi reperiri potest aptius, cuius rei cupiditas impellit me interdum, ut te hortari velim, sed me ipse revoco; non enim dubito quin, quod me valde velle putes, in eo tu me ipsum cupiditate vincas: itaque istuc iam pro facto habeo. 3. Exspecto quid istis placeat de epistola ad Caesarem. Nicias te, ut debet, amat vehementerque tua sui memoria delectatur. Ego vero Peducaeum nostrum vehementer diligo; nam et quanti patrem feci, † totum in hunc, et ipsum per se aeque amo atque illum amavi, te vero plurimum, qui hoc ab utroque nostrum fieri velis. Si hortos inspexeris, et si de epistola certiorem me feceris, dederis mihi quod ad te scribam; si minus, scribam tamen aliquid: nunquam enim deerit.

insolentius, recteque Corradus vitae taedium satietatemque ita nominari posse iudicavit, vel aliud scripsit.

§ 3. *istis.* Balbo et Oppio, Caesaris amicis, qui Romae erant, cf. XII. 51, 2.

Quanti patrem feci, totum in hunc. Explicant haec: amorem, quo patrem dilexi, totum transtuli in filium. Hac mente scripsisse Ciceronem non nego, sed hoc in illis verbis inesse non facile admittam. Desideratur verbum praesentis temporis, nec *totum* stare potest post *quanti.* Fortasse scribendum: *Nam* EGO *quanti patrem feci,* TANTI ME HIC NUNC (sc. *facit*), *et ipsum per se aeque amo, atque illum amavi.*

Qui hoc — fieri velis ɔ: qui cupias Peducaeum a me, me ab illo amari.

Si hortos inspexeris. cf. ep. 27, 2. 28, 1.

II. (*A. U. C.* 709.)

1. Gratior mihi celeritas tua quam ipsa res: quid enim indignius? sed iam ad ista obduruimus et humanitatem omnem exuimus. Tuas litteras hodie exspectabam, nihil equidem ut ex iis novi — quid enim? — verumtamen . . . Oppio et Balbo epistolas deferri iubebis et tamen Pisonem sicubi de auro. Faberius si venerit, videbis ut tantum

§ 1. *quam ipsa res.* Qua de re agatur, non constat. Sed Cicero laudat amicum, quod celeritate sua praevenit rem sibi ingratam.

ad ista obduruimus ɔ: istis non movemur. cf. Fam. II. 16, 1 *nisi — obduruisset animus ad dolorem novum.*

et tamen Pisonem sicubi de auro. Saepissime in his epistolis alicuius cum Pisone negotii mentio fit, vid. XII. 5, 2. XIII. 4. 11, 2. 12, 4. 16, 2. 33, 2; sed omnes hi loci brevitate sua subobscuri sunt. In hoc loco moleste fero verbi defectum in sententia conditionali *sicubi.* Equidem non video, quomodo ex his verbis hanc sententiam eruas: *si Pisonem alicubi conveneris, loquere cum eo de auro permutando.* Et male haec superioribus adnectuntur particulis *et tamen.* Scribendum puto: *Etiam Pisonem adibis de auro.* Cui hoc non probatur, ei praestabo ingeniosam Peerlkampii suspicionem: *iubebis. Admonebis Pisonem. Sicubi de auro Faberius venerit, videbis* cet.

Faberius cet. Hunc aliquid debuisse Ciceroni hoc tempore liquet ex epist. 21, 25, 31, 40, 47, 51 libri XII et 29—32, lib. XIII. Hunc igitur vult *attribui* ɔ: cupit nomen Faberii adsignari venditoribus hortorum, idque integrum. Nam scribit: *videbis, ut tanti attribuatur — quantum debet.* Ita enim scribendum iudico. Genetivum *tanti* reponendum ante me vidit Mazocchius ad Tab. Heracl. p. 346, ubi de iure attributionis quaedam

attribuatur, si modo attribuetur, quantum debetur: accipies ab Erote. 2. Ariarathes, Ariobarzani filius, Romam venit: vult, opinor, regnum aliquod emere a Caesare; nam, quo modo nunc est, pedem ubi ponat in suo non habet. Omnino eum Sestius noster parochus publicus occupavit; quod quidem facile patior; verumtamen, quod mihi summo beneficio meo magna cum fratribus illius necessitudo est, invito eum per litteras, ut apud me deversetur. Ad eam rem quum mitterem Alexandrum, has ei dedi litteras. 3. Cras igitur auctio Peducaei: quum poteris ergo, etsi impediet fortasse Faberius; sed tamen quum licebit. Dionysius noster graviter queritur, et tamen iure, a discipulis abesse tam diu: multis verbis scripsit ad me, credo item ad te. Mihi quidem videtur etiam diutius afuturus: ac nollem; valde enim hominem desidero.

disputat ad haec verba legis: (ei) *qui eam viam tuendam redemerit, tantae pecuniae eum eosve attribuito sine dolo malo. Si is qui attributus erit* cet. Pro *debetur: accipies* omnino legendum est *debet. Cetera accipies ab Erote.* Ita si legimus nihil obstat, quominus *accipere* proprie, non *audiendi* vi dictum putemus.

§ 2. *Ariarathes,* frater regis Cappadociae, cui a. u. 712 a C. Cassii militibus interfecto (App. B. C. IV. 63) successisse in regno miserrimo traditur. Idem est, qui memoratur ad Fam. XV. 2, 6 et apud scriptorem de bello Alexandr. 66. cf. Nipperdeii Quaest. Caesar. p. 200, qui Orellii errorem in Onom. Tull. ex uno duos Ariarathes facientis castigavit. De miserrima conditione regni paterni vid. VI. 1, 3 seq.

Sestius noster. Ita passim nominatur ille P. Sestius, quem Cicero reum oratione defendit. Vocat iocans hunc *parochum publicum,* quia reges legatosve exterarum nationum domum suam recipiebat. De parochi munere disputant viri docti ad h. l. et ad Horatii Sat. I. 5, 46 ad q. l. Porphyrion affirmat eum latina voce *copiarium* appellatum esse. Scripturam *parochis publicis* nullius boni codicis auctoritate munitam recte repudiarunt Victorius, Malaspina, alii. *Parocha* apud Latinos scriptores nondum inventum est. cf. Wesenbergius Emend. p. 96.

§ 3. *quum poteris ergo* sc. emes. Alii omissum putant: *ad me venies.*

Dionysius cet. Hinc apparet Ciceronem cum homine docto, sed ingrato in gratiam rediisse, de quo in epistolis a. 705 ad Atticum datis saepe questus est.

a discipulis. „Non Ciceronibus filiis, quorum alter erat in Hispania, alter Athenis, sed a me ipso discipulo (IV. 15, 10) et aliis, quos habet." Corradus.

ac nollem ɔ: ac tamen nollem. Poterat hoc exemplo uti Handius in Turs. I. p. 488 sq., ubi Donati praeceptum *atque* pro *tamen* dici caute accipiendum esse docet. *Diutius afuturus ac vellem,* quod Corradus malebat, repugnat consuetudini Tullianae, qui *ac* et *atque* non posuit post comparativos. Cf. Handius l. l. p. 472.

III. (*A. U. C.* 709.)

1. A te litteras exspectabam, nondum scilicet; nam has mane rescribebam. Ego vero ista nomina sic probo, ut nihil aliud me moveat, nisi quod tu videris dubitare; illud enim non accipio in bonam partem, quod ad me refers, qui, si ipse negotium meum gererem nihil gererem

nisi consilio tuo, sed tamen intelligo magis te id facere diligentia, qua semper uteris, quam quo dubites de nominibus istis. Etenim Caelium non probas, plura non vis: utrumque laudo. His igitur utendum est. Praes aliquando factus esses et in his quidem tabulis. A me igitur omnia. Quod dies longior est — teneamus modo quod volumus —, puto fore istam etiam a praecone diem, certe ab heredibus. 2. De Crispo et Mustela videbis, et velim scire quae sit pars duorum. De Bruti adventu eram factus certior; attulerat enim ab eo Aegypta libertus litteras. Misi ad te epistolam, quia commode scripta erat.

§ 1. Manutius satis bene sententiam epistolae explicuit. Agitur de emptione hortorum. Sed quum Cicero praesenti pecunia indigeret, Attico mandaverat, ut aliquo modo pecuniam sibi conficeret. Hic igitur non ab uno, sed a pluribus non quidem pecuniam, sed *nomina* post aliquod tempus exigenda accipere quum posset, de ea re Ciceronem consuluerat. Probat Cicero illa nomina, quum concedat Attico non esse nunc aurum argentumve factum cum Caelio permutandum (cf. XII. 5, 2. 6, 1), neque plura nomina quaerenda. Verba: *praes aliquando factus esses* votum continent, simulque levis inest amici reprehensio, qui nullius unquam praes factus est, ut scribit Cornelius in eius vita, c. 6.

quod ad me refers cet. In his scribendis nunc cum W. sequor auctoritatem codicis Z. Re bene considerata Med. hic plura omisisse quam illum interpolatum esse iudico. Conf. Fr. Hofmannus in libello: der kritische Apparat zu Cic. Briefen an Att. p. 29.

A me igitur omnia sc. praestabuntur. Quoniam non possum dare praedes, ipse per me solvam.

Quod dies longior est sc. eorum nominum; quod non nisi post longum tempus nummos exigere possum, non est incommodum, quoniam aut in ipsa emptione dies pretii solvendi satis longa dabitur, aut heredes Scapulae, in quibus erant Crispus et Mustela, longiorem diem concedent.

teneamus modo quod volumus ɔ: dummodo in auctione hortos illos obtineamus.

§ 2. *Duorum.* Ern. malebat *eorum*, Or. *duorum horum*. Illud probo.

IV. (*A. U. C.* 709.)

1. Habeo munus a te elaboratum decem legatorum. Equidem (idem) puto; nam filius anno post quaestor fuit quam consul Mummius. 2. Sed quoniam saepius de nominibus quaeris quid placeat, ego quoque tibi saepius respondeo placere. Si quid poteris cum Pisone, conficies; Avius enim videtur in officio futurus. Velim ante possis; si minus,

§ 1. *Habeo munus — decem legatorum.* Cf. ep. 30, 3. Genetivum credo esse, qui dicitur, definitivum. Atticus ex antiquis libris decem, legatorum nomina eruerat. Quae sequuntur in codice *et quidem puto* feliciter correxit Moserus in Symb. Crit. spec. quinto, p. 23: *Equidem idem puto* np. C. Tuditanum patrem in iis fuisse, non filium, qui tum adhuc erat adolescentulus. vid. ep. 6, 4. Poterat quoque scribi: *Ego idem puto.*

§ 2. *de nominibus* np. exigendis. cf. ep. 2, 1. 3, 1. 33, 2, quae omnes ordine hanc praecedunt. Falluntur, qui de nominibus legatorum hic agi putant.

Si quid poteris cum Pisone. Cf. ad ep. 2, 1. Cum hoc coniungitur Avius XII. 5, 2.

Velim ante possis int. mecum esse, ut sequentia docent.

utique simul simus, quum Brutus veniet in Tusculanum: magni interest mea una nos esse. Scies autem qui dies is futurus sit, si puero negotium dederis, ut quaerat.

V. (*A. U. C.* 709.)

1. Sp. Mummium putaram in decem legatis fuisse, sed videlicet; etenim εὔλογον fratri fuisse. Fuit enim ad Corinthum. Misi tibi Torquatum. Colloquere tu quidem cum Silio, ut scribis, et urge: illam diem negabat esse mense Maio, istam non negabat; sed tu, ut omnia, istuc quoque ages diligenter. De Crispo et Mustela scilicet, quum quid egeris. 2. Quoniam ad Bruti adventum fore te nobiscum polliceris, satis est, praesertim quum hi tibi dies in magno nostro negotio consumantur.

sed videlicet. Nimis abrupte sic dici concedendum Graevio. Is coniecit: *Sed videlicet eum legatum fratri fuisse.* Wesenbergius Emend. p. III suspicatur excidisse *erravi* vel simile quid. Magis placet Schetzianum: *Sed videlicet εὔλογον fratri fuisse* np. legatum. cf. ep. 6, 4.

Misi tibi Torquatum. vid. ad ep. 32, 3.

illam diem — istam non negabat. cf. ep. 3, 1. Agitur de tempore, quo emptori hortorum solvendum esset.

in magno nostro negotio, in emendis hortis, quos Cicero tantopere flagitabat.

VI. (*A. U. C.* 709).

1. De aquaeductu probe fecisti. Columnarium vide ne nullum debeamus, quamquam mihi videor audisse a Camillo commutatam esse legem. 2. Pisoni quid est quod honestius respondere possimus quam

§ 1. *De aquaeductu probe fecisti.* Ignoramus qua de re agatur. Fortasse de eadem, quam attigimus ad V. 12, 3, et haec spectant vectigal, quod Cicero Tusculanis pendebat, ut dicit de lege agr. III. 9.

Columnarium. Inter vectigalia a. 706 a Scipione Syriae provinciae imperata nominantur quoque *columnaria* ap. Caes. de B. C. III. 32, quod sane vectigal in singulas columnas aedium pendendum fuisse videtur. Sed recte Popma ad h. l. negavit in urbe id genus tributi civibus fuisse impositum, putatque aliquo capite legis Iuliae sumptuariae cautum fuisse ne quis in aedibus exornandis nimios sumptus faceret. Si quis in fraudem legis ageret, aere columnario multabatur. Quae I. M. Matius Brixianus, Adnot. C. 69 de columnario scripsit, nullius sunt momenti, recteque spreta ab editore Traiectino eius libelli p. 192 sq. Notabilis est error scriptoris Gallici, qui *columnarios* memoratos in epist. Caelii ad Fam. VIII. 9, 5 putat fuisse *percepteurs de l'impôt sur les colonnes.* vid. Dureau de la Malle, économie polit. des Romains II. p. 486. P. Manutius eum locum melius est interpretatus.

vide ne nullum debeamus. Ubi post formulam *vide ne* alia negatio sequitur, illud *vide ne non* plane eandem vim habet atque *vereor ut,* quod optime docuit Vorstius, de Latin. merito susp. p. 431 sq. Locis, quos citavit ex epist. ad Fam. V. 4 extr. *vide ne, quum velis revocare tempus —, non possis* et Off. I. 28 *videndum est ne non satis sit id, quod est dictum,* addi potest ex his epistt. XII. 18, 4. *Tibi ad me venire, ut ostendis, vide ne*

solitudinem Catonis? Nec coheredibus solum Herennianis, sed etiam, ut scis — tu enim mecum egisti — de(bet) puero Lucullo; quam pecuniam tutor — nam hoc quoque ad rem pertinet — in Achaia sumpserat. Sed agit liberaliter, quoniam negat se quicquam facturum contra nostram voluntatem: coram igitur, ut scribis, constituemus, quemadmodum rem explicemus; quod reliquos coheredes convenisti, fecisti plane bene. 3. Quod epistolam meam ad Brutum poscis, non habeo eius exemplum, sed tamen salvum est et ait Tiro te habere oportere, et ut recordor, una cum illius obiurgatoria tibi meam quoque, quam ad eum rescripseram, misi. Iudiciali molestia ut caream videbis. 4. Tuditanum istum, proavum Hortensii, plane non noram, et filium, qui tum non potuerat esse legatus, fuisse putaram. Mummium fuisse ad Corinthum pro certo habeo: saepe enim hic Spurius, qui nuper † est, epistolas mihi pronuntiabat versiculis facetis ad familiares

non sit facile, et quae collegit Ernestus in Clavi. Igitur verba, in quibus versamur, sunt dicentis se vereri, ut ullum debeat tributum; quod plane absurdum est. Propterea Malaspinae et Manutio placebat *ne ullum*, quod probari minime potest. Aut *nullum* delendum est, aut *ne* mutandum in *ut*.

§ 2. *solitudinem Catonis* ɔ: absentiam tutorum Catonis impuberis. Verisimile est in his fuisse quoque M. Tullium; quamquam amicitia cum patre hunc quoque movere potuit, ut pueri fortunis prospiceret.

debet puero Lucullo. Omnes Mss. et editt. dant *de p. Lucullo*. Tres litteras adieci, ut locum, quem Lambinus obscurum et corruptum iudicabat, sanarem. In vulgata scriptura non minus haeremus in verbis *coheredibus Herennianis*, quam in illis *de puero Luc.* Catonem autem debere puero Lucullo sane sciebat Cicero, cui pater testamento filium suum commendarat, de Fin. III. 9. *Tutor* pueri Luculli fuerat Cato pater. ibid. III, 8. Varr. de re rust. III, 2, 17. Colum. VIII. 16. In heredibus Herennianis, quibus Cato pecuniam debebat, erat Piso, non ipse Cicero, minimeque audiendus est Orellius qui ex ep. 12, 4 et 14, 1 h. l. pro *Herennianis* scribendum coniecit *Brinnianis*.

fecisti plane bene. Verbum Med. et Oxonn. libri omittunt. Hinc suspectum erat Buechelero in Mus. Rhen. XI, p. 524. Si in cod. archetypo scriptum fuit *fecisti plane bene* verbum excidere potuit propter similitudinem terminationis verbi praeced. *convenisti*. Ego posui auctoritatem Lambini secutus.

§ 3. *epistolam meam ad Brutum*. cf. XII, 18, 2. Bruti epistola, quam ibid. 13, 1 dicit fuisse *prudenter et amice* scriptam, nunc vocat *obiurgatoriam*, quod ille in ea obiurgarat Ciceronem mollius ferentem filiae obitum quam virum gravem deceret.

iudiciali molestia ɔ: munere iudicis, quod XII, 19, 2 *iudicatum* appellatur.

§ 4. *proavum Hortensii*. Si agitur de Hortensii oratoris filio, C. Sempronius Tuditanis consul a. u. c. 625 fuit avus oratoris, qui matrem habuit Semproniam, quae in fragmento Hortensii Tullianii apud Maximum Taurinensem contra paganos *mulier sapiens* vocatur. Cf. H. Usener in Mus. philol. Rhen. XXVIII p. 392.

Mummium. Excidisse videtur praenomen *Sp.*, quod ep. 30, 3 et 5, 1 recte additur. Omissio non excusatur eo, quod statim memoratur alius *Spurius*, huius fortasse nepos.

qui nuper est. Ita libri Mss. omnes, praeter unum Oxon., qui habet, quod antiquiores editores e coni. addiderunt, *mortuus*. Potius scribendum arbitror: *qui nuper periit*, quoniam sic erroris origo facile explicatur.

versiculis facetis. Recte sic emendatur. *Factas*, quod in libris Bosii fuisse dicitur, male convenit epistolis et reiiciendum etiam ob part. *missas*, quod tunc omitti debuerat. *Fartas*, autem, quod ille proposuit, tropice Cicero non dixit. Scripsisset *refertas*.

missas a Corintho; sed non dubito quin fratri fuerit legatus, non in decem, atque hoc etiam accepi non solitos maiores nostros eos legare in decem, qui essent imperatorum necessarii, ut nos ignari pulcherrimorum institutorum aut negligentes potius M. Lucullum et L. Murenam et ceteros coniunctissimos ad L. Lucullum misimus, illudque εὐλογώτατον illum fratri in primis eius legatis fuisse. Operam tuam multum amo qui et haec cures et mea expedias et sis in tuis multo minus diligens quam in meis.

in primis eius legatis, εἷς τῶν στρατηγῶν, non in iis decem, qui bello finito Roma missi sunt, quos Pausanias VII. 16, 5 συμβούλους imperatoris appellat.

Operam tuam multam. Med. F. C. Mullerus, qui cupidius videtur eiusmodi accusativis in exclamatione usurpatis locum non concedere nisi *O* iis praeponitur, merito negat haec esse ferenda recteque emendat: *Operam tuam multum amo*, quod est gratias agentis. cf. I. 3, 2. V. 21, 5. Vid. eius Coni: Tull. p. 13, seq. Certam correctionem post B. W. recepi.

VII. (*A. U. C.* 709.)

1. Sestius apud me fuit et Theopompus pridie: venisse a Caesare narrabat litteras, hoc scribere, sibi certum esse Romae manere, causamque eam adscribere, quae erat in epistola nostra, ne se absente leges suae negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria — est εὔλογον, idque eram suspicatus, sed istis mos gerendus est, nisi placet hanc ipsam sententiam nos persequi — et Lentulum cum Metella certe fecisse divortium. Haec omnia tu melius; rescribes igitur quicquid voles, dummodo aliquid; iam enim non reperio quid te rescripturum putem, nisi forte de Mustela aut si Silium videris. 2. Brutus heri venit in Tusculanum post horam decimam; hodie igitur me videbit, ac vellem tum tu adesses. Iussi equidem ei nuntiari te, quoad potuisses, exspectasse eius adventum venturumque, si audisses, meque, ut facio, continuo te certiorem esse facturum.

§ 1. *Theopompus* Cnidius, Caesaris familiaris, de quo vid. Strabo XIV. 2, 15 p. 656 Cas. et Plut. in Caes. 48.

in epistola nostra, quam ad Caesarem mittere voluerat. cf. ep. 28, 2. 31, 3.

sed istis mos gerendus est cet ɔ: sed epistolam meam non ad Caesarem mittam, quod Balbus et Oppius eam improbant. Vid. ep. 27, 1. Fortasse aliam scribam, cuius hoc sit argumentum: Caesari in urbe manendum est. Scribendi argumentum dici posse *sententiam* docet locus ex VIII. 14, 1.

et Lentulum — fecisse divortium. Pendent a verbis: *Sestius — narrabat*. Eadem res memoratur supra XII. 52, 2, ubi Lentulum cognomine *Spintherem* vocat. cf. h. l. 10, 3. Ceterum *Metella* reipublicae tempore unicum est exemplum mulieris a cognomine nominatae. cf. Mommsen. röm. Forsch. p. 60.

dummodo aliquid. Vulgo *quid*. In Med. *ne quid*. Correxit Klotzius.

VIII. (*A. U. C.* 709.)

Plane nihil erat quod ad te scriberem; modo enim discesseras et paullo post triplices remiseras. Velim cures fasciculum ad Vestorium deferendum et alicui des negotium, qui quaerat Q. Staberii fundus num quis in Pompeiano Nolanove venalis sit. Epitomen Bruti Caelianorum velim mihi mittas et a Philoxeno *Παναιτίου περὶ προνοίας*. Te Idibus videbo cum tuis.

triplices erant codicilli, quos Graeci τρίπτυχα dicebant. cf. Mart. Epigr. XIV. 6. Videtur Cicero aliquid ex Attico scire cupiens puerum cum codicillis misisse, qui eum in via convenerit et paullo post cum responso redierit.

Epitomen Br. Caelianorum. L. Caelii Antipatri annales in epitomen redegisse Brutum hinc discimus. cf. Groen van Prinsterer, de Caelio Antip. p. 24. Cicero ex ea deprompsit aliquid de N. D. II, 8.

Παναιτίου περὶ προνοίας. Liber non alibi memoratur. Cicero eo usus est in libro secundo de Natura Deorum. cf. R. Hirtel, Untersuchungen zu Cicero's philos. schriften I p. 194 seqq.

IX. (*A. U. C.* 709.)

1. Commodum discesseras heri, quum Trebatius venit, paullo post Curtius, hic salutandi causa, sed mansit invitatus. Trebatium nobiscum habemus. Hodie mane Dolabella. Multus sermo ad multum diem; nihil possum dicere ἐκτενέστερον, nihil φιλοστοργότερον. Ventum est tandem ad Quintum: multa ἄφατα, ἀδιήγητα, sed unum eiusmodi, quod, nisi exercitus sciret, non modo Tironi dictare, sed ne ipse quidem auderem scribere. Sed hactenus. *Εὐκαίρως* ad me venit, quum haberem Dolabellam, Torquatus, humanissimeque Dolabella, quibus verbis secum egissem, exposuit; commodum enim egeram diligentissime, quae diligentia grata est visa Torquato. 2. A te exspecto, si quid de Bruto; quamquam Nicias confectum putabat, sed divortium

§ 1. *nisi exercitus sciret* ɔ: nisi Q. id palam in exercitu Caesaris dixisset.

Sed hactenus ɔ: Sed Quinti illud dictum ne repetatur. B.K.W. e Cratandrina scribunt *sed haec hactenus.*

quum haberem Dolabellam ɔ: quum mecum esset D. cf. adnot. ad III. 2.

commodum — egeram diligentissime ɔ: paulo ante de re Torquati locutus eram cum Dolabella, eumque rogaveram, ut Torquatum commendaret Caesari. De eodem Torquato agitur h. l. ep. 20, 1. 21, 2. Pace Hofmanni, qui h. l. tetigit in lib. cit. p. 65, dicam supplementum in edit. Iens. primum datum, in editione Crat. et Lamb. repetitum non solum aptissimum, sed prorsus necessarium mihi videri. Non intelligo quid Cicero velit, si ceteris omissis e codice Med. sic scribitur: — *humanissimeque Dolabella; diligentia grata est visa Torquato,* nec credo tam abruptam orationem ab Attico intelligi potuisse.

§ 2. *de Bruto.* M. Brutus hoc tempore dimiserat Claudiam Appii Pulcri filiam (Fam. III. 4, 2) et novas nuptias inire cogitabat cum Porcia, M. Catonis filia, suaque conso-

non probari: quo etiam magis laboro idem quod tu. Si quid est enim offensionis, haec res mederi potest. Mihi Arpinum eundum est; nam et opus est constitui a nobis illa praediola, et vereor ne exeundi potestas non sit, quum Caesar venerit, de cuius adventu eam opinionem Dolabella habet, quam tu (quum) coniecturam faciebas ex litteris Messalae. Quum illuc venero intellexeroque quid negotii sit, tum ad quos dies rediturus sim scribam ad te.

brina. His nuptiis sperat Cicero offensionem e divortio susceptam posse tolli. Cf. ep. seq. § 3.

quam tu (quum) coniecturam faciebas. Necessarium mihi videtur Lambini supplementum. Facile *cum* vel *quom* ante *coniecturam* negligi potuit.

X. (*A. U. C.* 709.)

1. Minime miror te et graviter ferre de Marcello et plura vereri periculi genera; quis enim hoc timeret, quod neque acciderat antea nec videbatur natura ferre, ut accidere posset? omnia igitur metuenda. Sed illud παρὰ τὴν ἱστορίαν, tu praesertim: »me reliquum consularem." Quid? tibi Servius quid videtur? Quamquam hoc nullam ad partem valet scilicet, mihi praesertim, qui non minus bene actum cum illis putem; quid enim sumus aut quid esse possumus? domine an foris? Quodnisi mihi hoc venisset in mentem scribere ista nescio quae, quo verterem me non haberem. 2. Ad Dolabellam, ut scribis, ita puto faciendum, κοινότερα quaedam et πολιτικώτερα: faciendum certe aliquid est; valde enim desiderat. 3. Brutus si quid egerit, curabis ut sciam, cui quidem quam primum agendum puto, praesertim si statuit; sermunculum enim omnem aut restinxerit aut

§ 1. *de Marcello.* M. Claudius Marcellus, qui consul fuit cum Servio Sulpicio, Athenis a P. Magio Chilone necatus erat. Rem narrat Sulpicius in epistola inter Tullianas servata Fam. IV. 12.

me reliquum consularem. Atticus ignorare non poterat plures viros consulares tum esse superstites. Sed videtur Tullium appellasse solum vere consularem. In eius laudis societatem Cicero nunc vocat Servium Sulpicium.

hoc nullam ad partem valet ɔ: consularem esse nec fructum affert nec dignitatem. Quare *cum illis,* qui mortui sunt, bene actum puto.

quid enim sumus? aut quid esse possumus? Moserus Symb. Crit. VI. p. 5 vere, ut mihi quidem videtur, observat potuisse Ciceronem in principibus esse, si voluisset. Cui incommodo medetur expungens v. *esse,* ut Cicero quaerat, non quid esse possit, sed quid possit et valeat.

§ 3. *Brutus si quid egerit.* Male reiecit Orellius verbum *egerit,* quod a Lambino e Z. notatum, librarii errore in Mediceo omissum videtur. Idem verbum additur ep. 11, 2. 16, 2. 17, et pro *erit* correctum est *egerit* ep. 14, 2. Agitur autem de Porcia ducenda. Cf. ep. 9 2.

sermunculum. cf. Deiot. 33 *ex urbanis malevorum sermunculis.*

Sed hoc ipse optime sc. statuet, quando

sedarit. Sunt enim qui loquantur etiam mecum. Sed hoc ipse optime, praesertim si etiam tecum loquetur. Mihi est in animo proficisci XI. Kal.; hic enim nihil habeo quod agam, ne hercule illic quidem nec usquam, sed tamen aliquid illic. Hodie Spintherem exspecto; misit enim Brutus ad me: per litteras purgat Caesarem de interitu Marcelli, in quem, ne si insidiis quidem ille interfectus esset, caderet ulla suspicio, nunc vero, quum de Magio constet, nonne furor eius causam omnem sustinet? Plane quid sit non intelligo: explanabis igitur. Quamquam nihil habeo quod dubitem, nisi ipsi Magio quae fuerit causa amentiae, pro quo quidem etiam sponsor factus erat. Nimirum id fuit; solvendo enim non erat: credo eum petiisse a Marcello aliquid, et illum, ut erat, † constantius respondisse.

sibi agendum sit, ut recte Wes. *haec* in *hoc* mutato.

illic ɔ: Arpini. Cf. ep. praec., 2.

misit enim Brutus ad me. Aliquid vitii in his verbis inesse puto, cui non satis medetur Orellius, qui *etiam* pro *enim* scribendum putat. Vide quanto melius omnia procedant Bruti nomine transposito: *Hodie Spintherem exspecto; misit enim ad me. Brutus per litteras purgat Caesarem* cet. De Spinthere dixi ad ep. 7 h. l.

ulla suspicio. Cave scribas *nulla.* Nam negatio quae in praegressa sententia secundaria inest (*ne-quidem*) pertinet etiam ad primariam. Exempla collegit Eberhardus ad Cic. Brut. 299.

nonne furor eius causam omnem sustinet? ɔ: nonne in eius furorem omne crimen verti debet? „Nemo est, qui eo nomine accusari possit praeter ipsum illum furiosum hominem." Gronovius. *Causam sustinere* legimus Fam. VI. 6, 9. IX. 8, 2.

Plane quid sit non intelligo ɔ: non intelligo, cur Brutus Caesarem purget.

sponsor factus erat. Post Bosium inserunt *Sunii*, quod nulla auctoritate libri scripti nititur et inepte additur. Si in eo, quod Med. dat *sponsorum*, alii *sponsor sum*, non merum errorem librarii agnoscere velis, videas ne in eo lateat *sponsor Romae.* — *factus erat* scripsi cum Klotzio pro *f. est.* E Med. affertur *factus et.*

constantius respondisse. Male negat Beierus in adn. apud Orellium ed. pr. *constantius respondere* Latinum esse. Quidni enim is qui in respondendo sibi constat, qui saepius rogatus idem saepius respondet, *constanter respondere* dicatur? At recte idem vidit Ciceronem h. l. scribere debuisse *constantius negasse,* Nam qui petenti respondet, eius votis satisfacit. Quare pace Moseri Symb. Crit. VIII. 7 dicam mihi non displicere Beieri coni. *cunctantius respondisse,* etsi malim: *et illum, ut erat cunctator, lentius respondisse.* Quae coniecturae eo firmantur, quod Marcellum Caelius quoque hominem *tardum et parum efficacem* vocat, Fam. VIII 10. 3.

XI. (*A. U. C.* 709.)

1. *Οὐ ταὐτὸν εἶδος·* credebam esse facile, totum est aliud, posteaquam sum a te diiunctior, sed fuit faciendum, ut et constituerem

§ 1. *Οὐ ταὐτὸν εἶδος.* Initium est versus Euripidei ex Ione (585), quo indicat Cicero sibi antea facile visum esse ab Attico longius discedere, nunc vero quum Arpinum profectus esset aliter evenire. Recte autem Casaubonus verba, quae in editt.

mercedulas praediorum et ne magnum onus observantiae Bruto nostro imponerem. Posthac enim poterimus commodius colere inter nos in Tusculano, hoc autem tempore, quum ille me quotidie videre vellet, ego ad illum ire non possem, privabatur omni delectatione Tusculani. 2. Tu igitur, si Servilia venerit, si Brutus quid egerit, etiam si constituerit quando obviam, quicquid denique erit, quod scire me oporteat, scribes. Pisonem, si poteris, convenies: vides quam maturum sit; sed tamen, quod commodo tuo fiat.

adhaerebant epistolae superiori, ad initium novae epistolae retraxit. Id non intellectum Victorio V. L. XXVI. 6 in Graecis explicandis fraudi fuit.

ut constituerem mercedulas praediorum. cf. ep. 9, 2.

privabatur. Brutus Ciceronem quoditie visens et cum eo de re publica disputans rusticationis suae delectationem capiebat nullam. Si Cicero scripsisset *privabamur*, quod proposuit Orellius, minus urbane de Bruto locutus fuisset, quasi molestas huius interpellationes fugiens Arpinum profectus esset, omisissetque illa: *quum ego ad illum ire non possem.*

§ 2. *Servilia*, mater M. Bruti.

quando obviam np. Caesari iturus sit ex Hispania redeunti. cf. ep. 23, 1.

vides quam maturum sit „quia dies auctionis hortorum Scapulanorum instabat." Gron.

XII. (*A. U. C.* 709.)

1. Valde me momorderunt epistolae tuae de Attica nostra; eaedem tamen sanaverunt: quod enim te ipse consolabare eisdem litteris, id mihi erat satis firmum ad leniendam aegritudinem. 2. Ligarianam praeclare vendidisti. Posthac quicquid scripsero, tibi praeconium deferam. 3. Quod ad me de Varrone scribis, scis me antea orationes aut aliquid id genus solitum scribere, ut Varronem nusquam possem intexere; postea autem quam haec coepi **φιλολογώτερα,** iam Varro mihi denuntiaverat magnam sane et gravem **προςφώνησιν.** Biennium praeteriit, quum ille **Καλλιπίδης** assiduo cursu cubitum nullum processerit; ego autem me parabam ad id, quod ille mihi misisset, ut **αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον,** si modo potuissem; nam hoc etiam He-

§ 2. *Ligarianam praeclare vendidisti.* cf. ep. 19, 2. Solet Cicero commendandi notione ponere *venditare.* Vid. I. 16, 16. VIII. 16, 1. *Vendere* hac vi posuit Horatius Epp. II. 1, 75.

§ 3. *Varro mihi denuntiaverat* cet. Fidem solvit partem operis de lingua Latina ad Ciceronem mittens. Vid. Spengelius ad illud opus p. 8. C. O. Mulleri praef. p. III. seqq. Al. Riese in Philologi vol. XXVII. p. 296 seqq. — προςφώνησιν a verbo προςφωνῶ (vid. ep. 21, 4 h. l.) Latine appellarunt *dedicationem.*

Ille Καλλιπίδης. Narrat Suetonius in Tib. 38 Tiberium vulgo per iocem Callipidem vocatum esse, quem cursitare ac ne cubiti quidem mensuram progredi proverbio Graeco notatum esset. Eodem respexit h. l. Cicero. Nomen fictum puto a verbo καλλιπεῖν, neque huc vocaverim Callipidem histrionem, ut fecerunt Baumgarten Crusius

siodus adscribit *αἴκε δύνῃαι.* Nunc illam *περὶ τελῶν σύνταξιν* sane mihi probatam Bruto, ut tibi placuit, despondimus, idque eum non nolle mihi scripsisti. Ergo illam *Ἀκαδημικήν,* in qua homines nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi nimis acute loquuntur, ad Varronem transferamus; etenim sunt *Ἀντιόχεια,* quae iste valde probat. Catulo et Lucullo alibi reponemus, ita tamen, si tu hoc probas, deque eo mihi rescribas velim. 4. De Brinniana auctione accepi a Vestorio litteras. Ait sine ulla controversia rem ad me esse collatam. Romae videlicet aut in Tusculano me fore putaverunt a. d. IIX. Kal. [Quint.] Dices igitur vel amico tuo S. Vettio, coheredi meo, vel Labeoni nostro, paullum proferant auctionem, me circiter Nonas in Tusculano fore. Cum Pisone Erotem habes. De Scapulanis hortis toto pectore cogitemus, Dies adest.

ad Suet. l. c. et Ritterus ad Aristot. Poetic. p. 290.

αἴκε δύνῃαι. Postquam scripserat: *si modo potuissem,* haec Hesiodi Attico certe non ignota omittere poterat. Sed sine iusta causa in priore edit. ut spuria notavi. Hesiodium illud laudatur in Bruto, 15 et Off. I. 48.

Ἀκαδημικήν sc. *σύνταξιν.* Falso multi ediderunt Ακαδημαϊκήν. Veram formam praebet M¹ h. l. et ep. 16, 1, ubi litteris latinis dat *academicen.*

Catulo et Lucullo alibi reponemus ɔ: reddemus quod hic aufertur, solvemus. Cf. Seneca de Benef. IV. 32, *quid cuique debeam scio; aliis in longam diem repono, aliis in antecessum* et Iuven. Sat. I. 1 *nunquamne reponam?*

§ 4. *rem ad me esse collatam* ɔ: me magistrum auctionis esse constitutum.

Quint. Seclusi ob rationes a Schuetzio allatas, probatas quoque Madvigio Op. Ac. p. 164 in adn.

Cum Pisone Erotem habes. „Nunc et Piso et Eros Romae sunt. Cum Pisone igitur, si potes, confice de auro, et ab Erote cognosce, quantum nobis a Faberio debeatur. cf. ep. 2, 1." Manutius. W. spreta hac interpretatione scripsit: *Tu cum Pisone* (sc. transige de auro): *Erotem habes,* (sc. per quem cum eo agas), collatis ultimis verbis ep. 16 h. l.: *Tu cum Pisone, si quid poteris.*

XIII. (*A. U. C.* 709.)

1. Commotus tuis litteris, quod ad me de Varrone scripseras, totam Academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, transtulique ad nostrum sodalem et ex duobus libris contuli in quattuor. Grandiores sunt omnino, quam erant illi, sed tamen multa detracta. Tu autem mihi pervelim scribas, qui intellexeris illum velle; illud vero utique scire cupio, quem intellexeris ab eo *ζηλοτυπεῖσθαι,* nisi forte Brutum. Id hercle

§ 1. Totam historiam operis Academicorum ex epistolis Tullianis diligenter contexuit A. B. Krische in disp. *über Cicero's Academica,* a. 1845 Gottingae edita p. 2—19, ad quam eos, qui plura de his scire cupiunt, ablegamus.

Grandiores sunt ɔ: sententiarum gravitate verborumque splendore illos quattuor priores superant, id quod mox dicit: *multo haec erunt splendidiora.*

Id hercle restabat! ɔ: id unum deerat. Fortasse Ciceroni hoc scribenti obversabatur

restabat! sed tamen scire pervelim. Libri quidem ita exierunt — nisi forte me communis *φιλαυτία* decipit —, ut in tali genere ne apud Graecos quidem simile quicquam. Tu illam iacturam feres aequo animo, quod illa, quae habes de Academicis, frustra descripta sunt; multo tamen haec erunt splendidiora, breviora, meliora. 2. Nunc autem *ἀπορῶ* quo me vertam. Vola Dolabellae valde desideranti, non reperio quid, et simul *αἰδέομαι Τρῶας*, neque, si aliquid, potero *μέμψιν* effugere: aut cessandum igitur aut aliquid excogitandum. 3. Sed quid haec levia curamus? Attica mea, obsecro te, quid agit? quae me valde angit, sed crebro regusto tuas litteras; in iis acquiesco, tamen exspecto novas.

Ter. Ad. II. 1, 36 *Nam hercle hoc etiam restat.* Eadem vi Cicero scripsit in ep. ad Corn. Nepotem: *hoc restiterat etiam, ut a te fictis aggrederer donis.*

exierunt sc. de manibus ɔ: a me confecti sunt, elaborati. Hunc verbi usum non possum firmare altero exemplo Tulliano, sed apte comparatur Horatianum: *currente rota cur urceus exit?* et Martialis XI. 31, 11. *Hinc exit varium coco minutal.* Idem verbum in ep. 21, 5 ponitur de libris, qui eduntur, divulgantur.

tamen in *enim* mutandum censeo, ut Cicero his rationem reddat, cur iactura operis frustra descripti aequo animo ferenda sit.

§ 2. *Volo Dolabellae valde desideranti.* cf. ep. 10, 2.

§ 3. *tamen exspecto novas.* Schiche in Herma XVIII p. 604 seq. acute docuit ep. 14, 16, 18 non esse epistolas peculiares, sed partes epistolarum 13, 15, 17. Plane ei adsentior. Sic scrupuli, qui attentum lectorem pungunt, evelluntur.

XIV. (*A. U. C.* 709.)

1. Brinnii libertus coheredes ait et Sabinum Albium ad me venire. Id ego plane nolo; hereditas tanti non est, et tamen obire auctionis diem facile poterunt — est enim III. Id. —, si me in Tusculano postridie Nonas mane convenerint: quodsi laxius volent proferre diem, poterunt vel biduum vel triduum vel ut videbitur; nihil enim interest. Quare, nisi iam profecti sunt, retinebis homines. 2. De Bruto, si quid egerit, de Caesare, si quid scies, si quid erit praeterea, scribes. Illud etiam atque etiam consideres velim, placeatne tibi mitti ad Varronem quod scripsimus; etsi etiam ad te aliquid pertinet; nam scito

§ 1. *Brinnii libertus coheredes ait et Sabinum Albium ad me venire.* Ita h. l. proxime ad cod. Med. restituit Hofmannus de appar. crit. p. 64. Supplementum, quod ex edit. Iens. nimis cupide receptum est, pluribus vitiis laborat. Cicero tunc erat in villa Arpinati. E coheredibus nominatur S. Vettius in ep. 12, 4. Non fuit in iis Sabinus Albius, sed in auctione hunc emere voluisse ex iis, quae de *Albiano negotio* in ep. 18 et 20 lib. XIV legimus, probabiliter Hofmannus coniecit. De inf. praes. *venire* pro *venturos esse* dixi ad I. 1, 1.

§ 2. *Si quid egerit.* Med. *erit.* Correxit Orell. Vide supra ad ep. 10, 3.

te ei dialogo adiunctum esse tertium. Opinor igitur consideremus, etsi nomina iam facta sunt; sed vel induci vel mutari possunt.

nomina iam facta sunt. Cicero utitur locutione a litterarum obligatione desumpta. Aliter scripsisset: nomina iam scripta sunt. Est quasi dicat: Varroni et tibi expensum tuli.

XV. (*A. U. C.* 709.)

Quid agit, obsecro te, Attica nostra? nam triduo abs te nullas acceperam; nec mirum: nemo enim venerat, nec fortasse causa fuerat: itaque ipse quod scriberem non habebam. Quo autem die has Valerio dabam, exspectabam aliquem meorum, qui si venisset et a te quid attulisset, videbam non defuturum quod scriberem.

quod scriberem non habebam. Relativum posui pro interrogativo pronomine et hic et in extremis verbis *non defuturum quod scriberem,* secutus veram observationem Wesenbergii Emend. p. 55. Contra Moseri disputatio Symb. Crit. VIII. p. 7 non mihi persuasit, ut pro *itaque* h. l. *atque* corrigendum putarem. Cicero, ut Atticum ad scribendum excitet, hoc utitur argumento: triduo nihil litterarum a te accepi; ergo nihil habeo quod scribam.

XVI. (*A. U. C.* 709.)

1. Nos, quum flumina et solitudinem sequeremur, quo facilius sustentare nos possemus, pedem e villa adhuc egressi non sumus; ita magnos et assiduos imbres habebamus. Illam Ἀκαδημικὴν σύνταξιν totam ad Varronem traduximus. Primo fuit Catuli, Luculli, Hortensii, deinde, quia παρὰ τὸ πρέπον videbatur, quod erat hominibus nota non illa quidem ἀπαιδευσία, sed in iis rebus ἀτριψία, simulac veni ad villam, eosdem illos sermones ad Catonem Brutumque transtuli. Ecce tuae litterae de Varrone. Nemini visa est aptior Ἀντιοχεία ratio; 2. sed tamen velim scribas ad me, primum placeatne tibi aliquid ad illum, deinde, si placebit, hocine potissimum. Quid Servilia? iamne venit? Brutus ecquid agit et quando? De Caesare quid auditur? Ego ad Nonas, quemadmodum dixi. Tu cum Pisone, si quid poteris.

§ 1. *Solitudinem* e Med. restitui pro plurali *solitudines.* Vid. ad XII. 23, 1.

quod erat — ἀτριψία d: quod in vulgus notum erat, Catulum, Lucullum, Hortensium, non illos quidem fuisse incultos et liberalis disciplinae expertes, sed tamen philosophiae rudes.

§ 2. *Ego ad Nonas* np. in Tusculano futurus sum. vid. ep. 12, 4.

XVII. (*A. U. C.* 709).

v. Kal. exspectabam Roma aliquid, † non imperassem. Igitur aliquid tuis. Nunc eadem illa, quid Brutus cogitet, aut si aliquid egit, et quid a Caesare, Sed quid ista, quae minus curo? Attica nostra quid agat scire cupio: etsi tuae litterae — sed iam nimis veteres sunt — recte sperare iubent, tamen exspecto recens aliquid.

V. Kal. exspectabam Roma aliquid, † *non imperassem. Igitur aliquid tuis. Nunc eadem illa.* Locus desperatus, quem non sanavit Lambinus, ut visum Wesenbergio, qui eius correctionem accepit: — *non quo imperassem tuis* (ut ad eum diem aliquid litterarum a te mihi referrent). *Igitur* (quoniam nihil venit) *nunc eadem illa.* Neque probo, quod Kl. edidit: *non quo imperassem ego aliquid tuis.* Saltem aliquo modo scriptori indicandum erat se *frustra* exspectasse. Hoc quoque molestum, quod in paucis versibus quater redit *aliquid.* Varia temptavi, sed nihil inveni, quod mihi satisfaceret.

aut, si aliquid egit, et quid a Caesare. Haec quoque vitiosa. Fortasse scribendum: *aut, si aliquid egit, quid egerit, et, quid a Caesare* sc. audiatur. In extrema epistola distinctionem mutavi.

XVIII. (*A. U. C.* 709.)

Vides propinquitas quid habeat. Nos vero conficiamus hortos. Colloqui videbamur, in Tusculano quum essem; tanta erat crebritas litterarum; sed id quidem iam erit. Ego interea admonitu tuo perfeci sane argutulos libros ad Varronem; sed tamen exspecto quid ad ea, quae scripsi ad te, primum qui intellexeris eum desiderare a me, quum ipse homo **πολυγραφώτατος** nunquam me lacessisset, deinde quem **ζηλοτυπεῖν,** nisi forte Brutum, quem si non **ζηλοτυπεῖ,** multo Hortensium minus aut eos, qui de re publica loquuntur. Plane hoc mihi explices velim, imprimis maneasne in sententia ut mittam ad eum, quae scripsi, an nihil necesse putes. Sed haec coram.

conficiamus hortos, sc. Scapulanos (ep. 12, 4), ut prope te esse possim. cf. XII. 37, 2. Melius autem haec procedunt, si transponas: *Nos vero conficiamus hortos. Vides* (enim) *propinquitas quid habeat. Colloqui* cet. Idem in mentem venit Wesenbergio. Cf. Emend. alt. p. 131.

exspecto quid ad ea. Scriptum malim: *exspecto aliquid* cet. Paulo ante *argutulos libros* appellat Academica propter subtiles quaestiones de philosophia.

quae scripsi ad te ep. 13, 1.

XIX. (*A. U. C.* 709.)

1. Commodum discesserat Hilarus librarius iv. Kal., cui dederam litteras ad te, quum venit tabellarius cum tuis litteris pridie datis, in quibus illud mihi gratissimum fuit, quod Attica nostra rogat te, ne

tristis sis, quodque tu ἀκίνδυνα esse scribis. 2. Ligarianam, ut video, praeclare auctoritas tua commendavit; scripsit enim ad me Balbus et Oppius mirifice se probare ob eamque causam ad Caesarem eam se oratiunculam misisse: hoc igitur idem tu mihi antea scripseras. 3. In Varrone ista causa me non moveret, ne viderer φιλένδοξος — sic enim constitueram, neminem includere in dialogos eorum, qui viverent —, sed quia scribis et desiderari a Varrone et magni illum aestimare, eos confeci et absolvi nescio quam bene, sed ita accurate, ut nihil posset supra, Academicam omnem quaestionem libris quattuor. In eis, quae erant contra ἀκαταληψίαν praeclare collecta ab Antiocho, Varroni dedi; ad ea ipse respondeo, tu es tertius in sermone nostro. Si Cottam et Varronem fecissem inter se disputantes, ut a te proximis litteris admoneor, meum κωφὸν πρόσωπον esset. 4. Hoc in antiquis personis suaviter fit, ut et Heraclides in multis et nos (in) sex de Re publica libris fecimus. Sunt etiam de Oratore nostri tres, mihi vehementer probati: in eis quoque eae personae sunt, ut mihi tacendum fuerit. Crassus enim loquitur, (Scaevola), Antonius, Catulus senex, C. Iulius, frater Catuli, Cotta, Sulpicius; puero me hic sermo inducitur, ut nullae esse possent partes meae. Quae autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent, in quo sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. Ita confeci quinque libros

§ 1. *Hilarus librarius* temere apud W. in *libertum* transiit. Nam unde scit sermonem esse de Ciceronis illo liberto, de quo scripsit I. 12, 2? nonne Atticus inter suos librarios Hilarum aliquem habere potuit?

§ 2. *Ligarianam — commendavit.* cf. ep. 12, 2.

scripsit — Balbus et Oppius. Duo postrema vocabula addita censeo ab aliquo, qui meminerat haec duo nomina plerumque coniungi. Vid. quae citavi ad XI. 6, 2. Si utriusque epistolam accepisset, scripsisset potius: *Scripserunt — B. et O.* vel: *Balbus enim ad me scripsit et Oppius.* Neque illud probabile est, ab utroque Ligarianae exemplum ad Caesarem missum esse.

§ 3. *Cottam.* C. Cottam, qui in libris de nat. deorum loquens inducitur, ubi adversus Balbum Academicam rationem defendit.

§ 4. *sermo inducitur.* Verbum ductum a scaena, ut in alio loco Cic. Off. III. 38. *Hinc ille Gyges inducitur a Platone.* Nos dicimus *wordt opgevoerd.* Paulo ante *Scaevola* de Wesenbergii coni. personis dialogi de Oratore additus est. cf. de Or. I. 24.

Ἀριστοτέλειον *morem habent.* De hoc loco, qui pugnare videtur eum iis, quae leguntur in epist. ad Lentulum, Fam. I. 9, 23, multi disputarunt, quorum sententias breviter recensuit et exploravit G. Thomas in diss. de Aristotelis ἐξωτερικοῖς λόγοις deque Ciceronis Arist. more, edita Goett. 1860, p. 63 seqq. Cf. disp, I. Bernaysii quae inscribitur: die Dialoge des Arist. in ihrem Verhaltniss zu seinen übrigen Werken, Berol. 1863. Ego sic censeo, Aristotelem in dialogis non solitum fuisse ipsum loqui, sed post alios postremo loco induxisse aliquem, qui ipsius sententiam explicaret. Atque hoc est, quod Cicero nunc vocat *penes ipsum fuisse principatum.*

περὶ τελῶν. Indicantur libri de finibus bonorum et malorum. Chrysippi et Hecatonis libri περὶ τελῶν citantur a Diogene Laert. VII. 85 et 87, etsi iidem VII. 91 et 102 περὶ τέλους inscripti fuisse traduntur.

περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni darem. Ἀζηλοτύπητον id fore putaram, quod omnes illi decesserant. 5. Haec Academica, ut scis, cum Catulo, Lucullo, Hortensio contuleram. Sane in personas non cadebant; erant enim λογικώτερα, quam ut illi de iis somniasse unquam viderentur. Itaque, ut legi tuas de Varrone, tamquam ἑρμαῖον arripui: aptius esse nihil potuit ad id philosophiae genus, quo ille maxime mihi delectari videtur, easque partes *** ut non sim consecutus ut superior mea causa videatur; sunt enim vehementer πιθανὰ Antiochia, quae diligenter a me expressa acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum, si modo is est aliquis in nobis. Sed tu dandosne putes hos libros Varroni etiam atque etiam videbis: mihi quaedam occurrunt, sed ea coram.

§ 5. *Haec Academica* cet. Placet Lambini suspicio legentis: *Haec Ac., quae, ut scis, cum C. L. H. contuleram, sane in personas non cadebant.* Quum autem dicat se Academica cum Catulo ceterisque *contulisse*, indicat sermoni ille se quoque interfuisse, quod constat ex illius recensionis libro secundo, qui superest.

aptius esse nihil potuit np. quam illud tuum inventum, quam Varronis persona.

easque partes non recte iungi cum verbis *ad id phil. genus* manifestum est, nihilque iuvat si cum Bosio et Ernesto scribitur *measque partes.* Verissime W. Emend. alt. p. 131 „excidit aliquid, quo *eas partes* regebatur, ut *ego mihi sumpsi.* — *ego* necessarium est, quo Cicero se ipse Varroni opponat."

si modo is est aliquis in nobis. Modestiae formula, quales e Ciceronis scriptis collegit Beierus ad Off. I. p. 307.

mihi quaedam occurrunt ɔ: quaedam in mentem veniunt, quare dubitem. Vid. ep. 22, 3. 23, 2. Haec eadem repetuntur ep. 22, 1. De hoc usu verbi *occurrendi* vid. Kuehner. ad Tusc. I. 49. cf. Mil. 25. Fin. I. 19. IV. 43. Si dativus abesset, *quaedam occurrunt* posset explicari: quaedam obstant, adversantur, ut *occurrit illud* et *quid occurrat* recte interpretantur in Mil. 41 et Fin. II. 108.

XX. (*A. U. C.* 709.)

1. A Caesare litteras accepi consolatorias, datas pridie Kal. Mai. Hispali. De urbe augenda quid sit promulgatum non intellexi; id scire sane velim. Torquato nostra officia grata esse facile patior eaque augere non desinam. 2. Ad Ligarianam de uxore Tuberonis et pri-

§ 1. *litteras — consolatorias* de Tulliae obitu.

De urbe augenda. Cf. ad ep. 33, 4, quae ante hanc scripta est.

Torquato cet. Cf. ep. 9, 1 et 21, 2.

§ 2. *Ad Ligarianam.* Non assentior Orellio et Hofmanno p. 45 haec in marg. Crat. e glossemate pervenisse. Atticus, qui aliqua in Ligarianam addita volebat, sane quidem his verbis omissis Ciceronem intellexisset; sed quid prohibebat hunc, quominus tamen adderet? Si omittuntur, deinde scribi debet *oratio est enim pervulgata.* Neque insolentior constructio *addere ad aliquid* nos offendere debet. Liviana exempla collegit Drakenb. ad III. 11, 6. Caesar quoque B. C. III. 49. scripsit: *hunc laborem ad quotidiana opera*

vigna neque possum iam addere — est enim pervulgata —, neque Tuberonem volo offendere; mirifice est enim φιλαίτιος. Theatrum quidem sane bellum † habuisti. 3. Ego, etsi hoc loco facillime sustentor, tamen te videre cupio; itaque, ut constitui, adero. Fratrem credo a te esse conventum; scire igitur studeo quid egeris. 4. De fama nihil sane laboro, etsi scripseram ad te tunc stulte »nihil melius"; curandum enim non est. Atqui hoc, »in omni vita sua quemque a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere", viden quam φιλοσόφως? an tu nos frustra existimas haec in manibus habere? Δεδῆχθαι te (eo) nollem, quod nihil erat; redeo enim rursus eodem: quicquamne me putas curare in † toto, nisi ut ei ne desim? Id ago

addebant. Neque ipsius Tullii auctoritas deest, qui Fam. XV. 20, 2 scribit: *ad amorem meum aliquantum — addidisti.*

de uxore Tuberonis et privigna nihil constat. Nam fallitur Scholiasta Gron. ad Ligar. 1 narrans Q. Tuberonem uxorem habuisse Ciceronis sororem. Huius pater L. Tubero erat Tullii adfinis. vid. ibid. 21. Gronovius autem acute coniecit Tuberonem ad accusandum Ligarium ab his mulieribus instigatum fuisse; quod ita in oratione dici poterat, ut Tuberonis culpa augeretur.

offendere. Codd. vitiose *defendere.* Correxit Schuetzius.

† *habuisti.* Vitium est in terminatione verbi. Non placet coni. Orelli: *habui. St!* Malim: *habuissem,* np. si ista prius cognovissem. Iungo enim haec cum iis, quae praecedunt. Si cum I. F. Gronovio inde diiungis, non opus est correctione, sed nullam probabilem verborum interpretationem adferre possumus. Peerlkampius pro *habuisti* scripsit *habui isto die.*

§ 4. *De fama nihil sane laboro* ɔ: non curo quid de me loquantur homines, quorum iudicia contemno. Quae sequuntur: *nihil melius* (sc. fama) et *in omni vita — discedere* ipsius Ciceronis sunt, illud e quadam ad Atticum epistola, hoc fortasse ex opere de Repb. repetitum, quos libros adamabat atque *in manibus habebat.* Quum autem sententiae illae plane contrariae sint, a Bosio recepi *Atqui hoc,* libris scriptis *Atque hoc* tenentibus.

transversum unguem ɔ: minimum spatium. Proverbii vim obtinuisse videmus e Cic. Fam. VII. 25, 2. Pro eo Acad. II. 58 rursus cum negatione dicit: *non licet transversum digitum discedere.* Quibus locis quum sine ulla varietate scriptum sit *transversum,* idem h. l. rescripsi. In Med. a prima manu erat *traversum.*

Δεδῆχθαι te (eo) nollem, quod nihil erat. Videntur nonnulli de Ciceronis reditu in gratiam cum Caesare male locuti esse. Id Atticus aegre tulerat. At Cicero negat hoc ei molestum esse debere, quum ipse illos sermones hominumque de se iudicia contemnat. *eo* addidi cum W.

in toto. Falluntur, qui hoc explicant *re ipsa* vel *omnino,* quod posterioris aevi scriptoribus relinquendum est. Cicero neque *in toto,* neque *in totum* ita posuit. vid. Hand. Turs. III. p. 277 et 331. Gronovius defendi posse putabat, si cogitatione adderetur *negotio;* agi enim de causa aliqua a Cicerone patrono suscipienda, in qua opinione etiam Orellium fuisse hoc docet, quod *in foro* emendari volebat. Sed profecto hoc tempore Atticus amicum non in forum vocasset, nec Tullius vocatus venisset. Non feliciter in his versatus est Kochius (Mus. Rhen. XII. p. 279) pro *in toto* scribens *iuventutem.* Mihi magis placet Lambini correctio *in vita,* quae optimam praebet sententiam.

nisi ut ei ne desim. Ei Corradus trahit ad Q. fratrem vel filium, et sibi adsentientem invenit Klotzium, qui pro *in toto* scripsit *in Quinto,* Manutius ad *famam.* Neutrum placet, neque probo Ernestum *cui* corrigentem. Optime Wielandus V. p. 483 *nisi ut mihi ne desim* legendum docet.

ut iudicia videar tenere. Male haec ita explicari ut *iudicia tenere* sit *in foro regnare,*

scilicet, ut iudicia videar tenere; μὴ γὰρ αὐτοῖς. Vellem tam domestica ferre possem quam ista contemnere. Putas autem me voluisse aliquid, quod † perfectum non sit? Non licet scilicet sententiam suam, sed tamen quae tum acta sunt, non possum non probare, et tamen non curare pulchre possum, sicuti facio. Sed nimium multa de nugis.

quae sequuntur perspicue docent. Immo *iudicia* sunt, quae homines de ipso iudicabant. Sed hominum *iudicia tenere* nihil est. Scribe: *ut iudicia videar timere.*

μὴ γὰρ αὐτοῖς. Sententia horum obscura manebit, donec apparuerit unde desumpta sint. Peerlk. volebat: *Male* γὰρ αὐτοῖς.

quod perfectum non sit. Voc. *perfectum* conflatum puto ex *per se rectum.* Multa enim voluit Cicero, quae perfecta non sunt.

sententiam suam. Non posse ommitti *mutare*, in quo vis sententiae inest, et cui *non probare* et *non curare* respondent, bene vidit W., qui post *suam* addidit *mutare.* Sed Cicero potuit etiam scribere *sententiam mutare,* omisso *suam,* ut fecit p. Mur. 61 *sapientem — sententiam mutare nunquam.*

XXI. (*A. U. C.* 709.)

1. Ad Hirtium dederam epistolam sane grandem, quam scripseram proxime in Tusculano: huic, quam tu mihi misisti, rescribam alias; nunc alia malo. 2. Quid possum de Torquato, nisi aliquid a Dolabella? quod simulac, continuo scietis. Exspectabam hodie aut summum cras ab eo tabellarios, qui simulac venerint, mittentur ad te. A Quinto exspecto; proficiscens enim e Tusculano IIX. Kal., ut scis, misi ad eum tabellarios. 3. Nunc ad rem ut redeam, i n h i b e r e

§ 1. *tu mihi.* Ex ed. Ro. principe recepi. Codices dant *tum mihi* idque plures ediderunt. Sed non est quo *tum* referri possit.

nunc alia malo. Ita e cod. notatum in margine Lambinianae a. 1584. Male in Med. *alias* scriptum est, pro quo editores *aliis* reposuerunt. Sed illud praestat.

§ 2. *de Torquato* ɔ: facere pro Torquato. Cf. de hac re ep. 9, 1.

quod simulac, continuo scietis. Dura ellipsis verbi. Suspicor Ciceronem scripsisse: *Quod simul atque obtinuero, scies.* Nam plurali *scietis* vix locus est.

aut summum. Sic Cicero, non *ad summum.* Vid. XII. 44, 3. Fam. V. 21, 1. XIV. 3, 5. Garatonius ad Milon. c. 5. Handii Turs. I. p. 132 sq.

IIX. Kal. Schuetzius ex ep. 10, 5 corr. h. l. *XI Kal.* Sed, ut recte monuit Orellius, Cicero potuit diem profectionis mutare, vel in illo loco vitium inesse potest.

§ 3. *ad rem ut redeam.* Nihil de hac re praecedit. Itaque non video, quomodo hoc stare possit. Intelligerem sic scripta: *ad rem ut veniam.*

inhibere. Hic locus provocavit doctam disputationem I. F. Gronovii Observ. IV. 26, qui docuit aliud esse *inhibere remos*, aliud *inhibere remis.* Illud valet sustinere navem, ἐπέχειν, hoc vero respondet Gr. κρούεσθαι πρύμναν, quod remiges faciunt, quum navem reducunt prora litori vel in pugna navali hostibus adversa. Ignoratione sermonis nautici erraverat Atticus quum Ciceroni suaserat ut in Academicorum prima recensione, (nunc II. 29, 94) non *equos sustinebo* scriberet, ut scripserat, sed *inhibebo.* Cicero probaverat correctionem, sed meliora edoc-

illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet; est enim verbum totum nauticum. Quamquam id quidem sciebam, sed arbitrabar sustineri remos, quum inhibere essent remiges iussi: id non esse eiusmodi didici heri, quum ad villam nostram navis appelleretur; non enim sustinent, sed alio modo remigant. Id ab ἐποχῇ remotissimum est. Quare facies ut ita sit in libro quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni, si forte mutavit. Nec est melius quicquam, quam ut Lucilius: »*Sustineat currum, ut bonu' saepe agitator, equosque,*" semperque Carneades προβολὴν pugilis et retentionem aurigae similem facit ἐποχῇ: inhibitio autem remigum motum habet et vehementiorem quidem remigationis navem convertentis ad puppim. Vides quanto hoc diligentius curem quam aut de rumore aut de Polione, de Pansa etiam, si quid certius — credo enim palam factum esse —, de Critonio, si quid † esset certe ne de Metello et Balbino. 4. Dic

tus errorem nunc tolli iubet, oblitus eundem irrepsisse in librum I de Orat. 153, ubi cf. adnot. Ellendtii. Hac autem disputatione de recto verbi usu eleganter usus est Iac. Wallius in praef. ad lectorem carminum suorum p. 16 edit. Antv. a. 1699.

quum ad villam nostram navis appelleretur. Hoc non potuit scribi in Arpinati, sed Asturae scriptum videtur, quo Cicero a. d. VIII. Kal. Sext. venit. cf. XIII. 34. Schiche op. l. p. 615 huius epistolae §§ tres priores retulit ad a. d. IV Kal. Sext., § 4—7 ad Kal. Quint. aut posterum diem.

Varroni. Nihil obstat quominus codd. lectionem retineamus. Nam prior Academicorum recensio potuit sane in Varronis manus venisse. Temere Schuetzius malebat *Marioni* e Fam. XVI. 1.

si forte mutavit. Cave ne in cod. Med. aliisque eiusdem familiae, qui habent *varro nisi*, geminandas censeas litteras *ni*. Sententia est: Dices hoc Varroni, ut mendum in suo exemplo corrigat, si forte a te admonitus mutavit, quod recte scripseram.

ut Lucilius. Recte Malaspina vulgatum *Lucullus* sic correxit. Nam quae leguntur Academicorum l. l.: *Ego enim, ut agitator callidus, priusquam ad finem veniam equos sustinebo eoque magis si locus is, quo ferentur equi, praeceps erit* non sunt Luculli, verum ipsius Ciceronis, et qui additur versus hexameter sine dubio est Lucilii, cuius auctoritate Cicero nunc evincit, se recte illa scripsisse. Cf. A. B. Krische, über Cicero's Akademika p. 14 seqq. Itaque supplementum Moseri, qui Symb. Crit. VI. p. 4 propter nominis similitudinem post verba *quam ut Lucullus* excidisse putat, *ut loquitur Lucilius* admitti non potest. Eundem vero Lucilii versum respexit Cicero, quum in Laelio 63 scriberet: *Est igitur prudentis sustinere, ut currum, impetum benevolentiae.*

προβολήν pugilis. προβάλλεσθαι et προβολή usurpantur de pugilibus, qui brachia praetendunt, ut plagas adversarii a capite et pectore avertant. vid. Ernestus in Ind. Gr., intt. ad Harpocr. v. προβαλλομένους extr. et ad Dem. Phil. I. 40. Male Bakius in Mnemos. VI p. 431 *pugili* scribi iussit. Nam gen. *pugilis* pendet a προβολήν, ut gen. *aurigae* a *retentionem*, non ab adi. *similem.*

de rumore ɔ: de fama, quam non curare se scripsit ep. super. § 4.

aut de Polione. Ignoramus quid de C. Asinio Polione, qui tunc cum Caesare in Hispania erat, illo tempore narratum sit.

de Pansa etiam cet. Non bene haec procedunt. Hoc satis constat Ciceronem ad ea, quae nihil curare se simulat, elicere Attici responsum. Totum locum superioribus adiungerem ita correctum: — *aut de Pansa etiam si quid certius — credo enim palam factum esse — de Critonio, si quid est certi, certe de Metello et Balbino.* Non longe aliter W. Emend. alt. p. 132.

§ 4. *primum.* Non sequitur *deinde* vel *tum*, sed mutata oratione rogat: *Quid illud?*

mihi, placetne tibi primum edere iniussu meo? Hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is, qui Platonis libros solitus est divulgare, ex quo *λόγοισιν Ἑρμόδωρος*. Quid illud? rectumne existimas cuiquam ante quam Bruto? cui te auctore *προςφωνῶ*? scripsit enim Balbus ad me se a te quintum de Finibus librum descripsisse, in quo non sane multa mutavi, sed tamen quaedam; tu autem commode feceris si reliquos continueris, ne et *ἀδιόρθωτα* habeat Balbus et *ἕωλα* Brutus. Sed haec hactenus, ne videar *περὶ μικρὰ σπουδάζειν*, etsi nunc quidem maxima mihi sunt haec; quid est enim aliud? Varroni quidem, quae scripsi te auctore ita propero mittere, ut iam Romam miserim describenda. Ea si voles, statim habebis; scripsi enim ad librarios ut fieret tuis, si tu velles, describendi potestas. Ea vero continebis, quoad ipse te videam, quod diligentissime facere soles, quum a me tibi dictum est; quomodo autem fugit me tibi dicere? 5. Mirifice Caerellia studio videlicet philosophiae flagrans describit a tuis; istos ipsos de Finibus habet; ego autem tibi confirmo — possum falli ut homo — a meis eam non habere; nunquam enim ab oculis meis afuerunt; tantum porro aberat ut binos scriberent, vix singulos con-

λόγοισιν Ἑρμόδωρος sc. *ἐμπορεύεται*. Proverbium explicant Zenobius Cent. V. 6, et Suidas in v. Hermodorus Platonis auditor libros magistri in Siciliam portasse ibique vendidisse narratur. Vid. Index Academicorum philosophorum Herculanensis editus Gryphiswaldiae a Fr. Buechelero, p. VI et cf. docta adnot. L. C. Valckenaerii de verbis *ἐμπορεύεσθαι* et *καπηλεύειν* in Hemsterh. et Valck. orationibus p. 408 seqq. vel Opusc. vol. II. p. 319 seqq.

Bruto — *προςφωνῶ*, in libris de Finibus.

continueris et paullo post *continebis* dicitur de libris iam descriptis non vulgandis, ut Plinii Ep. I. 8, 3 *erit enim et post emendationem liberum nobis vel publicare vel continere.*

ἀδιόρθωτα — *ἕωλα*. Ipse interpretatur in proximis litteris *incohatum* et *obsoletum*, quamvis illud non plane adiectivo Graeco conveniat, quod indicat *non correctum.*

quid est enim aliud? „Tacite flagellat Caesarem, per quem viris ad res gerendas natis nihil gerere concedebatur." Gronovius.

quomodo autem fugit me tibi dicere? In Mediceo recte scriptum defendit Wesenbergius Emend. p. 80, idemque infelicem Orellii coni. *commodum* ex usu Tulliano redarguit. Non minus falsa sunt *quum* et *quod*, ut Mureto et Bosio pro *quomodo* scribi placebat.

§ 5. *Mirifice* coniungendum est cum part. *flagrans.*

Caerellia saepius in his epistolis memoratur, affertque Quintilianus I. O. VI. 3, 112 locum ex Ciceronis ad eam epistola. Fuit Ciceronis necessaria, ut ipse appellat Fam. XIII. 72, sed etsi fuerint eius ad Caerelliam epistolae petulantiores, ut ex Ausonii quodam loco non temere Schuetzius effecit, Cassii tamen Dionis commento XLVI. 18 nihil tribuo, qui eam *ἑβδομηκοντοῦτιν* a Cicerone amatam tradit. Quod de Caerellia legimus infra XIV. 19, 4, longe aliter de illa consuetudine statuendum esse ostendit. Cf. G. Boissier, Cicéron et ses amis p. 117 sq.

afuerunt sc. librarii, quum eos libros describerent.

tantum p. aberat ut binos scriberent, vix singulos confecerunt. Similis constructionis exemplum est in Bruto, 278 *Tantum abfuit ut inflammares nostros animos, somnum isto loco vix tenebamus.* Atque, quum alterum membrum affirmationem contineret, scripsit

fecerunt. Tuorum tamen ego nullum delictum arbitror, itemque te volo existimare; a me enim praetermissum est, ut dicerem me eos exire nondum velle. Hui, quam diu de nugis! de re enim nihil habeo quod loquar. 6. De Dolabella tibi assentior. Coheredes, ut scribis, in Tusculano. De Caesaris adventu scripsit ad me Balbus non ante Kal. [Sextiles]. De Attica optime, quod levius ac levius et quod fert **εὐκόλως**. 7. Quod autem de illa nostra cogitatione scribis, in qua nihil tibi cedo, ea, quae novi, valde probo, hominem, domum, facultates; quod caput est, ipsum non novi, sed audio laudabilia de Scrofa, etiam (quod) proxime accidit. Si quid hoc ad rem, **εὐγενέστερος** est etiam quam pater. Coram igitur et quidem propenso animo ad probandum; accedit enim, quod patrem, ut scire te puto, plus etiam quam non modo tu, sed quam ipse scit, amo idque et merito et iam diu.

Fin. V. 57 *tantum abest ut voluptates consectentur, etiam curas — perferunt.*

§ 6. *De Dolabella tibi assentior*, fortasse ad eum esse mittendum aliquem librum. Ad verba: *Coheredes — in Tusculano* cf. ep. 14, 1.

non ante Kal. [*Sext.*] Ultimum voc. librario debetur. vid. Madv. Op. Ac. I. p. 164.

quod levius ac levius ɔ: quod in dies levius temptatur febri. Cf. *magis magisque, minus et minus*. Perperam in Med. est *levius ac lenius*. Z. a Lambino laudatus verum servarat.

§ 7. Fortasse agitur de despondenda Attica adolescenti cuidam nobili, quem nec Talnam fuisse pro certo habeo, de quo scripserat ep. 28, 4, nec M. Vipsanium Agrippam, cui Attica postea nupsit. Corn. Nep. Att. 19. Hunc enim Tacitus Ann. I. 3 *ignobilem loco* appellat. Ne certum quidem est hic agi de Attica.

Hominem. Schuetzius scripsit *nomen*, quia Cicero non potuisset scribere *novi hominem* et *ipsum non novi;* tum *nomen* interpretatur *gentem*, et potuisset laudare in hanc rem Cic. Fam. III. 7, 5 *ista vestra nomina nunquam sum admiratus* et p. Planc. 18 *qui nominibus vestris ducuntur*. Sed obstant huic coniecturae duo; primum quod scribae *homines* et *nomina* non permutare solent in casibus rectis, tum quod generis nobilitas indicatur sequenti *domum*. Retineo *hominem*, idque ad figuram et faciem refero. Cicero viderat hominem et probabat, sed ingenium et mores non cognoverat nisi ex aliorum testimoniis.

Sed audio laudabilia de Scrofa cet. In his scribendis sequor Wesenbergium. cf. Emend. alt. p. 132. *Audire de aliquo* non minus Tullianum esse quam *ab* vel *ex aliquo*, docere nihil attinet, postquam lexicographi exempla collegerunt, et Handius Turs. II. p. 191. *Scrofa* sine dubio est idem ille Cn. Tremellius Scrofa, Attici familiaris, qui nominatur V. 4, 2. VI. 1, 13. VII. 1, 3. Filius, quem nominat Orellius in Onomastico, natus est e prava interpretatione huius loci, itaque demonstrari non potest.

εὐγεν. — *quam pater* sc. materno genere.

XXII. (*A. U. C.* 709.)

1. De Varrone non sine causa quid tibi placeat tam diligenter exquiro. Occurrunt mihi quaedam, sed ea coram; te autem **ἀσμεναίτατα** intexui, faciamque id crebrius; proximis enim tuis litteris primum te

ἀσμεναίτατα, ut est in M[1], an *ἀσμενέστατα*, ut in margine correctum est, scripseritne Cicero incertum est. Eadem varietas invenitur in Plat. de rep. I. p. 329 C.

id non nolle cognovi. 2. De Marcello scripserat ad me Cassius antea, τὰ κατὰ μέρος Servius. O rem acerbam! Ad prima redeo. 3. Scripta nostra nusquam malo esse quam apud te, sed ea tum foras dari, quum utrique nostrum videtur. Ego et librarios tuos culpa libero neque te accuso, et tamen aliud quiddam ad te scripseram, Caerelliam quaedam habere, (quae nisi a te habere) non potuerit. Balbo quidem intelligebam satisfaciendum fuisse, tantum nolebam aut obsoletum Bruto aut Balbo incohatum dari. Varroni, simulac te videro, si tibi videbitur, mittam; quid autem dubitarim, quum videro te, scies. 4. Attributos quod appellas valde probo. Te de praedio Oviae exerceri moleste fero. De Bruto nostro, perodiosum, sed vita fert; mulieres autem vix satis humanae, quae inimico animo ferant, quum utraque officio pareat. Tullium scribam nihil fuit quod appellares; nam tibi mandassem, si fuisset; nihil enim est apud eum positum nomine voti, sed est quiddam apud illum meum: id ego in hanc rem statui conferre. Itaque et ego recte tibi dixi ubi esset et tibi ille recte negavit. Sed hoc quoque ipsum continuo adoriamur. Lucum hominibus non sane probo, quod est desertior, sed habet εὐλογίαν; verum hoc quoque, ut censueris, quippe qui omnia. Ego, ut constitui, adero; atque utinam tu quoque eodem die! sin quid — multa enim — utique postri-

§ 2. *De Marcello.* Vid. ad. ep. 10, 1 h. l.

Ad prima redeo. Ciceronis fuisse puto: *ad priora redeo* aut *ad privata redeo.* Utrumvis praestat certe scripturae traditae.

§ 3. *et tamen aliud quiddam ad te scripseram* ɔ: et tamen superioribus litteris ita scripseram, quasi culpam in te conferrem, qua librarios tuos liberabam. vid. ep. sup. § 5. Verba *quae nisi a te habere* ad sententiam necessaria, a Medicci scriptore ab uno *habere* ad alterum aberrante omissa, in uno Oxon. et in ed. Iensoniana recte addita sunt.

incohatum ɔ: non absolutum. cf. Off. I. 153: *contemplatio naturae manca et incohata.*

§ 4. *Attributos quod appellas valde probo* ɔ: quod eos, qui mihi debent, de solvendo admones recte agis. De *attribuendo* in hac re dixi ad ep. 2, 1 h. l.

de praedio Oviae. Codd. habent *aviae,* quod ut ineptum in *Oviae* mutavit Schuetzius. Videtur hoc pertinere ad idem negotium, cuius mentio fit in epist. 21, 4. 24, 1 et 30, 2 lib. XII.

De Bruto cet. Domesticae rixae videntur ortae fuisse inter *mulieres,* Serviliam Bruti matrem et Porciam, eius uxorem, quamvis utraque in officio esset et honeste se gereret. Non opus est Orelli suspicione: *Cum in utraque officio pareat* (Brutus).

sed vita fert ɔ: sed ea conditione vivimus. *Vitam* eodem modo posuit Horatius Sat. I. 9, 59. *Nil sine magno vita labore dedit mortalibus.* Quod W. edidit de coni., *sed vita ita fert,* non necessarium puto. Nostrates quoque dicunt: *de loop der dingen brengt het mede.*

Tullium scribam. Idem nominatur V. 4, 1. Fam. V. 20, 1.

nomine voti ɔ: destinatum ad fanum. cf. XII. 18, 1. Recte opinor, W. transposuit *voti nomine,* quum in eiusmodi formulis genetivus priorem locum tenere soleat.

sed — adoriamur ɔ: sed huic quoque pecuniae nolo parci, hanc etiam in fano consumamus.

Lucum hominibus non sane probo ɔ: lucum aptiorem credo diis, quam hominum memoriae consecrandae. Ευλογίαν mutare nolui, etsi arridebat Schuetzii suspicio scribendum esse εὐωνίαν. Non probo O. Ribbeckii coniecturam in versu seq.: *sin — quid enim*

die. Etenim coheredes, a quibus sine te opprimi † militia est. 5. Alteris iam litteris nihil ad me de Attica; sed id quidem in optima spe pono. Illud accuso non te, sed illam, ne salutem quidem. At tu et illi et Piliae plurimam, nec me tamen irasci indicaris. Epistolam Caesaris misi, si minus legisses.

multa? — *utique postridie. Sin quid* elliptice dicitur pro: Sed si quid te impediet.

Etenim coheredes ɔ: coheredes in re Brinnii (cf. ep. 14, 1) eo die in Tusculano adfuturi sunt, ut Atticus ipse scripserat. cf. ep. 21, 6.

Militia est. Consentiunt codices in hac scriptura corrupta. Nam nunquam Cicero *militiam* posuit pro re molesta. Non magis placet *malitia,* quod in editis libris circumfertur, nec cum Klotzio *stultitia,* nec *molestum est,* quod volebat Kochius. Veterem coniecturam: *mi Tite, aestuo,* non commendo propter insolentem usum verbi *aestuo.* Requiro aliquid, quo dicat se destitutum consilio Attici a coheredibus falli posse. Id habebis si corriges mecum: — *male tuti est.* Cf. meae Obss. crit. p. 58.

§ 5. *Epistolam Caesaris.* Post Manutium omnes cogitant de illa epistola, qua Caesar consolatus est M. Tullium. Cf. ep. 20, 1. Sed Cicero certe sciebat Atticum nondum legisse illas litteras. Itaque haec scribere non potuit. Scripsisset potius: *Ep. Caes. misi tibi, ut legeres.* Ergo haec de alia Caesaris epistola accipienda videntur.

XXIII. (*A. U. C.* 709.)

1. Antemeridianis tuis litteris heri statim rescripsi, nunc respondeo vespertinis. Brutus mallem me arcesseret, nam et aequius erat, quum illi iter instaret et subitum et longum, et mehercule nunc, quum ita simus affecti, ut non possimus plane simul vivere — intelligis enim profecto in quo maxime posita sit συμβίωσις —, facile patiebar nos potius Romae una esse quam in Tusculano. 2. Libri ad Varronem non morabantur; sunt enim detexti, ut vidisti; tantum librariorum menda tolluntur. De quibus libris scis me dubitasse, sed tu videris. Item, quos Bruto mittimus, in manibus habent librarii. 3. Mea mandata, ut scribis, explica; quamquam ista retentione omnes ait uti Trebatius: quid tu istos putas? nosti domum; quare confice εὐαγώγως.

§ 1. *Brutus* cet. Brutus Caesari ex Hispania redeunti obviam iturus ante discessum Ciceronem in Tusculanum convenire volebat.

§ 2. *Sunt enim detexti* ɔ: absoluti. Quum in M. esset *deffecti,* Iensonus corr. *effecti,* idque plerique editores retinuerunt. Ego cum Lambino „e vestigiis veteris scripturae" feci *detexti.* Nam Cicero, ut scripsit, *texere epistolas* (Fam. IX. 21, 1) et *opus* ɔ: libros de rep. (Q. fr. III. 5, 1), sit *detexta* translate posuit de Or. II. 158 *ea* — *quibus ante exorsa et prope detexta potius retexuntur.* I. F. Gronovius corr. *affecti,* comparans Gellii N. A. III, 16, ubi affecta ea proprie dici legimus, quae non ad finem ipsum, sed proxime finem progressa deductave sunt.

§ 3. Debitores quidam Ciceronis non totam summam solvere volebant, sed uti beneficio legis Iuliae, cuius meminit Suetonius in Iul. 42. Negat Cicero se ista curare et amicum rogat, ut rem εὐαγώγως ɔ: quam commodissime possit, sive, ut in extrema epistola scribit, *bono modo* conficiat.

istos. „Homines tam attentos et nullius lucri negligentes." Gron.

nosti domum. Hinc colligunt nonnulli in-

Incredibile est quam ego ista non curem. Omni tibi asseveratione affirmo, quod mihi credas velim, mihi maiori offensioni esse quam delectationi possessiunculas meas; magis enim doleo me non habere cui tradam, quam habere qui utar (laetor). Atque illud Trebatius se tibi dixisse narrabat; tu autem veritus es fortasse, ne ego invitus audirem: fuit id quidem humanitatis, sed, mihi crede, iam ista non curo. Quare *da te in sermonem et perseca et confice*, et ita cum Polla loquere, ut te cum illo Scaeva loqui putes, ne existimes eos, qui non debita consectari soleant, quod debeatur remissuros: de die tantum videto, et id ipsum bono modo.

terpretes agi de mercede conductionis. Ego sic interpretor: Nosti ex qua domo isti sint; nosti quam nihil honesti exspectandum sit ab istiusmodi hominibus, vel, ut Gronovii verbis utar: „nosti omnem illam familiam."

εὐαγώγως. Ex eo, quod M. dat ΕΥΑΓΩC, hoc potius a Cicerone scriptum puto, quam *εὐλαβῶς*, *caute*, quod W. a Lambino accepit. cf. Muecke, de locis graecis cet. p. 11. Plato de rep. VI p. 486 D, usurpavit adi. *εὐάγωγον* de eo, qui facile se duci patitur.

habere qui utar ɔ: habere, unde laute vivam. *Laetor*, quod a Lamb., vel *gaudeo*, quod a Gronovio additur, ad sententiam plane necessarium est. Neque enim Cicero poterat scribere se *dolere* hoc.

Quare da te in sermonem cet. In his verbis constituendis ducem habui Wesenbergium Emend. p. 26, qui et senarios a Tunstallo et Nobbio inventos removit et aperto mendo (*Ne existimes* pro *noli existimare*) scriptorem liberavit. Sed illa *da te in sermonem et perseca et confice* ex aliqua fabula petita esse etiamnunc puto, idque diversa litterarum forma indicavi. Pro *perseca* Orellius frustra malebat *persece* ɔ: *persequere*. *Persecare* indicat nodum secando solvere recteque videtur usurpari, ubi agitur de re celeriter transigenda. *Polla* quae sit ignoratur. *Scaeva* potest esse centurio ille Caesarianus, quem ob insignem fortitudinem maximis praemiis Caesar olim ornaverat (Caes. B. C. III. 53), et qui ab eo tempore maiores spiritus sumpsisse videtur. Cf. ep. 10 lib. XIV. Sed potius tamen crediderim indicari hominem notum e comoedia, cuius verbis modo usus sit. Certe non est cogitandum de Trebatio Testa, quem Bosius deceptus corrupta scriptura in ep. IX. 15 A. etiam *Scaevolae* cognomen gessisse putabat.

quod debeatur remissuros ɔ: non esse usuros retentione lege Caesaris sibi quoque, ut putant, concessa.

bono modo ɔ: modice. Cf. Acad. II. 137, ubi additur: *tantum, quantum videbitur*, et ad Q. fr. II. 6, 3.

XXIV. (*A. U. C.* 709.)

Quid est quod Hermogenes mihi Clodius Andromenem sibi dixisse se Ciceronem vidisse Corcyrae? ego enim audita tibi putaram: nihil igitur ne ei quidem litterarum? an non vidit? Facies ergo ut sciam. Quid tibi ego de Varrone rescribam? Quattuor *διφθέραι* sunt in tua potestate; quod egeris, id probabo, nec tamen *αἰδέομαι Τρῶας* —

Hermogenes libertus ex Andromene servo vel liberto audisse se narraverat M. Ciceronem filium Corcyrae visum fuisse. Miratur pater, hoc si verum esset, filium Andromeni nihil litterarum fuisse daturum. Quid de ea re iudicare deberet, ex Attico quaerit. Atticus confirmavit Ciceronis suspicionem, ut apparet ex epist. 25, 1.

quid enim? — sed ipsi quam res illa probaretur magis verebar. Sed, quoniam tu suscipis, in alteram aurem.

Quattuor διφθέραι sunt IV libri s. volumina e membranis facta. cf. Herod. V. 58.

Nec tamen αἰδέομαι Τρῶας. *quid enim?* ͻ: nec tamen sermones hominum reformido; cur enim eos curem?

In alteram aurem. Proverbium de iis, qui securo animo sunt et tranquille dormiunt *in utramvis aurem dormire*, de quo vidd. intt. ad Ter. Heaut. II. 3, 101, Cicero ita immutavit, ut scribendo *in alteram aurem* significaret se non quidem plane, sed tamen satis securum esse Academica probaturum esse Varronem.

XXV. (*A. U. C.* 709.)

1. De retentione rescripsi ad tuas accurate scriptas litteras; conficies igitur, et quidem sine ulla dubitatione aut retrectatione: hoc fieri et oportet et opus est. De Andromene, ut scribis, ita putaram: scisses enim mihique dixisses. 2. Tu tamen ita mihi de Bruto scribis, ut de te nihil. Quando autem illum putas? nam ego Romam pridie Idus. Bruto ita volui scribere — sed quoniam tu te legisse scribis, fui fortasse ἀσαφέστερος — me ex tuis litteris intellexisse nolle eum me quasi prosequendi sui causa Romam nunc venire; sed quoniam iam adest meus adventus, fac quaeso, ne quid eum Idus impediant, quo minus suo commodo in Tusculano sit. Nec enim ad tabulam eum desideraturus eram — in tali enim negotio cur tu unus non satis es? — sed ad testamentum volebam, quod iam malo alio die, ne ob eam causam Romam venisse videar. Scripsi igitur ad Brutum iam illud, quod putassem, Idibus nihil opus esse; velim ergo totum hoc ita gubernes, ut ne minima quidem re ulla Bruti commodum impediamus. 3. Sed quid est tandem quod perhorrescas, quia tuo periculo iubeam libros dari Varroni? etiamnunc si dubitas, fac ut sciamus; nihil est enim illis elegantius. Volo Varronem, praesertim quum ille desideret, sed est, ut scis,

δεινὸς ἀνήρ· τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο.

Ita mihi saepe occurrit vultus eius querentis fortasse vel hoc, meas

§ 1. *De retentione rescripsi.* Vid. ep. 23, 3. *et oportet et opus est.* Vid. adn. ad IV. 6, 2. Graece προσήκει καὶ δεῖ.

§ 2. *Bruto ita volui* — Revocavi ordinem verborum, ut laudatur e cod. Z. et Malasp. *Ita* quod ad seqq. spectat recte post aliud vocabulum ponitur. Cf. Wesenberg Emend. p. 47.

ad tabulam, ut auctioni interesset hortorum. Cf. XII. 40, 4. XIII. 33, 4.

ad testamentum sc. obsignandum *volebam* Brutum adesse.

§ 3. *Volo Varronem* sc. compellare. cf. ad X. 16, 4.

si quando in Epirum veneris ͻ: si quando in otio libros illos legeris; nunc enim pro-

partes in iis libris copiosius defensas esse quam suas; quod mehercule non esse intelliges, si quando in Epirum veneris — nam nunc Alexionis epistolis cedimus —; sed tamen ego non despero probatum iri Varroni, et id, quoniam impensam fecimus in macrocolla, facile patior teneri, sed, etiam atque etiam dico, tuo periculo fiet. Quare, si addubitas, ad Brutum transeamus; est enim is quoque Antiochius. O Academiam volaticam et sui similem, modo huc, modo illuc. Sed, quaeso, epistola mea ad Varronem valdene tibi placuit? Male mihi sit, si unquam quicquam tam enitar. Ergo ne Tironi quidem dictavi, qui totas περιοχὰς persequi solet, sed Spintharo syllabatim.

curatoris tui Alexionis epistolae ita te occupant, ut haec legere non possis. De negotiis Epiroticis agitur quoque ep. ult. lib. XII.

macrocolla. Sunt chartae maioris formae. Cf. XVI. 3, 1 et Plinii H. N. XIII. 80. Rectius autem scribi *protocollum, macrocollum* et similia, quam *protocolum,* cet. demonstravit Salmasius ad Flav. Vopisc. p. 448. Nomen enim derivatur a glutine κόλλα, non a κῶλον, quo nomine nunquam *pagina* designatur.

id — teneri ɔ: consilium meum mittendi Academica Varroni. Seqq. melius quam vulgo fiebat distinxit Wesenbergius, Emend. p. 50.

volaticam ɔ: inconstantem. Cf. de har. resp. 46.

epistola mea ad Varronem. Legitur ea Fam. IX. 8 et praeponitur Academicis posterioribus.

Ergo ne Tironi quidem cet. *Ergo* e Z. M. verum puto, sed quae sequuntur *at ego* delevi, quae e glossa marginali *al.* (ɔ: alii) *ego* sane facile oriri potuerunt. Mureti coniecturam pro *tam enitar* (cf. XVI. 6, 2) scribentis *tam invita* sc. Minerva scripsi, sequentia satis repellunt. Quam epistolam Cicero diligentissime dictavit, eam certe non scripserat invita Minerva. Non minus autem displicet ἔργον nude positum, quam *at,* in ea scriptura loci, quam a Bosio e codice ficto prolatam, Graevius aliique probarunt.

syllabatim, ut pulcherrime et sine ullo vitio scriberetur.

XXVI. (*A. U. C.* 709.)

1. De Vergilii parte valde probo: sic ages igitur, et quidem id erit primum, proximum Clodiae; quodsi neutrum, metuo ne turbem et irruam in Drusum. Intemperans sum in eius rei cupiditate, quam nosti: itaque revolvor identidem in Tusculanum; quidvis enim potius, quam ut non hac aestate absolvatur. 2. Ego, ut tempus est nostrum, locum habeo nullum, ubi facilius esse possim quam Asturae; sed quia,

Haec epistola, in qua agitur de loco ad fanum quaerendo, de profectione sua et de epistola ad Caesarem, antequam Lanuvium profectus est, Asturae scripta fuit. A Schuetzio post epist. 41 libri XII est collocata, rectius a Schichio post ep. 44 eius libri.

§ 1. *De Vergilii parte valde probo.* cf. XII. 51, 2 et XIII. 33, 2. Vergilius ille erat unus ex heredibus Scapulanis, cuius partem in sectione bonorum Atticus emendam putabat. De scriptura nominis dicam ad XIII. 33.

ne turbem. Cf. II. 17, 1.

§ 2. *ubi facilius esse possim* ɔ: libentius. Cf. ad XII. 34, 1.

Lanuvio conor equidem in T. In M. est

qui mecum sunt — credo quod maestitiam meam non ferunt —, domum properant, etsi poteram remanere, tamen, ut scripsi tibi, proficiscar hinc, ne relictus videar. Quo autem? Lanuvio conor equidem in Tusculanum, sed faciam te statim certiorem. Tu litteras conficies. Equidem credibile non est quantum scribam, qui etiam noctibus; nihil enim somni. Heri etiam effeci epistolam ad Caesarem; tibi enim placebat: quam non fuit malum scribi, si forte opus esse putares; ut quidem nunc est, nihil sane est necesse mittere. Sed id quidem, ut tibi videbitur. Mittam tamen ad te exemplum fortasse Lanuvio, nisi forte Romam, sed cras scies.

lanio, in Helmst. aliisque *Lanuvio,* quod Malaspina male in *Lanuvium* mutavit. Cicero enim Astura in Tusculanum aut Romam profecturus constituerat unum diem Lanuvii manere. cf. XII. 41, 1. 43, 1. 44, 3. Itaque inepta est quaestio: *quo? Lanuvium?* et languet post interrogationem *Quo autem?* responsi loco: *Lanuvium.* cf. Schiche l. l. p. 590.

equidem credibile non est quantum scribam, qui etiam noctibus. Nimis patienter editores post *scribam* propagarunt v. *die,* quod non e codice depromptum est. Cicero scripsisset saltem *diebus.* Quod mox in Med. erat *quin etiam* corruptum esse e *qui* pronomine causali vi posito egregie demonstravit Wesenbergius Emend. p. 123. Sub idem tempus Cicero Fadio Gallo scribebat: *Atque equidem aliquantum iam etiam noctis assumo.* Fam. VII. 25 extr.

nisi forte Romam sc. me contulero. Ibi quum ipse Atticum convenire posset, nihil opus erat mittere exemplum.

XXVII. A. U. C. 709.)

1. De epistola ad Caesarem, nobis vero semper rectissime placuit, ut isti ante legerent; aliter enim fuissemus et in hos inofficiosi et in nosmet ipsos, si illum offensuri fuimus, paene periculosi. Isti autem ingenue, mihique gratum, quod quid sentirent non reticuerunt: illud vero vel optime, quod ita multa mutari volunt, ut mihi de integro scribendi causa non sit; quamquam de Parthico bello quid spectare debui, nisi quod illum velle arbitrabar? quod enim aliud argumentum epistolae nostrae nisi κολακεία fuit? an, si ea, quae optima putarem, suadere voluissem, oratio mihi defuisset? Totis igitur litteris nihil opus est;

§ 1. *De epistola ad Caesarem.* Cf. XII. 40, 2. XIII. 26, 2 tum epistolae proxime sequentes 28, 2 et 31, 3.

Isti sunt Caesariani, qui tum Romae erant cum Attico. At in extrema §° eos, qui tunc cum Caesare in Hispania erant, appellat *illos.*

paene periculosi. Notanda est locutio infrequens *periculosum esse in se* de eo, qui periculum sibi creat. Adverbium *paene* non restringit vocabulum, quocum iungitur, sed fere nihil rei deesse indicat potestque explicari penitus, plane. Vid. Handius, Turs. IV. p. 417 seqq.

ut mihi de integro scribendi causa non sit ɔ: ut praestet totum consilium ad Caesarem scribendi abiicere.

de Parthico bello cf. ep. 31, 3. Mox κολακεία a me reducta est pro vitioso κολακία. Saepissime librarii I pro EI

ubi enim ἐπίτευγμα magnum nullum fieri possit, ἀπότευγμα vel non magnum molestum futurum sit, quid opus est παρακινδυνεύειν? praesertim quum illud occurrat illum, quum antea nihil scripserim, existimaturum me nisi toto bello confecto nihil scripturum fuisse; atque etiam vereor, ne putet me hoc quasi Catonis μείλιγμα esse voluisse. Quid quaeris? valde me paenitebat, nec mihi in hac quidem re quicquam magis ut vellem accidere potuit, quam quod σπουδὴ nostra non est probata; incidissemus etiam in illos, in eis in cognatum tuum. 2. Sed redeo ad hortos. Plane illuc te ire nisi tuo magno commodo nolo; nihil enim urget. Quicquid erit, operam in Faberio ponamus: de die tamen auctionis, si quid scies. Eum, qui e Cumano venerat, quod et plane valere Atticam nuntiabat et litteras se habere aiebat, statim ad te misi.

scripserunt. Vid. Cobeti Var. Lect. p. 87.
quae optima putarem. Ita recte scripsit Orellius e Med. et Oxonn., quum olim probasset *putaram,* quod incertum an in nullo codice inventum sit. Cf. Wesenberg. Emend. p. 28.
ubi enim — *παρακινδυνεύειν*? Apte a Gronovio e Suet. Aug. 25 eius dictum affertur, qui aureo hamo piscandum esse negabat.
toto bello, quod Caesar cum Pompeianis gesserat.
Catonis ɔ: Catonis a Cicerone laudati.
valde me paenitebat epistolae ad Caesarem scriptae. Non assentior viro doct. Schiche e verbis ep. seq. § 2 *quod me minime paenitet* sequi, ut h. l. scribendum sit: *non valde me paenitebat.* Nam h. l. de epistola agitur, ibi de reprehensione Caesaris amicorum.
in cognatum tuum ɔ: in Q. Ciceronem, sororis Attici filium.
§ 2. *Eum, qui* — *venerat.* Nihil erat, cur nomen servi vel liberti reticeret. Acute Schuetzius correxit: *Erotem, qui* — *venerat.*

XXVIII. (*A. U. C.* 709.)

1. Hortos quoniam hodie eras inspecturus, quid visum tibi sit, cras scilicet, de Faberio autem, quum venerit. 2. De epistola ad Caesarem, iurato mihi crede, non possum, nec me turpitudo deterret, etsi maxime debebat — quam enim turpis est assentatio, quum vivere ipsum turpe sit nobis — sed ut coepi, non me hoc turpe deterret, ac vellem quidem — essem enim qui esse debebam —, sed in mentem nihil venit. Nam, quae sunt ad Alexandrum hominum eloquentium et doctorum suasiones, vides quibus in rebus versentur: adolescentem incensum cupiditate verissimae gloriae, cupientem sibi aliquid consilii dari, quod ad laudem sempiternam valeret, cohortantur ad decus; non deest oratio. Ego quid possum? tamen nescio quid e quercu exsculpseram, quod

§ 2. *non possum* sc. aliam scribere. Absolute illud dicitur, ut in Ter. Hautont. V. 5, 18. Senec. Controv. I. 4, 8.
§ 2. *e quercu* ɔ: materia dura et sculpendo

videretur simile simulacri: in eo quia nonnulla erant paullo meliora quam ea, quae fiunt et facta sunt, reprehenduntur; quod me minime paenitet; si enim pervenissent istae litterae, mihi crede, nos paeniteret. 3. Quid? tu non vides ipsum illum Aristoteli discipulum, summo ingenio, summa modestia, posteaquam rex appellatus sit, superbum, crudelem, immoderatum fuisse? quid? tu hunc de pompa, Quirini contubernalem, his nostris moderatis epistolis laetaturum putas? Ille vero potius non scripta desideret, quam scripta non probet; postremo, ut volet. Abiit illud, quod tum me stimulabat, quum tibi dabam *πρόβλημα Ἀρχιμήδειον*; multo mehercule magis nunc opto casum illum, quem tum timebas, vel quem libebit. Nisi quid te aliud impediet, mihi optato veneris. Nicias a Dolabella magno opere arcessitus — legi enim litteras — etsi invito me, tamen eodem me auctore profectus est. 4. Hoc manu mea. Quum quasi alias res quaererem de philologis e Nicia, incidimus in Talnam. Ille de ingenio nihil nimis, modestum et frugi; sed hoc mihi non placuit: se scire aiebat ab eo nuper petitam Cornificiam, Q. filiam, vetulam sane et multarum

parum idonea. Cicero significat se caput scabentem et ungues saepius rodentem aliquid composuisse, quod ad Caesarem hoc tempore mitti potuisset.

§ 3. *postea quam rex appellatus sit.* Non Macedoniae, sed Asiae. Hunc Graeci prae ceteris τὸν βασιλέα vocabant.

hunc de pompa ɔ: cuius imago in pompa circensi inter simulacra Deorum portatur. cf. Suet. Caes. 76. Dio Caes. XLIII. 45, qui etiam imaginem Caesaris in templo Quirini positam nominat. Vid. quoque supra XII. 45, 3.

quum tibi dabam πρ. Ἀρχ. Fecit hoc in ep. XII. 40, 2 quaerens ex Attico, ecquid reperiret quod ad Caesarem hortandi causa scribi posset. Post *tum* necessario scribendum erat *quum*, pro quo male libros scriptos occupavit *quod*. Errorem vidit sustulitque Wesenb. Emend. p. 48.

casum illum, ne et gratia et auctoritas sua minueretur, quod Atticus tum scripserat se vereri. Igitur h. l. emendavi *quem tum timebas*, ubi vulgo editur *timebam*. E cod. Med. non correcto notatur *timebat*.

optato. Hoc ablativo adverbialiter et alii usi sunt et Cicero de Orat. II. 20 *peroptato* posuit. Ei respondet nostrum *naar wensch*.

Nicias. De hoc dixi ad VII. 3, 10.

§ 4. *Hoc manu mea.* Non pertinent haec verba ad superiora, sed ad ea quae sequuntur. Recte Cratander ea quae vulgo ad novam epistolam referuntur, huc transtulit, eumque Klotzius est secutus. cf. Schiche in Herma l.l. p. 597.

quum quasi alias cet. ɔ: quum ego dissimulans quid vellem cum Nicia de hominibus eruditionis studiosis (ut supra 12, 3) disputarem, Talnae in iis mentio facta est, ex eoque cognovi huius rem familiarem esse exiguam. Videtur autem Atticus hunc Talnam alicui cognatae aut fortasse filiolae suae maritum destinare voluisse. Ad idem negotium spectare videntur ea, quae leguntur in epist 21 h. l.

Talnam. In nomine scribendo hic et I. 16, 6 M. secutus sum, optimum Livii codicem decadis quintae et nummos, in quibus cusum est TAL, de quibus vid. Borghesi Oeuvres I. p, 263 sq. Vulgo ex auctoritate marmoris Capitolini ad a. DXC et Plinii H. N. VII, 182 editur *Thalna*. cf. Kempf. ad Val. Max. IX. 12, 3.

mulieribus, matri et ipsi Cornificiae.

nuptiarum; non esse probatum mulieribus, quod ita reperirent, rem non maiorem DCCC. Hoc putavi te scire oportere.

XXIX. (*A. U. C.* 709.)

1. De hortis ex tuis litteris cognovi et (ex) Chrysippo. In villa, cuius insulsitatem bene noram, video nihil aut pauca mutata; balnearia tamen laudat maiora, de minoribus ait hiberna effici posse: tecta igitur ambulatiuncula addenda est, quam ut tantam faciamus, quantam in Tusculano fecimus, prope dimidio minoris constabit isto loco; ad id autem, quod volumus, *ἀφίδρυμα*, nihil aptius videtur quam lucus, quem ego noram, sed celebritatem nullam tum habebat, nunc audio maximam. Nihil est quod ego malim: in hoc **τὸν τῦφόν μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον.** Reliquum est, si Faberius nobis nomen illud explicat. Noli quaerere quanti: Othonem vincas volo; nec tamen insaniturum illum puto, nosse enim mihi hominem videor, ita male autem audio ipsum esse tractatum, ut mihi ille emptor non esse videatur. Quid enim? pateretur? 2. Sed quid argumentor? si Faberianum explicas, emamus vel magno, si minus, ne parvo quidem possumus. Clodiam igitur, a qua ipsa ob eam causam sperare videor, quod et

§ 1. *video* np. e litteris tuis et e sermone Chrysippi architecti. Per *insulsitatem* villae indicari puto villam inepte ornatam, non venustam.

hiberna ɔ: cubicula, ubi hieme se lavarent.

prope dimidio minoris. Graeterus in interpr. Wielandii VI. p. 43 necessarium putabat *prope dimidio maioris.* Non vidit *ut — faciamus* dictum esse pro *etsi — facimus.* Atque *minoris* aedificari posse in suburbano, quam in Tusculano, quo et operae et materies procul adducenda esset, facile intelligitur.

τὸν τῦφόν μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον ɔ: vanitatem meam per deos aequo animo fer.

Reliquum est. Hoc vulgo accipitur, quasi scripsisset Cicero: quod reliquum est, de reliquo, Belg. *overigens.* Ego vero aliud velle puto: Si Faberius nobis debitum solvit, pecunia abundo et plus habeo, quam horti illi constabunt. Belg. *er schiet over.* Interpunctionem ex mea mente necessario mutavi pleneque distinxi post *explicat.*

insaniturum „insanos sumptus facturum. IV ad Her. 63: *in Tusculano coepi insanire.*" I. F. Gron.

Quid enim? pateretur? Imperfectam esse sententiam vidit Manutius. Non male ita suppleveris: „Quid enim? patereturne se male tractari, si satis nummorum haberet ad hortos quantivis emendos?" Faciliorem sententiam haberemus, si fas esset corrigere: *poteritne?*

§ 2. *Clodiam igitur* np. aggredere, ut ipsa suos hortos mihi vendat. cf. XII. 38, 4, et saepius.

et D. nomen tam expeditum videtur, ut etiam repraesentatione confidam. Temere Huschkius (Zeitschr. f. Rechtsw. XIV. 1, p. 44 adn. 5), ubi haec verba citat, nomini *repraesentatione* adscripsit: „fortasse *repraesentari omne.*" Sed ut sententia recte procedat, omnino *iam* in *tam* mutandum est, ut feci. Cicero putabat Dolabellam tam bonum esse debitorem, ut vel ante diem solveret.

Cras aut te aut causam cet. ɔ: cras aut te exspecto aut causam, cur non veneris; causam autem, quae te moretur, hanc puto fore, quod negotium Faberianum nondum confectum sit. Ceterum *quamquam video* scribendum puto, quod ita exaratum *quamq. video* corruptum est in *quam quidem.*. Eadem

multo minoris sunt et Dolabellae nomen tam expeditum videtur, ut etiam repraesentatione confidam. De hortis satis. Cras aut te aut causam; † quam quidem futuram Faberianam; sed, si poteris.

sententla Baiterus coniecit: *quam quidem* puto *futuram F. Faberianam* genere accommodarunt ad praecedentia. Cicero scripsit *Faberianum.* — *Sed, si poteris* ɔ: sed venies, si poteris.

XXX. (*A. U. C.* 709.)

1. Ciceronis epistolam tibi remisi. O te ferreum, qui illius periculis non moveris! Me quoque accusat. Eam tibi epistolam misissem; nam illa altera de rebus gestis eodem exemplo puta. In Cumanum hodie misi tabellarium: 2. ei dedi tuas ad Vestorium, quas Pharnaci dederas. Commodum ad te miseram Demeam, quum Eros ad me venit, sed in eius epistola nihil erat novi nisi auctionem biduum: ab ea igitur, ut scribis, et velim confecto negotio Faberiano, quem quidem negat Eros hodie, cras mane putat. A te colendus est; istae autem κολακεῖαι non longe absunt a scelere. Te, ut spero, perendie. 3. Mihi, sicunde potes, erues qui decem legati Mummio fuerint. Polybius non nominat. Ego memini Albinum consularem et Sp. Mummium, videor

§ 1. *Ciceronis* ɔ: Quinti filii, qui de periculis, quae in Hispania adierat, et de rebus ibi gestis binas Attico epistolas querelarum plenas dederat. — Initium huius epistolae cum Cratandro faciendum est in verbis § 2. *Commodum ad te miseram* cet. Quae praecedunt: *Ciceronis epistolam* — *Pharnaci dederas* superiori epistolae sunt addenda. cf. Schiche l.l. p. 597 seq.

ferreum pro duro dicebant. cf. Fam. XV. 21, 4 *ferreus essem, si te non amarem.* Q. fr. I. 3, 3 *ferus et ferreus* iunguntur, ut in Tibulli El. I. 11, 2 *quam ferus et vere ferreus ille fuit.*

Eam — *puta* ɔ: eam, in qua Q. me accusat, tibi misissem, nisi tu mihi similem misisses. Nunc nihil opus erat. Nam quae praeterea sunt in epistola ad me missa, scito esse eadem, quae tibi scripsit. Correxi cum Gronovio *illa altera* et *puta,* quum in codd. et editt. scribatur *illam alteram* et *puto.* Cicero qui Quinti epistolam ad Atticum legerat, non poterat scribere se putare, quod certo sciebat.

§ 2. *Pharnaci,* librario Attici. vid. ep. 44 extr.

nisi auctionem biduum np. prolatam esse. Cf. ep. 14, 1 h. l. Male W. de sua coni. edidit *biduo* sc. fore.

κολακεῖαι non longe absunt a scelere. Inhonestum est adulari debitoribus, ut pecuniam ab iis exprimas; sed scelestum quis dicat. Ideo negatio videtur delenda, ut volebat I. F. Gronovius.

§ 3. De eadem re agitur h. l. 32, 3. 33, 3. 6, 4. 4, 1 et 5, 1. Decem legati more maiorum, ut Livius XXXIII, 24 et XXXVII. 55 scribit, a senatu missi erant ad res Achaiae disceptandas componendasque, unde tamen non sequitur Graeciam iam tum in provinciae formam esse redactam, quod diu postea factum esse docuit C. F. Hermannus in coll. disputt. suarum, quam edidit a. 1849, p. 356 seqq. Polybius τῶν δέκα meminit in lib. XL, 8—10.

Albinum consularem. Alium Albinum dicit quam eum, qui cum L. Licinio Lucullo consul fuerat a. u. 603. Apparet ex iis, quae scribit ep. 32 extr. Wesenbergius Emend. p. 16 suspicatur hunc esse Sp. Postumium Albinum Magnum, qui a. 606 cum L. Calpurnio Pisone consul fuerit,

audisse ex Hortensio Tuditanum; sed in Libonis annali XIIII. annis post praetor est factus Tuditanus quam consul Mummius: non sane quadrat. Volo aliquem † Olympia aut ubi visum πολιτικὸν σύλλογον, more Dicaearchi, familiaris tui.

biennio antequam Corinthus capta sit. Vid. de eo Cic. Brut. 94.

Tuditanum. Ab Attico edoctus est C. Sempronium Tuditanum fuisse, patrem illius Tuditani, quem per temporis rationes fuisse in decem legatis ipse vix putabat. Cf. impr. ep. 6, 4 h. l.

in Libonis annali. Non laudatur nisi hic et ep. 32, 3 et 44 h. l. Libo inter annalium scriptores. Auctoritas veteris codicis, ex quo Graevius in add. affert *in Libonis annali secundo,* valde suspecta est.

non sane quadrat ɔ: congruit, aptum est. cf. ep. 33, 3. Metaphora desumta a quadris lapidibus, qui sibi invicem bene conveniunt, ut scribit Servius ad Verg. Georg. II. 277.

† *Olympia aut ubi visum.* „Recte in hoc haesit Lambinus: nam deberet esse „*aut ubi* (tibi) *visum erit* vel *videbitur.* Emendavit igitur: *aut ubivis.* Sed hoc nimis infinitum." Sic adn. Orellius in edit. priore, qui putabat Ciceronem scripsisse: *Volo aliquem* Ὀλυμπίασι πολ. σύλλ., reliqua interpolatori tribuens. Ego puto Ciceronem dedisse potius: *Volo aliquem Olympicum aut Isthmicum* πολ. σύλλ. Aptissime sane fingeret consilium illud in Isthmo deliberans de rebus publicis. Haec autem διὰ σημείων scripta (ep. 32, 3) ab ipsis Attici librariis fortasse male explicata sunt.

more Dicaearchi, qui scripserat tribus libris sermonem Corinthi habitum, Tusc. I. 21, tres libros, qui Lesbiaci vocabantur, ibid. 77, Olympicum, Athen. XIV. p. 620 D.

XXXI. (*A. U. C.* 709.)

1. v. Kal. mane accepi a Demea litteras pridie datas, ex quibus aut hodie aut cras exspectare te deberem; sed, ut opinor, idem ego, qui exspecto tuum adventum, morabor te, non enim puto tam expeditum Faberianum negotium futurum — etiam si est futurum —, ut non habeat aliquid morae: quum poteris igitur. 2. Quoniam etiam nunc abes, Dicaearchi, quos scribis, libros sane velim mittas: addas etiam καταβάσεως. 3. De epistola ad Caesarem κέκρικα. Atqui id ipsum, quod isti aiunt illum scribere se nisi constitutis rebus non iturum in Parthos, idem ego suadebam in illa epistola, utrum liberet, faceret: posse auctore me; hoc enim ille exspectat videlicet

§ 1. *quum poteris igitur* sc. venies. Cff. ultima verba ep. 29. Male vulgo his adiiciuntur: *quoniam etiamdum abes.* Quae male hic abundant, recte a Madvigio et W. cum seqq. iuncta sunt, *etiamdum,* quo Cicero nunquam utitur, in *etiamnum* vel potius in *etiam nunc* mutato.

§ 2. *velim mittas.* Scripsi expuncto *mi,* quod pravae geminationi deberi iudico. Non additur in ep. seq. § 2.

καταβάσεως sc. librum. Plenum libri indicem servavit Athenaeus περὶ τῆς ἐς Τροφωνίου καταβάσεως.

§ 3. κέκρικα pro KEKBIKA, ut est in M. Z. Lambinus restituit. Κέκρικα ɔ: decrevi, sententia stat, eamque non mittam. Eodem verbo utitur Corellius apud Plinium Epist. I. 12, medico cibum admoventi, quem recusabat, hoc unum dicens: κέκρικα. Pro *atque* W. optime *atqui.* Nam quod sequitur opponitur ei, quod Cicero decreverat non mittere epistolam illam.

neque est facturus quicquam nisi de meo consilio! Obsecro, abiiciamus ista et semiliberi saltem simus, quod assequemur et tacendo et latendo. 4. Sed aggredere Othonem, ut scribis: confice, mi Attice, istam rem — nihil enim aliud reperio ubi et in foro non sim et tecum esse possim —; quanti autem, hoc mihi venit in mentem. C. Albanius proximus est vicinus; is CIↃ. iugerum de M. Pilio emit, ut mea memoria est, HS. $\overline{\text{CXV}}$. Omnia scilicet nunc minoris, sed accedit cupiditas, in qua praeter Othonem non puto nos ullum adversarium habituros. Sed eum ipsum tu poteris movere, facilius etiam, si Canum haberes. O gulam insulsam! pudet me patris. Rescribes, si quid voles.

utrum liberet, faceret: posse auctore me. Quod vulgo his verbis praeponitur *sin* nulla libri scripti auctoritate nititur. Quod in M2 et in duobus Malaspinae codicibus scriptum eius loco est *me*, nimis longe ab *auctore* remotum est, ut probari possit. Multo probabilius Lambinus ex *auctorem*, quod im M. prima manu scriptum est, fecit *auctore me* idemque pro *facere posset* correxit *faceret; posse.* Quae sequuntur per ironiam addita sunt, quae proditur adverbio *videlicet.*

semiliberi. Idem vocabulum superest in fragmento epistolae Ciceronis ad Axium apud Senecam de brev. vitae, 5: *Quid agam hic quaeris. Moror in Tusculano meo semiliber.*

§ 4. *is CIↃ iugerum — emit — HS* $\overline{\text{CXV}}$. Numerus prior sine dubio mendosus est. Nam quis credat hortos suburbanos tam vastos fuisse, aut mille iugera tantillo pretio veniisse, ut singula nondum duodenis florenis constarent. Ernestum autem, qui HS CXV explicabat *centies quindecies,* dum unum vitaret errorem, in alterum incidisse non sane leviorem, bene monuit Wielandus interpr. suae Vol. V. p. 556 sq.

si Canum haberes ↄ: si tecum esset Q. Gellius Canus. Idem inter Attici amicos numeratur in Nep. Att. c. 10. Infra XV. 21, 2 *res Cani* memoratur, unde h. l. scripsi *Canum* pro *Kano.*

O gulam insulsam! pudet me patris. Quum male haec olim ad Othonem vel Canum referrent, Tunstallus ep. laud. p. 162 vidit pertinere ad Q. filium, de cuius luxuria Atticus aliquid scripserat.

XXXII. (*A. U. C.* 709.)

1. Alteram a te epistolam quum hodie accepissem, nolui te una mea contentum. Tu vero age, quod scribis, de Faberio; in eo enim totum est positum id, quod cogitamus; quae cogitatio si non incidisset, mihi crede, istuc ut cetera non laborarem. Quamobrem, ut facis — istuc enim addi nihil potest —, urge, insta, perfice. 2. Dicaearchi περὶ ψυχῆς utrosque velim mittas et καταβάσεως; τριπολιτικὸν non in-

§ 1. *quae cogitatio si non incidisset, mihi crede, istuc ut cetera non laborarem.* Sic recte distinxit Victorius in edit. prima. Male vulgo *istuc ut cetera* verbis *mihi crede* adiiciunt. Nam solet Cicero ea orationi interponere. Rursus *laboro* quin recte adsciscat eiusmodi accusativos, *hoc, illud, nihil* dubitari non potest. Inutilis itaque suspicio Moseri, Symb. Crit. VI. p. 11 (*mihi crede istuc*) *cetera non laborarem.* At idem recte negat *incidere,* quod dicitur de cogitatione improvisa, aptum esse et in re penitus Ciceronis animo infixa dicendum esse: *quae cogitatio si non insedisset,* cet.

§ 2. *Dicaearchi* περὶ ψυχῆς *utrosque.* Non cogitandum esse de opere aliquo duobus libris absoluto, quem utrumque sibi mitti volebat, sed de duobus dialogis, Les-

venio et epistolam eius, quam ad Aristoxenum misit. Tres eos libros maxime nunc vellem; apti essent ad id, quod cogito. 3. Torquatus Romae est. Misi ut tibi daretur; Catulum et Lucullum, ut opinor, antea: his libris nova prooemia sunt addita, quibus eorum uterque laudatur. Eas † litteras volo habeas, et sunt quaedam alia. Et, quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexisti, credo quia *διὰ σημείων* scripseram; de C. Tuditano enim quaerebam, quem ex Hortensio audieram fuisse in decem; eum video in Libonis praetorem P. Popillio, P. Rupilio (coss.); annis XIIII. ante, quam praetor factus est, legatus esse (non) potuit, nisi admodum sero quaestor est factus, quod non arbitror; video enim curules magistratus eum legitimis annis perfacile cepisse. Postumium autem, cuius statuam in Isthmo meminisse te dicis, nesciebam fuisse. Is autem est, qui cum (L.)

biaco et Corinthiaco, in eodem argumento occupatis, ex ipsius Ciceronis testimoniis Tusc. I. 21 et 77 demonstravit Osannus, Beiträge zur Gr. und Röm. Litteraturgesch. Vol. II. p. 38 seqq. In tribus libris Lesbiacorum Dicaearchus voluit efficere *animos esse mortales;* tres libri Corinthiacorum *de interitu hominum* egisse videntur. Cf. Off. II. 16.

§ 3. *Torquatus* — *Catulum et Lucullum.* Illo nomine significat librum I de Finibus, in quo Torquatus Epicurea exponit (cf. h. l. ep. 5 *Misi tibi Torquatum*): haec spectant ad recensionem Academicorum, cuius liber secundus, qui inscribitur Lucullus, superest. Accusativos a praec. *misi* pendere arbitror.

Eas litteras volo habeas. Etsi litterae de quovis scripto dicuntur, cf. Madv. ad Fin. I. 12, non tamen puto prooemia illa *litteras* appellari. Perperam Schuetzius scripsit *eos libros volo habeas;* nam libros ipsos Atticus iam antea acceperat; nunc Cicero nuntiat se nova prooemia misisse. Nec placet quod Orellius excogitavit *eas δευτέρας* (*φροντίδας*) *volo habeas.* Verum puto, quod Rinkesius proposuit *διφθέρας*, coll. XIII. 24. Vid. Mnemosynes Vol. V. p. 26.

Et quod — *scripsi.* Cum Orellio *id, quod* legere malim, quam *et* delere.

intellexisti. Quum in M. sit *intellexi* correxerunt *intellexti.* Sed forma haec contracta in Ciceronis scriptis tam rara est, ut cum Lambino eam h. l. mutaverim. Cf. Madv. ad Cic. Fin. II. 10.

in Libonis, omittitur *libro,* ut XII. 23, 2, ubi vide.

P. Popillio, P. Rupilio coss. Ultimum vocabulum deest in membranis, sed necessario addendum erat. Consules fuerunt a. u. 622. Fasti autem C. Sempronium Tuditanum cum M' Aquillio anno 624 (625 Varron.) consulem fuisse docent.

legatus esse non potuit, nisi. Correxit haec verba Wesenbergius Emend. p. 15, quum in libris Mss. omissa negatione legatur — *leg. esse potuisset, nisi.* Cf. ep. 6, 4 de eodem Tuditano, *qui tum non potuerat esse legatus.*

nisi admodum sero quaestor est factus. Male Orellius asteriscum praefixit vocabulo *quaestor,* idque vel delendum vel cum Pighio *praetor* scribendum putavit. Utrumque vetant ea, quae adduntur. Nam si curules magistratus legitimis annis cepit, non sero, sed suo anno praetor est factus. Cicero autem negat se arbitrari eum, qui suo anno aedilis, praetor, consul factus sit, sero quaestorem esse factum.

Postumium. A. Postumium Albinum, qui res Romanas Graece scripsit, diversus ab eo Albino, quem ep. 30, 3 in decem fuisse ipse scripserat. Propterea recepi Mureti coni. *nesciebam.* Nam hunc accepit ab Attico (*quem tu mihi addidisti* cet.); illum alterum sciebat. Cf. Wesenbergius l.l.

qui cum L. Lucullo cos. fuit. Omittunt libri Mss. *cos.* et *L.*, quum tamen dicendum esset *quid* fuerit et cum *quo* Lucullo. Plane sic legitur de eodem hoc A. Albino in Bruto, 81 et apud Gellium N. A. XI. 8. Emendaram ita, quum primum haec legerem; postea vidi Wesenbergium l.l. in adnot. similiter iudicasse.

Lucullo (cos.) fuit, quem tu mihi addidisti sane ad illum *σύλλογον* personam idoneam. Videbis igitur, si poteris, ceteros, ut possimus *πομπεῦσαι καὶ τοῖς προσώποις*.

XXXIII. (*A. U. C.* 709.)

1. Negligentiam miram! semelne putas mihi dixisse Balbum et Faberium professionem relatam? qui etiam eorum iussu miserim, qui profiteretur: ita enim oportere dicebant. Professus est Philotimus libertus. Nosti credo librarium; sed scribes et quidem confestim. 2. Ad Faberium, ut tibi placet, litteras misi, cum Balbo autem puto te aliquid fecisse [H. in Capitolio]. In Vergilio mihi nulla est *δυςωπία*; nec enim eius causa sane debeo, et, si emero, quid erit quod postulet?

§ 1. Non referam, quae interpretes finxerunt ad hunc locum explicandum, de censu a Caesare acto, qui nullum egit, aliaque temere posita et credita. Ex ipsis verbis constat Ciceronem aliquanto ante Romae per Philotimum professum esse, sed eam professionem negligentia librarii ↄ: eius, qui tabulas scribebat, non fuisse relatam in tabulas, quod tamen Balbus et Faberius non semel sed saepius dixerant factum esse. Rogat igitur Atticum, ut apud librarium hac de re inquirat seque certiorem faciat. Haec certa sunt; alia in coniectura sunt posita. Nam quaeri potest, quarum rerum dicatur professio, et apud quos fuerit facienda. Illud plane ignoramus; sed professionem factam non esse apud consulem reliquosve magistratus, qui in simili re memorantur in tabula Heracleensi apud Marezollium p. 9 et seqq., sed potius apud consilium a Caesare constitutum, in quo uerint Balbus et Faberius, veri simile arbitror. Nam qui aliter illi professionem relatam dixissent, aut cur hac de re ad Faberium scripsisset Cicero, cum Balbo egisset Atticus?

qui etiam — miserim. Vulgo *quin — miseram;* sed perfectum coniunctivi in Med. et Oxonn. servatum satis indicat *qui* causale hic, ut saepe alibi, mutatum esse in *quin.* Correxit Wesenbergius Emend. p. 123.

librarium. Respondet voc. Belgicum *boekhouder.* Eosdem homines designari credo in orat. de lege agr. II. 32, ubi Rullus decemviros suos ornasse narratur *apparitoribus, scribis, librariis, praeconibus,* cet.

sed scribes ↄ: sed quid plura? scribes.

§ 2. *cum Balbo fecisse.* [*H. in Capitolio*]. Ex iis, qui de notis veterum scripserunt, non discimus quomodo *H* satis bene h. l. explicetur, et adiecta Capitolii mentio plane otiosa est, neque recte in fine sententiae addita. Schuetzii coniecturam, qui scripsit *de hortis Scapulanis* eaque verba cum sequentibus coniunxit, ingeniosam esse non nego, veram pernego. Credo potius in margine archetypi scriptum fuisse *Hinc incipit alia* sc. epistola, eaque verba corrupta, ut nunc leguntur, Tullianis esse interposita. Tum vero statuendum ea pertinere ad initium § 4 *De Varrone loquebamur,* a quibus incipere novam epistolam post alios vidit et docuit T. Schiche l. l. p. 599, qui meam coniecturam probabilem censet. Ego verba suspecta seclusi.

In Vergilio cet. Cf. ad XIII. 26, 1. Negat autem Cicero se prae verecundia in auctione hortorum Scapulanorum non empturum esse partem Vergilii, cui nihil debebat. Is fortasse non diversus erat ab eo C. Vergilio, qui Ciceronem P. Clodii furori cedentem Sicilia, quam tunc pro praetore tenebat, prohibuit, p. Plancio, 95. Atque ut optimi codd. Maronem faciunt *Vergilium,* sic et duo optt. codd. Plancianae et codex Med. epistolarum Ciceronis h. l. et in ep. 26 primam nominis syllabam littera E exararunt Cff. Garat. et Wunder. ad Planc. l. l.

δυςωπία ↄ: pudor, qui demittendo oculos se prodit. Nam, ut docet Plutarchus in lib. *περὶ δυςωπίας* initio, *ὑπερβολὴ τοῦ αἰσχύνεσθαι τὸ δυςωπεῖσθαι*. Cf. impr

Sed videbis, ne is † quum sit in Africa, ut Caelius. De nomine tu videbis cum Cispio, sed, si Plancus destinat, tum habet res difficultatem. Te ad me venire uterque nostrum cupit, sed ista res nullo modo relinquenda est. Othonem quod speras posse vinci, sane bene narras. De aestimatione, ut scribis, quum agere coeperimus, etsi nihil scripsit nisi de modo agri. Cum Pisone, si quid poterit. Dicaearchi librum accepi et *καταβάσεως* exspecto. 3. *** negotium dederis, reperiet ex eo libro, in quo sunt senatus consulta Cn. Cornelio, L. Mummio coss. De Tuditano autem quod putas, *εὔλογον* est tum illum, quum fuit ad Corinthum — non enim temere dixit Hortensius — aut quaestorem aut tribunum mil. fuisse, idque potius fuisse credo; tu de Antiocho scire poteris [vide etiam] quo anno quaestor aut tribunus mil. fuerit; si neutrum quadret, *** in praefectis aut in contubernalibus fuerit, modo fuerit in eo bello.

Huschkii disp. laud. ad XVI. 15, 2, p. 49—51, qui recte negat hoc vocabulo apud Ciceronem *stultam verecundiam* indicari.

Sed videbis, ne is † quum sit in Africa, ut Caelius. Orellius susp. *quom* corruptum esse e *quoque*, quod probat Wesenbergius Emend. p. 38. Quem Caelium dicat, non liquet. De Cispio Ciceronis debitore vid. XII. 24, 3.

si Plancus destinat. Recte Lambinus in his verbis pron. *sibi* desiderat. *Sibi destinare* dicitur, qui emere cupit. Cf. Fam. VII. 23, 3 *Quod tibi destinaras* τραπεζοφόρον, *habebis,* et quae monui ad XII. 31, 1.

de modo agri. Cf. Hor. Sat. II. 6, 1: *modus agri non ita magnus.*

Dicaearchi librum accepi et καταβάσεως *exspecto.* Rogarat Cicero utrumque opus περὶ ψυχῆς et καταβάσεως in ep. 32, 2. Propterea debuit nunc scribere: *Ceteros Dicaearchi libros aceepi, sed* καταβάσέως *exspecto,* aut: *Dicaearchi libros* περὶ ψυχῆς *accepi et* καταβάσεως.

§ 3. *negotium dederis, reperiet* cet. Speciosa est Malaspinae coni. *negotium de decem reperies* cet.; sed non satis aptum esset *negotium,* quum scire vellet *nomina* legatorum, et obstat consensus Mss. in verbis *dederis* et *reperiet.* Orellius putat excidisse ante negotium nominis proprii tertium casum. Sed non cogitavit *dederis* non poni imperative nisi in sententia negante. Aliquid latere puto in *exspecto,* quod male ad praecedentem sententiam relatum est. Poterat scribi: *De X si liberto negotium dederis* vel simile quid. Hoc certe ex h. l. discimus SCta singulorum annorum collecta et in tabulario servata fuisse.

quum fuit ad Corinthum. Scripsi e certa Wesenbergii correctione *quum* pro *quoniam,* ne deesset, quo referretur *tum,* quod praecedit. Lambinus nodum solverat transponendo *tum* post *quoniam.* Sed illud lenius.

idque potius fuisse credo ɔ: et potius credo, eum tum aut quaestorem aut tribunum militum fuisse, quam in decem legatis, ut verba ab Ernesto correcta explicuit Wesenbergius In iis quae sequuntur, illa *vide etiam* totam sententiam corrumpunt, neque satisfacit Orellii remedium, qui volebat: *Tu de A. scire poteris: — vide etiam atque etiam, quo anno* cet. Aliquanto melius sententia procedet, si mecum legeris: *Tu de A. scire poteris, quo anno q. a. tr. m. fuerit. Si neutrum quadret, vide etiam in praefectis an in contubernalibus fuerit* cet. — *Antiochum* omnes faciunt servum Attici litteratum; sed est mera coniectura. Pro *contubernio,* quod non satis aptum est, Bosium recte scripsisse *contubernalibus,* quo nomine vocantur eorum, qui exercitum ducebant, comites (vid. Cael. 73. Planc. 27) plures viderunt. In Med. compendiose scriptum est *contuber.*

quadret ɔ: congruet in annum Corinthi expugnatae, debetur Bosio. M. pro eo dat *ea re,* Torn. *cadet.* Madv. A. C. III p. 190 coniecit: Si neutrum, *vide ne* in p. aut in c. fuerit.

XXXIII. a. (A. U. C. 709.)

1. De Varrone loquebamur; lupus in fabula; venit enim ad me, et quidem id temporis, ut retinendus esset, sed ego ita egi, ut non scinderem paenulam; memini enim tuum: »et multi erant nosque imparati.". Quid refert? paullo post C. Capito cum T. Carrinate. Horum ego vix attigi paenulam; tamen remanserunt, ceciditque belle: scilicet casu sermo a Capitone de urbe augenda, a ponte Mulvio Tiberim duci secundum montes Vaticanos, campum Martium coaedificari, illum autem campum Vaticanum fieri quasi Martium campum. »Quid ais?" inquam, »at ego ad tabulam, ut, si recte possem, Scapulanos hortos." »Cave facias", inquit; »nam ista lex perferetur; vult enim Caesar." Audire me facile passus sum, fieri autem moleste fero. Sed tu quid ais? Quamquam quid quaero? nosti diligentiam Capitonis in rebus novis perquirendis; non concedit Camillo. Facies me igitur certiorem de Idibus; ista enim me res adducebat. Eo adiunxeram ceteras, quas consequi tamen biduo aut triduo post facile potero; te tamen in via confici minime volo, quin etiam Dionysio ignosco. 2. De

§ 1. *Lupus in fabula.* Proverbialis locutio, qua utimur hodieque interveniente eo, de quo forte sermo est. Cf. Terent. Ad. IV. 1, 21.

Id temporis ɔ: tam sero.

Ut non scinderem paenulam. Qui abiturum dimittere nolunt, eius vestem scindere dicuntur; qui facile discedere patiuntur, non attingunt.

Quid refert? Non bene reddidit Wielandus: *Was liegt am Ende daran?* Immo sic indicat nullam se ex facto suo utilitatem percepisse; nam mansisse tamen Varronem, venisse item alios. Locutionem illustravit N. Heinsius ad Ovid. Her. VI. 137, quem laudat Drak. ad Liv. IV. 49, 16.

C. Capito idem videtur, qui L. Planco commendatur Fam. XIII. 20.

scilicet casu. Libri vitiose *sed casu.* Nam particula adversativa non apta est. Confusa sunt *sed* (*s;*) et *sc.* Correxit Wesenbergius Emend. p. 98.

de urbe augenda. Cf. ep. 20, 1 et 35, 1. Consilium tamen omissum vel Caesaris morte interruptum est. Cf. Becker, Handb. d. röm. Antiq. Vol. I. p. 103.

coaedificari ɔ: occupari multis et continentibus aedibus. Cf. de part. orat. 36.

illum autem campum Vaticanum. Iniuria Orellius in edit. pr. in his verbis haesit. *Illum campum Vat.* dicit spatium, quod tunc erat inter Tiberim et montes Vaticanos.

ad tabulam np. auctionis accedere volebam.

ista lex perferetur. Lege opus erat, si quis pomoerii fines proferre vellet. Caesar autem volebat urbis, ut imperii fines protulerat, ambitum augere.

Audire me facile passus sum ɔ: continui me a reprehensione eorum, quae audiebam.

Facies me certiorem de Idibus. Idibus Iuniis Romam venire constituerat, ut auctioni hortorum Scapulanorum interesset et alia quaedam negotia conficeret. Si ob legem Caesaris promulgatam auctio illa non procederet, nullam sibi esse scribit festinandi causam. Sed quoniam Atticus ipsum videre cupiebat (vid. ep. sup. § 2), hoc ita sibi gratum fore scribit, ut eum *in via* aestu *confici* nolit, additque se Dionysio etiam ignoscere, si non veniat. In ultimis verbis lenem ironiam inesse suspicor.

§ 2. *De Bruto.* Hunc nominari apparet ex ep. 4, 2. 5, 2. 7, 2. Mss. Ball. Helmst. mire dant *de Hirtio*, peius etiam cod. Hisp.: *de hynto*, Med. *de hyuto.*

Bruto quod scribis, feci ut ei liberum esset, quod ad me attineret; scripsi enim ad eum heri Idibus eius opera mihi nihil opus esse.

XXXIV. (*A. U. C.* 709.)

Asturam veni VIII. Kal.; vitandi enim caloris causa Lanuvii III. horas acquieveram. Tu velim, si grave non erit, efficias ne ante Nonas mihi illuc veniendum sit — id potes per Egnatium Maximum —, illud in primis, ut cum Publilio me [paene] absente conficias, de quo quae fama sit, scribes. *Id populus curat scilicet.* Non mehercule arbitror; etenim haec decantata erat fabula; sed complere paginam volui. Quid plura? ipse enim adsum, nisi quid tu prorogas. Scripsi enim ad te de hortis.

Asturam veni VIII Kal. Falsum supplementum *Iul.* Bosius recte sustulit. Quod Schuetzius ob ea quae sequuntur *vitandi enim* cet. hic *vesperi* excidisse putabat, probandum est. E Tusculano profectus est VIII Kal. (Sextiles), ut scribit ep. 21, 2, eodemque die venit Asturam, sed vesperi, quoniam in itinere III horas Lanuvii quieverat.

per Egnatium Maximum. Temere de hominis cognomine plures dubitasse video.

ut cum Publilio — scribes ɔ: ut cum Publiliae fratre transigas de dote post divortium solvenda, de qua re quid homines loquantur mihi nuntiabis.

me paene absente. Paene inepte additur et ex mero scribentis errore *mea pene* pro *me absente* ortum videtur. Cf. Wesenbergii Emend. p. 64. Frustra *me absente, plane conficias* coniecit Moserus Symb. Crit. VIII. p. 8. Eleganter nec tamen vere Peerlkampius volebat: *me praesente absente.* Cf. ep. 47, 3, quae hac epistola tempore prior est.

Id populus curat scilicet. Davi sunt e Terentii Andria I. 2, 14.

haec decantata erat fabula ɔ: homines satis fabulati sunt de meo cum Publilia matrimonio.

prorogas ɔ: adventum meum differs, scribendo praesentiam meam nondum requiri.

Scripsi — ad te de hortis. „ut de hortorum auctione certiorem me faceres." Manut.

XXXV et *XXXVI.* (*A. U. C.* 709.)

1. O rem indignam! Gentilis tuus urbem auget, quam hoc biennio primum vidit, et ei parum magna visa est, quae etiam ipsum capere potuerit; hac de re igitur exspecto litteras tuas. 2. Varroni scribis te, simulac venerit. Dati igitur iam sunt, nec tibi integrum est; hui si scias quanto periculo tuo! aut fortasse litterae meae te retardarunt,

§ 1. *Gentilis tuus.* His verbis putant designari architectum Atheniensem, cuius opera Caesar uteretur in urbe augenda. Quae sequuntur, indicant hominem proximo biennio civitate Romana fuisse donatum. Ioco omnes Attici gentiles appellari poterant T. Pomponii Attici, ut Cicero iocans Servium Tullium regem appellat *gentilem suum.* Tusc. I. 38.

§ 2. *Varroni scribis te, simulac venerit* sc. daturum libros.

aut fortasse retardarunt. Non immerito hoc displicet Mosero, Symb. Crit. VIII. p. 9, qui reiecta Ascensii correctione *at fortasse,*

(et)si eas nondum legeras, quum has proximas scripsisti; scire igitur aveo, quo modo res se habeat.

3. De Bruti amore vestraque ambulatione etsi mihi nihil novi affers, sed idem, quod saepe, tamen hoc audio (eo) libentius, quo saepius, eoque mihi iucundius est, quod tu eo laetaris, certiusque eo est, quod a te dicitur.

scribendum proponit: *an fortasse l. m. te retardarunt?* Deinde pro *si*, recte Klotzius scripsit *etsi*, quum post Manutium ederetur *sed.*

§ 3. *De — vestra ambulatione,* ɔ: de sermone, quem cum Bruto ambulans habuisti.

XXXVII. (*A. U. C.* 709.)

1. Has alteras hodie litteras. De Xenonis nomine et de Epiroticis XXXX., nihil potest fieri nec commodius nec aptius, quam ut scribis: id erat locutus mecum eodem modo Balbus minor. 2. Novi nihil sane, nisi Hirtium cum Quinto acerrime pro me litigasse, omnibus eum locis furere maximeque in conviviis, quum multa de me, tum redire ad patrem, nihil autem ab eo tam ἀξιοπίστως dici quam alienissimos nos esse a Caesare, fidem nobis habendam non esse, me vero etiam cavendum — φοβερὸν ἦν, nisi viderem scire regem me animi nihil habere —, Ciceronem vero meum vexari; sed id quidem arbitratu suo. 3. Laudationem Porciae gaudeo me ante dedisse Leptae tabellario, quam tuas acceperim litteras. Eam tu igitur, si me amas, curabis, si modo mittetur, isto modo mittendam Domitio et Bruto. 4. De gladiatoribus, de ceteris, quae scribis ἀνεμοφόρητα, facies me quotidie certiorem. Velim, si tibi videtur, appelles Balbum et Ofilium. De auctione proscribenda equidem locutus sum cum Balbo. Placebat.

§ 1. Videtur agi de pecunia, quam Xeno Attico debebat et de aliis XL, in Epiro exigendis. Atticus volebat ea numerari Marco filio Athenis, ut Romae a patre reciperet. Cf. XIV. 16, 4. *Balbum minorem* non intervenisse his negotiis suspicatus Gronovius, cum seqq. illa nomina coniunxit, ita: *Balbus minor novi nihil sane* np. attulit. Et pro *Id erat locutus* scribit: *Is* np. Xeno *erat locutus.* Mihi non verisimile est Xenonem tum in Italia fuisse.

§ 2. *cum Quinto* filio.

ἀξιοπίστως, quod fide dignum videatur, quod aptum sit ad persuadendum.

scire regem me animi nihil habere ɔ: Caesarem scire, me nihil ausurum esse contra se, a me nihil timendum esse.

Ciceronem v. meum vexari ɔ: a me male, indigne haberi. cf. Gronovius apud Graevium et in Lect. Tull. p. 12 seq.

sed id quidem arbitratu suo „faciat licet. Contemno enim." Gron.

§ 3. *Laudationem Porciae.* Porcia haec erat M. Catonis soror, L. Domitii Ahenobarbi, qui in acie Pharsalica cecidit, uxor superstes, Cn. Domitii mater, M. Bruti amita magna. Mulieris defunctae laudationem scripserant Cicero, M. Varro et Lollius quidam. cf. ep. 48, 2.

isto modo ɔ: ita ut tibi placet correctam.

Puto conscripta habere Ofilium omnia; habet et Balbus, sed Balbo placebat propinquum diem et Romae; si Caesar moraretur, posse diem differri. Sed is quidem adesse videtur. Totum igitur considera; placet enim Vestorio.

§ 4. *De auctione proscribenda.* De eadem re videtur sermo esse in ep. 45, 3 et 46, 3. *Ofilium* esse ICtum, qui nominatur quoque in causa Siliana, Fam. VII. 21 et in l. 2, § 44. Dig. de orig. iur. non est, quod dubitemus. Cf. Rudorfii hist. iuris Ro. § 65. Is videtur inventarium fecisse bonorum Cluvianorum. Verba *de auct. proscr.* ad praecedentia vulgo referunt. Ego cum sequentibus iungere malui, ut Corradus quoque rectius putabat.

Romae, non Puteolis, ubi Cluvius obierat.

posse diem differri, non minus recte dicitur quam *proferri,* quod Gronovius malebat, aut *posse in alium diem rem differri,* quod e scriptura Med. *in diem diem differri* facile erui potest. Cf. de prov. cons. 28 *alii tempus differebant.* Phil. VIII. 23 *quum tempus differret.*

Vestorio. Argentarius ille saepius in hac re nominatur. Cf. ep. 45, 3. 46, 3 et 5.

XXXVIII. (*A. U. C.* 709.)

1. Ante lucem quum scriberem contra Epicureos, de eodem oleo et opera exaravi nescio quid ad te et ante lucem dedi; deinde quum somno repetito simul cum sole experrectus essem, datur mihi epistola a sororis tuae filio, quam ipsam tibi misi, cuius est principium non sine maxima contumelia; sed fortasse *οὐκ ἐπέστησεν.* Est autem sic: »Ego † enim quicquid non belle in te dici potest” Posse vult in me multa dici non belle, sed ea se negat approbare: hoc quicquam pote impurius? Iam cetera leges — misi enim ad te —, iudicabisque Bruti nostri quotidianis assiduisque laudibus, quas ab eo de nobis haberi permulti mihi renuntiaverunt, commotum istum aliquando scripsisse aliquid ad me, credo et ad te, idque ut sciam facies; nam ad patrem de me quid scripserit nescio; de matre quam pie! »Volueram”, inquit, »ut quam plurimum tecum essem, conduci mihi domum, et id ad te scripseram: neglexisti. Ita minus multum una

§ 1. *quum scriberem contra Epicureos.* Libri de Finibus iam absoluti erant. ep. 19, 4 h. l. Scribebat nunc primum librum de Natura Deorum.

οὐκ ἐπέστησεν ɔ: non advertit animum, non consulto sic scripsit.

Ego enim — Quae his adduntur *non probo* hodie in nullo libro MS. leguntur. Desunt certe in Med. in Oxoniensibus et in cod. Hispano. Ingeniose Orellius coniecit: *Ego minime quicquid non belle in te dici potest approbo,* verbo vel casu vel consulto omisso.

hoc quicquam pote impurius? Pote pro *potest,* quod legimus quoque IV. 13, 1 est e sermone familiari vel plebis, ut in dicto mulierculae in Bruto, 172 *non pote minoris.*

laudibus — scripsisse. Infinitivum pro *scripsisti* dudum ab Italo quodam restitutum confirmavit Oxon. Q. — *ne* post *laudibus* in Med. additum delevi.

Volueram cet. Sunt verba Q. filii ad patrem, quae hic cum fratre suo communicarat.

erimus; nam ego istam domum videre non possum: qua de causa scis." Hanc autem causam pater odium matris esse dicebat. 2. Nunc me iuva, mi Attice, consilio, *πότερον δίκᾳ τεῖχος ὕψιον*, id est, utrum aperte hominem asperner et respuam, *ἢ σκολιαῖς ἀπάταις*; ut enim Pindaro, sic *δίχα μοι νόος ἀτρέκειαν εἰπεῖν*. Omnino moribus meis illud aptius, sed hoc fortasse temporibus; tu autem, quod ipse tibi suaseris, idem mihi persuasum putato. Equidem vereor maxime ne in Tusculano opprimar; in turba haec essent faciliora. Utrum igitur Asturam? Quid, si Caesar subito? Iuva me quaeso consilio: utar eo, quod tu decreveris.

§ 2. *πότερον δίκᾳ κ. τ. λ.* Pindari verba e Platone de Repb. II., Maximo Tyrio diss. XVIII et Eusebio Praep. Ev. XV dudum restituit Boeckhius in Prooem. Schol. a. 1812 edito et repetito in Novo Tabul. Seebodii III. 3, p. 58 sq., quocum cf. Schneideri adn. ad l. Platonis, descripta in Onom. Tull. III p. 49. Sunt haec: *πότερον δίκᾳ τεῖχος ὕψιον Ἢ σκολιαῖς ἀπάταις ἀναβαίνει Ἐπιχθονίον γένος ἀνδρῶν, Δίχα μοι νόος ἀτρέκειαν εἰπεῖν* i. e. Utrum iustitia munimentum altius an obliquis dolis adscendat terrestre genus virorum, dubia mihi mens haeret certo affirmare.

id est — respuam. Recte haec verba, quae minime glossam sapiunt, adversus Valckenaerium defendit Madvigius ad Fin. p. 144. Iis Cicero id quod generalius et translate dictum erat ad suam rem accommodavit. Nam Pindari verbis alium sensum subiecit. „Rogat enim, utrum suadeat Atticus, ut palam praeferat iustam iram in Quintum, eaque de causa non modo obiurget, sed etiam excludat et nolit videre iuvenem, an animum in eo frangat et meminisse doloris eius dissimulet." Gron. At satis manifesta est interpolatio in Tusc. V. 39, ubi iis, quae Cicero scripsit: *Et hoc quidem mihi cum Bruto convenit* sedulus lector, memor eorum quae legerat in § 30, adiecit: *id est cum Aristotele, Xenocrate, Speusippo, Polemone*, et in or. p. Sulla, 49 delenda sunt verba *hoc est consulatus parentis tui.*

ne — opprimar a Quinto filio, quem Romae in turba facilius vitare potero.

Utrum igitur Asturam? Asturam pro *Asturae* correxit W., recte haec sic explicans: „utrum Asturam discedam an hic maneam?" De *utrum* non sequente *an* vid. ad X. 15, 2.

XXXIX. (*A. U. C.* 709.)

1. O incredibilem vanitatem! ad patrem, domo sibi carendum propter matrem: (ad matrem) plenam pietatis. Hic autem iam languescit et ait sibi illum iure iratum. 2. Sed utar tuo consilio; *σκολιά* enim tibi video placere. Romam, ut censes, veniam, sed invitus; valde enim in scribendo haereo. »Brutum, inquis, eadem". Scilicet; sed

§ 1. *plenam pietatis.* Videtur aliquid excidisse. Orellius post *matrem* suspicatur omissum *ad matrem*, quod egregie confirmatur his verbis ex ep. 41 *dixi illum commodas ad matrem litteras.*

σκολιά — tibi video placere. Respicit ad verba Pindari *σκολιαῖς ἀπάταις*, dicitque Attico placere, ut dolorem dissimulet et cum Quinto caute agat.

§ 2. *in scribendo haereo* ɔ: assiduus sum in scribendo. Cf. ep. seq. 2. *in libris haereo.* De Orat. I. 173 *haerere in iure.*

Brutum — eadem ɔ: eadem via Brutum videre poteris. Respondet Cicero recte dicis,

nisi hoc essst, res me ista non cogeret; nec enim inde venit, unde mallem, neque diu afuit, neque ullam litteram ad me; sed tamen scire aveo qualis ei totius itineris summa fuerit. Libros mihi, de quibus ad te antea scripsi, velim mittas et maxime *Φαίδρου περὶ θεῶν* et † *Παλλάδος*.

sed nisi haec mihi causa esset Romam veniendi, ut Q. filium vitarem, Bruti causa non venirem.

nec enim inde venit, unde mallem ɔ: Brutus venit a Caesare. Mallem eum venisse a bonis viris, qui Caesaris inimici sunt.

Φαίδρου περὶ θεῶν. Ita scribendum esse post repertum Herculani fragmentum Phaedri Epicurei de natura deorum, quod C. Petersenus a. 1833 Hamburgi instauravit nemo negat. Difficilius dictu est quid lateat in sequentibus, in M. sic scriptis: *et* ΠΑΛΙΔΟϹ. Si verum est: *et* Παλλάδος, ante Π facile omitti potuit $\overset{\varepsilon}{\pi}$, quo compendio scribebatur περί. Sed quoniam Phaedrus nusquam traditur peculiarem librum de Pallade scripsisse, verisimilius est in his latere nomen alterius philosophi, qui de Diis scripsit, velut Ἀπολλοδώρου, quem περὶ θεῶν scripsisse testatur Athenaeus VII. p. 325 B. Ita corrigi iussit Hirzelius l. l. p. 219. Opus erat Tullio his libris ad scribendum opus de Natura Deorum, in quo quam multa petierit ex illis fontibus demonstrarunt Petersenus, Krischius, Forschungen auf dem Gebiete der alte Philosophie, Vol. I., Hirzel, Untersuchungen zu Cicero's philos. Schriften, Vol. I, Lipsiae 1877.

XL. (*A. U. C.* 709.)

1. Itane nuntiat Brutus illum ad bonos viros? *εὐαγγέλια*; sed ubi eos? nisi forte se suspendit. Hic autem ut † fultum est, ubi igitur *φιλοτέχνημα* illud tuum, quod vidi in Parthenone, Ahalam et Brutum?

§ 1. *illum ad bonos viros* ɔ: Caesarem ad optimates redire velle. Negat eos Cicero in terris inveniri, quamdiu Caesar libertatem opprimat; itaque si eos videre velit ad inferos ipsi esse eundum.

Hic autem ut fultum est. Hic omnibus, quos vidi, interpretibus adverbium visum est, qui vel interpretantur: Quam valide hic in Italia Caesaris imperium constitutum est et quasi fulcris impositum, vel cum Tunstallo ep. ad Middlet. p. 22 corrigunt *stultum* et verba sic accipiunt; hic autem, quam stultum est venire, ubi nulli sunt boni viri. Neutrum probo; nam si illud voluisset dicere scriptor, scripsisset saltem *fultus*, si hoc, scribere debuerat *huc*. Mihi haec gravius corrupta videntur et ut seqq. *φιλοτέχνημα* et *quid faciat?* ad neminem alium nisi ad Brutum pertinent, ita *Hic* eundem indicare videtur, oppositum *illi* i. e. Caesari. Non nimis violentam puto mutationem hanc: *Hic autem ut futurus est, ubi intuebitur φ.* *illud tuum — Ahălam et Brutum?* In vulgata lectione accusativorum (*Ahalam et Brutum*) causam nullam video. W. coniecit: *hoc autem insulsum est*, idque ad praecedentia refert.

φιλοτέχνημα illud tuum, — Brutum? C. Servilius Ahala et L. Iunius Brutus, acerrimi libertatis defensores, M. Iunii Bruti, qui Serviliam matrem habebat, erant maiores. Horum nomina Atticus Bruti rogatu videtur coniunxisse in generis tabula sive stemmate, quod Cicero olim in Bruti Parthenone, quo nomine aut villam aut aedium partem ornare potuit, viderat. De illo Attici studio disertum habemus testem Cornelium Nepotem in eius vita c. 18, his verbis: *Fecit hoc idem* (np. familiarum originem subtexere. ut clarorum virorum propagines possent cognosci) *separatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem ordine enumeravit, notans qui a quoque ortus quos honores quibusque tempori-*

sed quid faciat? Illud optime: »sed ne is quidem, qui omnium flagitiorum (est) auctor, bene de nostro." At ego verebar, ne etiam Brutus eum diligeret; ita enim significarat iis litteris, quas ad me: »at vellem aliquid degustasses de fabulis." Sed coram, ut scribis; 2. etsi quid mihi auctor es? advolone an maneo? Equidem et in libris haereo et illum hic excipere nolo, ad quem, ut audio, pater hodie ad Saxa Acronoma: mirum quam inimicus ibat, ut ego obiurgarem. Sed ego ipse κεπφοῦμαι. Itaque posthac tu tamen vide quid de adventu meo censeas, et τὰ ὅλα cras si perspici potuerint, mane statim ut sciam.

bus cepisset, cet. Atque Serviliae quoque gentis stemma ab eodem confectum esse, eo magis credibile est, quia ex eodem Cornelio constat, eum Serviliam valde coluisse, c. 11, 4. Malim certe de tali opere cogitare, quam quod aliis placuisse video de imaginibus Ahalae et Bruti, sub quibus Atticus versus vel epigrammata scripsisset, de quo vid. ad lib. I. 16, 15. Neque enim hoc conciliare possum cum summa hominis prudentia, vel si mavis timiditate. *Parthenona* denique quod feci Bruti, non Attici, feci propterea, quod Cicero qui toties huius Amaltheum nominavit, nusquam praeterea Parthenonis mentionem iniecit, multoque probabilius est stemmata gentis Serviliae et Iuniae apud Brutum, quam apud Atticum, fuisse a Cicerone visa.

sed quid faciat? „Quam hic degener est a maioribus! Sed nos iniqui in Brutum sumus. Quid enim faciat unus omnibus servire paratis et servientibus?" Gronov.

Illud optime sc. scribis. *Omnium flagitiorum auctorem* non dici Caesarem, sed Hirtium, qui Q. filio aditum ad Caesarem aperuit (vid. X. 4, 11. XI. 20, 1), Manutius bene monuit.

at vellem aliquid degustasses de fabulis. Sunt verba e Quinti filii epistola, quibus patruo indicabat se iucunde et familiariter cum Bruto vixise. *Degustasses* est e necessaria Gronovii correctione. Libri dant *degustasse. At* debetur incertae correctioni. In Med. est: *ad mea est,* quod secunda manus ita correxit: *ad me ast.* Quod Iordan Krit. beitr. p. 297 coniecit: *ad me misit: vellem* cet., non displicet.

§ 2. *quid mihi auctor es?* = quid mihi suades? Cf. Fam. VI. 8, 2. — *Advolone* in urbem, *an maneo* in Tusculano.

ad Saxa Acronoma. Ita scriptum erat in Z. teste Lambino. Nomen plane ignotum. Requiritur nomen loci prope Romam. Aptum est *Saxa rubra,* quod in veteri itinerario IX milia passuum ab urbe abesse ad viam Flaminiam traditur. cf. Fortia d'Urban, Recueil des itineraires anciens, p. 193.

κεπφοῦμαι ɔ: incerto animo sum. Verbum derivatur a κέπφος, quod est nomen avis e mergorum genere, et translate indicat hominem levem et εὐμετάβολον. Vid. Hemsterhusii adn. ad Aristoph. Plutum, 913 et ad Schol. ad eum locum. Aptius est praesens perfecto, quod Orellius recepit. Libri scripti dant κεφϛωμα.

Itaque posthac tu tamen vide cet. Vulgo *posthac* puncto a seqq. secernunt et statuunt durissimam omissionem hanc: *Itaque posthac* non obiurgabo (Man.), nihil illi dicam (Corr.), tacebo nec me immiscebo (Gron.). Optime illa cum seqq. coniunguntur. Pro *mane statim ut sciam* videtur scribendum *mone statim ut sciam.*

XLI. (*A. U. C.* 709).

1. Ego vero Quinto epistolam ad sororem misi. Quum ille quereretur filio cum matre bellum (esse) et se ob eam causam domo ces-

§ 1. *Ego — misi.* „Quinto fratri epistolam misi a te scriptam ad sororem, ut videret, quid scriberes." Man.

filio. Dativus pendet ab *esse,* quod ante

surum filio diceret, dixi illum commodas ad matrem litteras, ad te nullas. Ille alterum mirabatur, de te autem suam culpam, quod saepe graviter ad filium scripsisset de tua in illum iniuria. Quod autem relanguisse se dicit, ego ei, tuis litteris lectis, σκολιαῖς ἀπάταις significavi me non fore *** tum enim mentio Canae. 2. Omnino, si id consilium placeret, esset necesse, sed, ut scribis, ratio est habenda gravitatis, et utriusque nostrum idem consilium esse debet, etsi in me graviores iniuriae et certe notiores; si vero etiam Brutus aliquid afferet, nulla dubitatio est. Sed coram; magna enim res (est) et multae cautionis. Cras igitur, nisi quid a te commeatus.

et se facile omitti potuit. Cum W. addidi.

commodas ad matrem litteras. Eas dicit plenas pietatis, ep. 39, 1.

suam culpam sc. *dicebat,* quod verbum e praegresso *mirabatur* hic assumendum est.

Quod — dicit. Quod autem attinet ad id, quod *relanguisse* ɔ: remisisse de ira in filium, quam paulo ante ostenderat, (Cf. ep. 40 s. f.) se dicit. In iis quae sequuntur ablativum consequentiae perspicuitatis causa a reliquis verbis disiunxi, ut statim appareret *ei* pendere a. v. *significavi.* Neque enim Cicero Attici litteras, quibus σκολιὰ sibi in re Quinti filii placere scripserat, cum fratre communicavit, sed amici hortatu odium suum in illum nebulonem dissimulavit et patri significavit se non fore *illi iratum.* Quae verba facile oblitterari potuerunt inter *fore tum.* Vidit Orellius, qui bene quoque coniecit: *Tum etiam mentio Canae.*

mentio Canae. Videtur tum consilium fuisse agitatum de nuptiis inter Q. filium cum hac filia illius Q. Gellii Cani, cuius mentio fit apud Cornelium in Attico, 10, 2 et in his epistolis 31, 4 h. l. et 21, 2 lib. XV. Si ea conditio placeret, omnino necesse esset iram in illum deponere.

si vero etiam B. aliquid afferet, sc. aliquid causae, cur Quinto filio ignoscam.

magna enim res est. Verbum inserui de consilio Wesenbergii, Emend. p. 18.

nisi quid a te commeatus. Recte Graevius hanc codd. scripturam explicat: „nisi scripseris licere mihi diutius ruri manere." Quod hic vocabulo a re militari desumpto *commeatum* vocat, ep. 43 appellat *prorogationem diei.* Itali appellant *commiato.* Male B. cum Orellio scripsit *commeat.*

XLII. (*A. U. C.* 709.)

1. Venit ille ad me, καὶ μάλα κατηφής, et ego: σὺ δὲ δή τι σύννους; »Rogas?" inquit: »cui iter instet et iter ad bellum, idque quum periculosum, tum etiam turpe." »Quae vis igitur?" inquam. »Aes," inquit, »alienum, et tamen ne viaticum quidem (habeo)." Hoc loco ego sumpsi quiddam de tua eloquentia; nam tacui. At ille:

§ 1. Ex iis, quae infra scribit de die suo natali instanti apparet sermonem hunc cum Quinto filio habitum esse post congressum cum Caesare, atque epistolam datam esse mense Decembri exeunte, ut monuit Malaspina.

iter ad bellum Parthicum, quod Caesar tunc suscepturus erat ep. 27, 1. Cf. Suet. Caes. 44.

tum etiam turpe. Sic vocat non bellum, sed iter suum, quia viatico carebat.

Quae vis igitur? np. te extrudit.

ne viaticum quidem (*habeo*). Verbum addidi e cod. Lambini, quod commode abesse non posse Wesenbergius observavit Emend. p. 111.

»Sed me maxime angit avunculus." »Quidnam?" inquam. »Quod mihi," inquit, »iratus est." »Cur pateris?" inquam, »malo enim ita dicere quam cur committis?" »Non patiar", inquit, »causam enim tollam." Et ego: »Rectissime quidem; sed si grave non est, velim scire quid sit causae." »Quia, dum dubitabam quam ducerem, non satisfaciebam matri, ita ne illi quidem. Nunc nihil mihi tanti est: faciam quod volunt." »Feliciter velim," inquam, »teque laudo; sed quando?" »Nihil ad me," inquit, »de tempore, quoniam rem probo." »At ego," inquam, »censeo priusquam proficiscaris: ita patri quoque morem gesseris." »Faciam," inquit, »ut censes." Hic dialogus sic conclusus est. 2. Sed heus tu, diem meum scis esse III. Non. Ian.; aderis igitur. 3. Scripseram iam: ecce tibi orat Lepidus ut veniam. Opinor

nihil mihi tanti est ɔ: nihil tanti facio, ut avunculum iratum habere velim. Cf. de hac locutione Madvigii Op. Ac. alt. p. 190.

sumpsi q. de tua eloquentia, nam tacui. Plinius Ep. VII. 6, 7. *Accepi non minus interdum oratorium esse tacere quam dicere.*

§ 2. *diem meum* natalem. Similiter Graeci τὴν ἡμέραν vocabant τὰ γενέθλια. Cf. Hesychius in v. ἡμέρα et intt. ad eum locum.

§ 3. *Opinor augures nil habere ad templum effandum.* Manutius expl.: „Credo augures nihil habere, quod opponant. Nam, si quid obiicerent, quo minus liceret effari templum, ego non accerserer." Sed sic callida ratione formulae *nil habere ad aliquid agendum* plane nova significatio subiicitur. Neque admitti possunt coniecturae Schuetzii, qui vel *augurem nullum* vel *augures nullum habere* legendum putabat, quod miror non displicuisse Sauppio in Ind. Gr. Lat. p. 64. Scribe: *Opinor augures vult habere ad templum effandum*, et propterea me orat, ut veniam. *Templum effari* quid esset, docuit Servius ad Aen. I. 450 his verbis: *Antiqui aedes sacras ita templa faciebant* (cf. Varro ap. Gell. XIV. 7), *ut prius per augures locus liberaretur effareturque, tum demum a pontificibus consecraretur ac post ibidem sacra edicerentur.* Ex omnibus autem veterum locis, quos contulit Manutius ad h. l., nullus huc pertinet, quoniam *templa* ibi sunt caeli regiones augurali lituo descriptae. — Unum restat quaerendum de quo templo agatur. Alii falsa sequentium verborum specie decepti vocant templum Saturni, plerique e Suet. Iul. 44 huc vocant templum Martis, quod Caesar extruere volebat. Ego cogitare malim de templo Felicitatis, quod Dio XLIV. 5 narrat hoc ipso anno a Lepido magistro equitum exstructum fuisse. Occupavit locum veteris curiae Hostiliae in foro Caesaris fuitque sine dubio diversum ab aede Felicitatis, quam Lucullus dedicarat. Cf. Dionis fragm. LXXXI in edit. Reimari. Cic. Verr. IV. 4. Plin. H. N. XXXIV. 69. XXXVI. 39 Sill.

Eatur MIACKOPΔOY. Ita Mss. dant, quae alius editor aliter corrigere studuit. In Graecis res bene cessit I. F. Gronovio, qui reposuit μίασμα δρυός, quod idem in Suidae Lexico depravatum est in μυίας δάκρυον, ut in Hesychii Lexico μιὰς est compendium pro μίασμα. Fuit proverbium Graecum, quod explicatur in Paroemiographis Graecis a Leutschio et Schneidewino editis I. 434. Δρῦς est quercus Iovi Dodonaeo sacra, cuius prima mentio fit in Homeri Odyssea XIV. 328. Μίασμα δρυός est piaculum in oraculum Dodonaeum a Thebanis commissum, de quo videndus quoque Zenobius II. 84, operis laudati p. 53. Usus est hoc proverbio Tullius, ut notaret flagitium a Lepido commissum, qui quo loco fuerat curia Hostilia, nunc aliud templum effari volebat. Cf. de curiae fatis, quae narrat Beckerus in Antiq. Rom. I. p. 330 sq. Sed *eatur*, ut olim Bosio, sic mihi offensioni est. Ille coniecit: *Eia tu*, quae formula apud Ciceronem nova est, neque satis munitur eo, quod in Repb. III. 8 in cod. rescripto inventum est: *Heia vero.* Ego credo scriptum fuisse *effatur* μ. δ. quod

augures † nil habere ad templum effandum. Eatur † *ΜΙΑCΚΟΡΔΟΥ.* Videbimus te igitur.

verbum non raro passive apud veteres usurpatur, velut in Varr. de L. L. VI. 53, *effari templa dicuntur ab auguribus,* Cic. Leg. II. 21 *augures templa liberata et effata habento.* Muecke l. l. p. 7 coniecit: *Eatur* οἶμος Κόδρου, sed mihi non persuasit id vel a Cicerone scribi vel ab Attico intelligi potuisse.

XLIII. (*A. U. C.* 709.)

Ego vero utar prorogatione diei tuque humanissime fecisti, qui me certiorem feceris, atque ita, ut eo tempore acciperem litteras, quo non exspectarem, tuque ut ab ludis scriberes. Sunt omnino mihi quaedam agenda Romae, sed consequemur biduo post.

ab ludis. Praepositio indicat locum, unde scripserat Atticus.

XLIV. (*A. U. C.* 709.)

1. Suaves tuas litteras! etsi acerba pompa; verumtamen scire omnia non acerbum est, vel de Cotta. Populum vero praeclarum, quod propter malum vicinum ne Victoriae quidem ploditur. Brutus apud me fuit, cui quidem valde placebat me aliquid ad Caesarem: adnueram, sed pompa deterret. 2. Tu tamen ausus es Varroni dare? Exspecto quid iudicet; quando autem pelleget? De Attica, probo: est quiddam etiam animum levari quum spectatione, tum etiam religionis opinione et

Hanc epistolam superiori adiunxit Schiche l. l. p. 608 seq. et *ludos* intelligit Apollinares, qui quotannis mense Quintili per octo dies fiebant. Ultimus dies erat a. d. III. Idus.

§ 1. *acerba pompa* np. circensis, in qua Caesaris imago inter Deorum statuas portabatur. Vid. Suet Iul. 76. Dio C. XLIV. 6. Ad proxima verba Corradus opportune citavit Graeca ex ep. 11 lib. IV.

vel de Cotta. Respicitur sine dubio ad eam famam, qua L. Cotta quindecimvirum sententiam in senatu dicturus putabatur, ut, quoniam Parthi nisi a rege vinci non possent, Caesar rex appellaretur. Cf. Cic. Divin. II. 110. Suet. Iul. 79. Plutarch. Caes. 60. Dio, XLIV. 15.

quod — ploditur. In illa pompa Victoriae plausum negavit populus, ne Caesari dare videretur, cuius signum prope Victoriae signum gestabatur. Sic Manutius recte explicat. Spectatores plausisse Diis in pompa circumductis docet Ovidius Am. III. 2, 43 seqq.

sed pompa deterret. Bene Crat., vitiose M. *pompa videret,* quod non emendatur scribendo *pompam* aut *de pompa videret.*

§ 2. *Varroni dare* np. Academica mea. Part. *tamen* refertur ad sententiam cogitatione supplendam: quamquam ego dubitabam essentne illi libri Varroni dandi. Cf. epist. 19 extr. 22, 3. 23, 2. 24. 25, 3. h. l.

pelleget e cod. Med., in quo est *pelliget,* restituit Klotzius pro vulgato *perleget,* comparans *pellectione* ex I. 13, 1 et verbum *pellicere.*

De Attica, probo ɔ: probo te voluisse filiam interesse ludis et spectare pompam circensem.

spectatione, τῇ θεωρίᾳ. Idem vocabulum in simili re recurrit Fam. VII. 1, 2.

fama. 3. Cottam mihi velim mittas; Libonem mecum habeo et habueram ante Cascam. Brutus mihi T. Ligarii verbis nuntiavit, quod appelletur L. Corfidius in oratione Ligariana, erratum esse meum, sed, ut aiunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sciebam Corfidium pernecessarium Ligariorum, sed eum video ante esse mortuum; da igitur quaeso negotium Pharnaci, Antaeo, Salvio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur.

§ 3. *Cottam.* Certum est agi de libro, quem ab Attico petit. Fortasse erat liber de repb. Romana Graece scriptus (Athen. VI. p. 273 B) a L. Aurunculeio Cotta, Caesaris in Gallia legato (Caes. B. G. II. 11. IV. 22. V. 24) ibique ab Eburonibus a. 700 interfecto (ibid. V. 37). Sed L. Cottam Latine quoque scripsisse coniicias e Suetonii mentione, de grammat. 1.

Libonem appellare videtur *annalem* Libonis, quo utitur supra ep. 30, 3 et 32, 3.

Cascam. Nomen inter scriptores ignotum, et quem potius librariorum errori, quam Tullio deberi puto. Fortasse scripsit *Cassium* et opus historicum L. Cassii Heminae hoc modo indicavit.

in oratione Ligariana. Cap. 11, 33, ubi Corfidii nomen, invito Cicerone, in libris Mss. remansit.

XLV. (*A. U. C.* 709.)

1. Fuit apud me Lamia post discessum tuum epistolamque ad me attulit missam sibi a Caesare, quae quamquam ante data erat quam illae Diocharinae, tamen plane declarabat illum ante ludos Romanos esse venturum; in qua extrema scriptum erat, ut ad ludos omnia pararet neve committeret, ut frustra ipse properasset. Prorsus ex his litteris non videbatur esse dubium, quin ante eam diem venturus esset, itemque Balbo, quum eam epistolam legisset, videri Lamia dicebat. Dies feriarum mihi additos video, sed quam multos fac, si me amas, sciam: de Baebio poteris et de altero vicino Egnatio. 2. Quod me hortaris ut eos dies consumam in philosophia explicanda, currentem tu quidem, sed cum Dolabella vivendum esse istis diebus vides. Quodnisi me Torquati causa teneret, satis erat dierum, ut Puteolos excurrere possem et ad tempus redire. 3. Lamia quidem a Balbo, ut videbatur, audiverat multos nummos domi esse numeratos, quos oporteret

§ 1. *Lamia.* L. Aelius Lamia erat eques Romanus, Ciceroni carissimus, qui eum D. Bruto commendat Fam. XI. 16 et 17.

illae Diocharinae ɔ: litterae Diocharis, quas novisti, vel Caesaris ad Diocharem, de quibus tibi scripsi. Vid. Ellendt. ad Cic. de Orat. Vol. II. p. 440. Diocharem Caesaris libertum cognoscimus ex XI. 6, 7.

Dies feriarum mihi additos video ɔ: quum auctionem dilatam esse e tuis litteris cognovi, licet mihi longius in Tusculano manere.

§ 2. *currentem tu quidem.* cf. VI. 7, 1.

Torquati causa. Hunc Torquatum per Dolabellam cum Caesare in gratiam redigere volebat. vid. ep. 20, 1 et 21, 2 h. l.

Puteolos excurrere. Ad cernendam M. Cluvii hereditatem, ut apparet ex ep. seq. Eodem spectant, quae sequuntur. Itaque

quam primum dividi, magnum pondus argenti, auctionem praeter praedia primo quoque tempore fieri oportere. Scribas ad me velim quid tibi placeat. Equidem, si ex omnibus esset eligendum, nec diligentiorem nec officiosiorem [nec mehercule nostri studiosiorem] facile delegissem Vestorio, ad quem accuratissimas litteras dedi, quod idem te fecisse arbitror: mihi quidem hoc satis videtur; tu quid dicis? Unum enim pungit, ne negligentiores esse videamur. Exspectabo igitur tuas litteras.

domi accipiendum de domo Cluvii defuncti. Vestorium argentarium Puteolanum lectores harum epistolarum non ignorant.

§ 3. *nec mehercule nostri studiosiorem* delet Buecheler. in Mus. Rhen. XI. p. 525, quia a Med. absunt. Fieri potest ut a Cratandro e codice deprompta sint, sed aliquando ille suis coniecturis Ciceronis verba interpolavit. Propterea mihi quoque suspecta sunt.

XLVI. (*A. U. C.* 709.)

1. Pollex quidem, ut dixerat ad Idus Sext., ita mihi Lanuvii pridie Idus praesto fuit, sed plane pollex, non index: cognosces igitur ex ipso. 2. Balbum conveni — Lepta enim de sua † vini curatione laborans me ad eum perduxerat —, in eo autem Lanuvino, quod Lepido tradidit. Ex eo hoc primum: »paullo ante acceperam eas litteras, in

§ 1. *Pollex — praesto fuit.* Temere Schuetzius delevit vv. *ad idus Sext.*, male alii coniuncta *ut — ita* divellunt. Aliter, quam vulgo fit, interpungendo locum restitui. *Ad Idus* non est ipsis Idibus, sed circa Idus, ut I. 3, 2 *ad mensem Ianuarium.* VII. 21, 1 et Fam. IX. 5 init. *ad Nonas.* Supra 12, 4 se *circiter Nonas in Tusculano fore* promittit, eoque respiciens 16, 2: *Ego ad Nonas.*

plane pollex, non index. Non inficetus lusus in nomine; nihil mihi indicavit, sed nomine et re pollex fuit. De re vid. ep. 47 a.

§ 2. *de sua † vini curatione.* Aliquid lucis haec accipiunt ex epistola paucis post diebus ad Leptam data, quae est inter Epist. Fam. VI. 19. Ibi haec legimus: *De curatione aliqua munerum regiorum cum Oppio locutus sum. Omnino de tota re, ut mihi videris, sapientius faceres, si non curares. Quod enim eo labore assequi vis, nullo modo assequere. — Sed tamen aliquid videbimus, in quo sit species; aliter quidem non modo non appetendum, sed etiam fugiendum puto.* Eo loco munera regia dicit prandia post Hispaniensem victoriam a Caesare populo data. Vid. Suet. Caes. 38. Sed quid statuendum de *vino?* Lepta poterat petere curationem eorum munerum, epulorum, viscerationis, prandiorum; vini curatio Romanis videtur ignota fuisse. *Vini* est Bosii inventio. Med. habet *vi in curatione,* unde I. F. Gronovius acute extricavit *liguritione.* Lepta cupiebat vehementer inter curatores illorum munerum esse, hoc spe devorabat et liguriebat, ut in ep. ad Fam. XI. 21, 5 Cicero scribit Bruto quosdam *agrariam curationem ligurire.* Lepta volebat a Cicerone Balbo et per hunc Caesari commendari.

in eo Lanuvino, quod Lepido tradidit. De eodem praedio loqui videtur, quod Phameae fuerat, quo mortuo a. 705 ab Attico illud emi voluerat, IX. 9, 4. Sed factum non est, pervenitque ad Lepidum, cui tum Cicero etiam domum, quam Antii in vicino loco habebat, vendidit. Cf. ep. 47 b., 1. *autem* post sententiam interpositam *Lepta — perduxerat* inservit sententiae instaurandae. Plenius dicendum erat: *conveni autem in eo L.* — Pro *tradidit* sine iusta causa Bosius edidit *tradidi,* quod Or. in ed. alt. B. et ego in priore ed. recepimus.

Ex eo hoc primum sc. cognovi. Mox additur in verbis: *tum ex eo cognovi* cet.

eas litteras. Mallem *Caesaris litteras.* For-

quibus magno opere confirmat ante ludos Romanos." Legi epistolam; multa de meo Catone, quo saepissime legendo se dicit copiosiorem factum, Bruti Catone lecto se sibi visum disertum. 3. Tum ex eo cognovi cretionem Cluvii — o Vestorium negligentem! — liberam cretionem, testibus praesentibus, sexaginta diebus. Metuebam ne ille arcessendus esset: nunc mittendum est, ut meo iussu cernat; idem igitur Pollex. Etiam de hortis Cluvianis egi cum Balbo; nihil liberalius: se enim statim ad Caesarem scripturum, Cluvium autem a T. Hordeonio legare et Terentiae HS. ꟾↃↃↃ. et sepulcro multisque rebus, nihil a nobis. Subaccusa quaeso Vestorium: quid minus probandum, quam Plotium unguentarium per suos pueros omnia tanto ante Balbo, illum mihi ne per meos quidem? 4. De Cossinio doleo, dilexi hominem. Quinto delegabo, si quid aeri meo alieno superabit et emptionibus, ex quibus mihi etiam aes alienum faciendum puto. De domo Arpini nihil scio. 5. Vestorium nihil est quod accuses; iam enim obsignata hac epistola, noctu tabellarius noster venit et ab eo litteras diligenter scriptas attulit et exemplum testamenti.

tasse illud e compendio scribendi Caes. ortum est.

quo — legendo. Med. *que*, Lambini codex *quo.* Post Ascensium plures editores scripserunt *quem*, quod tuetur Klotzius in prooemio p. XL. seq. Quod opponitur *Catone lecto* hic quoque ablativum commendat.

Bruti Catone. Octavianus rescripsit Bruti Catoni, sed librum non edidit. Suet. Octav. 85.

§ 3. *cretionem Cluvii.* Cluvius Puteolanus, cuius negotia in Asia Cicero a. 703 commendavit Thermo propraetori, paullo ante mortuus erat et in testamento heredem fecerat Ciceronem cum Caesare, ut ex h. l. discimus. cf. XIV. 9, 1.

liberam cretionem. Cretio est certorum dierum spatium, quod datur instituto heredi ad deliberandum, utrum expediat ei adire hereditatem necne, sunt verba Ulpiani Regul. tit. 22, § 27. Cf. Gaius II. 164. Libera cretio in scriptis veterum ICtorum non nominatur, sed ex verbis seqq.: *Nunc mittendum est, ut meo iussu cernat* et ep. seq.: *Idem Pollex remittendus est, ut ille cernat* vere Schillingius ad Hugonem p. 196—200 effecit *liberam* dici, quando alius pro herede cernere posset. De testibus in cretione adhibitis habemus quoque Varronis testimonium de L. Lat. VI. 81. *Sexaginta dies*, in quibus cretio facienda erat, computantur a morte testatoris.

ne ille arcessendus esset. Bosius frustra defendit *arcendus*, quod se invenisse fingit in Scidis. Quamdiu Cicero nesciebat liberam esse cretionem hereditatis Cluvianae, metuebat ne, quum ipse Puteolos excurrere non posset, Vestorius esset *arcessendus*, quocum de illa re deliberaret. Nunc Vestorio per servum mandare poterat, ut suo nomine cerneret.

Idem — Pollex sc. ad Vestorium remittendus est. Cf. ep. 47, 1.

a T. Hordeonio legare. Legare ab aliquo est aliquem ex heredibus designare, qui legatum solvere debeat. Cf. Cic. p. Cluent. 33. Gaius II. 245.

sepulcro ɔ: ad sumptum in monumento faciendum. — *nihil a nobis* sc. legare ɔ: meam partem nullo legato gravare.

§ 4. *De Cossinio doleo*, np. eum mortuum esse. Hominem laudat I. 19, 11.

si quid aeri meo alieno superabit et emptionibus ɔ: si quid ex illa hereditate reliquum erit, quo possim uti ad aes alienum solvendum et nonnulla emenda. Quae addit, ostendunt eum vereri, ne novum aes alienum contracturus sit ex iis, quae emere velit.

XLVII a. (*A. U. C.* 709.)

Posteaquam abs te, Agamemno, non ut venirem, — nam id quoque fecissem, nisi Torquatus esset, — sed ut scriberem, *tetigit aures nuntius, extemplo* [instituta omisi] ea, quae in manibus habebam, abieci, quod iusseras, *edolavi.* Tu velim e Pollice cognoscas rationes nostras sumptuarias: turpe est enim nobis illum, qualiscunque est, hoc primo anno egere; post moderabimur diligentius. Idem Pollex remittendus est, ut ille cernat. Plane Puteolos non fuit eundum, quum ob ea, quae ad te scripsi, tum quod Caesar adest. Dolabella scribit se ad me postridie Idus. O magistrum molestum!

Posteaquam abs te, Agamemno, — tetigit aures nuntius. Utitur versu ex antiquiore tragoedia, fortasse ex Ennii Iphigenia petito. I. Gulielmus in Plaut Quaestt. versum hunc e Tullii verbis eruit:

Posteaquam abs ted, Agamemno, tetigit aures nuntius. Possis etiam cum Ribbeckio in Trag. Lat. reliq. p. 202:

Postquam abs te, Agamemno, ut venirem, t. a. n., nisi *posteaquam* poetae potius, quam Ciceronis esse videatur. Verbum *edolavi,* quo Ennium in simili re usum esse scimus e Varronis fragm. ap. Nonium p. 448, ex eodem loco desumptum videtur et ex alio Varronis loco ap. Nonium p. 263 suspicamur *extemplo* initio versus sequentis fuisse. Quod verba *instituta omisi* ut spuria notavi, feci secutus Graevium, qui recte de iis disputavit. Omisit Schuetzius temere *omnia* scribens pro *ea.*

nisi Torquatus esset. Vid. ep. 45, 2.

illum — egere. Marcum filium, qui Athenis maiores sumptus faciebat.

ut ille cernat. np. Vestorius. vid. ep. sup. 3.

O magistrum molestum. Ab his verbis nova epistola incipit in editione Cratandrina. Temporis autem notationes vetant, quominus sequentia superioribus continuentur. cf. de Gruber, disp. cit. p. 27. Non insolitum tali exclamatione ordiri epistolam. Vidd. ep. 35. 39 et 52 h. l. Sed melius tamen in Dolabellam, quam in Lepidum illud *O magistrum molestum* convenire videtur. Ille enim venturus erat, ut Ciceronem doceret, quemadmodum ageret cum Caesare. Quare novae epistolae post haec verba initium statui.

XLVII b. (*A. U. C.* 709.)

1. Lepidus ad me heri vesperi litteras misit Antio; nam ibi erat — habet enim domum, quam nos vendidimus —; rogat magno opere, ut sim Kal. in senatu, me et sibi et Caesari vehementer gratum esse facturum. Puto equidem nihil esse — dixisset enim tibi fortasse aliquid Oppius, quoniam Balbus est aeger —; sed tamen malui venire frustra quam desiderari, si opus esset, (et) moleste ferre postea. Itaque hodie Antii, cras ante meridiem domi; tu velim, nisi te impedivisti,

§ 1. *Balbus est aeger.* Laborabat pedum doloribus. Fam. VI. 19, eodem fere tempore atque haec epistola Asturae scripta.

malui venire. Cod. Med. et editt. vett. Nescio quis primus scripserit *malim.* Recte Klotzius perfectum revocavit. Nam etsi nondum venerat, *voluntas* tamen erat certa et perfecta. Deinde quum M. det *ferre,* cum

apud nos pridie Kal. cum Pilia. 2. Te spero cum Publilio confecisse: equidem Kal. in Tusculanum recurram; me enim absente omnia cum illis transigi malo. Q. fratris epistolam ad te misi, non satis humane illam quidem respondentem meis litteris, sed tamen quod tibi satis sit, ut equidem existimo: tu videbis.

W. post *esset* addere malui *et*, quam retinere vulgatum *ferrem* et ante *moleste* addere *ne*.

§ 2. *cum Publilio confecisse.* Cf. ep. 34. Agitur de dote Publiliae reddenda.

XLVIII. (*A. U. C.* 709.)

1. Heri nescio quid in strepitu videor exaudisse, quum diceres te in Tusculanum venturum; quod utinam, iterum utinam! tuo tamen commodo. Lepta me rogat ut, si quid sibi opus sit, accurram; mortuus (est) enim Babullius. Caesar, opinor, ex uncia, etsi nihil adhuc, sed Lepta ex triente; veretur autem ne non liceat tenere hereditatem, ἀλόγως omnino, sed veretur tamen: is igitur si accierit, accurram; si minus, † ante quam necesse erit. 2. Tu Pollicem, quum poteris. Laudationem Porciae tibi misi correctam; adeo properavi, ut, si forte aut Domitio filio aut Bruto mitteretur, haec mitteretur; id si tibi erit commodum, magno opere cures velim, et velim M. Varronis et Ollii mittas laudationem, Ollii utique. Nam illam legi, volo tamen regustare, quaedam enim vix mihi credo legisse.

§ 1. *in strepitu.* Fuit igitur in urbe, sed eodem die in Tusculanum rediit, ut facturum se scripsit ep. 47 b. 2.

Lepta. Ad hunc illis ipsis diebus dedit litteras, quae inveniuntur Fam. IV. 19, unde timidum hominis animum cognoscimus. In sequentibus recte Orellius scribendum vidit: *Mortuus (est) enim Babullius.* Nomen tamen non praesto.

etsi nihil adhuc omissum putant *certi scio.* Dura ellipsis. Aliquanto lenius esset: *etsi nihil ad hunc* sc. *est* vel *pertinet*, ut haec oriatur sententia: Babullius scripsit Caesarem heredem ex uncia, etsi nulla amicitia sibi iunctum.

tenere hereditatem. Non memini alibi me hanc formulam videre. Sed in epistola familiari non debent omnia exigi ad ICtorum diligentiam.

antequam necesse erit. Graevius addidit *non* in Med. omissum, W. supplevit: *non veniam.* Non sperno, quod Sturenburgius ad Archianam p. 206 coniecit *neutiquam* pro *antequam.* Ita enim Cicero dicet: „Si non accierit, minime necesse erit me accurrere."

§ 2. *Laudationem Porciae.* Cf. ep. 37, 3.

adeo properavi. Proxime haec scriptura accedit ad Medicei ductus *aveo*, quod male mutatum in *ac eo.* In Tullii enim scriptis *ac* ante vocalem non est tolerandum. Orellius cur maluerit cum Lambino scribere *eo* nescio.

Ollii. M. bis habet *Olli*, unde Manutius fecit *Lollii.* In eo nomine, si falsum est, potius latet nomen C. Oppii, quem Plutarchus in Pomp. 10, in Caes. 17 inter scriptores nominat.

legisse. Qui infinitivo subiicitur accus. *me* recte a Med. abest. Pro *credo* magis Tullianum esse *videor* Klotzius vere observat.

XLIX. (*A. U. C.* 709.)

1. Atticae primum salutem, quam equidem ruri esse arbitror; multam igitur salutem (ei) et Piliae. De Tigellio, si quid novi, qui quidem, ut mihi Gallus Fadius scripsit, μέμψιν ἀναφέρει mihi quandam iniquissimam, me Phameae defuisse, quum eius causam recepissem, quam quidem receperam contra pueros Octavios Cn. filios non libenter, sed [et] Phameae causa volebam; erat enim, si meministi, in consulatus petitione per te mihi pollicitus, si quid opus esset, quod ego perinde tuebar, ac si usus essem. Is ad me venit dixitque iudicem operam dare sibi constituisse eo die ipso, quo de Sestio nostro lege Pompeia in consilium iri necesse erat: scis enim dies illorum iudiciorum praestitutos fuisse. Respondi non ignorare eum quid ego deberem Sestio; quem vellet alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. Ita tum ille discessit iratus. Puto me tibi narrasse. Non laboravi scili-

§ 1. *ruri.* Sic vulgo h. l. scribunt contra codices, qui *rure* habent. Sed illud Tulliana consuetudo requirere videtur.

multam igitur salutem ei et Piliae. Ante *et* addidi *ei.* Nam durius est e superioribus assumere *Atticae,* quod iubet Handius in Turs. II. p. 518; durissimum verba distinguere, ut fecit Orellius in altera edit. *arbitror*: — *multam igitur salutem* — *et Piliae.*

De Tigellio. Hunc esse Tigellium, natione Sardum, Caesaris familiarem, quem Horatius descripsit initio Satirae tertiae non minus certum est, quam diversum esse ab illo Hermogene Tigellio, quem aliis Satirarum locis acerbe notavit poeta Venusinus. Cf. Kirchneri Quaestt. Horat. p. 42—49. Ex epistola ad eundem Gallum data Fam. VII. 24, tum ex epistolis proximis 50, 3 et 51, 2 apparet, Ciceronem hominis apud Caesarem gratiosi offensam vitare maluisse.

me Phameae defuisse. Hic a. 705 ut videtur mortuus (Att. IX. 9, 4) fuerat Tigellii avus vel patruus. vid. Fam. l. l.

Octavios. Corradus facit Octaviam utramque et C. Octavium, qui postea Augustus est factus. Sed hi erant liberi C. Octavii. Cicero h. l. appellat *Cn. filios,* fortasse eius Cnei, qui cum C. Scribonio Curione a. 678 consul fuit. *Non libenter* causam receperat contra orbos, boni viri filios.

sed Phameae causa volebam ɔ: sed tamen Phameae deesse nolebam. *Velle alicuius causa* illustravi ad III. 24, 1. Phamea Ciceroni consulatum petenti operam suam obtulit, qua hic uti noluit.

tuebar „quasi fovebam, grata memoria prosequebar et officiis remunerandum putabam. Cat. III. 29. *Perficiam ut ea, quae gessi in consulatu, privatus tuear atque ornem* ɔ: eorum memor sim, iis paria praestem, et laborem ne ea perdam, dissimilia et indigna iis faciendo. Iustin. V. 6 *nomen Atheniensium tueri* ɔ: paria nomini Atheniensium praestare." Gron. Ita Plinius Ep. I. 19 extr. et II. 13, 9 dixit *tueri beneficium.*

lege Pompeia. Cicero P. Sestium reum *de vi* lege Lutatia a. 698 defendit oratione, quae exstat. Eodem tempore idem accusatus erat *de ambitu* (ad Q. fr. II. 3, 5). Anno 701 Cn. Pompeius legem tulit de ambitu, poena graviore et forma iudiciorum breviore, ut tradit Asconius ad Milon. p. 37. Causa igitur Sestii eo demum anno vel proximo, certe ante annum 705, quo Phamea mortuus est, a Cicerone acta videtur. Quod si recte a me disputatur indicibus Orationum a Tullio habitarum apud Orellium Opp. ed. alt. IV. p. 967 adscribenda est: *pro P. Sestio ambitus reo* (Att. XIII. 49). Deperdita dici non debet, quae nunquam scripta videtur.

in consilium iri ɔ: rem ad iudices deferri. Cf. p. Quint. 34 p. Cluent. 55 et 83.

Ita tum ille discessit iratus. Quam vim

cet nec hominis alieni iniustissimam iracundiam mihi curandam putavi. 2. Gallo autem narravi, quum proxime Romae fui, quid audissem, neque nominavi Balbum minorem. Habuit suum negotium Gallus, ut scribit: ait illum me animi conscientia, quod Phameam destituissem, de se suspicari. Quare tibi hactenus mando, de illo nostro, si quid poteris, exquiras, de me ne quid labores. Est bellum aliquem libenter odisse, [et] quemadmodum non omnibus servire; etsi mehercule, ut tu intelligis, magis mihi isti serviunt, si observare servire est.

habeat *ita* nescio. Equidem delendum censeo, vel corrigendum: *Is tum discessit iratus.*

Non laboravi ɔ: non curavi, non fui sollicitus de eo. Cf. Tusc. III. 50 *Ego sum is, qui dicam me non laborare.* Att. XIII. 20, 4. Q. fr. III. 1. 14.

§ 2. *neque nominavi Balbum minorem*, a quo audierat Tigellium sibi iratum esse.

Habuit suum negotium ɔ: Gallus in eo negotio ita se gessit, quasi suum esset, non meum. Cf. XII. 22, 3 et Hor. Sat. II. 3, 232 *id crede tuum.*

ait illum — suspicari. Verba explicare non possum. Sed omnia plana fiunt, si cum Lambino statuis post *illum* excidisse *dicere.* Tunc dicit Cicero. „Ait Gallus illum (ɔ: Tigellium) negare se mihi esse iratum, sed me id suspicari de se, quod probe mihi conscius sim me male egisse, quum Phameae promissum non praestarem neque ei praesto essem. Cui hoc non placet, is debebit *ait* ad ipsum Tigellium referre et pro *illum* scribere *ille.*

exquiras, de me ne quid labores. Vulgo mediam distinctionem ponunt post *exquiras,* quasi *ne labores* esset vetantis pro *noli laborare.* Sed Madvigius in disp. de form. verbi Lat. natura et usu demonstravit nunquam sic locutos esse prosae scriptores et Opusc. II. p. 106 probavit Wesenbergii correctionem, qui Emend. p. 27 monuit commate post *exquiras* posito *ne* (= *ut ne*) iungendum esse cum *hactenus.* Contulit ex V. 4, 2. *hactenus, ne quid ad senatum „consule" aut „numera."* — *De illo nostro* est: de Balbo minore.

Est bellum aliquem libenter odisse. Non ego sum Oedipus, qui Mosero explicem, quid sit *libenter odisse* et quomodo hoc *bellum* esse possit. vid. Symb. Crit. VIII. p. 9 sq. Ex epistola Fam. VII. 24 lucem petivi, quum ex verbis a Mosero allatis: *in lucris pono non ferre hominem pestilentiorem patria sua,* tum ex his: *Cognosti — istius salaconis iniquitatem,* atque h. l. scriptum fuisse suspicor: *Est bellum salaconem pestilentem odisse.*

quemadmodum non omnibus servire. Lambinus plura hic excidisse putat, quae ingeniose supplevit ex iis, quae leguntur de eadem re Fam. VII. 24 *Cipius opinor olim: Non omnibus dormio: sic ego non omnibus, mi Galle, servio.* Hunc secutus Orellius scripsit: *et quemadmodum non omnibus dormire, ita non omnibus servire.* Aliam eamque faciliorem viam monstravit Bosius, qui scripsit *est* pro *et*, et verbum cum quadam vi repetitum putat: *Est bellum —, est.* Equidem Ernesto assentior *et* vel *est* delendum esse, quod in edit. Rom. non legitur.

isti sunt Caesaris amici, Oppius, Balbus, alii. Cf. Fam. l. c. *Olim — non tam ab ullis, quam hoc tempore observor a familiarissimis Caesaris omnibus praeter istum* (Tigellium).

si observare servire est. „Ludit in v. *observare,* quod est colere atque honorare aliquem, et attendere ad alicuius dicta et facta, ut ea nota habeas." Gron.

L. (*A. U. C.* 709.)

1. Admonitus quibusdam tuis litteris, ut ad Caesarem uberiores litteras mittere instituerem, quum mihi Balbus nuper in Lanuvino dixis-

§ 1. *ut — mittere instituerem* ɔ: ut consilium caperem mittendi. Cf. Bremius ad Corn. Alcib. 5. Schneideri adnot. crit. ad Caes. B. G. III. 28 1.

set se et Oppium scripsisse ad Caesarem me legisse libros contra Catonem et vehementer probasse, conscripsi de his ipsis libris epistolam Caesari, quae deferretur ad Dolabellam, sed eius exemplum misi ad Oppium et Balbum, scripsique ad eos, ut tum deferri ad Dolabellam iuberent meas litteras, si ipsi exemplum probassent. Ita mihi rescripserunt nihil unquam se legisse melius epistolamque meam iusserunt dari Dolabellae. 2. Vestorius ad me scripsit, ut iuberem mancipio dari servo suo pro mea parte Hetereio cuidam fundum Brinnianum, ut ipse ei Puteolis recte mancipio dare posset: eum servum, si tibi videbitur, ad me mittes; opinor enim ad te etiam scripsisse Vestorium. 3. De adventu Caesaris idem, quod a te, mihi scriptum est ab Oppio et Balbo. Miror te nihildum cum Tigellio; velut hoc ipsum, quantum acceperit, prorsus aveo scire, nec tamen flocci facio. 4. Quaeris, quid cogitem de obviamitione; quid censes, nisi Alsium? et quidem ad Murenam de hospitio scripseram, sed opinor cum Matio profectum;

si ipsi exemplum probassent. Moserus Symb. Crit. VIII. p. 11 corr. *si ipsi epistoam probassent.* Sed nodum in scirpo vidit; nonne enim is, qui exemplum alicuius epistolae probat, ipsius epistolae argumentum probat? Praeterea O. et B. non viderant epistolam ipsam, sed exemplum a Cicerone acceptum. Non minus recte Cicero scripsissit: *si id probassent.*

§ 2. Ex ep. 12, 4 et 14, 1 novimus Ciceronem cum aliis Brinii cuiusdam heredem esse factum. Erat in ea hereditate *fundus* v. praedium soli Italici, prope Puteolos. Eum fundum Hetereius quidam emerat, sed ut ex iure Quiritium dominus esset, mancipatione opus erat. Quoniam autem Cicero ipse Puteolos excurrere non poterat (ep. 47, 1), Vestorius ei scripserat, ut partem suam fundi eius mancipio daret servo suo. Nam quod servus Vestorii mancipio accipiebat, id acquirebatur domino, in cuius potestate erat (Gaius II. 87). Itaque *ipse* Vestorius *ei* (ɔ: Hetereio) fundum mancipio dare poterat. — Recte autem Orellius, quum in priore edit. Hotomanni coni. *dare servum suum* recepisset, in altera edit. ad optimam codd. scripturam rediit. Observatione dignus est duplex dativus *servo suo* et *Hetereio cuidam,* quorum ille eum indicat, qui mancipio accipit, hic eum, in cuius gratiam illud negotium peragitur. Difficultatem, si tamen est aliqua, vitare potuisset Cicero, si eo loco vv. *Hetereio cuidam* omisisset et sic perrexisset: *ut ipse Hetereio cuidam P. recte mancipio dare posset.*

§ 3. *Miror te nihildum cum Tigellio; velut hoc ipsum quantum acceperit, prorsus aveo scire.* cet. In distinguendis verbis non sequor Orellium, neque in explicandis illis *quantum acceperit* Manutium, qui scripsit: „Transit a re sua ad aliam rem. Hoc saltem cum eo agere debuisti, quantum ei Caesar donaverit obviam profecto; scire enim cupio." Sed unde apparet Tigellium obviam isse Caesari? et si profectus erat, cur iam nunc rediit? et quid intererat Ciceronis scire, quantum ille a Caesare accepisset? Mihi *quantum* depravatum videtur ex *quo animo.* Dicit Cicero se cupere scire quo modo Tigellius accepisset Ciceronis querelam de ipsius iniuria.

§ 4. *quid censes, nisi Alsium?* ɔ: quid censes mihi faciendum esse? nisi forte Alsium mihi eundum censes. Belgice dicimus: wat dunkt u? het moest dan zijn naar Alsium. Qui explicant: „Alsium usque, non ultra" particulae *nisi* vim tribuunt, quam non habet. Sed fortasse ex errore describentium *nisi* ortum est, quum scriptum esset: *Quid censes? Misi Alsium, et — scripseram* ɔ: misi Erotem cum litteris. Alsium autem erat oppidum Etruriae XXIV milia passuum ab urbe distans. Hodie *Palo* appellatur.

Sallustius igitur urgebitur. 5. Scripto iam superiore versiculo, Eros mihi dixit sibi Murenam liberalissime respondisse: eo igitur utamur; nam Silius culcitas non habet. Dida autem, opinor, hospitibus totam villam concessit.

Sallustius — *Silius*. „Utrobique de eodem homine videtur esse sermo." Orell. Muretus propterea bis *Silium*, Corradus bis *Sallustium* scribendum putabat. Utrum verius alii diiudicent.

culcitas. In iis dormituri cubabant. Eas saepe plumeas fuisse e Varronis fragmento apud Nonium et e Tusc. III. 46 scimus.

Dida, vir ignotus. Nomen legitur in C. I. L. vol. V. P. I inscr. 624 et 1958.

LI. (*A. U. C.* 709).

1. Ad Caesarem quam misi epistolam, eius exemplum fugit me tum tibi mittere, nec id fuit, quod suspicaris, ut me puderet tui, ne ridicule † micillus, nec mehercule scripsi aliter, ac si πρὸς ἴσον ὅμοιονque scriberem; bene enim existimo de illis libris, ut tibi coram; itaque scripsi et ἀκολακεύτως et tamen sic, ut nihil eum existimem lecturum libentius. 2. De Attica nunc demum mihi est exploratum; itaque ei de integro gratulare. Tigellium totum mihi et quidem quam primum; nam pendeo animi. Narro tibi: Quintus cras, sed ad me an ad te nescio. Mihi scripsit Romam VIII. Kal.; sed misi qui invitaret, etsi hercle iam Romam veniendum est, ne ille ante advolet.

§ 1. *nec id fuit* — *micillus*. Locus corruptus, quem partim praeeunte Tunstallo, Epist. crit. p. 165, partim duce Gronovio sic corrigo: *nec id fuit, quod suspicaris, ut me puderet tui. Fui nec ridicule humilis* (vel si Graece malis μικκύλος, quod *pusillum* indicat, ut fere Schuetzius edidit), *nec mehercule scripsi, ac si* πρὸς ἴσον ὅμοιονque *scriberem*. Si *aliter* servare malis pro *nec mehercule* scribendum puto *sed mehercule*. Cicero dicit se medium tenuisse. Borghesius (Oeuvres I p. 169) ex hoc loco citans *hemicillum* mala Bosii inventione decipi se passus est, mirorque a Baitero et Klotzio 2 vetus mendum renovatum esse: *ne ridicule Micyllus*. Nam is, cui Hercules in Ovidii Met. XV. 22 *Patrias age desere sedes* dicit, Crotonis conditor, quem hic appellari volunt, vocabatur *Myscelos*.

de illis libris, de Caesaris anti-Catonibus.

§ 2. *Tigellium totum mihi* sc. redde, vel placa. Minime hoc convenit cum iis, quae supra scripserat, 50, 3. Sed vere Wielandus ad h. l. V. p. 542 ad scriptoris animum mollem provocavit. Conf. quae Weichertus in Vitis poët. Latin. p. 307 de h. l. disputavit.

ille. Cum Manutio aliisque ad Caesarem refero. Si de Quinto sermo esset, pronomen fuisset omissum.

LII. (*A. U. C.* 709.)

1. O hospitem mihi tam gravem ἀμεταμέλητον· fuit enim periucunde. Sed quum secundis Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset, villa ita completa a militibus est, ut vix triclinium, ubi cenaturus

ipse Caesar esset, vacaret; quippe hominum ɔɪɔ ɔɪɔ. Sane sum commotus, quid futurum esset postridie, ac mihi Barba Cassius subvenit: custodes dedit; castra in agro, villa defensa est. Ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam VII., nec quemquam admisit; rationes opinor cum Balbo. Inde ambulavit in litore: post horam VIII. in balneum; tum audivit de Mamurra, vultum non mutavit; unctus est, accubuit. Ἐμετικὸν agebat; itaque et edit et bibit ἀδεῶς et iucunde, opipare sane et apparate, nec id solum sed

— bene cocto et
Condito, sermone bono et, si quaeri', libenter.

2. Praeterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν valde copiose. Libertis minus lautis servisque nihil defuit; nam lautiores eleganter

Plus quam quattuor menses fuerunt inter hanc epistolam et proxime superiorem. Illam enim scripsit, quum Caesar nondum ex Hispania redierat, mense Quintili; hanc post Saturnalia, quae agebantur mense Decembri fere medio. Vid. ad V. 20, 1. Hanc scriptam credo in Formiano, propterea quod ibi Dolabellam villam habuisse scimus ex ep. 13, 5. lib. XV. Certe neque in Tusculano, neque in Puteolano haec scripta sunt.

§ 1. *O hospitem mihi tam gravem ἀμεταμέλητον.* Retinui scripturam codd. et distinxi cum Wesenbergio Emend. p. 49, quamquam sententia multo facilior fit, si *tam* in *tamen* mutatur et ita scribitur. *O hospitem mihi gravem, tamen ἀμεταμέλητον* ɔ: quem tamen hospitem habuisse non paenitet. Cf. Fam. IX. 48, 1. Facilius etiam cum Gronovio delebis *O*, quod non bene convenit cum *tam*. Ita accus. *hospitem m. t. gravem* pendebit ab impersonali *ἀμεταμέλητον.*

secundis Saturnalibus ɔ: secundo die Saturnalium. cf. ad V. 20, 1.

completa a militibus ɔ: occupata a militibus. Praepositionem e cod. Med. adieci cum Klotzio. Vulgo omittunt. Cf. Tusc. V. 112. *Drusi domum compleri a consultoribus solitam accepimus.*

ac mihi B. C. subvenit. Ernestus adscripsit: „an *at mihi?*" Nil minus, respondeo. Cicero si hoc praecedentibus opponere voluisset, scripsisset *sed. Ac* h. l. explicari potest *et statim*, de quo usu disp. Handius in Turs. I. p. 480 seqq. — *Barba Cassius*, Caesaris et Antonii amicus, nominatur quoque Phil. XIII. 3.

castra in agro, villa defensa est ɔ: milites in agris circa villam deverterunt, in villam non sunt admissi.

audivit de Mamurra. Is fuerat praefectus fabrum Caesaris in Gallia. Plin. H. N. XXXVI. 48. Hominem infamem non sine magna Caesaris contumelia versibus perstrinxit Catullus epigr. 29 et 57. Quid Caesar de eo audiverit, ignoramus. Nipperdeius in praefat. ad Cornelii Nep. vitas de eius morte h. l. agi cogitabat.

vultum non mutavit. Recte sic scribitur e Z. — M. omittit *vultum.* Sed *non mutavit* non potest carere obiecto. Tum potius corrigendum esset: *non mutivit* ɔ: non edidit sonum, rem silentio accepit.

ἐμετικὴν agebat. Ernestus: „volebat vomere post coenam, ideoque largius edebat. Idem comparavit p. Deiot. 21 et Celsum I. 3, (cf. quoque Seneca Cons. ad Helviam, 9, 10). reiecitque Pantagathi coniecturam *ἐμετικὴν egerat.* Sed ut illud dicatur cum Peerlkampio scripsi *ἐμετικὸν agebat* ɔ: agebat partes eius, qui vomere vellet. Aliter Cicero scripsisset: *ἔμετον* vel *ἐμετικήν* sc. *τέχνην faciebat*, ut Caelius fecit, Fam. VIII. 1, 4.

opipare ponitur de splendido cenae apparatu, ut V. 9, 1 et VII. 2, 3.

bene cocto — libenter. Lucilii verbis utitur quoque de Fin. II. 25.

§ 2. *eleganter* ɔ: exquisite, ut nos dicimus *keurig.* Elegantia in cultu, ut recte observat Ernestus in clavi, inter sordes et magnificentiam medium tenet.

accepti. Quid multa? homines visi sumus. Hospes tamen non is, cui diceres: »amabo te, eodem ad me, quum revertere"; semel satis est. Σπουδαῖον οὐδὲν in sermone, φιλόλογα multa: quid quaeris? delectatus est et libenter fuit. Puteolis se aiebat unum diem fore, alterum ad Baias. Habes hospitium sive ἐπισταθμίαν odiosam mihi, dixi, non molestam. Ego paulisper hic, deinde in Tusculanum. Dolabellae villam quum praeteriret, omnis armatorum copia dextra sinistra ad equum nec usquam alibi. Hoc ex Nicia.

homines visi sumus. cf. ad II. 2, 2. Eadem vi Nero, quum domum auream ingrederetur, dixit *se quasi hominem tandem habitare coepisse.* Suet. Ner. 31.

amabo te, eodem ad me, quum revertere. Peerlkampius me monuit esse versum iambicum ex comico et scribendum *ehodum ad me,* ut in Ter. Andria I. 2, 13. Etiam *semel satis est* videtur esse poetae.

Σπουδαῖον οὐδὲν — φιλόλογα *multa* ɔ: nihil de re publica, multa de libris et doctrinae studiis.

libenter fuit, ut paullo ante *fuit periucunde.* XVI. 6, 1 *ubi fui sane libenter.* XVI. 7, 1 *familiariter esse et libenter.* Fam. XVI. 10, 2 *Pompeius erat apud me hilare et libenter.*

ad Baias. Romani dicebant *ad Baias esse* Att. I. 16, 10, et *ad Baias venire* XV. 13, 5. Fam. IX. 2, 5, ut *ad aquas esse* in versu, quem Cicero citavit Or. II. 274 et *ad villam ali* p. Rosc. Am. 44.

odiosam mihi, dixi, non molestam. Ita distinxi cum Wesenbergio Emend. p. 49, ut haec plane responderent iis, quae initio epistolae leguntur. Sed hic movebo quaestionem, quae mihi saepius hanc epistolam legenti se obtulit. Apertum est tertiis Saturn. Caesarem cenatum esse in villa Ciceronis. Sed non dicitur, quando venerit, neque omnino venisse ad Ciceronem dicitur. Hoc scimus eum *apud Philippum* mansisse *ad horam VII.* Tum subito videmus eum in balneo (apud Ciceronem?), deinde unctum et cenantem. Nonne verisimile est intercidisse mentionem adventus? Ego puto unum versum omissum esse post verba *post horam VIII,* vel fortasse plures, in quibus narrabatur, quo modo Caesar a se acceptus sit, et quae tum sint locuti.

omnis armatorum copia cet. Equitans Caesar Dolabellae villam praeteriit, utrinque saeptus militibus, non quod aliquid timeret, sed honoris causa.

Hoc ex Nicia, grammatico Dolabellae familiari. cf. h. l. 28, 3. XIV. 9, 3.

L I B E R XIIII.

I. (*A. U. C.* 710).

1. Deverti ad illum, de quo tecum mane. Nihil perditius: explicari rem non posse; »etenim si ille tali ingenio exitum non reperie-

§ 1. *Deverti ad illum.* Primis tribus mensibus anni 710 Cicero in urbe fuisse, aut, si aliquando rus excucurrit, nullas tamen ad Atticum litteras dedisse videtur. Episto-

bat, quis nunc reperiet?" quid quaeris? perisse omnia aiebat — quod haud scio an ita sit, verum ille gaudens — affirmabatque minus diebus xx. tumultum Gallicum, in sermonem se post Idus Mart. praeterquam Lepido venisse nemini, ad summam, non posse ista sic abire. O prudentem Oppium, qui nihilo minus illum desiderat, sed loquitur nihil, quod quemquam bonum offendat. Sed haec hactenus. 2. Tu, quaeso, quicquid novi — multa autem exspecto — scribere ne pigrere, in his de Sexto satisne certum, maxime autem de Bruto nostro, de quo quidem ille, ad quem deverti, Caesarem solitum dicere, »Magni refert, hic quid velit, sed quicquid vult, valde vult:" idque eum ani-

lae huius libri omnes scriptae sunt inde a Nonis April. usque ad Id. Maias. Primam scripsit in suburbano C. Matii, ad quem deverterat; quod intelligitur ex iis, quae nomine addito scripsit ep. 3, 1 et 4, 1 h. l.

Nihil perditius. Cf. VIII. 11, 4. XI. 18, 2. Si Ciceronis sunt, indicant *illum* ɔ: C. Matium non esse bonarum partium. Si Matio tribui debent, quod mihi tamen non placet, sunt negantis remp. post Caesaris mortem stare posse.

verum ille gaudens. C. Matius caedem Caesaris, quocum coniunctissime vixerat, dolebat atque optabat ut coniuratos sui facti paeniteret, sed remp. salvam esse cupiebat, ut apparet e praeclara eius ad M. Tullium epistola, Fam. XI. 28. Iniquius igitur Cicero de eo iudicat.

tumultum Gallicum. Cf. ep. 4, 1. Sed Galli praeter spem ab armis abstinuerunt. Vid. ep. 9 extr.

in sermonem se — pr. Lepido venisse nemini. Ex uno Faerni codice affertur *Lepido,* quod tamen vel e coniectura recipiendum erat propter sequens *nemini,* quod in omnibus libris invenitur. Nam quominus scribamus *Lepidi — neminis* prohibet usus Ciceronis, in cuius scriptis genetivus *neminis* non legitur, nisi forte in Caeliana 56, ubi tamen libri scripti omnes habent: *si hic nemini nomen detulisset.* Quum autem dicendum esset *alicuius nomen deferre,* non *alicui nomen deferre,* veteres editores pro dativo posuerunt genetivum. Sed ecce palimpsestus Taurinensis insolita forma Ciceronem liberavit, in quo ita scriptum est: *si hic nullius nomen detulisset.* Atque Ciceronem non usum esse genetivo *neminis* docent quodammodo Festus p. 162 et Nonius p. 143, quum huius formae exempla afferant e Catone et antiquis poetis. Idem valet de ablativo *nemine,* qui uno loco nititur ex orat. in toga candida p. 93, 18 Asconii Orell., ubi tamen *Cn. Pisone socio neque alio nemine* a Cicerone dicta fuisse pro *Cn. Pisone socio atque aliis nonnullis* non credo recteque a Kieslingio receptam existimo Gronovii emendationem *ne quem alium nominem. Nemine* invenitur apud Plautum in Cist. I, 1, 89. Mil. Glor. IV. 2, 70. Scriptores ante Tacitum hac forma abstinuerunt.

ad summam ɔ: in universum aiebat. Illustravit hanc locutionem Handius in Turs. I. p. 130 sq. et similes formulas *in summa* et *in summam* comparavit ibid. III. p. 264. Nonnunquam *ad summam* idem est ac *denique,* ut supra VII. 7, 7.

non posse ista sic abire ɔ: non posse Caesaris caedem inultam manere. Usus est eadem locutione de Fin. V. 7, ut Terentius Andr. I. 2, 4 *mirabar hoc si sic abiret* et Catull. carm. 14 *non hoc tibi — sic abibit.*

O prudentem Oppium. Recte Orellius in altera edit. revocavit codd. scripturam, spreta Ernesti suspicione *pudentem.* Nam quae sequuntur Oppii prudentiam manifesto arguunt, qui dissimulabat dolorem e nece Caesaris acceptum.

§ 2. *de Sexto satisne certum* ɔ: satisne certum sit Sextum Pompeium in armis esse. ep. 4, 1. 8, 2. imprimis 13, 2.

de Bruto, ubi sit et quid agat.

quicquid vult, valde vult. Praesens tempus tuetur Plutarchus in Bruto, 6 idem ut videtur Caesaris de Bruto dictum ita referens: *οὗτος ὁ νεανίας οὐκ οἶδα μὲν ὃ βούλεται· πᾶν δ' ὃ βούλεται, σφόδρα βούλεται,* ex quo loco particulam *sed* apud Ciceronem tuetur Moserus Symb. Crit. VIII. p. 12. Cui ego assentior etiam

madvertisse, quum pro Deiotaro Nicaeae diceret: valde vehementer eum visum et libere dicere, atque etiam — ut enim quidque succurrit, libet scribere — proxime, quum Sestii rogatu apud eum fuissem exspectaremque sedens quoad vocarer, dixisse eum, »Ego dubitem, quin summo in odio sim, quum M. Cicero sedeat nec suo commodo me convenire possit? Atqui, si quisquam est facilis, hic est; tamen non dubito quin me male oderit"; haec et eiusmodi multa. Sed ad propositum: quicquid erit, non modo magnum sed etiam parvum, scribes; equidem nihil intermittam.

lectis, quae scripsit S. Brandt in Mus. Rhen. XXXVI p. 631, qui Caesarem putat dixisse: *Non magni refert.* Dixisset saltem: *Parvi refert.* Et quis credat Caesarem contempsisse quod Brutus vellet?

quum pro Deiotaro Nicaeae diceret. Cf. de hac Bruti oratione Cic. Brut. 21 et Dial. de Oratt. 21. Meierus in Oratt. Rom. fragm. p. 449 statuit causam a. 707 in Bithyniae oppido, non a. 709 in oppido Ligurum cognomine actam esse. Cf. tamen Chapman in diss. de aetate Cic. libr. de Leg. p. 24 in adnot.

Ego dubitem cet. Sententia horum verborum Caesaris non valde aperta est, neque intellexit Atticus, a quo rogatus Cicero eam explanavit ep. seq. § 3.

sedeat ɔ: non statim admittatur, sed in atrio exspectet donec vocetur.

male oderit ɔ: vehementer oderit, ut in Terentii Ad. v. 523 *illud rus — male odi.* cf. Cic. Fam. VII. 2, 2.

II. (*A. U. C.* 710.)

1. Duas a te accepi epistolas heri. Ex priore theatrum Publiliumque cognovi, bona signa consentientis multitudinis; plausus vero L. Cassio datus etiam facetus mihi quidem visus est. 2. Altera epistola de Madaro scripta, apud quem nullum † *φαλάκωμα*, ut putas; processit enim, sed minus diu. Eius sermone enim sum retentus. 3. Quod autem ad te scripseram, obscure fortasse, id eiusmodi est: aiebat Caesarem secum, quo tempore Sestii rogatu veni ad eum, quum exspectarem sedens, dixisse: »Ego nunc tam sim stultus, ut hunc ipsum facilem hominem putem mihi esse amicum, quum tamdiu sedens

§ 1. *theatrum Publiliumque cognovi.* Huc respicit Cicero in ep. 3 extr. rogans Atticum, ut *populi ἐπισημασίαν et mimorum dicta* perscribat. *Publilium* in Med. servatum verum nomen esse poetae, qui vulgo vocatur *Publius Syrus* demonstravit Ed. Woelflinus in Philologo Gotting. XXII. 439 seq., monens idem inveniri in optimis codd. Senecae rhetoris, Plinii, Gellii nonnullis in locis.

L. Cassio non ob aliquod ipsius meritum plausus datus est, sed fratris Caii causa, quod hic tyrannum interfecerat. Cf. Fam. XII. 2, 2. Lucius mense Decembri huius anni tribunus plebis factus est. vid. Phil. III. 23.

§ 2. *de Madaro.* Μαδαρὸς dicitur, cui capilli defluunt, calvus, et ficto hoc atque *Calvenae* nomine ep. 5, 1 et 9 extr. designari C. Matium certissimum est. Minus certum, quid lateat in φαλακώμα. Nam φαλάκρωμα, quod Bosius e Victorii editione recepit, non magis huic loco convenit,

meum commodum exspectet?" Habes igitur φαλάκρωμα inimicissimum otii, id est Bruti. 4. In Tusculanum hodie, Lanuvii cras, inde Asturae cogitabam. Piliae paratum est hospitium, sed vellem Atticam, verum tibi ignosco; quarum utrique salutem.

quam σαλακώνισμα, quod I. F. Gronovius excogitavit. Fortasse non displicebit aliis, quod mihi in mentem venit cogitanti Homeri verba (Il. XIII. 359) μαλακὸν κῶμα ɔ: mollis somnus. Sententia certe hac correctione admissa bene procedit: Apud Matium non placide dormivi, ut putas. *Processit enim, sed minus diu. Eius sermone enim sum retentus* ɔ: nam bene dormivi, sed brevius, quum hospitis sermone longius sim retentus. In his *processit* est e codicibus, de quibus constat, omnibus. *Diu eius* pro *diutius*, quod Mss. dant, volebant quoque Manutius et Lambinus. Fortasse tamen Cicero scripsit: *Processi enim, sed minus: diutius enim sermone eius sum retentus.*

§ 3. *Habes igitur* φαλάκρωμα *inimicissimum otii, id est Bruti.* Interpretes certatim monent φαλάκρωμα esse rursus Matium, quem modo *madarum* nominavit ob calvitiem. Sed nemo explicuit, quo modo haec verba cum Caesaris dicto per particulam *igitur* cohaereant. Fortasse Cicero sic scribens cogitabat epistolam superiorem, in qua pluribus Matii sermonem animumque descripserat. Verba *id est Bruti* immerito Ernesto suspecta erant, quum librarii captum longe superent. Brutus volebat otium; Matius cupiebat Caesaris interfectores armis vindicari; propterea Ciceroni videbatur inimicissimus et otii et Bruti. Similem usum vv. *id est* vidimus IV. 18, 1 (16, 9), apteque I. F. Gronovius comparavit e Flori IV. 2: *de successione Caesaris senatus, id est Pompeius, agitabat.*

§ 4. *sed vellem Atticam* np. secum duceret; *verum tibi ignosco,* quod filiam retinere mavis.

III. (*A. U. C.* 710.)

1. Tranquillae tuae quidem litterae; quod utinam diutius! nam Matius posse negabat. Ecce autem structores nostri ad frumentum profecti, quum inanes redissent, rumorem afferunt magnum, Romae domum ad Antonium frumentum omne portari: πανικὸν certe; scripsisses enim. Corumbus Balbi nullus adhuc, etsi mihi notum nomen; bellus enim esse dicitur architectus. 2. Ad obsignandum tu adhibitus non sine causa videris; volunt enim nos ita putare; nescio cur non animo quoque sentiant. Sed quid haec ad nos? odorare tamen Antonii διάθεσιν, quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere

§ 1. *Tranquillae tuae q. litterae* ɔ: nuntias mihi rerum tranquillitatem.

structores nostri. Igitur in Tusculano aliquid aedificabat. *Structores* nominat quoque ad Q. fr. II. 6, 2.

domum ad Antonium. Ita Latini scriptores pro *ad domum Antonii.* vid. Ruhnk. ad Ter. Eun. I. 2, 125. Dixi de hac re aliquid ad IV. 14, 1.

Corumbus. Potius nomen e Graeco ortum *Corymbum* Latine fuisse credo. Quod scripsi *etsi mihi n. n.* debetur Klotzio 2, et aptius est quam Wesenbergii *est.* Codd. *et.*

§ 2. *Ad obsignandum* cet. Caesariani nonnulli post mortem Caesaris rerum conversionem metuentes videntur in testamentis suis legata Ciceroni reliquisse et Atticum testem adhibuisse, ut per eum hac de re Cicero certior fieret. Apparet ex ep. 14, 5 h. l. ubi quaerit: *Poterone eos ipsos non lau-*

quam quicquam mali cogitaré. Tu, si quid pragmaticum habes, scribes; sin minus, populi ἐπισημασίαν et mimorum dicta perscribito. Piliae et Atticae salutem.

dare, qui te obsignatorem adhibuerunt? In iis quae sequuntur *animo* dictum est pro *serio.* Cicero indicat se eum esse, qui laedi quemquam nollet.

pragmaticum ɔ: quod ad rem p. pertinet. Voc. Graecum a Romanis in suum sermonem translatum est. cf. II. 20, 1. Pro *habes, scribes* in M[1] est *habere scribises,* quod sec. manu mutatum est in *scribe.* B. in adn. crit. coniecit: *habes rescribe sis.* Ego malim: *habebis, scribes.* Cf. meae Obs. crit. p. 59.

IV. (*A. U. C.* 710.)

1. Numquid putas me Lanuvii? at ego te istic quotidie aliquid novi suspicor. Tument negotia: nam, quum Matius, quid censes ceteros? Equidem doleo, quod nunquam in ulla civitate accidit, non una cum libertate rem publicam recuperatam. Horribile est quae loquantur, quae minitentur, ac vereor Gallica etiam bella, ipse Sextus quo evadat. 2. Sed omnia licet concurrant, Idus Martiae consolantur; nostri autem ἥρωες, quod per ipsos confici potuit, gloriosissime et magnificentissime confecerunt, reliquae res opes et copias desiderant, quas nullas habemus. Haec ego ad te, tu, si quid novi — nam quotidie aliquid exspecto — confestim ad me et, si novi nihil, nostro more tamen ne patiamur intermitti litterulas; equidem non committam.

§ 1. *Numquid* cum W. scripsi pro *nunc quid.* Cicero non rogat *quid novi,* sed *numquid novi* putas me habere.

Tument negotia. „*Tumere* eleganti metaphora dicuntur, quae eruptura videntur. Usurpavit Cicero bis in ep. ad Att. XIV. 4 et 5 (*rerum tumor*)." Lipsius ad Tac. Hist. II. 32. Nescio tamen an potius sequar Menckenium, qui Observ. p. 987 sq. *tumorem esse morbum* et *tumere* dici pro *aegrotare* docet. Favet certe huic sententiae voc. *mederi,* quod Cicero *tumori* adiecit.

ipse Sextus quo evadat ɔ: quid S. Pompeius acturus sit, utrum pro repb. an ad dominationem parandam copiis sit usurus.

§ 2. *Haec ego ad te, tu, si quid novi — confestim ad me.* Vere Klotzius vidit pro *ut* scribendum esse *tu.* Receperunt B.W.

V. (*A. U. C.* 710.)

1. Spero tibi iam esse ut volumus, quoniam quidem ἠσίτησας, quum leviter commotus esses, sed tamen velim scire quid agas. Signa bella, quod Calvena moleste fert (se) suspectum esse Bruto: illa signa non

§ 1. *quoniam quidem* pro quandoquidem saepius in Ciceronis scriptis legitur, velut Fam. I. 9, 19. Brut. 42. Parad. 41.

Calvena. vid. ad ep. 2, 2. Matius putabatur inimicissimus esse otii et propterea suspectus erat Bruto.

bona, si cum signis legiones veniunt e Gallia; quid tu illas putas, quae fuerunt in Hispania, nonne idem postulaturas? quid, quas Annius transportavit? † Caninium volui, sed *μνημονικὸν ἁμάρτημα.* Ab aleatore *φυρμὸς πολύς*: nam ista quidem Caesaris libertorum coniuratio facile opprimeretur, si recta saperet [Antonius]. 2. Meam stultam verecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere viderer hunc rerum tumorem, cui certe si possem mederi, deesse non deberem, sed vides magistratus, si quidem illi magistratus, vides tamen tyranni satellites in imperiis, vides eiusdem exercitus, vides in latere veteranos, quae sunt *εὐρίπιστα* omnia, eos autem, qui orbis terrae custodiis non modo saepti, verum etiam † magisse debebant, tantummodo laudari atque amari, sed parietibus contineri. Atque illi quoquo modo beati, civitas misera. 3. Sed velim scire qui adventus Octavii,

quid, quas Annius transportavit? † *Caninium volui.* Orellius nomen *Annii* corruptum censet ex *Asinio.* Mihi contra videtur *Caninium* mutandum esse in *C. Asinium,* qui a Caesare paulo ante Hispaniae ulteriori praefectus (vid. Dio XLV. 10) copias eo transportaverat. Recte hae legiones opponuntur iis, quae *fuerunt* in Hispania ibique bellum Caesaris ductu gesserant. De *Annio* non est, quod quaeramus, quum ipse Cicero errorem suum castigaverit.

Ab aleatore φυρμὸς πολύς ɔ: Antonius multa turbat, sed nihil efficit. Aleatoris nomen convenire in Antonium apparet e Phil. II. 56; scripturam e marg. Crat. receptam *a balneatore* Klotzius eo defendit, quod *φυρμός* ad balneatorem pertinet. Non video cur vocabulum, quod mixturam, perturbationem indicat, de aleatore poni non possit.

ista — coniuratio. Cf. Phil. I. 5 unde discimus tumultum a Dolabella, absente Antonio, oppressum esse.

Antonius in extrema sententia Ernesto a glossatore additus videbatur. Non erat cur Cicero, qui modo vocarat *aleatorem,* nunc suo eum nomine designaret.

§ 2. *vides tamen tyranni* cet. Particula *tamen* refertur ad sententiam cogitatione supplendam: *quamvis occiso tyranno.* Sine causa W. e *tamen* fecit *etiam.*

in latere sc. urbis. Cogitandum de Campania, ubi Caesar veteranis suis agros dederat. Regio sita ad dextram vel sinistram alicuius loci poterat dici *in latere* esse.

εὐρίπιστα, mobilia et incerta. Nomen Turnebus derivat ab *εὖ* et *ῥιπίζω,* Advers. XIII. 5. Aliquanto melius puto, quod mihi obtulit Peerlkampius, *quare sunt εὐαναρρίπιστα omnia* ɔ: quare facile omnia velut ignis sopitus, non exstinctus, rursus suscitari possunt, incedoque per ignes suppositos cineri doloso.

verum etiam † *magisse debebant.* Bosio probanti Manutii correctionem *vagi esse* recte opponit Graevius *vagum* in malam partam accipi et inepte opponi custodiis saepto. Non minus recte impugnavit Orellius alteram scripturam, ex M² ductam, *magni esse.* Nam quae est illa opposito *non modo saepti, verum etiam magni?* Quod ipsi in mentem venit *ἅγιοι,* Kaysero *sancti* mihi vehementer displicet. Ciceronem scripsisse credo: *verum etiam metu vacui esse debebant.* Vox *metu* facile omitti potuit post *m etiam* et *vacui esse* latet in inepto verbo *magisse.*

tantummodo laudari atque amari. Ciceronem non scripsisse, quod se in codice vidisse finxit Bosius *tantum non,* neque addita negatione *non tantum non laudari,* satis docet quod in ep. seq. legimus *τυραννοκτόνους in caelo esse* ɔ: summis laudibus ornari. Illi vero laudabantur et ob facinus vulgo amabantur, sed metuebant tamen insidias, ideoque in publicum prodire non audebant.

Atque illi — beati ɔ: et illi sane, quicquid iis acciderit, beati dicendi sunt ob gloriam facti. *Atque* e Med. reposui pro *atqui,* quod Bosio debetur. Cf. Zumpt. ad Verr. p. 221. Hand. Turs. I. p. 496.

§ 3. *qui adventus Octavii.* ɔ: qualis. Vulgo

num qui concursus ad eum, num quae νεωτερισμοῦ suspicio: non puto equidem, sed tamen quicquid est scire cupio. Haec scripsi ad te proficiscens Astura III. Idus.

quid. Correxi de mea et Wesenbergii coniectura. — Octavius, qui testamento a Caesare adoptatus C. Iulius Caesar Octavianus dictus est (Dio XLVI. 47), nuntio de caede maioris avunculi (Suet. Oct. 7) accepto, Apollonia, ubi studiis vacabat, urbem repetiit. Suet. Oct. 8. Cicero in epistolis lib. XIV et in XV. 2, 3 constanter eum hoc nomine appellat deinde XV. 12, 2 et in epistolis libri XVI. 8. 11. 14 *Octavianum.*

VI. (*A. U. C.* 710.)

1. Pridie Idus Fundis accepi tuas litteras cenans. Primum igitur melius esse, deinde meliora te nuntiare; odiosa illa enim fuerant, legiones venire; nam de Octavio susque deque. Exspecto quid de Mario, quem quidem ego sublatum rebar a Caesare. Antonii colloquium cum heroibus nostris pro re nata non incommodum, sed tamen adhuc me nihil delectat praeter Idus Martias. Nam, quoniam Fundis sum cum Ligure nostro, discrucior Sextilii fundum a verberone Curtilio possideri; quod quum dico, de toto genere dico: 2. quid enim miserius quam ea nos tueri, propter quae illum oderamus? etiamne consules et tribunos pl. in biennium, quos ille voluit? Nullo modo reperio quemadmodum possim πολιτεύεσθαι; nihil enim tam σόλοικον, quam tyrannoctonos in caelo esse, tyranni facta defendi. Sed vides consules, vides reliquos magistratus, si isti magistratus, vides languorem bonorum. Exsultant laetitia in municipiis; dici enim non potest quanto opere gaudeant, ut ad me concurrant, ut audire cupiant mea verba de

§ 1. *Primum igitur melius esse* cet. *igitur* otiosum est et desideratur aliquid unde pendeant infinitivi. Scribendum puto: *Primum laetor* (*tibi*) *melius esse* ɔ: febrim a te discessisse. Cf. ep. 5, 1.

de Octavio susque deque. „Significat *susque deque ferre* (*habere*) animo aequo esse et quod accedit non magni pendere, atque interdum negligere et contemnere et propemodum id valet, quod dicitur Graece ἀδιαφορεῖν." Gellius N. A. XVI. 9. Cf. Plaut. Amph. III. 2, 5.

Exspecto, quid de Mario. De hoc Mario dictum est in ep. 49, lib. XII, et verbo nominatur h. l. ep. 7 et 8. Sed e Phil. I. 5 apparet verum Marium iam olim periisse, falsarium quendam eius nomen sumpsisse et a consulibus ultimo supplicio affectum esse.

cum Ligure nostro. Fortasse idem est, qui XV. 26, 4 et 22, 1 *M. Aelius* appellatur.

Sextilii Pompeiani, illius ut videtur ad quem data est ep. 48 l. XIII. ad Fam.

de toto genere ɔ: de omnibus Caesarianis, qui aliena possident nec ea antiquis dominis restituere coguntur. Redit huc in ep. 10, 2 h. l.

§ 2. *in biennium.* Narrat quoque Dio XLIII. 51 Caesare ad bellum Parthicum profecturo magistratus in triennium creatos esse, consules autem et tribunos plebis solos in biennium. Minus accurate Suetonius in Iul. 76 narrat Caesarem magistratus *in plures annos* ordinasse.

tyrannoctonos Med. hic et ep. 15, 1. XVI. 15, 3. Fam. XII. 22, 2 latinis litteris pro-

re publica. Nec ulla interea decreta; sic enim πεπολιτεύμεθα, ut victos metueremus. Haec ad te scripsi apposita secunda mensa: plura et πολιτικώτερα postea, et tu quid agas quidque agatur.

fert. Recentiores id tenuerunt. Miror tamen cur Cicero non potius *tyrannicidas* appellaverit.

mea verba de rep. Scripsi cum correctore libri Med. Male vulgo cum Bosio editur: *verba mea ea de re.*

apposita secunda mensa ɔ: sub finem cenae, quum iam tempus eundi cubitum instaret.

VII. (*A. U. C.* 710.)

1. Postridie Idus Paullum in Caieta vidi. Is mihi de Mario et de re publica aliqua, quaedam sane pessima. A te scilicet nihil; nemo enim meorum; sed Brutum nostrum audio visum sub Lanuvio. Ubi tandem est futurus? nam quum reliqua, tum de hoc scire aveo omnia. Ego e Formiano exiens XVII. Kal., ut inde altero die in Puteolanum, scripsi haec. 2. A Cicerone mihi litterae sane πεπινωμέναι et bene longae; cetera autem vel fingi possunt, πίνος litterarum significat doctiorem. Nunc magno opere a te peto, de quo sum nuper tecum locutus, ut videas ne quid ei desit. Id quum ad officium nostrum pertinet, tum ad existimationem et dignitatem; quod idem intellexi tibi videri. Omnino, si ego, ut volo, mense Quintili in Graeciam, sunt omnia faciliora; sed quum sint ea tempora, ut certi nihil esse possit, quid honestum mihi sit, quid liceat, quid expediat, quaeso da operam, ut illum honestissime copiosissimeque tueamur. Hoc et cetera, quae ad nos pertinebunt, ut soles, cogitabis ad meque aut quod ad rem pertineat, aut, si nihil erit, quod in buccam venerit, scribes.

§ 1. *in Caieta.* Cf. ad VIII. 3, 6. Non opus, ut vel cum Lambino *in Caietano* vel cum correctore libri Med. *Caietae* scribatur.

de re p. aliqua, quaedam sane pessima. Ita distinguentes Med. scripturam integram servare possumus, neque opus est ut cum vett. ed. *aliqua* in *alia* mutemus, neque ut *aliqua* deleamus, ut in priore edit. feci.

nemo enim meorum Roma huc venit.

§ 2. πεπινωμέναι — πίνος. Cf. ad XII. 4 et XV. 16*a* et 17, 2.

Omnino, si ego, ut volo, mense Q. in Graeciam, sunt omnia faciliora. Ita verba misere ab editoribus vexata et prava distinctione obscurata egregie correxit Wesenbergius Emend. p. 95, una littera mutata in scriptura cod. Z, in quo erat *si ego 'st,* unde in Med. *si ergo est.* Frugibus inventis qui tamen malit vesci glandibus, legat quae de his verbis scripsit Moserus, Symb. Crit. VI. p. 8 sq.

VIII. A. U. C. 710.)

1. Tu me iam rebare, quum scribebas, in actis esse nostris, at ego accepi XVII. Kal. in deversoriolo Sinuessano tuas litteras. De Mario

probe, etsi doleo L. Crassi nepotem: optime tam etiam Bruto nostro probari Antonium; nam quod Iuniam scribis moderate et amice scriptas litteras attulisse, mihi Paullus dedit ad se a fratre missas, quibus in extremis erat sibi insidias fieri; se id certis auctoribus comperisse; hoc nec mihi placebat et multo illi minus. Reginae fuga mihi non molesta est. Clodia quid egerit scribas ad me velim. De Byzantiis curabis ut cetera, et Pelopem ad te arcesses. Ego, ut postulas, Baiana negotia chorumque illum, de quo scire vis, quum perspexero, tum scribam, ne quid ignores. 2. Quid Galli, quid Hispani, quid Sextus agat, vehementer exspecto: ea scilicet tu declarabis, qui cetera. Nauseolam tibi tuam causam otii dedisse facile patiebar; videbare enim mihi legenti tuas litteras requiesse paullisper. De Bruto semper ad me omnia perscribito, ubi sit, quid cogitet; quem quidem ego spero iam tuto vel solum tota urbe vagari posse; verumtamen . . .

§ 1. *in actis* ɔ: in aliquo praedio ad mare sito, Puteolano vel Cumano. *Actam* Servius ad Aen. V. 613 interpretatur *secreta et amoena litorum*. Saepius voc. Graecae originis posuerunt scriptores Latini. Vid. intt. ad Cic. Fam. IX. 6, 4.

etsi doleo L. Crassi nepotem. Verus Marius erat L. Crassi, magni oratoris, nepos. Vid. XII. 49. Ironice nunc loqui Tullium apparet.

optime tam etiam cet. *Tam* est = tantopere et cum v. *probari* est iungendum. Non sine quadam vi initio sententiae positum videtur. Moserus Symb. Crit. VIII. p. 13 *tam — probari* h. l. nimium putat, quum satis esset ea quae Antonius fecisset Bruto non improbari; itaque aut *iam* aut *tamen* corrigi vult. Illud a Klotzio et W. editum est, nec mihi displicet.

nam quod Iuniam cet. Iunia erat M. Bruti soror, M. Lepidi uxor. Litteras, quas ea attulit, mariti ad fratrem fuisse arbitror; quas autem Paullus ab eodem Lepido, fratre suo (cf. Perizonii Anim. Hist. p. 121 seqq.) acceptas Tullio dederat, Bruti ad Lepidum datas crediderim.

hoc nec mihi placebat „quum Cicero interpretaretur hoc fingere Lepidum, ut causam tumultuandi et secedendi a bonis haberet." I. F. Gron.

Reginae fuga. Suetonius in Iul. 52 tradit Caesarem Cleopatram in urbem accitam praemiis honoribusque auctam remisisse; sed eam post Caesaris mortem demum urbem reliquisse, ubi metuebat inimicos ex hoc loco discimus. Rursus memoratur *regina* XIV. 20, 2. XV. 1 *a*, 5; 4, 4; 15, 2; 17, 2.

Clodia quid egerit. Quod in Mediceo prima manus scripserat *molesta. Sed Clodia*, id recte ita correctum est: *molesta'st. Clodia.* Nam, ut recte observat Wesenbergius Emend. p. 97, in transitu ad aliam rem *sed* vitiosum est, asyndeton usitatum.

Pelopem h. l. esse servum vel libertum suspicantur Onomastici Tulliani scriptores p. 445. Perperam. Sine dubio est Pelops Byzantius, ad quem Cicero dedit epistolam Graece scriptam de honoribus sibi a Byzantiis decernendis. Vid. Plut. Cic. 24.

Baiana negotia „per ironiam dicit. Nulla enim illic negotia, sed ἀπραγόπολις, civitas otiosorum. Suet. Aug. 98. Statius Silv. IV, 7 *desides Baiae.*" Gronov.

chorumque illum ɔ: turbam otiosorum, cf. ep. 9, 2, in quibus erant Balbus, Hirtius, Pansa, ep. 11 extr.

§ 2. *Nauseolam tibi tuam* cet. ɔ: te fastidio stomachi leviter temptatum a negotiis abstinuisse laetor, nam vidi ex litteris tuis accurate scriptis te quiete refectum novis viribus ad scribendum rediisse. Cf. ep. 10, 2.

vel solum ɔ: sine ullo praesidio, nullis comitibus.

verum tamen..... Reticet: spero magis quam credo, aut simile quid. Cf. h. l. 12, 1.

IX. (*A. U. C.* 710.)

1. De re publica multa cognovi ex tuis litteris, quas quidem multiiuges accepi uno tempore a Vestorii liberto; ad ea autem, quae requiris, brevi respondebo. Primum vehementer me Cluviana delectant; sed quod quaeris quid arcessierim Chrysippum, tabernae mihi duae corruerunt reliquaeque rimas agunt, itaque non solum inquilini, sed mures etiam migraverunt. Hanc ceteri calamitatem vocant, ego ne incommodum quidem. O Socrates et Socratici viri! nunquam vobis gratiam referam. Dii immortales, quam mihi ista pro nihilo! sed tamen ea ratio aedificandi initur, consiliario quidem et auctore Vestorio, ut hoc damnum quaestuosum sit. 2. Hic turba magna est eritque, ut audio, maior. Duo quidem quasi designati consules... O Dii boni! vivit tyrannis, tyrannus occidit, eius interfecti morte laetamur, cuius facta defendimus; itaque quam severe nos M. Curtius accusat, ut pudeat vivere, neque iniuria; nam mori milies praestitit quam haec pati, quae mihi videntur habitura etiam vetustatem. 3. Et Balbus hic est multumque mecum, ad quem a Vetere litterae datae pridie Kal. Ianuar., quum a se Caecilius circumsederetur et iam teneretur, venisse cum maximis copiis Pacorum Parthum; ita sibi esse eum ereptum multis suis amissis; in qua re accusat Volcacium. Ita mihi videtur bellum

§ 1. *multiiuges.* Vocabulum in Ciceronis scriptis alibi non invenitur. Postea ut alia composita cum adiect. *multus* saepius usurpari coeptum est. Indicat *multas simul, complures.*

Cluviana ɔ: praedia, quae e Cluvii hereditate (vid. XIII. 46, 3) acceperat. Cf. de iis ep. 10, 3 et 11, 2.

mures migraverunt „quos aiunt praesentire lapsus aedium et excedere ruinam minitantibus. Plin. H. N. VIII. 103. Aelian. Var. I. 11." Gron. Acute Victorius V. L. XVII. 5 observarat Ciceronem non videri in eadem opinione fuisse; aliter mures ante inquilinos migrasse scripsisset.

nunquam vobis gratiam referam ɔ: pro eo, quod me docuistis contemnere opes, tantum vobis debeo, ut nunquam solvere possim. Non opus est ut cum Schichio scribatur *nunc quam v. g. referam?*

consiliario — et auctore Vestorio ɔ: quum Vestorius fabris consilia det et de eius sententia aedificetur. Cf. Fam. I. 9, 2 *ego te auctore — tu me consiliario usus esses.*

§ 2. *Duo — quasi designati consules.* Hirtium dicit et Pansam, non populi suffragiis creatos, sed qui a Caesare in annum secundum erant designati. Vid. supra ad ep. 6, 2.

eius interfecti — defendimus. Ernestus Ciceronianum putabat: *Cuius interfecti morte laetamur, eius (vivi) facta defendimus.* Mihi part. *interfecti* non modo otiosum, sed ineptum videtur; quare verum puto: *Cuius morte laetamur, eius facta defendimus.*

M. Curtius. Cogitandum de illo homine, quem passim in his epistolis cum contemptu nominatum vidimus, velut IX. 5, 1 et 6, 2. XII. 49, 1. Pro *quam severe* scribendum videri *tam severe* ad VII. 15, 2 monui.

§ 3. *a Vetere* ɔ: a C. Antistio Vetere, qui Q. Caecilium Bassum Apameae obsederat. Vid. Dio XLVII. 27. cf. Borghesi Oeuvres I. p. 356. De Basso prudenter disp. Estré. Prosopogr. Horat. p. 482.

Volcacium. Sine causa Corradus *L. Statium*, Syriae praesidem e Phil. XI. 30 huc vocavit. Nihil obstat, quominus statuamus hunc esse C. Volcacium Tullum, quem laudat Caesar

illud instare; sed Dolabella et Nicias viderint. Idem Balbus meliora de Gallia — XXI die litteras habebat —, Germanos illasque nationes re audita de Caesare legatos misisse ad Aurelium, qui est praepositus ab Hirtio, se, quod imperatum esset, esse facturos. Quid quaeris? omnia plena pacis, aliter ac mihi Calvena dixerat.

B. G. VI. 29. B. C. III. 52. De nominis orthographia dixi in Obss. crit. ad epistolas, p. 32. Hic M. dat vitiosum *vultatium*.

bellum illud cum Parthis.

Dolabella eo tempore consul post consulatum Syriam obtinere cupiebat, C. Cassio a senatu decretam. Secum habebat Niciam Curtium grammaticum, cuius in epistolis lib. XII et XIII saepe mentio fit.

qui est praepositus ab Hirtio. Ex ep. XII. 37, 4 novimus Hirtium superiori anno fuisse Narbone. Ex hoc loco apparet eum pro praetore Galliam comatam rexisse et quum inde ante adventum L. Munatii Planci discederet ei provinciae praeposuisse quaestorem vel legatum Aurelium.

X. (*A. U. C.* 710.)

1. Itane vero? hoc meus et tuus Brutus egit, ut Lanuvii esset, ut Trebonius itineribus deviis proficisceretur in provinciam, ut omnia facta, scripta, dicta, promissa, cogitata Caesaris plus valerent, quam si ipse viveret? Meministine me clamare illo ipso primo Capitolino die senatum in Capitolium a praetoribus vocari (oportere)? Dii immortales! quae tum opera effici potuerunt laetantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus! Liberalia tu accusas. Quid fieri tum potuit? iam pridem perieramus. Meministine te clamare causam perisse, si funere elatus esset? at ille etiam in foro combustus laudatusque miserabiliter, servique et egentes in tecta nostra cum facibus immissi; quae deinde, ut audeant dicere, »tune contra Caesaris nutum?" Haec et alia ferre non possum: itaque γῆν πρὸ γῆς cogito; tua tamen ὑπηνέμιος. 2. Nausea iamne plane abiit? mihi quidem ex tuis litteris coniectanti ita videbatur. Redeo ad Tebassos, Scaevas, Fran-

§ 1. *Itane vero?* Utuntur hac quaestione vel *itane tandem?* qui quaerunt de re dubia et incredibili, quam alii affirmant. Vid. Handii Turs. III. p. 495 sq. Cicero indignatur Brutum occiso Caesare extra urbem latitare debere.

in provinciam ɔ: in Asiam, ubi deinde a Dolabella occisus est. Phil. XI. 5.

senatum — vocari. Cf. ep. 14, 2 *Illam sessionem Capitolinam mihi non placuisse tu testis es* et XV. 11, 2. Praetores erant Cassius et Brutus, qui statim post Caesaris mortem senatum convocare debuerant, et de summa re publica referre, quum M. Antonius consul latitaret, Dolabella nondum iniisset in Caesaris locum. *Oportere* de Schuetzii coni. additur. Male Andresen id omitti posse censet.

Liberalia agebantur a. d. XVI Kal. Apr., nam, ut scribit Ovidius Fast. III. 713 *Tertia post Idus lux est celeberrima Baccho.* Illo die in aede Telluris senatus habitus est. Cf. Phil. I. 1 et h. l. ep. 14, 2.

tua tamen ὑπηνέμιος ɔ: Epirus tamen mihi nimis vento exposita, non satis tuta videtur, ut recte explicat Ernestus.

§ 2. *Redeo ad Tebassos,* cet. „Nomina veteranorum, qui e Caesaris largitione Pom-

gones: hos tu existimas confidere se illa habituros stantibus nobis? in quibus plus virtutis putarunt, quam experti sunt. Pacis isti scilicet amatores et non latrocinii auctores? At ego quum tibi de Curtilio scripsi Sextilianoque fundo, scripsi de Censorino, de Messalla, de Planco, de Postumio, de genere toto: melius fuit perisse illo interfecto — quod nunquam accidisset — quam haec videre. 3. Octavius Neapolim venit XIIII. Kal. Ibi eum Balbus mane postridie, eodemque die mecum in Cumano, illum hereditatem aditurum; sed, ut scribis, † ῥιξόθεμιν magnam cum Antonio. Buthrotia mihi tua res est, ut debet, eritque curae. Quod quaeris iamne ad centena Cluvianum, adventare videtur; scilicet primo anno LXXX. detersimus. 4. Q. pater ad me gravia de filio, maxime quod matri nunc indulgeat, cui antea bene merenti fuerit inimicus: ardentes in eum litteras ad me misit. Ille autem quid agat, si scis nequedum Roma es profectus, scribas ad me velim et hercule, si quid aliud: vehementer delector tuis litteris.

peianorum bona possidebant." Man. Cf. XIV. 6, 1.

plus virtutis putarunt. Cicero idem verbum cum acc. iunxit in Cat. mai. 4: *Quis coëgit eos falsum putare?* Cf. Lachm. ad Lucr. p. 353.

quum tibi de Curtilio scripsi. h. l. ep. 6, 1.

de Messalla. Nominantur Caesariani bonis Pompeianorum donati. Manutius negat in iis fuisse Messalam, corrigitque *de Mustela,* cogitans Antonii sodalem Mustelam Tamisium, cuius mentio fit in Philippicis. Sed nihil vetat, quominus hunc Messallam esse dicamus Caesaris legatum, cuius memoria servatur in libro de bello Afric. c. 28 et 86.

quod utinam accidisset! Scripsi olim de I. F. Gronovii coni. Nunc ad Mss. scripturam redeo. Cicero affirmat bonos viros in certamine cum Caesarianis superiores futuros fuisse, negat fuisse perituros.

§ 3. *illum hereditatem aditurum* ɔ: dicens Octavium aditurum hereditatem Caesaris.

† ῥιξόθεμιν. Vulgo dant cum Bosio ῥοιζόθεμιν, quod interpretantur *tumultuosam contentionem.* Gron. in schedis malebat ῥηξίθεμιν, *discordiam.* Utriusque vocabuli exemplum desidero. Scripsitne Cicero: ῥήξει θέμις *magna* ɔ: erumpet lis magna? W. quaerit post *Antonio* excideritne *ei fore video.*

iamne ad centena sc. perducatur. Cf. ep. 11, 2 *res ad centena perducitur.* — *Adventare videtur* ɔ: tempus non longe abest, quando centena inde capiam. Et ne gratuito hoc ponere videatur, addit: *scilicet* (ita scribendum esse, non *sed,* docuit Wesenbergius Emend p. 98) *primo anno* LXXX *detersimus,* i. e. inde cepimus, decerpsimus. Conf. Menckenii Obss. lat. linguae p. 253.

§ 4. *nunc,* postquam Q. pater uxorem suam repudiaverat. *Ardentes litteras* dixit, ut *ardens verbum* in Orat. 27, quum indicare vellet litteras, quas Q. pater iratus in filium scripserat.

XI. (*A. U. C.* 710.)

1. Nudius tertius dedi ad te epistolam longiorem; nunc ad ea, quae proxime. Velim mehercule Asturae Brutus. Ἀκολασίαν istorum scribis.

§ 1. *Velim — Asturae Brutus.* Cf. ep. 15 extr.

Ἀκολασίαν *istorum* ɔ: licentiam Caesarianorum.

An censebas aliter? equidem etiam maiora exspecto. Quum [equidem] contionem lego, DE TANTO VIRO, DE CLARISSIMO CIVI, ferre non queo, etsi ista iam ad risum; sed memento: sic alitur consuetudo perditarum contionum, ut nostri illi non heroes sed dii futuri quidem in gloria sempiterna sint, sed non sine invidia, ne sine periculo quidem. Verum illis magna consolatio conscientia maximi et clarissimi facti: nobis quae, qui interfecto rege liberi non sumus? Sed haec fortuna viderit, quoniam ratio non gubernat. 2. De Cicerone quae scribis, iucunda mihi sunt; velim sint prospera. Quod curae tibi est, ut ei suppeditetur ad usum et cultum copiose, per mihi gratum est, idque ut facias, te etiam (atque etiam) rogo. De Buthrotiis et tu recte cogitas et ego non dimitto istam curam: suscipiam omnem etiam actionem, quam video quotidie faciliorem. De Cluviano, quoniam in re mea me ipsum diligentia vincis, res ad centena perducitur: ruina rem non fecit deteriorem, haud scio an etiam fructuosiorem. Hic mecum Balbus, Hirtius, Pansa. Modo venit Octavius et quidem in proximam villam Philippi, mihi totus deditus. Lentulus Spinther hodie apud me, cras mane vadit.

contionem M. Antonii consulis. Quod praecedit *equidem* abundare et e proximo repetitum esse iudicavit W., itaque seclusit.

§ 2. *Quod curae tibi est.* Recte sic Victorius emendavit Med. scripturam *vere*. Quod ex antiqua edit. additur *vero* codicis auctoritate destituitur et otiosum est. Mox pro *omnem etiam actionem* scribendum videtur *omnem istam actionem.*

haud scio an etiam fr. Ita scripsi cum Lambino. Codd. habent *iam*, quod non aptum est. Cf. ep. 9, 1.

Lentulus Spinther cum Trebonio in Asiam profecturus apud Ciceronem fuit. Eius epistolae a. 711 Perga ad M. Tullium et ad senatum missae leguntur inter epp. Fam. XII. 14 sq.

XII. (*A. U. C.* 710.)

1. O mi Attice, vereor ne nobis Idus Martiae nihil dederint praeter laetitiam et odii poenam ac doloris: quae mihi istim afferuntur? quae hic video? *Ὦ πράξεως καλῆς μέν, ἀτελοῦς δέ*! Scis quam diligam Siculos et quam illam clientelam honestam iudicem: multa illis Caesar, neque me invito, etsi Latinitas erat non ferenda; verumtamen . . . ;

§ 1. *odii poenam ac doloris.* „Punire odium ac dolorem est odio ac dolori satisfacere. Mil. (35) *fuit ultor iniuriae, punitor doloris sui.* De Or. I. (220) *Iracundia est cupiditas puniendi doloris.*" Man. Cogitandum de odio in Caesarem et de dolore ob libertatem oppressam. Nihil tribuendum alteri lectioni *plenam,* licet in codice aliquo inventa sit.

Latinitas ɔ: ius Latii, quod *Latium* appellant Plinius II. N. III. 24 et Tac. Hist. III. 55,

ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani; cuius rei vivo illo mentio nulla. Quid? Deiotari nostri causa non similis? dignus ille quidem omni regno, sed non per Fulviam. Sexcenta similia. Verum illuc (me) refero: tam claram tamque testatam rem tamque iustam, Buthrotiam, non tenebimus aliqua ex parte? et eo quidem magis, quo iste plura? 2. Nobiscum hic perhonorifice et amice Octavius, quem quidem sui Caesarem salutabant, Philippus non: itaque ne nos quidem; quem nego posse esse bonum civem, ita multi circumstant, qui quidem nostris mortem minitantur, negant haec ferri posse; quid censes, quum Romam puer venerit, ubi nostri liberatores tuti esse non possunt? qui quidem semper erunt clari, conscientia vero facti sui etiam beati. Sed nos, nisi me fallit, iacebimus: itaque exire aveo, *ubi nec Pelopidarum* † inquit. Haud amo vel hos designatos, qui etiam declamare me coëgerunt, ut ne apud aquas quidem acquiescere liceret: sed hoc meae nimiae facilitatis. Nam id erat quondam quasi necesse, nunc, quoquo modo se res habet, non est item. 3. Quam dudum

fixit legem cet. ɔ: aeri incidendam curavit. Illustrantur haec iis, quae leguntur Phil. II. 92 *toto Capitolio tabulae figebantur, neque solum singulis veniebant immunitates, sed etiam populis universis, civitas non iam singillatim, sed provinciis totis dabatur.* Non male Servius ad Aen VI. 622 poetam verbis *fixit leges pretio atque refixit* M. Antonium respexisse credit. *Comitiis* est ablativus instrumenti. Lex comitiis lata est iure rogata. Cf. supra IV. 1, 4 *legem comitiis centuriatis esse perlatam.* de Leg. III. 44 *ferri de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt.* Livius VIII. 13 *priusquam comitiis consules rogarent.* Quae sequuntur de regni parte regi Deiotaro restituta, copiose narrantur in Philippica II. c. 37.

Verum illuc me refero ɔ: redeo ad illam rem, de qua ante scripsi ep. 10, 3. 11, 2, ut haec interpretatur W., qui primus addidit *me,* recteque negat *referor,* quod Or. et Kl. receperunt, pro *refero me* Ciceronis esse.

rem — Buthrotiam. Totam rem diligenter exposuit Cicero in litteris ad Plancum et ad Capitonem datis, quarum exempla misit ad Atticum cum ultima epistola libri XVI, quo lectores ablegamus.

quo iste plura ɔ: quo plura Antonius largitur acceptave pecunia tanquam a Caesare iussa facit.

§ 2. *amice.* Non esse e marg. Crat. recipiendum *peramice* monuit Madv. ad Fin. p. 406, allatis locis, in quibus alterum nomen non augeatur particula *per.* Alios attulit Klotzius in prooem. edit. Epistt. p. XLII.

Philippus non. Urbanius esset *Philippus non item,* quod voc. ante *itaque* facile a librariis omitti potuit. Cf. Moserus Symb. Crit. VI. p. 2, qui comparavit Att. II. 21, 4. Tusc. IV. 31. Off. I. 118: *Hoc Herculi poterat fortasse contingere, nobis non item.* Plura collegit Mahnius, Misc. Latin. p. 68. Cf. quae notabo ad XVI. 9. Philippus est L. Marcius Philippus Octavii vitricus.

nisi me fallit. Impersonaliter, ut Fam. IV. 2, 3. XII. 5, 2. Saepe additur *quid,* ut Fam. III. 5, 4. V. 20, 6.

ubi nec Pelopidarum. Verba tragici, fortasse ex Atreo Attii. Cf. Fam. VII. 28, 2. Integriora leguntur infra XV. 11, 3. Fam. VII. 30, 1. *Inquit* vix potuit a Cicerone addi quum non soleat hoc verbum ponere sine nomine dicentis. Peerlkampius pro eo scriptum volebat *unquam.*

qui etiam me declamare coëgerunt. Hirtius et Pansa. Atque illum quidem cum Dolabella iam antea dicendi discipulum se habere scribit Fam. IX. 16, 7.

§ 3. *Quam dudum.* Haec codicum scriptura defensorem invenit Handium in Turs.

nihil habeo quod ad te scribam, scribo tamen, non ut (te) delectem meis litteris, sed ut eliciam tuas. Tu, si quid erit, de ceteris, de Bruto utique quicquid. Haec conscripsi x. Kal. accubans apud Vestorium, hominem remotum a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatum.

II. p. 302. Sed quoniam formula Plauto et Terentio usitata alibi apud Ciceronem non invenitur, in promptu est coniicere geminationem lineola indicatam fuisse neglectam a librariis. Recte, ut mihi videtur, Gronovius correxit: *quamquam dudum.* In seqq. pro *non ut delectem his l.* scribendum est *non ut te delectem meis litteris,* vel cum Mosero Symb. Crit. VIII. p. 14 *non ut tu delecteris meis litteris.* Simili vitio librarius Med. infra ep. 17 A., 1 pro *tu meis* scripsit *tum in his.*

XIII. (*A. U. C.* 710.)

1. Septimo denique die litterae mihi redditae sunt, quae erant a te xIII. Kal. datae, quibus quaeris atque etiam me ipsum nescire arbitraris, utrum magis tumulis prospectuque an ambulatione ἁλιτενεῖ delecter. Est mehercule, ut dicis, utriusque loci tanta amoenitas, ut dubitem utra anteponenda sit,

— — ἀλλ' οὐ δαιτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν,
ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα, διοτρεφές, εἰσορόωντες
δείδιμεν· ἐν δοιῇ δὲ σαωσέμεν ἤ ἀπολέσθαι.

2. Quamvis enim tu magna et mihi iucunda scripseris de D. Bruti adventu ad suas legiones, in quo spem maximam video, tamen, si est bellum civile futurum — quod certe erit, si Sextus in armis permanebit, quem permansurum esse certo scio — quid nobis faciendum sit ignoro: neque enim iam licebit, quod Caesaris bello licuit, neque huc neque illuc. Quemcunque enim haec pars perditorum laetatum Caesaris morte putabit — laetitiam autem apertissime tulimus omnes — hunc in hostium numero habebit, quae res ad caedem maximam spectat. Restat ut in castra Sexti aut, si forte, Bruti nos conferamus:

§ 1. *utrum magis tumulis — an ambulatione* ἁλιτενεῖ ɔ: utrum libentius sim in villa Arpinati, posita in regione aspera, an in hortis Cluvianis prope Puteolos ad mare sitis. Qui sequuntur versus sunt ex oratione Ulixis ad Achillem, Iliad. IX. 228 sqq. Illa autem τέκνον ἐμόν κ. τ. λ. sunt Iovis Venerem a rebus bellicis revocante Il. V. 428 sq., nisi quod Cicero pro γάμοιο, ut in se illa ῥῆσις conveniret, scripsit λόγοιο.

§ 2. *laetitiam apertissime tulimus.* Aperte ferre aliquid est palam aliquid declarare. Cf. p. Plancio 34 *eum ipsum dolorem tulit paulo apertius.* Liv. XXVIII. 40 *quum acturum se id per populum aperte ferret.* Opponitur *obscure ferre,* ut in Cluentiana 54 *Neque id obscure ferebat, nec dissimulare ullo modo poterat.*

si forte ɔ: *si fors ita tulerit,* εἰ τύχοι. Cf. Mureti V. L. XVI. 9 Handii Turs. II. p. 736 et Wyttenb. ad Plut. Mor. p. 751.

res odiosa — est incerto exitu belli. Codd.

res odiosa et aliena nostris aetatibus est incerto exitu belli, et nescio quo pacto tibi ego possum, mihi tu dicere:

τέκνον ἐμόν, οὔ τοι δέδοται πολεμήϊα ἔργα,
ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

3. Sed haec fors viderit, ea quae talibus in rebus plus quam ratio potest: nos autem id videamus, quod in nobis ipsis esse debet, ut quicquid acciderit, fortiter et sapienter feramus et accidisse hominibus meminerimus, nosque quum multum litterae, tum non minimum Idus quoque Martiae consolentur. 4. Suscipe nunc meam deliberationem, qua sollicitor; ita multa veniunt in mentem in utramque partem. Proficiscor, ut constitueram, legatus in Graeciam: caedis impendentis periculum nonnihil vitare videor, sed casurus in aliquam vituperationem, quod rei publicae defuerim tam gravi tempore; sin autem mansero, fore me quidem video in discrimine, sed accidere posse suspicor, ut prodesse possim rei publicae. Iam illa consilia privata sunt, quod sentio valde esse utile ad confirmationem Ciceronis me illuc venire, nec alia causa profectionis mihi ulla fuit tum, quum consilium cepi legari a Caesare. Tota igitur hac de re, ut soles, si quid ad me pertinere putas, cogitabis. 5. Redeo nunc ad epistolam tuam: scribis enim esse rumores me ad lacum quod habeo venditurum, minusculam vero villam [utique] Quinto traditurum, vel impenso pretio, quo introducatur, ut tibi Quintus filius dixerit, dotata Aquilia. Ego vero de venditione nihil cogito, nisi quid, quod magis me delectet, invenero; Quintus autem de emendo nihil curat hoc tempore — satis enim torquetur debitione dotis, in qua mirificas Q. Egnatio gratias agit —, a ducenda autem uxore sic abhorret, ut libero lectulo neget esse quicquam iucundius. 6. Sed haec quoque hactenus; redeo enim ad mi-

et ante *incerto*. Id deleri volebat Orellius, ego cum Klotzio in *est* mutavi, cum eodemque *possum* scripsi pro *possim*, quoniam Cicero solet in talibus sententiis indicativum usurpare. Cf. Leg. II. 4. ad Q. fr. I. 1, 18. Att. XIV. 17, 6.

§ 4. *Proficiscor — in Graeciam: caedis* cet. Vulgo post *Graeciam* ponunt interrogandi signum. Sed praestat haec accipere hypothetice dicta ob id quod addit: *Sin autem mansero.*

§ 5. *ad lacum quod habeo.* Villam ad Lucrinum. Vid. ep. 16, 1 h. l. Vocabulum *utique* in M. a librario deletum tanquam alienum notavi cum Orellio.

impenso pretio est *maximo pretio*. Cff. intt. ad Liv. II. 9. Quod his verbis praeponitur *vel* non ineptum videbitur, si interpretamur *et id quidem*, en wel.

quo introducatur — Aquilia. Cf. ep. 17, 3. Rumor erat Quintum patrem novas nuptias parare. *Introducere* de uxore minus usitatum est quam *deducere*. Nihil tamen in verbo est, quo confirmetur, quod post Manutium scribit Matthiae Ep. sel. p. 299, eam villam dotis cautionem fore.

mirificas Q. Egnatio gratias agit. Ita cod. M. Quem dicat, Egnatium Rufum an Maximum (cf. h. l., 34), ignoramus.

§ 6. *quamque ita perniciose.* Offendunt me,

seram seu nullam potius rem publicam. M. Antonius ad me scripsit de restitutione Sex. Clodii, quam honorifice, quod ad me attinet, ex ipsius litteris cognosces — misi enim tibi exemplum —, quam dissolute, quam turpiter quamque ita perniciose, ut nonnunquam Caesar desiderandus esse videatur, facile existimabis; quae enim Caesar nunquam neque fecisset neque passus esset, ea nunc ex falsis eius commentariis proferuntur. Ego autem Antonio facillimum me praebui; etenim ille, quoniam semel induxit animum sibi licere quod vellet, fecisset nihilo minus me invito. Itaque mearum quoque litterarum misi tibi exemplum.

ut offenderant Weiskium (Ausw. der besten Briefe Cic. p. 212), *quam* et *ita* ad idem adverbium relata. Vide ne *ita* post *perniciose* collocandum sit.

ex falsis eius commentariis. Cobetus, Var. Lect. p. 474 ed. II *falsis* tribuit interpolatori. Recte, opinor. *ex eius commentariis* est, velut si ita esset a Caesare scriptum. Apud Velleium II. 60 *actorum* C. Caesaris *insertis falsis vitiatisque corrupti commentarii* memorantur.

induxit animum ɔ: apud se decrevit, sibi persuasit, ut supra III. 9, 1. VII. 3. 8.

A

(M.) ANTONIUS CONSUL S. D. M. CICERONI.

1. Occupationibus est factum meis et subita tua profectione, ne tecum coram de hac re agerem: quam ob causam vereor, ne absentia mea levior sit apud te; quodsi bonitas tua responderit iudicio meo, quod semper habui de te, gaudebo. 2. A Caesare petii ut Sex. Clodium restitueret; impetravi. Erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio eius, si tu concessisses: quo magis laboro, ut tua voluntate id per me facere nunc liceat. Quodsi duriorem te eius miserae et afflictae fortunae praebes, non contendam ego adversus te, quamquam

Haec epistola Antonii et Ciceronis ad eam responsio suspectae erant Peerlkampio. Mihi nec illa, *dissolute* ɔ: negligenter conscripta, Antonii ingenio indigna, neque haec a Ciceronis oratione et moribus abhorrere videtur. In Ciceronis epistola sunt multa nimis blande scripta, quae ab eo scripta ad Antonium nolles; sed propterea eam spuriam pronunciare non audeo. Cicero de his epistolis loquitur in Phil. II. 9 sq.

§ 1. *ne absentia mea levior sit apud te* ɔ: ne minus auctoritatis mea rogatio apud te habitura sit propter absentiam. Non probanda est coni. H. Stephani *non* ante *vereor* inserentis.

§ 2. *Sex. Clodium.* P. Clodii clientem, hominem impurum, quem Cicero passim in orationibus post reditum habitis exagitat. Anno 702 condemnatus fuerat ob curiam in funere patroni incensam. Vid. Ascon. in Milon. p. 49.

etiam tum, quum Caesar mihi illud concessit.

ut tua voluntate id per me facere nunc liceat ɔ: ut te non invito id mihi liceat facere per me ipsum, non Caesaris nutu. Non assentior H. Schwarzio in Misc. philol. Tubing. 1878 editis p. 32 *tua voluntate* delenti et *per te* corrigenti.

videor debere tueri commentarium Caesaris. Sed mehercule, si humaniter et sapienter et amabiliter in me cogitare vis, facilem profecto te praebebis et voles P. Clodium, optima in spe puerum repositum, existimare non te insectatum esse, quum potueris, amicos paternos. 3. Patere, obsecro, te pro re publica videri gessisse simultatem cum patre eius, non (quo) contempseris hanc familiam; honestius enim et libentius deponimus inimicitias rei publicae nomine susceptas quam contumaciae. Me deinde sine ad hanc opinionem iam nunc dirigere puerum et tenero animo eius persuadere non esse tradendas posteris inimicitias. Quamquam tuam fortunam, Cicero, ab omni periculo abesse certum habeo, tumen arbitror malle te quietam senectutem et honorificam potius agere quam sollicitam. Postremo meo iure te hoc beneficium rogo; nihil enim non tua causa feci. Quod si non impetro, per me Clodio daturus non sum, ut intelligas, quanti apud me auctoritas tua sit, atque eo te placabiliorem praebeas.

amabiliter pro *amanter* ponitur, ut *tolerabiliter* pro *toleranter* a Cicerone Fam. XV. 20, 2.

non te insectatum esse. Magis perspicue scripsisset ordine inverso *te non ins. esse.*

§ 3. *non contempseris h. f.* W. Emend. alt. p. 135 vere docuit hoc neque dici posse pro *noli contemnere,* neque pro futuro ind. aut coni. potentiali. Propterea addidit *quo,* quod facile ante *co* — excidere potuit. Praeclaram emendationem recepi, quum lenior sit suspicione Baiteri *non contempsisse h. f.*

contumaciae. Interpretatur Manutius *privati odii,* contra vulgarem nominis vim, quam explicat Seyffertus ad Lael. p. 353. *Contumeliae* scribendum esse putabat C. F. Hermannus in Philol. III. 106. Sed recte ponitur *contumacia,* quae est libido non cedendi et pertinax contemptio. Cf. meae Obss. crit. p. 60.

Me deinde cet. M. Antonius per Fulviam vitricus erat P. Clodii filii.

nihil enim non tua causa feci. Litterae non erubescunt. Si Cicero rogasset: quid ergo, Antoni, mea causa fecisti? non multa puto hunc nominare potuisse.

B.

CICERO ANTONIO COS. S.

1. Quod mecum per litteras agis, unam ob causam mallem coram egisses; non enim solum ex oratione sed etiam ex vultu et oculis et fronte, ut aiunt, meum erga te amorem perspicere potuisses. Nam quum te semper amavi, primum tuo studio, post etiam beneficio provocatus, tum his temporibus res publica te mihi ita commendavit, ut cariorem habeam neminem; 2. litterae vero tuae quum amantissime,

§ 1. *tuo studio — provocatus.* Illud spectat ad tempus, quum M. Antonius petiit Ciceronis amicitiam. Cf. Phil. II. 3. *Beneficium* nunc dicit, quod in eadem oratione 5 beneficium fuisse negat.

resp. te mihi ita commendavit. Vere sic scribere potuit cogitans illam orationem, quam M. Antonius in aede Telluris habuerat. Cf. Phil. I. 1.

§ 2. *nullo negotio.* Cf. ad X. 16, 3.

tum honorificentissime scriptae sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere a te ita petente, ut inimicum meum, necessarium tuum, me invito servare nolles, quum id nullo negotio facere posses. 3. Ego vero tibi istuc, mi Antoni, remitto atque ita, ut me a te, quum iis verbis scripseris, liberalissime atque honorificentissime tractatum existimem, idque quum totum, quoquo modo se res haberet, tibi dandum putarem, tum do etiam humanitati et naturae meae; nihil enim unquam non modo acerbum in me fuit, sed ne paullo quidem tristius aut severius, quam necessitas rei publicae postulavit. Accedit ut ne in ipsum quidem Clodium meum insigne odium fuerit unquam, semperque ita statui non esse insectandos inimicorum amicos, praesertim humiliores, nec his praesidiis nosmet ipsos esse spoliandos. 4. Nam de puero Clodio tuas partes esse arbitror, ut eius animum tenerum, quemadmodum scribis, iis opinionibus imbuas, ut ne quas inimicitias residere in familiis nostriis arbitretur. Contendi cum P. Clodio, quum ego publicam causam, ille suam defenderet: nostras concertationes res publica diiudicavit. Si viveret, mihi cum illo nulla contentio iam maneret. 5. Quare quoniam hoc a me sic petis, ut, quae tua potestas est, ea neges te me invito usurum, puero quoque hoc a me dabis, si tibi videbitur, non quo aut aetas nostra ab illius aetate quicquam debeat periculi suspicari aut dignitas mea ullam contentionem extimescat, sed ut nosmet ipsi inter nos coniunctiores simus, quam adhuc fuimus; interpellantibus enim his inimicitiis animus tuus magis (mihi) patuit quam domus. Sed haec hactenus. Illud extremum: ego, quae te velle quaeque ad te pertinere arbitrabor, semper sine ulla dubitatione summo studio faciam. Hoc velim tibi penitus persuadeas.

§ 3. *quam necessitas reip. postulavit.* Videtur respicere Catilinam eiusque socios, qui rem p. perdere voluerant.

§ 4. *concertationes.* In nonnullis vett. editt. legitur *contentiones.* Sed illud tanquam minus acerbum a Cicerone electum esse recte defendit Moserus Symb. Crit. VIII. p. 15.

§ 5. *interpellantibus — his inimicitiis* cet. „Ego enim, postquam domum duxisti viduam et liberos inimici mei, ea exclusus sum, etsi animo tuo inhaererem." Gron. „Amicus mihi fuisti, etsi te domi tuae convenire non potui." Weiske.

XIV. (*A. U. C.* 710).

1. Iteradum eadem ista mihi: »coronatus Quintus noster Parilibus."

§ 1. *Iteradum eadem ista mihi.* Utitur hic, ut Tusc. II. 44 verbis poetae ad suam rem aptis. In versu, qui integer servatur Acad. II. 88 non *ista,* sed *istaec* legitur. Constat autem e Scholiis Bob. ad Sestianam 126 illa quae leguntur Tusc. I. 106 et hunc

Solusne? etsi addis Lamiam, quod demiror equidem, sed scire cupio, qui fuerint alii, quamquam satis scio nisi improbum neminem. Explanabis igitur hoc diligentius. Ego autem casu, quum dedissem ad te litteras VI. Kalend. satis multis verbis, tribus fere horis post accepi tuas et magni quidem ponderis. Itaque ioca tua plena facetiarum de haeresi Vestoriana et de Pherionum more Puteolano risisse me satis nihil est necesse rescribere; *πολιτικώτερα* illa videamus. 2. Ita Brutos Cassiumque defendis, quasi eos ego reprehendam, quos satis laudare non possum. Rerum ego vitia collegi, non hominum; sublato enim tyranno tyrannida manere video. Nam quae ille facturus non fuit, ea fiunt, ut de Clodio, de quo mihi exploratum est illum non modo non facturum, sed [etiam] ne passurum quidem fuisse. Sequetur Rufio Vestorianus, Victor nunquam scriptus, ceteri, quis non? cui servire

adeo versum referendum esse ad fabulam Pacuvianam. *Iteradum* et *memoradum* (Plauti Poen. IV. 2, 44) ut *agedum* e sermone familiari comici desumpserant. Vid. Hand. Tursel. II. p. 328 sq.

Coronatus Quintus noster Parilibus. Quintum filium celebrasse Parilia, si nihil aliud cum ea re coniunctum fuisset, non erat profecto tanti, ut de ea re certior fieri voluisset Cicero. Sed indignatur, quod ille Caesaris honoris causa in illo die festo coronam capite gessisse dicebatur. Indicatur hoc ipsa verborum positione et manifesto apparet ex iis, quae rescripsit Q. filius. Vid. ep. 19, 3.

Parilibus. Solusne? In plerisque libris geminatur *Parilibus*, et placuit multis Lambini supplementum, qui post *Solusne?* addidit *Solus*. Sed merito illa repetitio Malaspinae inanis videbatur. Nam si verba *Coronatus Q. n. Parilibus* quaestionem continent, responderi debuerat: *Coronatus*. Neque recte respondebit Cicero, qui ab amico illa iterari volebat. Recte igitur alterum *Parilibus* aberat a duobus libris, quos Malaspina inspexit.

Lamiam. Temere Wielandus Vol. VI. p. 238 hic suspicatur sermonem esse de alio, quam de L. Aelio Lamia, quem saepe multa cum laude Cicero appellat.

et magni quidem ponderis. II. 11 dixit *ponderosam epistolam* ɔ: talem, quae vel suo ambitu vel argumento vel utraque re gravis est.

de haeresi Vestoriana et de Pherionum more Puteolano. Frustra ioci sententiam assequi student interpretes et verba obscura et fortasse a librariis male descripta coniecturis in ordinem redigere conantur. Hoc unum apparet Atti·i iocum pendere a verbis, quae Cicero scripserat ep. 12 extr. et risisse homines faenori intentos et divitias summum bonum putantes, quorum agmen ducebat Vestorius ille Puteolanus. Quem dicat *Pherionum morem Puteolanum*, non liquet. Si Cicero illo loco aliquid addidisset de piscibus sibi a Vestorio appositis, suspicarer hic scribendum esse: *de pharionum iure Puteolano*, Atticumque risisse crederem ius, quo Puteolis condiebant *phariones* s. *fariones*, genus piscis medium inter salmonem et salarem, ut novimus ex Ausonii Mosella v. 128 seqq.

§ 2. *tyrannida.* De Graeca hac accusativi terminatione vide Reisigii Schol. p. 83. Alia exempla apud Ciceronem haec sunt: *hebdomada* Fam. XVI. 9, 3, *paeona* Or. 191.

sed etiam ne passurum quidem fuisse. Cum Beiero et W. *etiam* seclusi, quod in hac sententiae conformatione plane abundat. At recte retinetur Fam. XIII. 29, 4 *non modo ut non praeesset ulli negotio, sed etiam ut ne interesset quidem*, ubi post *non modo ut* necessario sequitur *sed etiam ut.*

Rufio Vestorianus. Eundem putant, qui V. 2, 2 controversiam cum Vestorio habuisse dicitur, unde ioci causa cognomen ei imposuerit Cicero. Verum hominis nomen ad eum locum indicavi.

nunquam scriptus ɔ: cuius hominis nomen nunquam scripsit Caesar. Nihil erat, cur Orellio placeret *spectatus.*

ipsi non potuimus, eius libellis paremus. Nam Liberalibus quis potuit in senatum non venire? fac id potuisse aliquo modo: num, etiam quum venissemus, libere potuimus sententiam dicere? nonne omni ratione veterani, qui armati aderant, quum praesidii nos nihil haberemus, defendendi fuerunt? Illam sessionem Capitolinam mihi non placuisse tu testis es: quid ergo? ista culpa Brutorum? Minime illorum quidem, sed aliorum brutorum, qui se cautos ac sapientes putant, quibus satis fuit laetari, nonnullis etiam gratulari, nullis permanere. 3. Sed praeterita omittamus: istos omni cura praesidioque tueamur et, quemadmodum tu praecipis, contenti Idibus Martiis simus, quae quidem nostris amicis, divinis viris, aditum ad caelum dederunt, libertatem populo Romano non dederunt. Recordare tua: nonne meministi clamare te omnia perisse, si ille funere elatus esset? Sapienter id quidem: itaque ex eo quae manarint vides. 4. Quae scribis Kalendis Iuniis Antonium de provinciis relaturum, ut et ipse Gallias habeat et utrisque dies prorogetur, licebitne decerni libere? si licuerit, libertatem esse recuperatam laetabor; si non licuerit, quid mihi attulerit ista domini mutatio praeter laetitiam, quam oculis cepi iusto interitu tyranni? 5. Rapinas scribis ad Opis fieri, quas nos quoque tum videbamus. Ne nos et liberati ab egregiis viris nec liberi sumus: ita laus illorum est, culpa

Nam Liberalibus quis potuit in senatum non venire? Speciosa est suspicio Corradi, qui ob sequentia *etiam quum venissemus* dubitabat, an negatio esset servanda. Sed obstat disertum Ciceronis testimonium in Phil. II. 89: *Post diem tertium* (ɔ: ipsis Liberalibus, qui fuit tertius dies a caede Caesaris) *veni in aedem Telluris et quidem invitus, quum omnes aditus armati obsiderent.* Qui locus paene suadet Ciceronem hic scripsisse: *Nam L.* QUI POTUI *in senatum non venire?* Apparet iam, cur Atticus accusaret Liberalia ep. 10, 1 h. l. Dicebat Ciceronem illo die aut in senatum non venire debuisse, aut libere de re publica quid sentiret dicere. Neutrum sibi integrum fuisse respondet Cicero.

nonne omni ratione veterani — defendendi fuerunt? ɔ: nonne omnia, quae Caesar veteranis concesserat, senatus decreto confirmari debuerunt, ne illi offenderentur. *Defendere* habet vim arcendi, repellendi, ut in Enniano: *Serva cives, defende hostes* et in locutionibus *defendere iniuriam, vim illatam, pericula.*

Illam sessionem Capitolinam ɔ: illud tempus, quod statim post Caesaris necem boni viri nihil agendo praeterlabi passi sunt, qua desidia improborum audicia valde aucta est. Frequenter *sedere* indicat otiosum esse, nihil agendo tempus terere. Substantivi verbalis hunc usum non alio exemplo confirmare possum.

permanere quum in sententia, tum in urbe.

§ 3. *nonne meministi* cet. Idem Attico scripsit ep. 10, 1.

§ 4. *utrisque,* sibi et Dolabella collegae suo. *Utrique* plur. numero ponuntur ut Verr. IV. 32. Lig. 36, etsi de duobus hominibus sermo est. Monuit de hoc usu Haasius ad Reisigii Scholas in adn. 337, qui laudat Verr. L. III. 140, ubi nunc e cod. Vaticano *utrique* pro *utrisque* Halmius restituit.

§ 5. *Rapinas scribis ad Opis fieri.* Phil. II. 93. *Ubi est septies milies, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat?*

qui te obsignatorem adhibuerunt. Cf. ep. 3, 2 h. l. et de *raudusculo,* quae monui ad IV. 8a. Cicero negat se pecunia e testamentis

nostra. Et hortaris me ut historias scribam? ut colligam tanta eorum scelera, a quibus etiamnunc obsidemur? poterone eos ipsos non laudare, qui te obsignatorem adhibuerunt? nec mehercule me raudusculum movet, sed homines benevolos, qualescunque sunt, grave est insequi contumelia. 6. Sed de omnibus meis consiliis, ut scribis, existimo exploratius nos ad Kalendas Iunias statuere posse, ad quas adero et omni ope atque opera enitar, adiuvante me scilicet auctoritate tua et gratia et summa aequitate causae, ut de Buthrotiis senatusconsultum, quale scribis, fiat. Quod me cogitare iubes, cogitabo equidem, etsi tibi dederam superiore epistola cogitandum. Tu autem quasi iam recuperata re publica vicinis tuis Massiliensibus sua reddis: haec armis, quae quam firma habeamus ignoro, restitui fortasse possunt, auctoritate non possunt. 7. Epistola brevis, quae postea a te scripta est, sane mihi fuit iucunda, de Bruti ad Antonium et de eiusdem ad te litteris. Posse videntur esse meliora, quam adhuc fuerunt; sed nobis ubi simus et quo iam [nunc] nos conferamus providendum est.

Caesarianorum capienda moveri, ut eos laudet.

§ 6. *Quod me cogitare iubes — cogitandum.* Ex ep. 13, 4 apparet agi de consilio proficiscendi in Graeciam.

vicinis tuis Massiliensibus sua reddis. Massilienses in bello civili Pompeii partes amplexi sunt. Cf. ad X. 12, 6. Quare Caesar eis infensus erat, Phil. II. 94, eosque armis, navibus, pecuniaque multaverat. Caes. B. C. II. 22. Pro iis intercessisse videtur Atticus, atque per senatum receperunt, quae iure belli amiserant, Phil. XIII. 32. Cur autem *vicini* Attici dicantur, non liquet. Gronovius coniecit hoc factum propterea, quod Atticus praedia propter eorum fines possideret, vel quod legati Massiliensium in vicinia aedium Attici in urbe versarentur. Cum Andreseno hanc explicationem illi praefero.

§ 7. Vulgo hinc faciunt initium epistolae XV. Sed recte iudicavit Cratander haec coniungenda esse cum epistola praecedenti, ne voc. *postea* otiosum esset, et, ni fallor, ne in una eaque brevi epistola repugnantia scriberentur. Nam dum in hac § legimus: *Sed nobis ubi simus et quo iam nos conferamus providendum est,* illa sequuntur: *Nec vero discedam, nisi quum tu me id honeste putabis facere posse.* Nimirum Dolabellae facinus animum Tullii erexerat. Eo minus autem dubitavi vulgatum ordinem relinquere, quod in cod. Med. epistolae 14 et 15 unam faciunt.

iam nunc. Altera utra particula delenda videtur. *Nunc* quod in A. C. L. omissum est, facile e prava geminatione sequentium litterarum huc irrepere potuit et minus convenit cum futuri temporis significatione, quae in subiunctivis *simus — conferamus* inest. Propterea hoc seclusi. Wesenbergius aut *etiam nunc* aut inverso verborum ordine *quo nos conferamus, iam nunc prov. est* restituendum coniecit.

XV. (*A. U. C.* 710.)

1. O mirificum Dolabellam meum! iam enim dico meum; antea, crede mihi, subdubitabam. Magnam ἀναθεώρησιν res habet: de saxo, in

§ 1. *O mirificum Dolabellam meum.* De iis, quae Dolabella in re publica gessit, operae pretium est legere Phil. I. 5 et 30. Cf. quoque epistola ad Cassium, Fam. XII. 1, 1.

crucem, columnam tollere, locum illum sternendum locare; quid quaeris? heroica. Sustulisse mihi videtur simulationem desiderii, adhuc quae serpebat in dies et inveterata, verebar, ne periculosa nostris tyrannoctonis esset. 2. Nunc prorsus assentior tuis litteris speroque meliora, quamquam istos ferre non possum, qui, dum se pacem velle simulant, acta nefaria defendunt; sed non possunt omnia simul. Incipit res melius ire, quam putaram, nec vero discedam, nisi quum tu me id honeste putabis facere posse. Bruto certe meo nullo loco deero, idque, etiamsi mihi cum illo nihil fuisset, facerem propter eius singularem incredibilemque virtutem. 3. Piliae nostrae villam totam, quaeque in villa sunt, trado in Pompeianum ipse proficiscens Kalend. Maiis. Quam velim Bruto persuadeas ut Asturae sit.

Evertit columnam Caesari in foro positam (Suet. in Caes. 85) et severe animadvertit in audaces servos et nefarios liberos; tum iis, qui turbas facerent, crucem proposuit aut saxum. Vid. ep. seq. 2.

simulationem desiderii. Homines improbi enim simulabant se agere desiderio Caesaris, quum re vera omnium rerum perturbationem et urbis direptionem pararent.

§ 2. *etiamsi mihi cum illo nihil fuisset.* Fam. XV. 10, 2 *si mihi tecum minus esset, quam est cum tuis omnibus.*

Quam velim Bruto persuadeas ut Asturae sit. Sive quod non putabat eum in urbe tutum fore, sive quod nolebat eum longius ab urbe discedere, in quam propediem, ut res tunc erant, cum gloria redire posse videbatur. Idem repetit in ep. 19, 5.

XVI. (*A. U. C.* 710.)

1. v. Non. conscendens ab hortis Cluvianis in phaselum epicopum has dedi litteras, quum Piliae nostrae villam ad Lucrinum, vilicos, procuratores tradidissem, ipse autem eo die in Paeti nostri tyrotarichum imminebam. Perpaucos dies in Pompeiano; post in haec Puteolana et Cumana regna renavigaro, loca ceteroqui valde expetenda, interpellantium autem multitudine paene fugienda. 2. Sed ad rem ut

§ 1. *in phaselum epicopum.* De ἐπικώπῳ dixi ad V. 11, 4; de tyrotarichi patina ad IV. 8 a. Iocatur de illa coenae rusticae simplicitate in epistola ad Paetum ipsum data, Fam. IX. 16, 7—9.

procuratores ut *vilici* sunt servi familiae rusticae. Cum vilicis nominantur de Or. I. 249, ubi vid. Ellendtius, et in l. 1 Dig. de servo fugitivo.

Perpaucos dies in Pompeiano cum W. de ipsius coniectura scripsi, quum id, quod in libris scriptis editisque est: *perpaucis diebus in Pompeianum*, nihil aliud sit quam: „intra paucos dies in Pompeianum proficiscar," quod Cicero tunc ipsum eo profectus scribere non poterat. Affirmat se non diu in Pompeiano mansurum celeriterque in Puteolanum et Cumanum rediturum. De itinere illo vid. 17, 1. 18, 4. 20, 1.

ceteroqui. Cf. ad XII. 3, 1. *cetera quam* quod placet Handio Turs. II. p. 42 omnino reiiciendum est, quum, ut observat Orellius, *cetera* nec adiectivum v. *loca* esse possit, neque poni pro *quod ad cetera attinet*, quo modo Tullius nunquam posuit.

§ 2. *coronam auream per forum ferre* est

veniam, o Dolabellae nostri magnam ἀριστείαν! quanta est ἀναθεώρησις! Equidem laudare eum et hortare non desisto. Recte tu omnibus epistolis significas quid de re, quid de viro sentias. Mihi quidem videtur Brutus noster iam vel coronam auream per forum ferre posse; quis enim audeat laedere proposita cruce aut saxo, praesertim tantis plausibus, tanta approbatione infimorum? 3. Nunc, mi Attice, me fac ut expedias: cupio, quum Bruto nostro affatim satisfecerim, excurrere in Graeciam. Magni interest Ciceronis vel mea potius vel mehercule utriusque me intervenire discenti; nam epistola Leonidae, quam ad me misisti, quid habet, quaeso, in quo magno opere laetemur? nunquam ille mihi satis laudari videbitur, quum ita laudabitur: »quomodo nunc est": non est fidentis hoc testimonium, sed potius timentis. Herodi autem mandaram, ut mihi κατὰ μίτον scriberet, a quo adhuc nulla littera est: vereor ne nihil habuerit, quod mihi, quum cognossem, iucundum putaret fore. 4. Quod ad Xenonem scripsisti, valde mihi gratum est; nihil enim deesse Ciceroni quum ad officium, tum ad existimationem meam pertinet. Flammam Flaminium audio Romae esse. Ad eum scripsi me tibi mandasse per litteras, ut de Montani negotio cum eo loquerere, et velim cures epistolam, quam ad eum misi, reddendam, et ipse, quod commodo tuo fiat, cum eo colloquare. Puto, si quid in homine pudoris est, praestaturum eum, † ne spero quodam modo dependatur. De Attica, pergratum mihi fecisti, quod curasti ut ante scirem recte esse quam non belle fuisse.

triumphantis habitu per forum incedere. Nam coronae aureae imperatoribus ob honorem triumphi mittebantur. Gell. N. A. V. 6.

laedere. Certam recepi Orelli correctionem. In Med. prima manus scripsit *laudare,* quod (etiam in margine Crat. scriptum) perperam defendit Bosius de Caesare dictum accipiens. In Med. et Hisp. male correctum est *violare.*

proposita cruce aut saxo. Dolabella edixerat, ut liberi homines nefarii de rupe Tarpeia, quae saepius saxi nomine designatur, deiicerentur, servi conscelerati in crucem agerentur. cf. Phil. I. 5.

§ 3. *Leonidae.* Leonides M. filii magister erat. Cf. ep. 18, 4 h. l. et XV. 16 A. Fam. XVI. 21, 5.

κατὰ μίτον. Singillatim, quasi fila numeraret nullo omisso.

§ 4. † *ne spero quodam modo dependatur.* Videtur agi de eadem re, de qua sermo fuit in ep. 52, lib. XII. L. Tullius Montanus, quem Ciceronis clientem fuisse credo, praes erat pro T. Flaminio Flamma. Si hic igitur non solveret, quod debebat Planco, ille conveniretur. Sed verba misere corrupta sunt. Orellius coniecit: *ne sero cum damno* (Montani) *dependatur* et hanc emendationem B. W. K. receperunt. Fortasse recte. Non tamen reiicio, quod mihi in mentem venit: *nec quaero quo modo, dummodo dependatur.* De eodem negotio verbo monetur ep. 17 extr., 18, 3. XV. 2, 4. De Flamma Ciceronis debitore aliquid legiturFam. XVI. 24, 1.

XVII. (*A. U. C.* 710.)

1. In Pompeianum veni v. Nonas Maias, quum pridie, ut antea ad te scripsi, Piliam in Cumano collocavissem. Ibi mihi cenanti litterae tuae sunt redditae, quas dederas Demetrio liberto prid. Kal., in quibus multa sapienter, sed tamen talia, quemadmodum tute scribebas, ut omne consilium in fortuna positum videretur; itaque his de rebus ex tempore et coram. 2. De Buthrotio negotio, utinam quidem Antonium conveniam! multum profecto proficiam; sed non arbitrantur eum a Capua declinaturum, quo quidem metuo ne magno rei publicae malo venerit, quod idem L. Caesari videbatur, quem pridie Neapoli affectum graviter videram. Quamobrem ista nobis ad Kal. Iun. tractanda et perficienda sunt. Sed (haec) hactenus. 3. Q. filius ad patrem acerbissimas litteras misit, quae sunt ei redditae, quum venissemus in Pompeianum, quarum tamen erat caput Aquiliam novercam non esse laturum; sed hoc tolerabile fortasse, illud vero se ab Caesare habuisse omnia, nihil a patre, reliqua sperare ab Antonio, — o perditum hominem! sed μελήσει. 4. Ad Brutum nostrum, ad Cassium, ad Dolabellam epistolas scripsi. Earum exempla tibi misi, non ut deliberarem, reddendaene essent — plane enim iudico esse reddendas —, sed quod non dubito qnin tu idem existimaturus sis. 5. Ciceroni meo, mi Attice, suppeditabis quantum videbitur, meque hoc tibi onus imponere patiere: quae adhuc fecisti, mihi sunt gratissima. 6. Librum meum illum ἀνέκδοτον nondum, ut volui, perpolivi: ista vero, quae tu contexi vis, aliud quoddam separatum volumen exspectant; ego autem — credas mihi velim — minore periculo existimo contra illas nefarias partes vivo tyranno dici potuisse quam mortuo. Ille enim nescio quo pacto ferebat me quidem mirabiliter; nunc, quacunque nos commovimus, ad Caesaris non modo acta, verum etiam cogitata revocamur. De Montano, quoniam Flamma venit, videbis: puto rem meliore loco esse debere.

§ 2. *eum a Capua declinaturum.* Eo Antonius coloniam veteranorum deducere conatus est. Phil. II. 100.

Sed hactenus. Constans Tullii usus requirit *Sed haec hactenus.*

§ 6. *Librum meum illum ἀνέκδοτον.* Ἀνέκδοτα, quae quindecim annis ante in manibus habebat (cf. Att. II. 6, 2), non diversa esse ab hoc opere statuebant Middletonus, in vita Cic. vol. III. p. 54 et Bakius in Proleg. ad libros de Leg. p. XVI. In re incerta *non liquere* dicere malo cum Abekenio in Cic. vita p. 386. Hoc unum affirmari potest et tunc et nunc cogitasse Ciceronem de rebus illorum temporum scribendis.

A.

CICERO DOLABELLAE COS. SUO S.

1. Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria satisque ex ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam, tamen non possum non confiteri cumulari me maximo gaudio, quod vulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. Neminem conveni — convenio autem quotidie plurimos; sunt enim permulti optimi viri valetudinis causa in his locis, conveniunt praeterea ex municipiis frequentes necessarii mei — quin omnes, quum te summis laudibus ad caelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant; negant enim se dubitare quin tu meis praeceptis et consiliis obtemperans praestantissimum te civem et singularem consulem praebeas. 2. Quibus ego quamquam verissime possum respondere, quae facias, tuo iudicio et tua sponte (te) facere nec cuiusquam egere consilio, tamen neque plane assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis a meis consiliis profecta videatur, neque valde nego; sum enim avidior etiam, quam satis est, gloriae; et tamen non alienum est dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni, regum regi, fuit honestum, (habere) aliquem in consiliis capiendis Nestorem, mihi vero gloriosum te iuvenem consulem florere laudibus quasi alumnum disciplinae meae. 3. L. quidem Caesar, quum ad eum aegrotum Neapolim venissem, quamquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen ante, quam me plane salutavit, »O mi Cicero", inquit, »gratulor tibi, quum tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud

Alterum exemplum huius epistolae servatum est Fam. IX. 14, in nonnullis ab hoc discrepans.

§ 1. *sunt enim — in his locis, conveniunt praeterea* cet. Orellius et W. sequuntur h. l. exemplum Fam., Klotzius et B. codices epistt. ad Atticum, qui mihi quoque melius haec servavisse videntur. Nam hoc modo distinguitur inter eos, qui circa Baias et Puteolos *erant* et diutius morabantur valetudinis causa, et eos, qui delectationis causa in unum diem vel paucos eo *conveniebant*, quod in illa verborum constitutione *qui v. c. in haec loca veniunt*, perit.

quin omnes — agant e cod. Fam. recipere malui, quam scribendo e cod. Med. ad Att. *qui omnes — agunt* verba *Neminem conveni* sine apodosi relinquere. Fateor tamen pluribus interpositis Ciceronem potuisse ad ἀνακόλουθον orationem delabi.

§ 2. *respondere — facere.* Omisi *te*, in l. c. post *respondere* collocatum. Facilius inter *sponte facere* omitti potuit.

et tamen non alienum est. Moserus Symb. Crit. VII. p. 2 particulae *tamen* litem movit, et scribi vult: *Etenim non alienum est* aut *Est enim non alienum.* Nullam ego mutandi necessitatem video, apteque haec sententia subiicitur praecedenti, quum plene sic dicendum esset: et etiamsi non essem avidior gloriae, tamen cet. cf. Wes. Emend. alt. p. 28.

habere hic omissum ex illo loco suppletur. In margine libri Med. ponitur post *Nestorem.*

§ 3. *quum tantum vales. quum* pro *quod* positum suspectum est mihi, ut Baitero et Wesenbergio, quem vide ad Fam. IV. 3, 4 Emend. alt. p. 7 docte de hac re disserentem.

sororis filium valerem, tamen salvi esse possemus; Dolabellae vero tuo et gratulor et gratias ago, quem quidem post te consulem solum possumus vere consulem dicere": dein multa de facto ac de re gesta tua: nihil magnificentius, nihil praeclarius actum unquam, nihil rei publicae salutarius. Atque haec una vox omnium est. 4. A te autem peto, ut me hanc quasi falsam hereditatem alienae gloriae sinas cernere meque aliqua ex parte in societatem tuarum laudum venire patiare. Quamquam, mi Dolabella — haec enim iocatus sum — libentius omnes meas, si modo sunt aliquae meae, laudes ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis; nam quum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti, tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius: nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. 5. Semper amavi, ut scis, M. Brutum propter eius summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem atque constantiam, tamen Idibus Martiis tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi iampridem cumulatum etiam videbatur. Quis erat, qui putaret ad enm amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. 6. Quare quid est, quod ego te horter, ut dignitati et gloriae servias? proponam tibi claros viros, quod facere solent, qui hortantur? neminem habeo clariorem quam te ipsum: te imitere oportet, tecum ipse certes: 7. ne licet quidem tibi iam tantis rebus gestis non tui similem esse. Quod quum ita sit, hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendum est; contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa sed etiam popularis esset et cum bonis omnibus, tum infimo cuique

apud sororis filium ɔ: apud M. Antonium. Cf. Vell. II. 67.

tamen salvi esse possemus. In utroque cod. Med. est *tam salvi.* Correxerunt *iam salvi.* Sed *iam* plane otiosum est. Scripsi *tamen,* quod referendum est ad sententiam omissam: etsi periisse videamur, tamen salvi esse possemus.

de facto ac de re gesta tua. Cf. ad epist. 15, 1 h. l. *tum* recte a Wesenbergio in *tua* mutatum esse, nemo negabit, qui eius adnot. in Emend. alt. p. 28 legerit.

§ 4. *A te — cernere* ɔ: A te peto ut aequo animo feras me participem tuae gloriae, quamvis non sim, tamen esse putari. Locutionem attigi ad XI. 2, 1.

§ 5. *amare — dilexisse.* Illud plus esse, quam hoc apparet quoque ex his verbis: *ut scires eum a me non diligi solum, verum etiam amari.* Fam. XIII. 47 et ad Brut. I. 1, 1 *L. Clodius valde me diligit vel, ut ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat.* cf. Nonius p. 421, qui haec verba laudat. Qui plura de his verbis scire cupit, adeat Seyfferti adnot. ad Cic. Lael. p. 173 sq.

§ 7. *ne licet quidem tibi — non tui similem esse.* Nollem Moserus Symb. Crit. VIII. p. 16 haec temptasset pro *non* commendans *modo* ɔ: tantummodo. Vulgata scriptura non paulo melior est.

gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuae, sed contigit magnitudine quadam quum animi, tum etiam ingenii atque consilii. Legi enim contionem tuam: nihil illa sapientius; ita pedetemptim quum accessus a te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animadvertendi omnium concessu daret. 8. Liberasti igitur et urbem periculo et civitatem metu, neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum; quo facto intelligere debes in te positam esse rem publicam tibique non modo tuendos, sed etiam ornandos illos viros, a quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coram plura propediem, ut spero. Tu, quoniam rem publicam nosque conservas, fac ut diligentissime te ipsum, mi Dolabella, custodias.

§ 8. *ad tempus — ad exemplum*. Nulla indigent haec verba accessione. Quare reiiciendum, quod olim in altero illo loco scribebatur *ad exemplum facti*. Librarius cod. Med. ante *facto* omiserat *quo*. Temere Weiskius putabat post *exemplum* aliquid intercidisse.

in te positam esse rem p. ɔ: rem p. totam commissam esse tibi, niti in te, tibi eius salutem esse servandam. Cf. Fam. IX. 25 extr. Lael. 4.

XVIII. (*A. U. C.* 710.)

1. Saepius me iam agitas, quod rem gestam Dolabellae nimis in caelum videar efferre; ego autem, quamquam sane probo factum, tamen, ut tanto opere laudarem, adductus sum tuis et unis et alteris litteris. Sed totum te a se abalienavit Dolabella eadem causa, qua me quoque sibi inimicissimum reddidit. O hominem pudentem! Kal. Ian. debuit, adhuc non solvit, praesertim quum se maximo aere alieno Faberii manu liberarit et opem ab Ope petierit. Licet enim iocari, ne me valde conturbatum putes. Atque ego ad eum IIX. Idus litteras dederam bene mane; eodem autem die tuas litteras vesperi acceperam in Pompeiano, sane celeriter tertio abs te die; sed, ut ad te eo ipso

§ 1. *et unis et alteris literis.* Prius *et* deleri malebat Graevius. At bene additur. Cf. Hor. Sat. I. 6, 101 *ducendus et unus et comes alter.*

te a se abalienavit cum Ern. et W. scripsi pro *se a te,* quia sententia et quod his opponitur *me quoque sibi* hoc postulat. Deinde *eadem causa* scripsi cum B. pro vulgato *ea de causa.* Erat autem haec causa, quod neutri solvebat, quod debebat.

O hominem pudentem. Med., quod ironice accipiendum est, ut in ioco. In Z erat: *O hominem impudentem.*

Faberii manu ɔ: fraude Faberii, qui fuerat scriba Caesaris et nunc Antonio in omni re morem gerebat. Vid. Appianus de B. C. III. 5. Cf. Vell. Pat. II. 60. — *et opem ab Ope petierit.* Vulgo *opem ab eo p.* Correxit Cobetus Var. Lect. p. 460 ed. sec. Ita demum apparet, cur Cicero addat: *Libet enim iocari.* In vulgato nihil ioci inest. De re cf. Phil. II. 93. VIII. 26 et h. l. 14, 5.

die scripseram, satis aculeatas ad Dolabellam litteras dedi, quae si nihil profecerint, puto fore ut me praesentem non sustineat. 2. Albianum te confecisse arbitror. De Patulciano nomine, quod mihi † suppeditatus es, gratissimum est et simile tuorum omnium, sed ego Erotem ad ista expedienda factum mihi videbar reliquisse, cuius non sine magna culpa vacillatum'st; sed cum ipso videro. 3. De Montano, ut saepe ad te scripsi, erit tibi tota res curae. Servius proficiscens quod desperanter tecum locutus est, minime miror, neque ei quicquam in desperatione concedo. 4. Brutus noster, singularis vir, si in senatum non est Kal. Iuniis venturus, quid facturus sit in foro nescio; sed hoc ipse melius. Ego ex iis, quae parari video, non multum Idibus Martiis profectum iudico. Itaque de Graecia quotidie magis et magis cogito; nec enim Bruto meo exilium, ut scribit ipse, meditanti video quid prodesse possim. Leonidae me litterae non satis delectarunt, de Herode tibi assentior, Saufeii legisse vellem. Ego ex Pompeiano VI. Idus Mai. cogitabam.

sane celeriter tertio abs te die. Plerumque enim litterae Roma datae quarto die Ciceroni in Pompeiano reddebantur. cf. XIV. 17, 1. 19, 1.

puto fore ut me praesentem non sustineat ɔ: ubi me videbit et audiet, non audebit differre solutionem.

§ 2. *Albianum.* Cf. h. l. 20, 2 et XIII. 14, 1.

suspendiatus est, quod erat in Med. altera manus correxit: *suppeditatus es.* Orellius e veteri coniectura scripsit *suppetiatus es.* Ex optimorum librorum vestigiis erui quoque potest: *quod mihi suppetias ivisti.* Sed neque deponens illud, neque *suppetias ire* Tullianum esse demonstrari potest. Verum puto *suppeditavisti.*

vacillarunt locum cedere iussi alteri scripturae e Pii codd. notatae *vacillatum'st.*

§ 3. *saepe ad te scripsi.* H. l. 16, 4 et 17, 6.

§ 4. *Leonidae litterae* et *Herodis* silentium de Marco filio. Cf. ep. 16, 3. In verbis *Saufeii legisse vellem* dubium est, utrum illius Epicurei litteras an librum aliquem, de quo Atticus aliquid ad eum scripserat, legisse voluerit. Ne illud quidem constat, quem legisse velit, se an Herodem. Nec iuvat comparatio verborum corruptorum ex XV. 4, 2.

XIX. (*A. U. C.* 710.)

1. Nonis Maiis quum essem in Pompeiano, accepi binas a te litteras, alteras sexto die, alteras quarto: ad superiores igitur prius. Quam mihi iucundum opportune tibi Barnaeum litteras reddidisse. Tu vero cum Cassio, ut cetera; quam commode autem, quod id ipsum, quod me mones, quadriduo ante ad eum scripseram exemplumque mearum litterarum ad te miseram, sed quum ex Dolabellae † aritia — sic

§ 1. *Quam m. iucundum.* Nondum paenitet eius, quod scripsi ad VII. 15, 2 cum Mosero hic corrigendum videri *Perquam m. iucundum.*

ex Dolabellae aritia. In corrupte nomine latere voc. Graecum praeter Victorium, qui correxit *avaritia,* fere omnes editores et cri-

enim tu ad me scripseras — magna desperatione affectus essem, ecce tibi et Bruti et tuae litterae. Ille exilium meditari: nos autem alium portum propiorem huic aetati videbamus, in quem mallem equidem pervehi florente Bruto nostro constitutaque re publica, sed nunc quidem, ut scribis, non utrum vis; assentiris enim mihi nostram aetatem a castris, praesertim civilibus, abhorrere. 2. Antonius ad me tantum de Clodio rescripsit, meam lenitatem et clementiam et sibi esse gratam et mihi voluptati magnae fore; sed Pansa furere videtur de Clodio itemque de Deiotaro, et loquitur severe, si velis credere, illud tamen non belle, ut mihi quidem videtur, quod factum Dolabellae vehementer improbat. 3. De coronatis, quum sororis tuae filius a patre accusatus esset, rescripsit se coronam habuisse honoris Caesaris causa, posuisse luctus gratia, postremo se libenter vituperationem subire, quod amaret etiam mortuum Caesarem. 4. Ad Dolabellam, quemadmodum tibi dicis placere, scripsi diligenter. Ego etiam ad Siccam; tibi hoc oneris non impono; nolo te illum iratum habere. Servii orationem cognosco, in qua plus timoris video quam consilii, sed, quoniam perterriti omnes sumus, assentior Servio. Publilius tecum tricatus est; huc enim Caerellia missa ab istis est legata ad me, cui facile persuasi mihi id, quod rogaret, ne licere quidem, non modo non libere. An-

tici viderunt, sed in corrigendo dissentiunt. Si respicitur ad Dolabellae negligentiam in solvendo, quod Ciceroni et Attico debebat, cf. ep. 18, 1 et infra § 5, nihil aptius video quam ἀργίᾳ, quod Muecke l. l. 9 excogitavit et commendavit. Sed non minus facile ex *aritia* facias ἀσιτίᾳ, ut ego olim conieci. Fieri enim potest ut Atticus iocans aliquid scripserit de Dolabellae inedia, quod Cicero nunc simulat se serio accepisse.

nos alium portum propiorem huic aetati videbamus. Non audeo affirmare utrum hoc de morte, an de otio intelligi debeat. Moribus Ciceronis hoc tamen magis convenire videtur. Et ita I. F. Gronovius accepit: „ego aliter me expedire cogitabam omittendo sc. rempublicam et otium lacessendo, a quo propius absunt senes quam iuvenes." Idem *propiorem* illustrat coll. Livii VIII. 11 his verbis: *Supplemento vel Latium propius esse vel Volscos, quam Romam* ɔ: paratius.

§ 2. *Pansa furere videtur de Clodio et de Deiotaro* ɔ: Pansa indignatur ab Antonio Sex. Clodium esse restitutum (cf. supra ep. 13 A et B) et decretum de rege Deiotaro in Capitolio esse fixum. cf. Phil. II. 93—96.

§ 3. *De coronatis* cet. Cf. ep. 14, 1.

§ 4. *Ego etiam ad Siccam.* Male e marg. Lamb. a Klotzio receptum est *ergo*. *Ego* opponitur sequenti *tibi.*

Servii orationem cognosco. Ipsa rerum in hac epistola series vetat, quominus de oratione a Servio Sulpicio in senatu habita cogitemus. Atticus perscripserat, quae e Servio acceperat. Erant eiusmodi, ut hominis animum timidum inde perspiceres. *Cognoscere* non esse sollicitandum docent ea, quae attulit Marklandus ad Statii Silv. IV. 6, 23. Cf. ad XII. 22, 1.

Publilius tecum tricatus est, cet. Pertinent haec ad Publiliam dimissam, quam frater et mater a Cicerone reduci volebant. Quum *tricae* sint impedimenta, *tricatur* qui quid velit non aperte declarat. Cf. XV. 13, 5. Erat quoque subst. *trico,* quo utitur Lucilius ap. Non. 8 et 22, ubi Cotta senex vocatur *magnus trico nummarius, solvere nulli lentus.* In quo nomine explicando non minus

tonium si videro, accurate agam de Buthroto. 5. Venio ad recentiores litteras, quamquam de Servio iam rescripsi. »Me facere magnam πρᾶξιν Dolabellae.'' Mihi mehercule ita videtur; non potuisset maior tali re talique tempore, sed tamen, quicquid ei tribuo, tribuo ex tuis litteris. Tibi vero assentior maiorem πρᾶξιν eius fore, si mihi quod debuit dissolverit. Brutus velim sit Asturae. 6. Quod autem laudas me, quod nihil ante de profectione constituam, quam ista quo evasura sint videro, muto sententiam, neque quicquam tamen antequam te videro. Atticam meam gratias mihi agere de matre gaudeo, cui quidem ego totam villam cellamque tradidi, eamque cogitabam v. Idus videre. Tu Atticae salutem dices, nos Piliam diligenter tuebimur.

quam Nonius, errat Salmasius ad Iul. Capit. p. 102 F. Vis verbi *tricari* perspicitur quoque ex Ital. *treccare*, Gall. *tricher*.

non modo non libere. Male C. F. Mullerus Philol. XIX. 327 alterum *non* delevit.

§ 5. „*Me facere magnam πρᾶξιν Dolabellae.*" Cf. ep. 18, 1. *Saepius me agitas, quod rem gestam D. nimis in caelum videar efferre.* In iis, quae sequuntur, *non potuisse maior* quodammodo defendi posse puto, si cogitatione assumitur v. *fieri*. Scripsi tamen *potuisset* cum Gronovio, quoniam una littera facile a scribis omitti potuit. Non minus placet Orellii *potuit esse*.

XX. (*A. U. C.* 710.)

1. E Pompeiano navi advectus sum in Luculli nostri hospitium VI. Idus, hora fere tertia; egressus autem e navi accepi tuas litteras, quas tuus tabellarius in Cumanum attulisse dicebatur Nonis Mai. datas. A Lucullo postridie eadem fere hora veni in Puteolanum: ibi accepi duas epistolas, alteram Nonis, alteram VII. Idus Lanuvio datas. Audi igitur ad omnes. 2. Primum, quae de re mea gesta et in solutione et in Albiano negotio, grata. De tuo autem Buthroto, quum in Pompeiano essem, Misenum venit Antonius; inde ante discessit, quam illum venisse audissem, † a quo in Samnium; vide quid speres: Romae igitur de

§ 1. *in Luculli n. hospitium* ɔ: in praedium Neapolitanum, quod L. Luculli fuerat (Acad. II. 9), tunc erat Cn. Luculli, familiaris sui, XV. 1 b, 1.

§ 2. *quae de re mea gesta.* Suspicor in archetypo fuisse *gesti* ɔ: gessisti.

† *a quo in Samnium.* „Nullam habet sententiam *a quo*, nisi excidit nomen eius loci, quo a Miseno Antonius discesserat indeque in Samnium proficisci cogitabat. Verisimilius tamen mihi videtur scribendum esse: *audissem, in Samnium. A quo* (homine) *vide quid speres* (te de B. tuo negotio consequi posse). Cf. ep. 17, 2. 12, 1. XV. 1, 2. In vulgata lectione a nullo explicata *a quo* male supervacaneum est." Wesenberg, Emend. p. 48. Idem in Emend. alt. p. 136 *audissem* soloecum esse monuit, et pro eo scribendum *audivi*.

Romae — de Buthroto ɔ: quoniam de Buthrotiis cum Antonio agere non potui, illa res Romae agetur.

Buthroto. L. Antonii horribilis contio, Dolabellae praeclara. Iam vel sibi habeat nummos, modo numeret Idibus. Tertullae nollem abortum; tam enim Cassii sunt iam quam Bruti serendi. De regina velim atque etiam de Caesare illo. Persolvi primae epistolae, venio ad secundam. 3. De Quintis, (de) Buthroto, quum venero, ut scribis. Quod Ciceroni suppeditas, gratum. Quod errare me putas, qui rem publicam putem pendere e Bruto, sic se res habet: aut nulla erit aut ab isto istisve servabitur. Quod me hortaris ut scriptam contionem mittam, accipe a me, mi Attice, καθολικὸν θεώρημα earum rerum, in quibus satis exercitati sumus. Nemo unquam neque poëta neque orator fuit, qui quemquam meliorem quam se arbitraretur; hoc etiam malis contingit: quid te Bruto putas et ingenioso et erudito? de quo etiam experti sumus nuper in edicto. Scripseram rogatu tuo: meum mihi placebat, illi suum. Quin etiam, quum ipsius precibus paene adductus scripsissem ad eum de optimo genere dicendi, non modo mihi sed etiam tibi scripsit, sibi illud, quod mihi placeret, non probari. Quare sine quaeso sibi quemque scribere:

Suam cuique sponsam, mihi meam; suum cuique amorem, mihi meum.

Non scite. Hoc enim Atilius, poëta durissimus. Atque utinam liceat

L. Antonii horribilis contio. L. Antonius, M. frater, tribunus plebis, de agris quum aliis, tum Pomptinis dividundis hoc tempore tulit. Vid. Cassius Dio XLV, 9. Cf. Cic. Phil. V. 7. XIII. 37.

modo numeret Idibus. Intelligunt vulgo usuras, quae more Romano Idibus solvebantur. Longe aliter explicat Gronovius: „modo satisfaciat Idibus Martiis, modo tueatur tyrannicidium et pergat gerere bonum civem." Hoc sane multo argutius illo. Fortasse Cicero ambiguitate dicti ludere voluit. Nam totum inde pendet, habeaturne *Idibus* ablativus temporis an instrumenti.

Tertullae nollem abortum. Tertullam ὑποκοριστικῶς appellat, quae erat Tertia, ut e Tullia fit Tulliola. Erat M. Bruti soror uterina, C. Cassii uxor, quae sub Tiberio grandis natu obiit. Vid. Tac. Ann. III. 76.

De regina cf. ad ep. 8, 1. *Caesar ille* est dictatoris e Cleopatra filius, de quo vid. Suetonius in Iulio, 52. Quid velit de iis ignoratur. Videtur tamen spectare ad aliquem rumorem. Cf. XV. 1 a, extr. et 4, 4: *De regina velim verum sit.*

§ 3. *De Quintis* ɔ: de Quinto patre et filio. cf. ep. 17, 3. Nihil iis erat cum Buthroto. Itaque ante hoc nomen praep. *de* repetenda videtur.

pendere e Bruto facilius eruitur e M. *pendere Bruto,* quam *pendere in Bruto,* ut W. edidit e vc. Lambini, recteque dicitur de re p. quae nisi salvus esset Brutus, salva esse non poterat. cf. Fam. VI. 22, 2 *incolumitati tuae tuorumque, qui ex te pendent, consulas.* Cf. meae Obss. crit. p. 60.

ut scriptam contionem mittam ɔ: ut mittam Bruto orationem, qua utatur post reditum in urbem.

Nemo unquam neque poëta cet. Simile legimus Tusc. V. 63: *adhuc neminem cognovi poëtam, qui sibi non optimus videretur; sic se res habet: te tua, me delectant mea.*

de optimo genere dicendi. Eodem nomine designat in epistola ad Cornificium (Fam. XII. 17, 2) librum, quem alibi *Oratorem* appellavit, Fam. VI. 18, 1. Divin. II. 4. Aliud genus dicendi placuisse Bruto, quam Ciceroni apparet quoque ex ep. 1 B. libri sequentis atque e Dial. de oratt. c. 18.

Non scite. Non magis quam Orellius video, in quo insit non scitum hoc. E triplici

isti contionari! cui si esse in urbe tuto licebit, vicimus; ducem enim novi belli civilis aut nemo sequetur aut ii sequentur, qui facile vincantur. 4. Venio ad tertiam. Gratas fuisse meas litteras Bruto et Cassio gaudeo: itaque iis rescripsi. Quod Hirtium per me meliorem fieri volunt, do equidem operam, et ille optime loquitur, sed vivit habitatque cum Balbo, qui item bene loquitur: quid credas videris. Dolabellam valde placere tibi video, mihi quidem egregie. Cum Pansa vixi in Pompeiano: is plane mihi probabat se bene sentire et cupere pacem. Causam armorum quaeri plane video. Edictum Bruti et Cassii probo. Quod vis ut suscipiam cogitationem, quidnam istis agendum putem, consilia temporum sunt, quae in horas commutari vides. Dolabellae et prima illa actio et haec contra Antonium contio mihi profecisse permultum videbatur, prorsus ibat res; nunc autem videmur habituri ducem, quod unum municipia bonique desiderant. 5. Epicuri mentionem facis et audes dicere μὴ πολιτεύεσθαι: non te Bruti nostri vulticulus ab ista oratione deterret? Quintus filius, ut scribis, Antonii est dextella: per eum igitur, quod volemus, facile auferemus. Exspecto, si, ut putas, L. Antonius produxit Octavium, qualis contio fuerit. Haec scripsi * *; statim enim Cassii tabellarius. Eram continuo Piliam salutaturus, deinde ad epulas Vestorii navicula. Atticae plurimam salutem.

emendandi ratione, quam olim proposuerat, in altera edit. unam probavit: *Non scite? Hoc tamen Atilius p. d.* — De Atilio egit Madvigius ad Cic. de Fin. I. 5. et Patinus in Diario erud. Gall. 1865, p. 245. Licinius quidam hunc comicum vocabat *ferreum scriptorem.*

§ 4. *vivit habitatque cum Balbo* ɔ: assidue utitur Balbo. Cf. p. Flacco 23 *hi vivunt cum inimicis, habitant cum accusatoribus.*

Causam armorum quaeri plane video ɔ: apertum est Antonium id agere, ut arma capiantur adversus Brutum et Cassium. ep. 21, 2.

Quod vis ut suscipiam scripsi de praeclara Madvigii emendatione, Adv. crit. II. 240, quam probavit Wesenb. Emend. alt. p. 136. *Quaeris,* quod codd. dant, non dicitur pro rogas vel postulas.

prorsus ibat res ɔ: res procedebat, erat in cursu. Cf. ep. 15, 2.

§ 5. *Antonii est dextella.* ɔ: cuius opera Antonius multum utitur. Cf. Io. Clerici adnot. ad Albinovani El. II. 14.

per eum — auferemus. Cogitandum videtur de re Buthrotia aut de legatione votiva.

si L. Antonius produxit Octauium ɔ: si ille tribunus plebis contionem dedit Octavio, tribunatum petenti. cf. Dio XLV. 6.

Haec scripsi ** Ante *statim* periit aliquod adverbium quo indicatur Ciceronem haec festinanter scripsisse. Or. volebat *summatim* (cf. V. 16, 1), mihi magis placet *raptim,* ut II. 9, 1.: *haec scripsi raptim.* Bosii *citatim* non debet Tullio obtrudi.

XXI. (*A. U. C.* 710.)

1. Quum paullo ante dedissem ad te Cassii tabellario litteras, v. Idus venit noster tabellarius, et quidem portenti simile sine tuis litteris, sed cito conieci Lanuvii te fuisse; Eros autem festinavit, ut ad me litterae Dolabellae perferrentur, non de re mea — nondum enim meas acceperat —, sed rescripsit ad eas, quarum exemplum tibi miseram, sane luculente. 2. Ad me autem, quum Cassii tabellarium dimisissem, statim Balbus. O dii boni, quam facile perspiceres timere otium! et nosti virum, quam tectus, sed tamen Antonii consilia narrabat: illum circumire veteranos, ut acta Caesaris sancirent idque se facturos esse iurarent, ut arma omnes haberent eaque duoviri omnibus mensibus inspicerent. Questus est etiam de sua invidia eaque omnis eius oratio fuit, ut amare videretur Antonium; quid quaeris? nihil sinceri. 3. Mihi autem non est dubium, quin res spectet ad castra: acta enim illa res est animo virili, consilio puerili; quis enim hoc non vidit regni heredem relictum? quid autem absurdius,

Hoc metuere, alterum in metu non ponere —?

Quin etiam hoc ipso tempore multa ὑποσόλοικα· Pontii Neapolitanum a matre tyrannoctoni possideri! Legendus mihi saepius est Cato maior ad te missus; amariorem enim me senectus facit. Stomachor omnia; sed mihi quidem βεβίωται, viderint iuvenes. Tu mea curabis, ut curas. 4. Haec scripsi seu dictavi apposita secunda mensa apud Vestorium. Postridie apud Hirtium cogitabam, et quidem πεντέλοιπον: sic homi-

§ 1. *quarum exemplum tibi miseram.* Additur epistolae 17 h. l.

§ 2. *tectus* dicitur, qui cogitationes suas tegit et quae novit dissimulat. Opp. *apertus.* Vid. Ellendt ad Cic. de Orat. II. p. 320 sq.

idque se facturos esse iurarent. Cur malit Orellius *acturos* ignoro. *Facere, ut* est curam gerere, ut aliquid fiat. Alterum, quod Antonius veteranos rogabat, erat ut haberent arma, ut se armarent et ut magistratus coloniarum et municipiorum, in quibus erant, ea o. m. inspicerent. Quum in M. vitiose scriptum esset *utram,* Victorius male inde effecit *ut rata,* recte Lambinus *ut arma,* quod v. *inspicerent* plane requirit. Cf. p. Caec. 61. Liv. XLIV. 1.

§ 3. *non vidit.* Cum Corrado malim *non videt.* — *Quid autem absurdius hoc — ponere?* Versu veteris poetae Cicero declarat sibi absurdum videri Caesaris tyrannidem metuere, non metuere Antonium.

Pontii Neapolitanum — possideri! Indignatur Cicero, quod praedium hominis, qui Caesari semper infestus fuerat inque eum coniuraverat, tamen non fuisset domino priori redditum, sed teneretur a Servilia, quae cum Caesare familiarissime vixerat. cf. Suet. Caes. 50.

Amariorem ɔ: morosiorem. Sic de persona adi. ponitur in Terentii Hec. 710 et p. Cluent. 72.

§ 4. *scripsi seu dictavi.* Verba *seu dictavi* addita puto ab aliquo, cui mirum videbatur Ciceronem inter cenam litteras exaravisse apud Vestorium. Ipsius Ciceronis non sunt. Nam is potius alterum verbum delevisset, aut certe in corrigendo posuisset *vel potius, sive potius,* non *seu.*

nem traducere ad optimates paro. *Λῆρος πολύς:* nemo est istorum, qui otium non timeat; quare talaria videamus, quidvis enim potius quam castra. Atticae salutem plurimam velim dicas. Exspecto Octavii contionem et si quid aliud, maxime autem ecquid Dolabella tinniat an in meo nomine tabulas novas fecerit.

et quidem πεντέλοιπον. Voc. Graecum confirmatur eo, quod iterum legitur in XV. 2. 4 indicatque Hirtium solum Puteolis relictum esse e quinque viris, quos ante secum ibi fuisse scripsit in ep. 11 extr. *Sic est*: coenando apud illum.

Λῆρος πολύς ɔ: nugas ago, Aethiopem lavo.

Talaria videamus ɔ: circumspiciamus aliquam viam abeundi. Cf. ad V. 1. 3. Minus recte in nonnullis libris inveniri *talaria induamus* Victorius intellexit.

ecquid D. tinniat, an — tabulas novas fecerit ɔ: utrum Dolabella nummos mihi debitos annumeret, an vero tabulas novas, quas olim palam in republica denuntiavit, nunc sua causa in eo, quod mihi debet, fecerit.

XXII. (*A. U. C.* 710.)

1. Certior a Pilia factus mitti ad te Idibus tabellarios, statim hoc nescio quid exaravi. Primum igitur scire te volui me hinc Arpinum XVI. Kalend. Iun.: eo igitur mittes, si quid erit posthac, quamquam ipse iam iamque adero; cupio enim, antequam Romam venio, odorari diligentius quid futurum sit, quamquam vereor ne nihil coniectura aberrem. Minime enim obscurum est, quid isti moliantur — meus vero discipulus, qui hodie apud me coenat, valde amat illum, quem Brutus noster sauciavit —, et, si quaeris — perspexi enim plane — timent otium; *ὑπόθεσιν* autem hanc habent eamque prae se ferunt, clarissimum virum interfectum, totam rem publicam illius interitu perturbatam, irrita fore, quae ille egisset, simul ac desisteremus timere, clementiam illi malo fuisse, qua si usus non esset, nihil ei tale accidere potuisset. 2. Mihi autem venit in mentem, si Pompeius cum exercitu firmo veniat, quod est *εὔλογον,* certe fore bellum. Haec me species cogitatioque perturbat; nec enim iam, quod tibi tum licuit, nobis nunc

§ 1. *vereor ne nihil coniectura aberrem.* Perperam in Crat. est *a coniectura*. Est abl. instrumenti, ut *coniiciendo*, cf. de N. D. I. 100, et *aberrem* absolute ponitur, ut Off. I. 135. Alia ratio est in Phil. XII. 23, ubi recte nunc editur: *num aberret a coniectura suspicio periculi mei.*

meus discipulus — valde amat illum cet. ɔ: Hirtius valde amat Caesarem etiam mortuum.

ὑπόθεσιν — ferunt ɔ: hoc est argumentum sermonis, quod minime occultant. Eadem vi ὑπόθεσις legitur I. 14, 4. XII. 45, 3. XV. 1b., 2. Falluntur, qui hic ὑπόθεσιν interpretantur *praetextum*, voorwendsel.

qua si usus non esset, nihil ei tale accidere potuisset. Sic scribo cum codd. Cratander correxit *potuisse*, quod alii secuti sunt. Sed de hoc genere anacoluthiae apud optimos scriptores obviae bene disputavit Haase ad Reisigii Schol. adn. 622.

§ 2. *nec enim iam* (Med. *negeniam.* Cor-

licebit; nam aperte laetati sumus, deinde habent in ore nos ingratos. Nullo modo licebit, quod tum et tibi licuit et multis: φαινοπροσωπητέον ergo et ἰτέον in castra? milies mori melius huic praesertim aetati. Itaque me Idus Martiae non tam consolantur quam antea; magnum enim mendum continent, nisi illi iuvenes ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθοῦνται φόγον. Sed, si tu melius quidpiam speras, quod et plura audis et interes consiliis, scribas ad me velim simulque cogites quid agendum nobis sit super legatione votiva. Equidem in his locis moneor a multis, ne in senatu Kalendis; dicuntur enim occulte milites ad eam diem comparari, et quidem in istos, qui mihi videntur ubivis tutius quam in senatu fore.

rexit Buecheler. Mus. Rhen. XI. p. 516). *quod tibi tum licuit, nobis nunc licebit.* Perplacet Moseri coniectura Symb. Crit. VIII. p. 15 prolata: *Nec enim iam, quod tum licuit nobis, nunc licebit.* Evitatur sic insuavis repetitio eiusdem dicti in seqq.

φαινοπροσωπητέον ergo et ἰτέον in castra? ɔ: quid ergo faciam? demamne larvam, ostendam me, qualis sim et cum Bruto et Cassio stabo?

magnum enim mendum continent, nisi illi cet. Recepi emendationem a. C. F. Hermanno propositam in Novo Museo Rhenano IV. p. 317, quum e libris Mss. priores dedissent *etsi.* Sententia enim talis requiritur: Nisi Brutus et Cassius hanc culpam repulerint, Idus Martiae parum me consolantur, quia Antonius superstes est. Graeca Sophoclis esse putabat Valckenaerius in Diatr. Eurip. p. 192.

super legatione votiva. Cf. h. l. 13, 4 et quae de hoc genere legationis dicuntur XV. 11, 4.

ad eam diem ɔ: ad id tempus, non ad Kalendas Iunias solas.

LIBER XV.

I. a. (*A. U. C.* 710).

1. O factum male de Alexione! Incredibile est quanta me molestia affecerit, nec mehercule ex ea parte maxime, quod plerique mecum: »ad quem igitur te medicum conferes?" quid mihi iam medico? aut

§ 1. *O factum male.* Formula maerentis, quam attigi ad XII. 10. Opponitur *O factum bene,* quo utebantur in re laeta. Vid. Terent. Andr. I. 1, 78 cum adnot. Drakenborchii in Grauerti Analectis p. 33. Alanus verba sic distinguens: *O, factum male de A. incredibile est, quanta* cet non docuit *factum male* substantive dici potuisse. — De *Alexione* medico tunc mortuo vid. ep. 2 extr.

quid mihi iam medico? scil. *opus est,* ut e sequentibus verbis apparet. Eodem modo in

si opus est, tanta inopia est? Amorem erga me, humanitatem suavitatemque desidero; etiam illud: quid est, quod non pertimescendum sit, quum hominem temperantem, summum medicum tantus improviso morbus oppresserit? sed ad haec omnia una consolatio est, quod ea conditione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus. 2. De Antonio, iam antea tibi scripsi non esse eum a me conventum: venit enim Misenum, quum ego essem in Pompeiano; inde ante profectus est, quam ego eum venisse cognovi. Sed casu, quum legerem tuas litteras, Hirtius erat apud me in Puteolano; ei legi et egi. Primum quod attinet nihil mihi concedebat, deinde ad summam arbitrum me statuebat non modo huius rei, sed totius consulatus sui. Cum Antonio autem sic agemus, ut perspiciat, si in eo negotio nobis satisfecerit, totum me futurum suum. Dolabellam spero domi esse. 3. Redeamus ad nostros, de quibus tu bonam spem te significas habere propter edictorum humanitatem; ego autem perspexi, quum a me XVII. Kal. de Puteolano Neapolim Pansae conveniendi causa proficisceretur Hirtius, omnem eius sensum. Seduxi enim et ad pacem sum cohortatus; non poterat scilicet negare se velle pacem, sed non minus se nostrorum arma timere quam Antonii, et tamen utrosque non sine causa praesidium habere, se autem utraque arma metuere: quid quaeris? οὐδὲν ὑγιές. 4. De Q. filio tibi assentior; patri quidem certe gratissimae bellae tuae litterae fuerunt. Caerelliae vero facile satisfeci, nec valde laborare mihi visa est, et, si illa, ego

Verr. L. V. 45 rogatur: *Quid enim tibi navi?* et Varro ap. Nonium p. 100 *quid mihi somno, si dormitio tollitur?*

§ 2. *iam antea tibi scripsi.* Vid. XIV. 20, 2. Promiserat Cicero se, si Antonium videret, acturum de Buthroto ibid. 19, 4.

et egi. Non apparet quid egerit, aut quocum. Egi causam tuam apud Hirtium, aut egi cum eo de re Buthrotia, ut fere interpretantur, ex uno verbo *egi* num recte eliciatur dubito. Et videtur dubitasse Peerlkampius, quum scribi iuberet: *et relegi.*

Primum quod attinet cet. Quum sequatur *deinde,* apparet *primum* esse adverbium, non adiectivum, quod pendet a. v. *attinet.* Cohaerent igitur *quod attinet nihil* ɔ: nihil alicuius momenti, nihil quod prosit. Cf. ad Her. I. 1 *Ea conquiesierunt, quae nihil attinebat.* Att. XII. 18, 2 *non venit in mentem, quia nihil attinuit.* Non opus est, ut cum Reisigio in Scholis § 473 inter *quod attinet* aliquid intercidisse statuas. Si quid interciderit, facile suppleretur *ad te.*

ad summam ɔ: ut verbo dicam. Cf. ad XIV. 1, 1.

Dolabellam spero domi esse. Lambinus comparans *foris esse,* quod in Pison. 12 ponitur de Gabinio, qui rem suam perdiderat, h. l. *domi esse* explicat: solvendo esse, neque recusare quominus solvat. Mihi potius hac locutione indicari videtur: Dolabellam spero iam solvisse: plane ut nos dicimus: *ik hoop, dat D. al binnen is.* In seqq. *nostros* et *nostrorum* referri debet ad Brutum et Cassium, ut ep. 4, 2 et 4. 6, 1. 10. 20, 1.

§ 4. *Caerelliae — satisfeci.* Qua in re facile apparet ex iis, quae leguntur XIV. 19, 4. Caerellia studuerat reconciliare Ciceronem cum Publilia. Cicero ei probavit se non posse cum illa vivere. *Istam* dici Publiliae matrem

certe non laborarem. Istam vero, quam tibi molestam scribis esse, auditam a te esse omnino demiror: nam quod eam collaudavi apud amicos audientibus tribus filiis eius et filia, *τοῦτ᾽ οὐκ ἐκ τοῦ νοῦ·* [quid est hoc?] quid est autem, cur ego personatus ambulem? parumne foeda persona est ipsius senectutis? 5. Quod Brutus rogat ut ante Kalendas, ad me quoque scripsit, et fortasse faciam; sed plane quid velit nescio. Quid enim illi afferre consilii possum, quum ipse egeam consilio et quum ille suae immortalitati melius quam nostro otio consuluerit? De regina rumor exstinguitur. De Flamma, obsecro te, si quid potes.

temere statuunt. Rectius Schuetzius putabat designari aliam, quae a Cicerone laudata sperabat fore ut eius uxor fieret.

et filia tua. M. „Mirum si Attica adfuerit. Cum tribus filiis puto filiam quoque illius mulieris sermoni adfuisse. TVA accedere debet ad litteras Graecas TOECTOYOY". Orellius, cui assentior. Recte P. Victorium non desperasse de restitutione loci a se non intellecti, mihi concedent, qui cognoverint ingeniosam Peerlkampii emendationem, quam inter verba Ciceronis recepi: *τοῦτ᾽ οὐκ ἐκ τοῦ νοῦ*, *non feci ex animo.* Egregie haec confirmantur sequentibus, in quibus Cicero se dicit senem deponere illam personam, nec simulare amorem, qui non erat in animo suo. Rugae seniles satis eum deformabant. Quae post Graeca sequuntur *quid est hoc?* seclusi, quoniam assentior Wesenbergio, Emend. p. 118, haec esse librarii interrogantis, quid illa significarent. Muecke l. l. p. 8 seq. ea retinet putatque Ciceronem scripsisse: audientibus tribus filiis (pro filiabus) eius et filia tua, *ἐκ τοιούτου* (h. e. ob tam levem causam istam a te auditam esse), quid est hoc? (ɔ: nihil est).

§ 5. *quum ille — consuluerit* ɔ: quum Brutus occiso Caesare magis sibi gloriam, quam nobis securitatem paraverit.

De regina rumor exstinguetur. Corrigendum censebam *exstinguitur* et ita nunc correxi cum W. — De Flamma vid. ad XIV. 16, 4.

I. b. (*A. U. C.* 710.)

1. Here dederam ad te litteras exiens e Puteolano deverteramque in Cumanum. Ibi bene valentem videram Piliam, quin etiam paulo (post) Cumis eam vidi; venerat enim in funus, cui funeri ego quoque operam dedi: Cn. Lucullus familiaris noster matrem efferebat. Mansi igitur eo die in Sinuessano atque inde mane postridie Arpinum proficiscens hanc epistolam exaravi. 2. Erat autem nihil novi quod aut scriberem aut ex te quaererem, nisi forte hoc ad rem putas pertinere: Brutus noster misit ad me orationem suam habitam in contione Ca-

§ 1. *Paulo post* scripsi cum Lambino. E *paulo* cod. Med. facilius facies *paulum* aut *paululum*, ɔ: per breve tempus, sed hoc non aptum est, quum simul funeri operam darent. Cicero viderat Piliam in Cumano, paulo post vidit Cumis.

venerat — in funus. Lennepius Exercitt. Amstel. I. p. 13 comparavit locutiones Gr.

pitolina, petivitque a me ut eam ne ambitiose corrigerem antequam ederet. Est autem oratio scripta elegantissime sententiis, verbis ut nihil possit ultra: ego tamen, si illam causam habuissem, scripsissem ardentius. Ὑπόθεσις vides quae sit (et) persona dicentis. Itaque eam corrigere non potui; quo enim in genere Brutus noster esse vult et quod iudicium habet de optimo genere dicendi, id ita consecutus est in ea oratione, ut elegantius esse nihil possit, [sed] ego secutus aliud sum, sive hoc recte sive non recte. Tu tamen velim orationem legas, nisi forte iam legisti, certioremque me facias quid iudices ipse; quamquam vereor ne cognomine tuo lapsus ὑπεραττικός sis in iudicando; sed si recordabere Δημοσθένους fulmina, tum intelliges posse et ἀττικώτατα gravissime dici. Sed haec coram: nunc nec sine epistola nec cum inani epistola volui ad te Metrodorum venire.

ἐπὶ τάφον ἔρχεσθαι, ἥκειν εἰς ταφάς et e Terentii Andria I. 1, 88 *in funus prodire.*

§ 2. *ut eam ne ambitiose corrigerem* ɔ: nihil dans gratiae, sine ulla captatione benevolentiae. Eodem modo *ambitiose* et *ambitiosius* ponuntur Fam. III. 7, 4 (ad q. l. cf. adn. Kortii), XIII. 69, 1. Quod est Q. Fr. I. 2, 4 *in Graecos ambitiosum esse* explicatur in § 6: *Graecis solis indulgeo.* Recte Mongaltius: *sans chercher à lui plaire.* Nihil opus est mutare quod in M. scriptum est *ne ambitiose,* facileque caremus Bosii *nec ambitiose* et Kochii *sine ambitione.*

Ὑπόθεσις *vides quae sit persona dicentis.* Sic Med. Cum Or. post *sit* inserui *et,* quod lenius quam ut olim correxi: ὑπόθεσιν *vides et quae sit p. d.*

[*sed*] *ego secutus aliud sum.* Non dubitavi recipere hanc Pii coniecturam fortasse e codice ductam. In Med. et Ox. inventum est *solus aliud,* unde veteres editores frustra fecerunt *solus alius.* Neque verosimile est hoc corruptum esse ex *totus alius,* aut Ciceronem scripsisse ὅλος *alius,* quae erat Tunstalli opinio, Epist. ad Middlet. p. 205. Horum utrumvis tamen praeferrem Moseri correctioni Symb. Crit. VII. p. 4 qui inter *ego solus* putabat *non* inserendum. At merito idem V. D. offendit in part. *lapsus* in illis verbis: *cognomine tuo lapsus.* Quod proponit *captus* non admodum placet. Fuitne *abusus?* Certe qui Attici nomine abutitur, ὑπεραττικός fieri non male dicetur. — In verbis: *tu tamen velim orationem legas* ex eo, quod Med. habet: *tu tamen velim tum orationem l.* Buechelerus in Mus. Rhen. XI. p. 530 suspicatus est post *velim* inserendum esse *item,* Wes. *eam.*

II. (*A. U. C.* 710.)

1. xv. Kalend. e Sinuessano proficiscens quum dedissem ad te litteras devertissemque † acutius in Vescino, accepi a tabellario tuas litteras, in quibus nimis multa de Buthroto; non enim tibi ea res

§ 1. *Devertissemque † acutius.* Vulgo editur *a Cumis,* quod falsum est. Nam *devertere a loco* non est Latinum, et *Cumae* longius absunt ab iis locis, ubi tum erat Cicero e Sinuessano Arpinum proficiscens, ep. Ib. 1. Idem observavit I. F. Gronovius et ob *Vescini* mentionem, qui erat ager non longe a Minturnis (cf. Bentl. ad Lucani Phars. II. 425), corrigi volebat: *devertissemque Minturnis, in Vescino accepi.* Cf. XVI.

maiori curae aut est aut erit quam mihi: sic enim decet te mea curare, tua me. Quamobrem id quidem sic susceptum est mihi, ut nihil sim habiturus antiquius. 2. L. Antonium contionatum esse cognovi tuis litteris et aliis sordide, sed id quale fuerit nescio; nihil enim scripsisti. De Menedemo, probe: Quintus certe ea dictitat, quae scribis. Consilium meum a te probari, quod ea non scribam, quae tu a me postularis, facile patior, multoque magis id probabis, si orationem eam, de qua hodie ad te scripsi, legeris. Quae de legionibus scribis, ea vera sunt; sed non satis hoc mihi videris tibi persuasisse, qui de Buthrotiis nostris per senatum speres confici posse. † Quod puto; tantum enim video, non videmur esse victuri; sed ut iam nos hoc fallat, de Buthroto te non fallet. 3. De Octavii contione idem sentio, quod tu, ludorumque eius apparatus et Matius ac Postumius mihi procuratores non placent; Saserna collega dignus. Sed isti omnes, quemadmodum sentis, non minus otium timent quam nos arma. Balbum levari invidia per nos velim, sed ne ipse quidem id fieri posse confidit: itaque alia cogitat. 4. Quod prima disputatio Tusculana te confirmat, sane gaudeo; neque enim ullum est perfugium aut melius aut paratius. Flamma quod bene loquitur, non moleste fero. Tyn-

10, 1. In Med. quum *acutius* scriptum esse dicatur, ego potius suspicor in eo latere nomen hospitis, ad quem in itinere deverterat, velut *ad Vettium* (Klotzius *ad Acilium*), quam aliquem comparativum velut *diutius*, ut coniecit Ruete, die Corresp. Cic. p. 20.

§ 2. *L. Antonium — sordide.* Agitur de alia contione, quam de ea, quae XIV. 20, 2 appellatur *L. Antonii horribilis contio.*

De Menedemo, probe. Menedemum, nequissimum Graeculum, a Caesare civitate donatum, tunc securi percussum esse ex Hirtii epistola Cicero cognoverat. Cf. Phil. XIII. 33. Id factum probat. Paulo post rumorem falsum fuisse audivit. Vid. ep. 4, 4. h. l.

Consilium meum cet. Fortasse consilium historiae non scribendae. Vid. XIV. 14, 4.

Quae de legionibus scribis, ea vera sunt. Scilicet M. Antonius quattuor legiones e Macedonia acciverat, eaeque tunc in Italiam transiturae dicebantur. Sed venerunt demum mense Octobri. Vid. Fam. XII. 23, 2.

qui de Buthrotiis cet. Sic scripsi non de Gronovii coniectura, sed cum libris vett. Lambini. Post *confici posse* plene distinxi.

† *Quod puto.* Scribendum censeo: *Quod dubito;* nisi negationem excidisse malis. Gronovii *haud puto* audacius est. *Victuri* mihi quidem participium est a verbo vincendi, non ut aliis placet a vivendo. In iis quae sequuntur leve mendum relinquebatur: *sed etiam.* Hoc fere dicendum erat: Sed si hoc nos fallet, si revera victores erimus, de Buthroto te non fallet. Correxit Klotz. scribens *ut iam* pro *etiam.*

§ 3. *De Octavii contione* ɔ: de oratione, quam in contione habuit Octavius productus a L. Antonio. Vid. XIV. 20, 5. 21, 4.

ludorumque cet. Erant tres procuratores ludorum, quos Octavius ex voto Caesaris ob victoriam Pharsalicam Veneri Genetrici edidit, C. Matius (Fam, XI, 27, 7. 28, 6) Postumius, uterque Caesaris familiaris (Fam. VI. 12, 2) et in epistolis Tullianis saepe citati. Tertius *collega dignus* ɔ: illis non melior, erat Saserna, alter ex iis, quos scriptor de Bello Africano a. 707 a Caesare in praesidio relictos scribit. Vid. c. 9 et 10.

Balbum levari invidia. Cf. XIV. 21, 2.

§ 4. *Quod prima disp. Tusc. te confirmat,* quae agit de contemnenda morte.

Flamma quod bene loquitur, non moleste fero.

daritanorum causa, de qua † causa laborat, quae sit ignoro; hos tamen **. *Πεντέλοιπον* movere ista videntur, in primis erogatio pecuniae. De Alexione doleo, sed, quoniam inciderat in tam gravem morbum, bene actum cum illo arbitror: quos tamen secundos heredes scire vellem et diem testamenti.

ↄ: gratissimum mihi est Flammam polliceri se soluturum. Cf. ad XIV. 16, 4.

de qua † causa laborat. Si lectio ab Ursino prolata *de qua Pansa laborat* vera nititur Ms. auctoritate, in ea acquiescam; si, quod magis credo, illius ingenio debetur, pressius codicum vestigia observasset corrigendo: *de qua Casca laborat.* — Tyndaris, urbs Siciliae, et eius cives memorantur in Verrinis.

hos tamen. Πεντέλοιπον movere cet. Redii ad distinctionem a Bosio propositam. Ad *hos tamen* non male ille supplevit: *defendam.* Reliqua bonam afferunt sententiam: Ea, quae Romae fiunt, imprimis rapinae ad Opis factae (XIV. 14, 5) movere videntur Hirtium (cf. ad XIV. 21, 4), qui propterea fortasse factus est iratior Antonio, ut dicitur ep. 6, 1.

scire vellem. Usitatius esset *scire velim,* ut ediderunt B.W.

diem testamenti vocat tempus, intra quod heredes debebant cernere hereditatem.

III. (*A. U. C.* 710.)

1. Undecimo Kal. accepi † nati duas epistolas tuas, quibus duabus meis respondisti. Una erat XV. Kal., altera XII. data; ad superiorem igitur prius. Accurres in Tusculanum, ut scribis, quo me VI. Kal. venturum arbitrabar. Quod scribis parendum victoribus, non mihi quidem, cui sunt multa potiora; nam illa, quae recordaris Lentulo et Marcello consulibus acta in aede Apollinis, nec causa eadem est nec simile tempus, praesertim quum Marcellum scribas aliosque discedere: erit igitur nobis coram odorandum et constituendum tutone Romae esse possimus. Novi conventus habitatores sane movent; in magnis

§ 1. *Undecimo Kal. accepi nati duas* cet. Quum in cod. Z. post *accepi* legeretur *nati,* quod M. omisit, Lambinus inde eruit *ex Arpinati,* Bosius geminans *nati* invenit *in Atinati.* Sed Sinuessa aut Minturnis, ubi Cicero fuerat, ep. 2, 1, Tusculum quo se conferre volebat, tendenti, Arpinum et Atina devia sunt, sive Atinam prope Arpinum sitam, sive Atinam in Marsis ad occidentem Fucini lacus cogites. Verosimilius est Ciceronem tenuisse iter iuxta maris litus et aliquot dies moratum esse *in* suo *Antiati,* ut vidit W. Cf. tamen Ruete l. l. p. 21.

cui sunt multa potiora. Fortasse scripsit *multo potiora.* Quid enim, si parere nollet victoribus, ipsi relinquebatur nisi exsilium aut mors? Contra Fam. XI. 27, 6, ubi in Mediceo est *multo occultiora,* recte nunc scribunt *multa.*

nam illa — in aede Apollonis. Narrantur ab ipso Caesare de B. C. I. 1—5. Marcellus, quem nunc discedere ab urbe scribit, (sed aut non discessit aut brevi rediit. cf. ep. 12 extr.) est idem ille C. Marcellus, qui a. 705 cum L. Lentulo consul fuerat. Nom. *illa* pendet, constructione post sententiam relativam *quae — Apollinis* mutata, plane ut fit in III de Fin., 11 *ceterae philosophorum disciplinae — eas non modo nihil adiuvare arbitror.*

Novi conventus habitatores sunt coloni proxime superioribus diebus ab Antonio in

enim versamur angustiis; sed sunt ista parvi: quin et maiora contemnimus. 2. Calvae testamentum cognovi, hominis turpis ac sordidi. Tabula Demonici quod tibi curae est, gratum. De † malo scripsi iam pridem ad Dolabellam accuratissime, modo redditae litterae sint. Eius causa et cupio et debeo. 3. Venio ad propiorem. Cognovi de Alexione, quae desiderabam. Hirtius est tuus. Antonio quoniam † est, volo peius esse. De Q. filio, ut scribis, A. M. C.; de patre coram agemus. Brutum omni re, qua possum, cupio iuvare, cuius de oratiuncula idem te, quod me, sentire video; sed parum intelligo, quid me velis scribere quasi a Bruto habitam orationem, quum ille ediderit. Qui tandem convenit? an sic, ut in tyrannum iure optimo caesum? multa dicentur, multa scribentur a nobis, sed alio modo et tempore. De sella Caesaris,

agrum Campanum deducti. Phil. II. c. 39 sq. Quae sequuntur: *In magnis enim versamur angustiis* non continent causam, cur illi moveant Ciceronem. Rectius haec verba legerentur post illa: *tutone Romae esse possimus.*

sed sunt ista parvi. Ex eo quod in M. legitur *sed si ista parvi* facilius etiam illud in ed. Rom. factum est — nam *si* ortum esse potest e *st* ɔ: *sunt* — quam quod Peerlkampius coniecit: *etsi ista parvi.* Deinde pro *et maiora* cum B. malim *etiam maiora.*

§ 2. *Calvae testamentum.* „Cuiusdam, ut videtur, clientis Ciceronis, qui non grate pieque testamento eum prosecutus erat." I. F. Gronovius.

Tabula Demonici. Recte Popma suspicabatur significari tabulam auctionariam alicuius debitoris Ciceronis, quam Atticus ideo observabat. De *tabula* pro auctione cf. ad XII. 40, 4.

De † malo. In hac voce latere nomen proprium certum est. Cum Manutio aliisque *de Mario* scribere malo, quam cum Mureto *de Matio,* aut cum Ottone Schmidtio in Museo philol. Rhen. vol. XXXV. p. 313 *de Montano,* atque haec refero ad illum Marium, ad quem sunt litterae Fam. VII. 1—4. Structuram verborum *eius causa et cupio et debeo* paullo liberiorem notavit Moserus Symb. Crit. VII. p. 5, qui fere malit: *eius causa ita cupio, ut debeo.* Immemor erat ita scribens similis loci e Fam. XIII. 75 *cuius causa omnia quum cupio tum mehercule etiam debeo,* ad q. l. Cortius locutionem *alicuius causa debere* tribus aliis exemplis, Fam. III. 7, 6. IV. 8, 1. XV. 11, 1 munivit. Add. supra XIII. 33, 2.

§ 3. *Antonio quoniam † est, volo peius esse.* Ita Med. Alanus lacunam implevit v. *male,* ut opponantur *male est* et *peius esse.* Aliter locum Pius restituit, corrigens *quam est,* ut fere edunt.

De Q. filio, ut scribis, A. M. C. Ita Med. Orellius putat esse vestigia notarum. Bosius parva mutatione scripsit ΙΛΙΑC, quo Cicero indicaverit notissimum proverbium Ἰλιὰς κακῶν convenire in iis, quae Q. filius agitabat. (Cff. Paroemiogr. Graeci edit. laud. vol. I. p. 96 et 256). Magis placet, quod I. F. Gronovius coniecit ΑΛΙC ɔ: *satis* sc. fecisti. Paullo post pro *habita oratione* Gronovium secutus scripsi *habitam orationem.*

Qui tandem convenit? ɔ: quo modo hoc decet? De hoc usu verbi *convenit* monui ad Catil. I. 4. Locis ibi laudatis addo nunc p. Caec. 33. Off. II. 64 et e dicto M. Scauri ap. Asconium p. 20: *utri vos, Quirites, convenit credere?*

De sella Caesaris, bene tribuni. Sellam auream olim Caesari decretam (Suet Caes. 76. Appian. B. C. II. 106) et qua sedens ludos spectabat (Appian. II. 109. Dio C. XLIV, 6), quum in ludis ponere vellet Octavius, prohibuerunt tribuni plebis auctore Antonio, ut tradunt Appianus B. C. III. 28. Dio XLV. 6 extr. Laudat in eo tribunos, laudat etiam equites, quod in theatro animum suum in rem publicam significarant.

apud me ɔ: domi meae Asturae, ut observat Corradus.

modo libenter fuerit et sat diu. „Modo ne

bene tribuni; praeclaros etiam XIV. ordines! Brutum apud me fuisse gaudeo, modo et libenter fuerit et sat diu.

paeniteat eum fuisse, quia forte audierit, quae nollet, nec citius discesserit quam omnia mea monita accipere potuerit." I. F. Gron.

IV. a. (*A. U. C.* 710.)

1. IX Kal. H.X fere a Q. Fufio venit tabellarius. Nescio quid ab eo litterularum, uti me sibi restituerem: sane insulse, ut solet; nisi forte, quem non ames, omnia videntur insulse fieri. (Re)scripsi ita, ut te probaturum existimo. Mihi duas a te epistolas reddidit, unam XI., alteram X (datam). Ad recentiorem prius. † et leniorem laudo; si vero etiam Carfulenus, *ἄνω ποταμῶν*. Antonii consilia narras turbulenta; atque utinam potius per populum agat quam per senatum! † cui quidem ita credo. Sed mihi totum eius consilium ad bellum spectare videtur, si quidem D. Bruto provincia eripitur. Quoquo modo ego de

§ 1. X K. IIX est in M. In numero diei error residet. Nam tabellarius non poterat epistolam ab Attico sibi d. X Kal. datam eodem die reddere Ciceroni, sive ille in Antiati sive in Arpinati esset. E. Ruete l. l. p. 21 correxit *IX Kal.* Deinde ex II feci H ɔ: *hora*, cum Buechelero Mus. Rhen. XI p. 531. B.W.K. ediderunt: *hora* VIII (IIX).

a Q. Fufio Caleno. Cicero hominem sibi inimicissimum iam olim in re Clodiana cognoverat. Atque is postea Caesaris, deinde M. Antonii partes secutus est.

quem non ames ex M. restituit W. haec monens: „Excidit *ab eo* sive post *forte* sive inter *ames* et *omnia.*" Vulgo ex mala Bosii mutatione *quae non ames.* Cum eodem pro *scripsi* reposui *rescripsi* — post *fieri* facile negligi potuit *re* — et ante *ad* inserui *datam*, quod necessario addendum erat.

† *et leniorem laudo.* Orellius putat scribendum: *Ad recentiorem prius et pleniorem* (Klotz. *longiorem*); tum ante *laudo* aliquid excidisse. Ego potius id quod cum v. *laudo* cohaerebat in verbis *et leniorem* latere crediderim, vel quod proposuit Ernestus: *de legione, laudo,* vel magis definite: *De legione M.* (ɔ: Martia) *laudo.* Certum enim est ex iis, quae adduntur de Carfuleno, hic agi de nuntio Romam tum allato aut de rumore, legionem Martiam ab Antonio se contulisse ad Octavium, de qua re legendus est Cicero Phil. III. 6. Atque quum Plancus, Fam. X. 33, 4, de Martia legione scribens Carfuleni nomen adiungat, suspicari licet hunc virum rei militaris scientia praestantem, in ea legione fuisse tribunum. Potuisse autem legionem Martiam relinquere Antonium, de Carfuleno tamen dubitari, quid fecerit, manifestum est. Qui si transiit, omnia iam fieri posse declarat scriptor, citans proverbium: ἄνω ποταμῶν χωροῦσι πηγαί.

Antonii consilia. Is hoc tempore id agebat, ut Gallia, quam provinciam senatus D. Iunio Bruto decreverat, sibi daretur et per tribunos pl. a populo id obtinuit. Cf. Appianus B. C. III. 27 et 30.

cui quidem ita credo. Dativus *cui* e marg. Crat. et Med. non correcto si retinetur, ad senatum spectat. Commode tamen haec explicari non possunt. Nam quod Malaspina putat plene Ciceronem dicturum fuisse: „cui quidem ita credo, ut in eo non multum spei ponam," vereor ut talis ἀποσιώπησις admitti possit. Planum esset: *quem* (sc. Antonium) *quidem ita credo* scil. *facturum.* Quod in M. correctum est: *quod q. ita credo* non placet.

de illius nervis. Nervi indicant vires et potentiam. Fam. III. 10, 1. *Ego enim plane video fore nervis opibus sapientia tua, vehe-*

illius nervis existimo, non videtur fieri posse sine bello; sed non cupio, quoniam cavetur Buthrotiis. Rides? at ego doleo non mea potius assiduitate, diligentia, gratia perfici. 2. Quod scribis te nescire quid nostris faciendum sit, iam pridem me illa ἀπορία sollicitat. Itaque stulta iam Iduum Martiarum est consolatio; animis enim usi sumus virilibus, consiliis, mihi crede, puerilibus. Excisa enim est arbor, non evulsa, itaque quam fruticetur vides. Redeamus igitur, quoniam saepe usurpas, ad Tusculanas disputationes. Saufeium de te celemus; ego nunquam indicabo. Quod te a Bruto scribis, ut certior fieret quo die in Tusculanum essem venturus, ut ad te ante scripsi, VI. Kal., et quidem ibi te quam primum per videre velim; puto enim nobis Lanuvium eundum et quidem non sine multo sermone, sed μελήσει. 3. Redeo ad superiorem, ex qua praetereo illa prima de Buthrotiis, quae mihi sunt inclusa medullis; sit modo, ut scribis, locus agendi.

menter ut inimicos tuos paeniteat intemperantiae suae. Cf. Q. fr. III. 9, 2. Verr. A. P. 35. Cael. 80. Sest. 16. Nervos atque opes coniungit quoque Caesar B. G. I. 20, nervos atque vires Cic. Phil. V. 12. Cicero Capitoni, qui aliquid poterat apud Plancum, *nervulos* tribuit, non *nervos* in epist. addita XVI. 16 C., 13.

sed non cupio, quoniam cavetur Buthrotiis. Rides? Verba a Victorio correcta, sed subobscura melius, quam Gronovius fecerat, interpretati sunt Orellius et Baiterus in Onom. Tull. in v. *Buthrotum*, hoc modo: „Sed non cupio bellum, propter unam hanc rationem, quod pace servata et Caesaris actis ratis manentibus cavetur etiam illis tuis Buthrotiis. Rides? Scilicet quia optime intelligis haec a me κατ' εἰρωνείαν dici merumque esse iocum, quia ex animi mei sententia rei publicae summae libertatique recuperandae magis consuleretur bello, quam hac pace infida."

at ego doleo cet. Nollem bello consuli Buthrotiis, quorum causam mallem in senatu agere. *At ego doleo* debetur Lambino, qui hoc eruit ex eo, quod in Med. legitur: *apscondoleo*. Longe aliter hunc locum intellexit et temptavit Madvigius A. C. III p. 190.

§ 2. *nostris.* Ut supra ep. 1 a., 3.

Excisa — vides. Laudat Nonius p. 479. Quicheratus male in eo loco edidit *avulsa*. Evellitur arbor, quae cum radicibus e solo eruitur.

Redeamus — ad Tusculanas disputationes ɔ: discamus mortem contemnere eoque consilio perlegamus librum I Tusculanarum. Sed quoniam in eo libro disputatur contra Epicureos, curemus ne Saufeius id resciscat.

Saufeium de te celemus. Recte, ni fallor, Popma vidit in Med. *pete* ortum esse ex *de te*. *Celare aliquem de aliqua re* invenitur apud Ciceronem, Fam. VII. 20, 3. Deiot. 18, *celari de aliquo*, Att. X. 14, 3. Sull. 39. *Per te*, quod in cod. X Bosius vidisse se fingit, nihili est. Nam *per te* a Cicerone non ponitur pro *tua causa, propter te*. Cf. Handii Turs. IV. p. 438 sq. Non placet, quod Ottoni Schmidt in mentem venit: *S. petis celemus;* sed pro illo *celemus* scribendum censeo *celem vis*. Cf. ad XVI. 11, 8.

Quod te a Bruto scribis. Aut intercidit aliquod participium, velut *rogatum*, aut scribendum cum Graevio: *Quod de Bruto scribis.*

in Tusculanum essem venturus. Probo, quod e libris Malaspinae affertur, *venturus*. M. dat *futurus*. Sed negari debet talia vitia non dedecori esse familiari sermoni et posse defendi comparatione locutionum, *in potestatem esse, in conspectum esse*, de quibus egit Reisigius in Scholis § 403 et Handius in Turs. III p. 344 sq.

per videre velim ɔ: pervelim videre. Cf. ad I. 4, 3.

Lanuvium, ad Brutum, qui Ciceronis consilium accipere cupiebat. Vid. ep. 1, 5 h. l. Non poterat autem Cicero Brutum convenire sine multo Caesarianorum sermone.

§ 3. *quae mihi sunt inclusa medullis.* Mo-

De oratione Bruti, prorsus contendis, quum iterum tam multis verbis agis. Egone ut eam causam, quam is scripsit? ego scribam non rogatus ab eo? nulla παρεγχείρησις fieri potest contumeliosior. »At", inquis, »Ἡρακλείδειον aliquid". Non recuso id quidem, sed et componendum argumentum est et scribendi exspectandum tempus maturius; licet enim de me, ut libet, existimes — velim quidem quam optime —, si haec ita manent, ut videntur — feres quod dicam —, me Idus Martiae non delectant. Ille enim nunquam revertisset, nos timor confirmare eius acta non coëgisset, aut — ut in Saufeii eam relinquamque Tusculanas disputationes, ad quas tu etiam Vestorium hortaris — ita gratiosi eramus apud illum, quem di mortuum perduint! ut nostrae aetati, quoniam interfecto domino liberi non sumus, non fuerit dominus ille fugiendus. Rubeo, mihi crede, sed iam scripseram; delere nolui. 4. De Menedemo, vellem verum fuisset, de regina, velim verum sit. Cetera coram et maxime, quid nostris faciendum sit, quid etiam nobis, si Antonius militibus obsessurus est senatum. Hanc epistolam

serus Symb. Crit. VII. p. 5 comparavit Fam. XV. 16, *qui mihi haeres in medullis*, tum Tusc. IV. 24 et Phil. I. 36, sed putat haec e poëtae veteris recordatione fluxisse atque ex comp. Ovidii Trist. I. 5, 9 sic scribenda: *quae mihi sunt (imis) inclusa medullis.*

De oratione Bruti. Cf. ep. 1 b., 2.

Egone — ego scribam cet. Scabritiem orationis tollere velim scribendo: *Ergone, ut — scripsit, ego scribam* cet. *Scribere causam* est scribere orationem pro causa.

παρεγχείρησις dicitur, quum argumentum ab alio tractatum alius sibi scribendum sumit, ut docuit Turnebus Advers. XII. 11, cui adstipulatur Ernestus Lexic. Technol. Graec. in voce.

Ἡρακλείδειον *aliquid* ɔ: aliquid opus πολιτικόν, quale scripsit Heraclides Ponticus. Idem opus significatur h. l. 27, 2. XVI. 2, 6. XV. 13, 3, e quo loco apparet exeunte mense Octobri a. 710 Ciceronem illud nondum scribere aggressum esse. Et Beierus quidem in disputatione, quae legitur in Iahnii Annal. Philol. II. p. 342 sq. suspicatus est omnibus his locis agi de libris *de Legibus.* At eos a. 702 vel 703 scriptos esse, sed non absolutos docuerunt Moserus in Introductione et Bakius in Prolegomenis. — *Aliquid* scripsi p. *aliquod* e correctione Wesenbergii, Emend. p. 54.

si haec ita manent. Recte Graevius negat, *manant*, quod optimi libri dant, hic recte dici. Item in Catil. II. 11 *manere* restitutum est pro vitioso *manare* (Cf. Madvigii O. A. p. 176) et Fam. XII. 1, 1 *manebat* scribendum est pro *manabat* — *et corroboratur.*

Ille enim nunquam revertisset ɔ: aut non debuerat redire Caesar et in Antonio reviviscere, nec acta eius rata haberi, aut gratia apud eum valuissemus. Scripturam codd. Ursini et Iunii: *Ille enim si vixisset, nunquam nos timor — coëgisset* interpolatori deberi manifestum est.

ut in Saufeii eam. Videtur excidisse *sectam, sententiam*, vel aliquod eiusmodi nomen.

mortuum ɔ: etiam post mortem, apud inferos.

§ 4. *De Menedemo, vellem verum fuisset.* Cf. ad ep. 2, 2 *de Menedemo, probe.*

De regina. Cf. ad XIV. 20, 2.

illius tabellario ɔ: Q. Fufii tabellario, qui mihi a te epistolas reddidit. cf. § 1.

misi dedita opera. Ultima vox non est e libris scriptis, sed necessario ab editoribus addita. Nam Cicero semper ita scripsit. vid. VIII. 14, 1. X. 3. XI. 8. 2. Rosc. Am. 104. Or. III. 17 et 193. Cf. Gronovii Lect. Plaut. p. 136.

si illius tabellario dedissem, veritus sum ne solveret: itaque misi dedita (opera); erat enim rescribendum tuis.

IV b. (*A. U. C.* 710.)

Quam vellem Bruto studium tuum navare potuisses! ego igitur ad eum litteras. Ad Dolabellam Tironem misi cum mandatis et litteris: eum ad te vocabis et, si quid habebis, quod placeat, scribes. Ecce autem de transverso L. Caesar ut veniam ad se rogat in Nemus aut scribam quo se venire velim; Bruto enim placere se a me conveniri. O rem odiosam et inexplicabilem! puto me ergo iturum, et inde Romam, nisi quid mutaro. Summatim adhuc ad te; nihildum enim a Balbo: tuas igitur exspecto, nec actorum solum, sed etiam futurorum.

Mongaltius vidit ea, quae sequuntur seiungenda esse a superioribus, ut alio tempore scripta. Ad opinionem suam probandam utitur his argumentis. Primum verba *Hanc epistolam — rescribendum tuis* apte collocantur in epistolae fine. Tum si Cicero misit tabellarium cum epistola ad Atticum, cur iubet amicum arcessere Tironem eique reddere litteras ad se? Deinde in priore epist. § 2 Cicero indicat consilium eundi Lanuvium, in hac in Nemus ɔ: Ariciam se iturum scribit. Postremo longae epistolae non apta sunt verba: *Summatim — ad te.*

Ecce de transverso. Formula indicat rem inopinatam et legitur quoque ad Herenn. IV. 14 et Acad. IV. 121. Petronius Sat. 55: *quod non exspectes, ex transverso fit.*

in Nemus ɔ: in lucum Dianae sacrum in agro Aricino. Cf. supra VI. 1, 25.

Summatim. Cf. V. 16, 1. Fam. X. 28, 3.

nihildum a Balbo. „Sc. cognoram de consiliis Antonii." Gron.

V. (*A. U. C.* 710.)

1. A Bruto tabellarius rediit, attulit et ab eo et Cassio litteras. Consilium meum magno opere exquirunt, Brutus quidem, utrum de duobus. O rem miseram! plane non habeo quid scribam: itaque silentio puto me usurum, nisi quid aliud tibi videtur; sin tibi quid venit in mentem, scribe quaeso. Cassius vero vehementer orat ac petit, ut Hirtium quam optimum faciam. Sanum putas? † ὅτε νᾶυς

§ 1. *attulit et ab eo et Cassio.* Prius *et* delendum, vel *et a Cassio* scribendum est, quod Malaspina vidit in cod. Antoniano.

utrum de duobus, sc. utrum Romam redeant, an metu veteranorum coacti Lanuvii maneant. Cf. epistola a Bruto et Cassio hoc ipso anno ante Kal. Iunias data, Fam. XI. 2.

orat ac petit. Quamvis usitatius esset inverso ordine *petit atque orat,* recte tamen Orellius negat hoc constanter observari, usus simili exemplo e Caes. B. C. I. 32 *orat ac postulat.* Non opus est igitur coniect. Lambini *errat. Petit* cet.

ὅτε ναῦς ἄνθρακες. Ita scriptum est in margine Crat. et in Med. teste Victorio, qui inde eruit: ὁ θησαυρὸς ἄνθρακες, *thesaurus carbones sunt* ɔ: Hirtius, quem bonum civem esse putant, sequitur partes Antonii nihilque nobis et rei publicae prodest. Magis hoc mihi placet, quam Bosii restitutio: ὁ γναφεὺς ἀνθρακεύς, *fullo carbonarius fit,* quod explicandum e

ἄνθρακες. Epistolam tibi misi. 2. Ut tu de provincia Bruti et Cassii per senatusconsultum, ita scribit et Balbus. Et Hirtius quidem se (ait) afuturum — etenim iam in Tusculano est — mihique ut absim vehementer auctor est, ille quidem periculi causa, quod sibi etiam fuisse dicit, ego autem, etiam ut nullum periculum sit, tantum abest ut Antonii suspicionem fugere nunc curem, ne videar eius secundis rebus non delectari, ut mihi causa ea sit cur Romam venire nolim, ne illum videam. 3. Varro autem noster ad me epistolam misit sibi a nescio quo missam — nomen enim delerat — in qua scriptum erat veteranos eos, qui reiiciantur — nam partem esse dimissam —, improbissime loqui, ut magno periculo Romae sint futuri, qui ab eorum partibus dissentire videantur. Qui porro noster itus reditus, vultus incessus inter istos? Quodsi, ut scribis, L. Antonius in D. Brutum, reliqui in nostros, ego quid faciam aut quo me pacto geram? Mihi vero deliberatum est, ut nunc quidem est, abesse ex ea urbe, in qua non modo florui cum summa, verum etiam servivi cum aliqua dignitate, nec tam statui ex Italia exire, de quo tecum deliberabo, quam istuc non venire.

fab. Aesopi 12 ed. Cor. Sententia esset: frustra ego Hirtium dealbare s. quam optimum facere studeo; nihil proficio. Quo magis honesta praecipio, eo deteriorem reddo.

§ 2. *Ut tu de provincia* cet ɔ: Ut tu scribis de provinciis in sequentem annum Bruto et Cassio decernendis in senatu actum iri, ita et Balbus scribit. *Et Hirtius quidem se ait acturum, — etenim iam in Tusculano est — mihique* cet. ita sequentia olim correxi. Nam neque *actutum*, quo nusquam usus est Cicero (Phil. XII. 26. Halmius recte edidit: *me vix tutum futurum puto* proxime ad cod. Tegerns.) h. l. facile explicari potest et durior ellipsis est in verbis: *qui quidem se acturum*. Quis enim non ex iis, quae praecedunt, assumet: *scribit*, quum tamen is qui cum Cicerone in Tusculano erat, non ad eum scribere, sed cum eo loqui debuerit? Immo diserte declarandum erat hoc Hirtium non scribere, sed dicere; id quod fit ea ratione, quam proposui. In his autem nihil discessi a cod. Med., in quo et *qui* ante *quidem* deest et *acturum* legitur. Nunc recepi Orellii coniecturam *afuturum* ɔ: non venturum in senatum, cui egregie respondet quod sequitur: *mihique ut absim vehementer auctor est.*

ille quidem cet. In Med. *auctor et ille*, unde Lamb. fecit: *auctor est, et ille.* Sed particula *et* melius abest.

fugere curem. Observanda constructio rarior. *Tantum abest, ut curem* fere idem est ac *non curo*, nihili facio, quod construitur cum infinitivo. Cf. Acad. I. 4: *quae nec indocti intelligere possent, nec docti legere curarent.*

ut mihi causa ea sit. In Med. est *causa esset.* Manutius recte scr. *sit*, Wesenbergius Emend. p. 75 adiecit *ea.*

§ 3. *qui reiiciantur* ɔ: qui non accipiant partem agri publici. Cf. Fam. XI. 2.

Qui porro n. itus reditus. Recte Malaspina *qui* = qualis h. l. praestare alteri formae pron. *quis* iudicavit. *Itum reditum* munivit Casaubonus comparatione Suetonii, Tib. c. 38, ubi *vota pro itu et reditu* Tiberii suscepta dicuntur.

L. Antonius in D. Brutum sc. proficiscetur cum exercitu.

Mihi deliberatum est ɔ: statui, decrevi. Cf. de leg. agr. I. 25, Verr. III. 95.

VI. (*A. U. C.* 710.)

1. Quum ad me Brutus noster scripsisset et Cassius, ut Hirtium, qui adhuc bonus fuisset *** sciebam neque eum confidebam fore mea auctoritate meliorem, — Antonio est enim fortasse iratior, causae vero amicissimus — tamen ad eum scripsi eique dignitatem Bruti et Cassii commendavi. Ille quid mihi rescripsisset scire te volui, si forte idem tu quod ego existimares istos etiamnunc vereri, ne forte ipsi nostri plus animi habeant, quam habent.

§ 1. *qui adhuc bonus fuisset,* cet. Quum vulgo in his edendis sequantur correctorem Medicei, qui in margine dedit: *quem adhuc bonum fuisse sciebant neque eum confidebant fore, m. a. meliorem facerem,* nunc praeeunte W. recepi, quod in M1 est, lacunae signis positis de sententia Madvigii, qui Adv. Crit. II. p. 240 haec fere excidisse coniecit: „confirmarem et excitarem, etsi alieno a causa animo fuisse" *sciebam,* cet. Ita demum indicativi *sciebam* et *confidebam* in ipsius Ciceronis sententia positi recte se habent, et *tamen* relatum ad *etsi* nullam habet difficultatem. Cf. Emend. alt. p. 138.

Istos appellat Caesarianos. *Nostri* sunt, qui saepe sic appellantur. Cf. ad ep. 1 a., 3. Additi pronominis *ipsi* causam non video. Fortasse scrib. *illi nostri.*

HIRTIUS CICERONI SUO S.

2. Rure(ne) iam redierim quaeris. An ego, quum omnes caleant, ignaviter aliquid faciam? Etiam ex urbe sum profectus: utilius enim statui abesse. Has tibi litteras exiens in Tusculanum scripsi; noli autem me tam strenuum putare, ut ad Nonas recurram. Nihil enim iam video opus esse nostra cura, quoniam praesidia sunt in tot annos provisa. Brutus et Cassius utinam, quam facile a te de me impetrare possunt, ita per te exorentur, ne quod calidius ineant consilium! cedentes enim haec ais scripsisse: quo aut quare? 3. Retine, obsecro te, Cicero, illos, et noli sinere haec omnia perire, quae funditus me-

§ 2. *an ego — faciam.* Hirtius Ciceronis quaestioni quaestionem opponit, quasi dicat: Quum omnes festinent, solus ferias agam? ɔ: Qui potes dubitare, quin in urbem redierim ante Kal. Iunias, quo senatus convocatus fuerit. Atque, sic pergit, iam urbem rursus reliqui. Cum Wes. quaestioni simplici indirectae adieci rogandi particulam *ne,* eodemque auctore *et iam* pro *etiam* paene scripseram, nisi *etiam* posset continere responsum ad priorem quaestionem. Quae sequuntur I. F. Gronovius ita correxit: *Ex urbe iam profectus — utilius enim statui abesse — has tibi* cet.

ad Nonas, quo die senatum fore putabant. Vid. ep. 9 init.

praesidia sunt — provisa. Vide adnot. ad ep. 6. § 2 libri praecedentis. Non cogitandum de magistratibus in plures annos creatis, sed de exercitibus aliisque institutis, quibus Caesar caverat ne resp. a se constituta everteretur. Cf. A. G. Zumptii Comm. epigr. II. p. 235.

calidius consilium ɔ: subito captum, praeceps, θερμότερον. Recte Lambinus negat *callidius* hic et infra § 4 stare posse. In Mss. solent confundi. Cff. interpretes ad Livium XXXV. 32, 13.

diusfidius rapinis, incendiis, caedibus pervertuntur: tantum, si quid timent, caveant, nihil praeterea moliantur. Non mediusfidius acerrimis consiliis plus quam etiam inertissimis, dummodo diligentibus, consequentur; haec enim, quae fluunt, per se diuturna non sunt, in contentione praesentes ad nocendum habent vires. Quid speres de illis in Tusculanum ad me scribe.

4. Habes Hirtii epistolam, cui rescripsi nihil illos calidius cogitare, idque confirmavi. Hoc qualecumque esset te scire volui. Obsignata iam epistola Balbus ad me Serviliam redisse, confirmare non discessuros. Nunc exspecto a te litteras.

§ 3. *haec quae fluunt* ɔ: quae nunc fiunt ab Antonio. *per se* ɔ: si nihil iis obiicitur. His verbis opp. *in contentione* ɔ: si qui obsistant nec fluere sinant.

§ 4. *Serviliam redisse* sc. Lanuvio, ubi filium Brutum convenerat.

VII. (*A. U. C.* 710.)

Gratum quod mihi epistolas, quae quidem me delectarunt, imprimis Sexti nostri. Dices: »quia te laudat." Puto mehercule id quoque esse causae, sed tamen etiam antequam ad eum locum veni, valde mihi placebat quum sensus eius de re publica, tum . . . scribendi. Servius

Sexti nostri. Peducaei, ut IX. 7, 2. X. 1, 1. Infra 13, 3 appellat eum nomine suo.

sensus — de re p. „non sunt partes vel optimatium vel popularium, ut Ernestus parum subtiliter explicat in Clavi; sed sunt, quae nos dicimus: die Grundsätze und Maximen über Staatsverwaltung." Adnot. Martinii-Lagunae ex edit. Orellii p. 64.

tum scribendi. In codd. notis nomen unde genet. pendeat excidit. Qui supplent *causa* vel *cura* rem non acu tetigerunt. Habebis voc. aptius si scribes: *tum τόνος scribendi* ɔ: robustum, acre et vehemens scribendi genus. Cf. Ernesti Lexicon Technol. Gr. in voce. Fr. Schmidt omissum putabat *genus.*

Servius vero cet. Sententia haec est: Servius Sulpicius pacis retinendae atque adeo renovandae studiosus diversarum partium principes convenire videtur tanquam legatus et, quod ex arte sua didicit, cavere ne captiosis verbis deceptus nihil agat. Sed frustra laborat; nam tempus praeteriit, quo licebat *ex iure manum consertum* vocare s. causam in disceptationem adducere, sed magis ferro erit res repetenda. — In verbis remanet aliqua difficultas. Quaeritur enim, quid sit *cum liberiolo suo,* ut est in Med. P. Victorius dubitabat, an hoc pro *filiolo* dici potuerit. Sed non est verisimile, quum *liber* pro filio non fuerit in usu. E veteri correctione scribitur *cum librariolo suo.* Hoc Corradus deminutivum esse credebat neutri generis, cogitans *librarium* illud, quod nominavit Cicero in Miloniana 33 et in suam sententiam traxit Graeterum, qui verba haec uncinis circumdedit, sed interpretatus est: *mit seinem Codex.* Sed quum reperire non possim, quo consilio Servius tale librarium secum duxerit, aut cur, si vel maxime fecisset, huius rei mentionem faceret Cicero, sequor Manutium, qui de scriba, cuius opera Servius uti solebat, hoc dictum putat, recteque credo Mongaltium haec Gallice ita reddidisse: *avec son petit secrétaire.* Cf. p. Balbo, 14. — *Videntur* e Med. non servari potest, quoniam Servius comitem habuisse librarium, sed solus legationem obisse et pertimescere captiones dicitur. Pluralis recte

vero pacificator cum librariolo suo videtur obisse legationem et omnes captiunculas pertimescere; debuerat autem non *ex iure manum consertum*, sed quae sequuntur, tuque scribes.

poneretur, si praedicata aeque ad librarium atque ad Servium pertinerent. In seqq. Orellius recte *non* separavit a verbis *ex iure manum consertum*, quamvis in Ennii versibus, quos respicit Cicero, quoque est: *Non ex iure manum consertum, sed mage ferro Rem repetunt.*

tuque scribes. Sic codd., quos secutus est Orellius in edit. alt. Priores *tu quoque scribes*, quod putant opponi iis, quae initio epistolae leguntur: „Gratum quod mihi epistolas aliorum misisti, sed tu quoque ipse scribes." Non credo recte putare, neque Ciceronem ita scripsisse. Scripsit, si quid video: *itaque ei scribes* ɔ: et ita scribes Servio.

VIII. A. U. C. 710.)

1. Post tuum discessum binas a Balbo, nihil novi, itemque ab Hirtio, qui se scribit vehementer offensum esse veteranis. Exspectat animus quidnam agam de Kalendis [Martiis]. Misi igitur Tironem et cum Tirone plures, quibus singulis, ut quidque accidisset, dares litteras, atque etiam scripsi ad Antonium de legatione, ne, si ad Dolabellam solum scripsissem, iracundus homo commoveretur; quod autem aditus ad eum difficilior esse dicitur, scripsi ad Eutrapelum, ut is ei meas litteras redderet legatione mihi opus esse. Honestior est votiva, sed licet uti utraque. 2. De te, quaeso, etiam atque etiam vide. Velim possis coram; si minus, litteris idem consequemur. Graeceius ad me

§ 1. *Exspectat animus quidnam agam.* Insolentia dictionis videtur movisse Orellium ut coniiceret: *Exspectat anxius* (Hirtius). Sed verba: *misi igitur* cett. docent non de Hirtio, sed de Cicerone hic esse sermonem. Ergo *exspectat animus* non debet sollicitari, non magis quam quod legimus IV. 15, 4 *ne animum Publii offenderet* aut Fam. V. 5, 2 *meus in te animus quam singulari officio fuerit*, et similia a Kritzio ad Sal. Iug. 39, 5 producta; sed *agam* vitiosum est. Pro eo dicendum erat *agant* aut *agatur*.

de Kalendis. Scripta haec epistola mense Maio paene extremo, ut Kalendae non aliae possint intelligi nisi Iuniae, quibus consules edixerant, ut senatores adessent. Vid. Phil. I. 6. Fam. XI. 2, 1. Att. XIV. 22 extr. *Martiis* igitur, quod in libris Mss. apponitur, est ineptum additamentum, ortum fortasse e repetitione litterae M., ut Corradus coniiciebat. *De* quoque abesse malim.

de legatione. Cf. XIV. 22 extr.

ad Eutrapelum ɔ: ad P. Volumnium Eutrapelum, familiarem meum, ut apparet e Fam. IX. 26 et e duabus epp. ad eum datis VII. 32 et 33. Fuisse praefectum fabrum M. Antonii refert Corn. Nepos in Att. 12. Cf. quoque Phil. XIII. 3.

legatione mihi opus esse. Haec pendent a v. *litteras* et concise dicitur pro: litteras, quibus declararem legatione mihi opus esse. Cf. initium ep. seq.

Honestior est votiva, non quam libera, sed quam legari ad aliquem magistratum provincialem. Cf. ep. 11, 4 unde hoc apparet.

§ 2. *De te, quaeso, etiam atq. etiam vide* sc. quid facturus sis, possisne tuto in urbe esse, an alio abire debeas. Manutius haec male interpretatur.

si minus quod additur *possis* W. recte delevit. Debet esse *poteris*, quod facile audiri potest.

scripsit C. Cassium sibi scripsisse homines comparari, qui armati in Tusculanum mitterentur: id quidem mihi videbatur, sed cavendum tamen † villaeque plures videndae. Sed aliquid crastinus dies ad cogitandum nobis dare.

Graeceius. Hunc fuisse Bruti familiarem novimus ex Fam. XI. 7, 1 et 12, 1.

id quidem mihi videbatur. Post *mitterentur* aliquod verbum vel participium similis formae omissum videtur, velut quod Madvigius A. C. III p. 191 coniecit: *ementitum.* Sic demum *id quidem* se tueri potest.

† *villaeque plures videndae.* Victorius desperabat de horum verborum emendatione. Quod Bosius temptavit, editoribus ceteris satis placuisse videtur. Est tamen absurdum. E corruptela libri Med. *ut ille que plures videndae* Klotzius non male eruit: *vigiliaeque plures videndae* ɔ: quaerendae, parandae.

crastinus dies. Ex his verbis Gruberus merito suspicatur hanc epistolam scriptam esse pridie Kal. Iun.

Sed — dare. Ursini *dabit* et Wes. *adferet* efficiunt sententiam tolerabilem, sed longe verisimilior opinio Madvigii, qui sedem vitii quaerit in *sed,* pro quo *debet* scribendum l. c. suspicatur.

IX. (*A. U. C.* 710.)

1. IIII Nonas vesperi a Balbo redditae mihi litterae fore Nonis senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum et ad urbem mittendum curarent. O rem miseram! primum ullam ab istis, dein, si aliquam, hanc legatoriam provinciam! atque haud scio an melius sit quam ad Eurotam sedere; sed haec casus gubernabit. Ait autem eodem tempore decretum iri, ut et iis et reliquis praetoriis provinciae decernantur: hoc certe melius quam illa *Περσικὴ* porticus; nolo enim Lacedaemonem, † longinquo quom Lanuvium existimavit.

§ 1. *legatoriam provinciam.* Hoc, quod in omnibus libris scriptis praeter fictum Crusellinum inventum est, in *locatoriam provinciam* mutare nolui, etsi de forma et usu adiectivi dubito. Mitti ad frumentum emendum erat negotium, quod a legato optime curari poterat, indignum Bruto et Cassio. Cf. ep. 10: *Frumentum imponere? quae est alia Dionis legatio?* In antiquis editt. est *legatariam.* Ego suspicor scribendum esse *nugatoriam provinciam.*

atque haud scio — sedere ɔ: Fortasse tamen melius erit Bruto et Caesio talem provinciam accipere, quam otiose Lanuvii sedere. Illud certum videtur Brutum in Lanuvino suo rerum Lacedaemoniarum admiratione motum aliquem rivum *Eurotam* appellasse, et porticum στοὰν περσικήν. De Persice, quae Spartae fuit, vid. Vitruvius, I. 1, 6. Pausan. III. 11, 3.

nolo enim Lacedaemonem † *longinquo quom L. existimavit.* Orellius in priore edit. librorum et criticorum lectiones recenset, tum ita pergit: „Sententia haec fere latet: Haud placet ista ludicra fere affectatio rerum Lacedaemonicarum; nimis se removisse a rebus gerendis fortique aliquo facinore Brutum semper existimavi, ex quo in istud suum Lanuvium sese abdidit. Verba ipsa quomodo restituenda sint non liquet. Proxime ad Crusellinum feceris: *Nolo enim Lacedaemonem; longinquum quoniam Lanuvium existimavi.*" Sublata Crusellini auctoritate nil melius inveni correctione Gronovii: *Nolo enim Lacedaemonem longinquiorem Lanuvio existimaris* ɔ: quando Eurotam dico et porticum Persicen, tu cogitare debes de Lanuvino Bruti, non de Lacedaemone ipsa.

»Rides," inquies, »in talibus rebus?" Quid faciam? plorando fessus sum. 2. Dii immortales! quam me conturbatum tenuit epistolae tuae prior pagina? Qui autem iste in domo tua casus armorum? Sed hunc quidem nimbum cito transisse laetor. Tu quid egeris (de) tua quum tristi, tum etiam difficili ad consiliandum legatione, vehementer exspecto; est enim inexplicabilis: ita circumsedemur copiis omnibus. Me quidem Bruti litterae, quas ostendis a te lectas, ita perturbarunt, ut, quamquam ante egebam consilio, tamen animi dolore sim tardior. Sed plura, quum ista cognoro; hoc autem tempore quod scriberem nihil erat, eoque minus, quod dubitabam, tu has ipsas litteras essesne accepturus; erat enim incertum visurusne te esset tabellarius. Ego tuas litteras vehementer exspecto.

§ 2. *casus armorum.* Manutius rixam putat significari, in qua ad arma ventum sit. Ablativus *in domo tua* excludit Mongaltii interpretationem *cette irruption de gens armés,* quam probat temere Graeterus VI. p. 308.

tua — legatione. Recte vidit Mongaltius h. l. non agi de legatione votiva aut libera, quae solis senatoribus dabatur, non equiti, sed de itinere Lanuvium ad Brutum faciendo. Argumenta, quibus hanc sententiam munivit, apud ipsum legantur. Vel solum initium sequentis epistolae omnem dubitationem tollit. Ante *tua* cum Schuetzio W. inseruit *de.* Non videtur abesse posse.

ad consiliandum ɔ: ad deliberationem ineundam cum Bruto et Cassio, quid iis faciendum sit. Pendent haec a *legatione.* Quoniam tamen verbum *consiliandi* in Tullii scriptis non redit, fortasse scribendum *ad conciliandum* ɔ: ad coniungendos eos, qui nunc inter se dissentiunt.

X. (*A. U. C.* 710.)

O Bruti amanter scriptas litteras! o iniquum tuum tempus, qui ad eum ire non possis! Ego autem quid scribam? ut beneficio istorum utantur? quid turpius? ut moliantur aliquid? nec audent nec iam possunt. Age, quiescant auctoribus nobis: quis incolumitatem praestat? Si vero aliquid de Decimo gravius, quae nostris vita, etiamsi nemo molestus sit? Ludos vero non facere, quid foedius? frumentum imponere, quae est alia Dionis legatio aut quod munus in re publica sor-

Ego autem quid scribam? ad Brutum. E sequenti epistola apparet Ciceronem ipsum Antium profectum cum Bruto consilia iniisse. *Beneficium istorum* est, quod nominatur initio epistolae praecedentis.

Si vero aliquid de Decimo gravius np. decernatur. Praeclara lectio, quae partim Manutio, partim Lambino debetur. Rumor erat D. Bruto provinciam Galliam ereptum iri. Vid. ep. 4, 1 et 5, 3. Atque hoc ultimo loco quae leguntur Lambini emendationem adeo confirmant, ut Tunstalli suspicio: *Si vero aliquid dedecoris* plane inutilis sit.

frumentum imponere sc. in naves. Cf. ad I. 10, 3. Cobetus nimis audacter pro *imponere* scribi iubet *coëmere.*

Dionis legatio. Dionysius Dionem, quem metuebat, specie legationis relegavit.

didius? Prorsus quidem consilia tali in re ne iis quidem tuta sunt, qui dant; sed possim id negligere proficiens, frustra vero qui ingrediar? matris consilio quum utatur vel etiam precibus, quid me interponam? sed tamen cogitabo quo genere utar litterarum; nam silere non possum. Statim igitur mittam vel Antium vel Circeios.

proficiens ɔ: dummodo proficiam. Quae sequuntur his opponuntur arcteque cohaerent. Wes. *proficiens* interpretatus *si proficerem* mutavit *possim* in *possem*.

XI. (*A. U. C.* 710.)

1. Antium veni a. d. VI. Idus. Bruto iucundus noster adventus. Deinde multis audientibus Servilia, Tertulla, Porcia, quaerere quid placeret — aderat etiam Favonius — ego, quod eram meditatus in via, suadere, ut uteretur Asiatica curatione frumenti, nihil esse iam reliqui, quod ageremus, nisi ut salvus esset: in eo etiam ipsi rei publicae esse praesidium. Quam orationem quum ingressus essem, Cassius intervenit. Ego eadem illa repetivi. Hoc loco fortibus sane oculis Cassius — Martem spirare diceres — se in Siciliam non iturum; »Egone ut beneficium accepissem contumeliam?" Quid ergo agis? inquam. At ille in Achaiam se iturum. Quid tu, inquam, Brute? »Romam," inquit, »si tibi videtur." Mihi vero minime; tuto enim non eris. »Quid? si possem esse, placeretne?" (Placeret), atque ut omnino neque nunc neque ex praetura in provinciam ires, sed auctor non sum, ut te urbi committas. Dicebam ea, quae tibi profecto in mentem veniunt, cur non esset tuto futurus. 2. Multo inde sermone querebantur, atque id quidem Cassius maxime, amissas occasiones Deci-

§ 1. *a. d. VI Idus.* Med. *ante VI. K.* Sed quum neque de Kal. Iuniis propter legationem frumentariam Bruti et Cassii, quae Nonis Iuniis decreta est et hic memoratur, neque de Kal. Quint., quum de ea obeunda non amplius deliberari posset, hic cogitandum sit, Strothius acute coniecit in VI latere *V Id.* et *K.* deberi librario. Pro *ante VI Idus*, quae esset designatio insolita et plane incerta, cum B. W. K. scripsi *a. d. VI Idus.*

Servilia, Tertulla, Porcia ɔ: Bruti matre, sorore, uxore. Subiectum verbi *quaerere* est ipse Brutus, non haec nomina, quae ablativo casu posita sunt.

Asiatica curatione frumenti. Cf. ep. 9, 1.

fortibus oculis ɔ: ardentibus, acribus. Ita languido, placido, leni opp. fortis. Cf. Att. VII. 3, 11. Orat. II. 183.

Martem spirare diceres. Pro eo Graece scripsit in ep. ad Q fr. III. 4 extr. Ἄρη πνέων.

atque ut omnino cet. Conceditur hac ratione non tantum, quod Brutus rogarat, sed additur aliquid maius. Hunc usum particulae *atque* exemplis comicorum illustravit Handius in Turs. I. p. 467. Post *placeretne?* de Wesenbergii sententia inserui *placeret.*

§ 2. Multa in his verbis aliter atque in codd. scriptum est posuerunt editores, quorum emendationes, ut certas, recepi. Graeterus hic quoque infelicem criticum agit et

mumque graviter accusabant: ego negabam oportere praeterita, assentiebar tamen. Quumque ingressus essem dicere quid oportuisset — nec vero quicquam novi, sed ea, quae quotidie omnes — nec tamen illum locum attingerem, quemquam praeterea oportuisse tangi, sed senatum vocari, populum ardentem studio vehementius incitari, totam susciperem rem publicam, exclamat tua familiaris: »Hoc vero neminem unquam audivi!" Ego repressi. Sed et Cassius mihi videbatur iturus — etenim Servilia pollicebatur se curaturam, ut illa frumenti curatio de senatus consulto tolleretur —, et noster cito deiectus est de illo inani sermone — velle se dixerat —; constituit igitur ut ludi absente se fierent suo nomine; proficisci autem mihi in Asiam videbatur ab Antio velle. 3. Ne multa; nihil me in illo itinere praeter conscientia mea delectavit. Non enim fuit committendum ut ille ex Italia, priusquam a me conventus esset, discederet. Hoc dempto munere amoris atque officii sequebatur, ut mecum ipse:

Ἡ δεῦρ' ὁδός σοι τί δύναται [νῦν], θεοπρόπε;

Prorsus dissolutum offendi navigium vel potius dissipatum. Nihil consilio, nihil ratione, nihil ordine. Itaque, etsi ne antea quidem dubitavi, tamen nunc eo minus, evolare hinc, idque quam primum, *ubi nec Pe-*

omni ope laborat, ut e codice nullius pretii ea vitia reducat, quae priores ex ingenio dudum sustulerant. Vid. VI. p. 42 seqq.

Decimumque — accusabant „qui cum et Galliam provinciam et in ea tres legiones haberet, otiosus nihil pro rep. moliretur." Manut.

quemquam — tangi ɔ: Antonium quoque cum Caesare oportuisse sicae ictu perire. Utitur autem leniori verbo *tangi*, quod cave cum Manutio omitti posse putes.

senatum vocari. Cf. XIIII. 10, 1. Pro eo, quod deinde in Med. est *suscipere*, malui scribere cum Gronovio *susciperem*, quam Orellium sequi corrigentem *suscipi*. *Quum totam susciperem rem publicam* est: quum oratione complecterer, quae ad summam rem publicam pertinerent.

tua familiaris est Servilia. Cf. ep. 17, 2 h. l. Nep. in Att. 11.

Ego repressi. Ante verbum puto excidisse *me*. Cicero se continuit, nec plura dixit. Alii audiunt *eam* vel *impetum Serviliae*.

Velle se dixerat scripsi pro eo quod in Med. est *velle esse dixerat*. Fortasse excidit *Romam* aut *in urbem*. Cicero id quod Brutus in eo sermone, quem in § 1 retulit, velut suum consilium enuntiarat, inanem sermonem appellat, quod repente id abiecit.

§ 3. *nihil me — praeter conscientia mea delectavit.* Sic M ψ; de reliquis nihil constat. Antiquae editiones habent *praeter conscientiam meam;* recentiores plerique delerunt *meam*. Sed codices sequor ob rationem ad V. 3, 2 expositam. Cicero dicit se nullum ex itinere illo fructum cepisse, nisi quod sibi conscius esset se Bruto non defuisse.

ἡ δεῦρ' ὁδός κ. τ. λ. Cf. XVI. 6, 2. Versus e comico petitus videtur, ut coniecit Meinekius Fragm. Com. Gr. IV. p. 610. νῦν, quod otiosum est et metrum corrumpit, expunxit Cobetus in Mnemos. N. S. VIII p. 200, simul monens in θεοπρόπε antepenultimam more Ionico produci.

navigium. Sic dicit rem publicam, ut II. 7, 4. Fam. XII. 25, 5.

ubi nec — audiam. Saepe Cicero hunc versum tragici usurpavit. cf. Ribbeckii Trag. Lat. reliq. p. 215.

lopidarum facta neque famam audiam. 4. Sed heus tu, ne forte sis nescius, Dolabella me sibi legavit a. d. IV. Nonas. Id mihi heri vesperi nuntiatum est. Votiva ne tibi quidem placebat; etenim erat absurdum, quae, si stetisset res publica, vovissem, ea me eversa illa vota dissolvere, et habent, opinor, liberae legationes definitum tempus lege Iulia nec facile addi potest. Aveo genus legationis, ut, quum velis, introire exire liceat, quod nunc mihi additum est; bella est autem huius iuris quinquennii licentia. Quamquam quid de quinquennio cogitem? contrahi mihi negotium videtur; sed βλάσφημα mittamus.

§ 4. *ne forte sis nescius* ɔ: tibi narro, ut scias. Sic Ovidius narrationi praeposuit: *ne tamen ignores*, Heroid. 21, 231.

vota dissolvere. Quum putarem hoc esse vota rumpere vel violare, quod sane dicere non erat in animo Ciceronis, in priore editione cum Pio scripsi *dis solvere*, et B. K. me secuti sunt. Postea didici me errasse et veteres *dissolvere* pro *solvere* usurpasse. Cf. XVI. 15, 2 et 5. Imprimis huc facit Catullus LXVI. 38 *pristina vota novo munere dissoluo*, ad q. l. Valckenaerius in edit. Callimachi fragmentis adiecta p. 126 hanc locutionem vindicavit.

additum est. Melius erat *datum est.* E praeced. *addi* librarii videntur fecisse *additum.*

huius iuris quinquennii licentia ɔ: licentia exeundi redeundi per quinquennium cum hoc iure coniuncta. cf. ad IV. 1, 2. In lege tribunicia de provinciis consularibus, quae memoratur Phil. V. 7 quinquennium, non ut ibi legitur sexennium, fuisse definitum demonstravit O. E. Schmidt, die letzten Kaempfe der röm. Repb. p. 708 seq.

contrahi mihi negotium videtur. Aliis verbis idem nuntiat ep. 18. 2 *Mihi res ad caedem et eam quidem propinquam spectare videtur.* — Βλάσφημα sunt verba male ominata.

XII. (*A. U. C.* 710.)

1. Bene mehercule de Buthroto. At ego Tironem ad Dolabellam cum litteris, quia iusseras, miseram: quid nocet? De nostris autem Antiatibus satis videbar plane scripsisse, ut non dubitares quin essent otiosi futuri usurique beneficio Antonii contumelioso. Cassius frumentariam rem aspernabatur; eam Servilia sublaturam ex senatusconsulto se esse dicebat. Noster vero, καὶ μάλα σεμνός, in Asiam, posteaquam mihi est assensus tuto se Romae esse non posse — ludos enim absens facere malebat —, statim ait se iturum, simul ac ludorum apparatum iis, qui curaturi essent, tradidisset; navigia colligebat, erat animus in cursu. Interea in eisdem locis erant futuri; Brutus quidem se aiebat

§ 1. *Bene — de Buthroto* ɔ: res Buthrotia bono loco est, Buthrotiorum causa bene agitur, ut mihi non opus fuisset eam Dolabellae commendare.

quin essent. M. *essent quin.* Recte coniunctionem verbo praeposuisse Lambinum monet Wesenbergius Emend. p. 48, praesertim quum non in verbo *essent*, sed in *otiosi* vis sententiae insit. *Antiates* vocat Brutum et Cassium, qui iamdiu Antii fuerant.

Noster vero — statim ait se iturum. Sic scripsi e praeclara correctione Moseri Symb. Crit. VIII. p. 17. Nam quod codd. et editt. occupavit *autem* pro *ait* sententiam plane corrumpit, neque ullo modo defendi potest.

erat animus in cursu ɔ: nihil nisi cursum

Asturae. 2. L. quidem Antonius liberaliter litteris sine cura me esse iubet: habeo unum beneficium, alterum fortasse, si in Tusculanum venerit. O negotia non ferenda! quae feruntur tamen. *Τῶνδ' αἰτίαν τῶν Βρούτων τις ἔχει.* In Octaviano, ut perspexi, satis ingenii, satis animi, videbaturque erga nostros ἥρωας ita fore, ut nos vellemus, animatus; sed quid aetati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, quid κατηχήσει, magni consilii est. Vitricus quidem nihil censebat, quem Asturae vidimus; sed tamen alendus est et, ut nihil aliud, ab Antonio seiungendus. Marcellus praeclare, si praecipit † nostro nostri, cui quidem ille deditus mihi videbatur; Pansae autem et Hirtio non nimis credebat. Bona indoles, ἐὰν διαμείνῃ.

cogitabat. Sic mens parasiti apud Terentium esse dicitur in patinis, et supra XII. 12, 1. *Est animus in hortis.*

§ 2. *si in T. venerit* ɔ: si cum armatis ad me venerit. Cf. ep. 8, 2. In Med. *si* excidit post *fortasse.* *Ni,* quod Bosius in X invenisse se narrat, vitiosum est. Nam Cicero sine ironia scribere debebat: *Si in T. non venerit.*

τις ἔχει. *In Octaviano.* Est emendatio Wesenbergii p. 46. Nam et erat adhuc illa Bruti culpa (cf. XIV. 14, 2) XV. 20, 2, et quae *in aliquo* sunt, non cum dativo iunguntur. In Med. *TICEX. en octaviano* veri vestigia servantur. Male olim edebant: τις εἶχεν; *Octaviano.*

κατηχήσει, institutioni. In Pauli ep. ad Rom. II. 18 κατηχούμενος ponitur pro παιδευόμενος.

Marcellus. Cf. ep. 3, 1 h. l.

si praecipit nostro nostri. In his verbis corrigendis non felicior fuit Moserus, quam ante eum alii. Vid. Symb. Crit. VII. p. 6. Nec assentior Peerlkampio scribenti: *Si praecipit nostro. Nosti, cui q. ille deditus mihi videatur,* nec Fr. Schmidtio corrigenti: *si praecipit ignoscere nostris. Nostrum* Cicero vocat Brutum, non Octavianum. In *nostro* latere potest voc. Graecum νόστον. Ita sententia haec oritur: Marcellus praeclare agit, si praecipit Octaviano, ut Brutum in urbem reducat, neve Italiam relinquere sinat. Marcello Octavianus deditus esse videbatur. Quodsi cui idonea causa deesse videatur, cur Cicero non potius *reditum* scripserit, is velim rationes afferat cur plura in hac epistola Graece dicantur, quae optime Latine dici possent.

non nimis credebat Octavianus. Male in Onom. Tull. p. 156 hoc ad Marcellum refertur.

XIII. (*A. U. C.* 710.)

1. VIII. Kal. duas a te accepi epistolas: respondebo igitur priori

§ 1. *VIII Kal.* Perturbatus epistolarum ordo quum alibi interpretes in fraudem induxit, tum nusquam magis quam in hac epistola. Rectissime autem vidit Schuetzius *Kalendas* esse *Novembres,* ita ut haec epistola prima sit, quae satis longo intervallo sequatur epistolam 7 libri XVI, quae in reditu ex cursu Achaico scripta est XIV Kal. Sept. Itaque videntur plures litterae illius temporis periisse; sed interrupta quoque fuit missio epistolarum eo, quod Cicero interea in urbe fuerat. Romam venerat pridie Kal. Sept., sed ipsis Kal. non venit in curiam, quum Antonius referret de supplicationibus Caesari decernendis. Hinc contumeliose ab Antonio tractatus *postridie* (Fam. XII. 25, 3) in senatu habuit eam orationem, quae inter Philippicas primo loco ponitur. Nec multo post Antonii contumeliis minisque lacessitus scripsit Philippicam secundam, quae XIII Kal. Octobr. in senatu habita esse fingitur, sed quam non nisi ex-

prius. Assentior tibi, ut nec duces simus nec agmen cogamus, faveamus tamen. Orationem tibi misi: eius custodiendae et proferendae arbitrium tuum; sed quando illum diem, quum tu edendam putes? 2. Inducias quas scribis, non intelligo fieri posse: melior est *ἀναντιφωνησία*, qua me usurum arbitror. Quod scribis legiones duas Brundisium venisse, vos omnia prius: scribes igitur quicquid audieris. 3. Varronis *διάλογον* exspecto. Iam probo *Ἡρακλείδειον*, praesertim quum tu tanto opere delectere, sed quale velis velim scire. Quod ad

eunte mense Octobri absolutam fuisse vel inde apparet, quod eam paulo ante has litteras Attico suo miserat (§ 1). Urbem quo die reliquerit non constat; sed Antonium vitans mense Octobri se contulit in Campaniam. Cf. Phil. I. 5, V. 7. Plutarch. in Cic 43, aliique loci, quibus diligenter usus est Fabricius in rebus Ciceronis huius anni enarrandis (Onom. Tull. I. p. 97 sq.). Hanc autem epistolam in *Puteolano* scriptam esse, unde in *Pompeianum* properabat (§ 6), admodum probabilis est coniectura Gruberi. cf. quoque O. E. Schmidt, Jahrb. d. class. Philol. vol. XIII p. 720 seq.

ut nec duces simus nec agmen cogamus ɔ: ut nec primi simus nec ultimi in Bruti partibus defendendis Antonioque oppugnando. Metaphoram desumpsit a re militari, in qua *agmen cogere* eandem vim habet apud Livium XXXIV. 28 et saepius atque *agmen claudere*, quo utitur Caesar B. G. I. 25. Non mirum autem in sermonem Latinum multas locutiones receptas esse a re militari desumptas. Utar hac occasione, ut exempla, quae subinde notavi, componam. Terentius in Ad. V. 8, 35 facit Demeam dicentem: *suo sibi gladio hunc iugulo*, ut Plautus in Amph. I. 1, 113 dixerat: *hunc telo suo sibi — pellere.* Hic in Most. III. 1, 40 *pilum iniecisti mihi* pro me impedivisti, ille in Haut. IV. 2, 2 *in angustum — meae coguntur copiae* et v. 5 *triumpho, si licet me latere tecto abscedere.* Phorm. I. 4, 51 *ego in insidiis hic ero subcenturiatus.* Omitto exempla e Milite glorioso. Quod Syrus in versu laud. Ad. dicit: *Factumst quod iussisti* esse formulam militarem testatur Tac. Ann. I. 6 et Suet. Tib. 22. Ad Ciceronem venio. In orat. p. Caec. 82: *aut tuo, quemadmodum dicitur, gladio aut nostro defensio tua conficiatur necesse est:* ibid. 83 *in meis castris praesidiisque versaris,* quocum cf. Att. I. 20, 2; ibid. 84 *in iis ipsis intercludere insidiis, quas mihi conaris opponere;* p. Planc. 48. *Num possum magis pedem conferre, ut aiunt, aut propius accedere;* p. Mur 45 iacet, diffidit, *abiecit hastas;* Brut. 222 (oratores plures) *abducamus ex acie et in praesidiis rei p. collocemus.* Divin. II. 26. *Sed haec fuerit nobis tanquam levis armaturae prima orationis excursio; nunc cominus agamus experiamurque, si possimus cornua commovere disputationis tuae.* In his epistolis I. 16, 1 et 2 abundat verbis et formulis a bello et militia petitis. Ne modum adnotationis excedam, historicos omitto.

Orationem tibi misi. Philippicam secundam, qua respondit iis, quae Antonius in se evomuerat. Vid. adnot. ad initium h. ep. et cf. XVI. 11, 1. In verbis seqq. cum Orellio malim: *Eius et custodiendae et proferendae.*

§ 2. *Inducias* nempe cum Antonio, cui nihil respondit, quamdiu orationem illam in scriniis continuit vel cum paucis amicis communicavit.

legiones duas B. venisse. His legionibus Macedonicis Antonius a. d. VII Id. Oct. obviam profectus est, ut eas corrumperet et ad urbem adduceret. Fam. XII. 23, 2 coll. Phil. V. 22.

§ 3. *Varronis διάλογον exspecto.* Eundem librum XVI. 11, 3 et 12 extr. designare videtur nomine Ἡρακλείδειον *Varronis.* Nihil certi de eo statui potest. Cf. Ritschelius in disp. de scriptis Varronis in Mus. Rhenani noviss. serie VI. p. 542, qui tamen ad Logistoricos pertinere suspicatur.

Iam probo Ἡρακλείδειον. Non dicit illud Varronis, quod nondum acceperat, sed id, quod Attici rogatu ipse erat scripturus. Cf. quae notavimus ad XV. 4, 3.

Quod ad te antea, cet. Initio sententiae respicit sine dubio ad aliquam Aristarchi sui correctionem, qui alicubi *prius* malebat pro *antea.* Extrema verba sunt corrupta, in quibus corrigendis multi operam posuerunt,

te antea atque adeo prius scripsi — sic enim mavis — ad scribendum, † tibi vere dicere, fecisti me alacriorem; ad tuum enim iudicium, quod mihi erat notum, addidisti Peducaei auctoritatem, magnam quidem apud me et imprimis gravem. Enitar igitur ne desideres aut industriam meam aut diligentiam. Vettienum, ut scribis, et Faberium foveo. Clodium nihil arbitror malitiose, quamquam . . . ; sed quicquid egerit, de libertate retinenda, qua certe nihil est dulcius, tibi assentior. Itane C. Annio? o hominem nequam! quid enim dicam aliud? Cautum Marcellum: me sic, sed non tamen cautissimum. 4. Longiori epistolae superiorique respondi. Nunc breviori propiorique quid respondeam nisi eam fuisse dulcissimam? Res Hispanienses valde bonae, modo Balbilium incolumem videam, subsidium nostrae senectutis. De Anniano idem, quod (tu). Me valde observat Visellia; sed haec quidem humana. De Bruto te nihil scire dicis, sed Selicia venisse M. Scap-

quorum conatus cognoscere licet ex Orell. I. Egregia est Lambini restitutio: — *sic enim mavis me dicere — tu vero fecisti me alacriorem;* sed iusto audacior in verbis transponendis. Magis probo Aus. Popmae leniorem rationem: — *sic enim mavis — ad scribendum, tibi vere dico, ea re fecisti me alacriorem.* Pro *ea re* posset quoque reponi *certe.* W. de sua coni. edidit: — *ad scribendum tibi — vere dicere possum — fecisti me alacriorem,* etsi dubitabat an Cicero potius scripserit: *ad scr. tu* cet. — *alacriorem,* non *acriorem,* quod codd. dant, Ciceronem scripsisse certum est. cf. XVI. 3, 1.

Clodium. Utrum dicat L. Clodium, qui anno seq. tribunus fuit, an S. Clodium, quocum per Antonium in gratiam redierat (XIV. 13 A et B), non constat. Ipsum nomen est incertum. Nam codex Med. hic ut X. 8, 3 praebet *Cloelium.*

sed quicquid egerit, de libertate retinenda — tibi assentior. Haec debentur Peerlkampio. Vulgo sine sententia: *Sed quid egerit. De libertate* cet. aut ex interpolatione editionis Iensonianae: *Sceleste quidem egerit,* quod et ipsum obscurum est.

Itane Caio Annio? Bonis argumentis Huschkius defendit hunc esse C. Annium Cimbrum. Vid. adnot. Orellii in edit. priore. Codices exhibent: *Gallo Aninio, Annio, animo* in quo potest latere *Caninio,* ut Fam. IX. 3, 1 et 6, 6. Borghesi Oeuvres II. p. 130 haec refert ad L. Caninium Gallum, qui saepe nominatur in ep. ad Fam. et ad Q. fr. Dativus ex quo verbo omisso pendeat, ignoramus. Quae seqq., iterum leguntur in Phil. II. 77, et hic quoque ad M. Antonium, qui C. Annio minitabatur, videntur esse referenda.

Cautum Marcellum! me sic, sed non tamen cautissimum. C. Marcellus videtur cavisse ab Antonio ceterisque Caesarianis. Cicero se nec incautum, nec valde cautum vocat. *Sic* est nostrum *zoo zoo, zoo wat,* ut Fam. XV. 21, 2 *illa sive faceta sunt, sive sic, fiunt narrante te venustissima.* Eadem vi in Ter. Haut. III. 1, 49 Bacchis vinum degustans dicit: *Sic hoc.*

§ 4. *Balbilium.* Nomen alicuius, qui militabat in Hispania sub S. Pompeio, quod profecto non cadit in Balbum minorem, quem Mongaltius hic designari putabat.

De Anniano idem, quod tu. Scripsi cum Or., quum sive *Annianus* nomen hominis sit, sive *Anniano* designetur Milonis praedium, dure haec cum Viselliae mentione iungantur.

Sed haec quidem humana ɔ: utcunque accidant, sunt ferenda. Non opus est Orellii coni. *humane,* quod interpretatur „*non moleste* ut v. c. Caerellia."

Selicia. Ignotae mulieris nomini libenter cum Corrado et Manutio substituerim *Servilia,* sicut in verbis *non qua pompa,* e quibus frustra aliquam sententiam elicere conantur interpretes, latere suspicor *nunc ad Pompeium.* Ita omnia bene procedunt. M. Scaptius a Bruto ex Asia ad Sex. Pompe-

tium eumque † non qua pompa, ad se tamen clam venturum sciturumque me omnia: quae ego statim. Interea narrat eadem Bassi servum venisse, qui nuntiaret legiones Alexandrinas in armis esse, Bassum arcessi, Cassium exspectari: quid quaeris? videtur res publica ius suum recuperatura. Sed ne quid ante. Nosti horum exercitationem in latrocinio et amentiam. 5. Dolabella vir optimus (est). Etsi, quum scribebam secunda mensa apposita, venisse eum ad Baias audiebam, tamen ad me ex Formiano scripsit — quas litteras, quum e balineo exissem, accepi — sese de attributione omnia summa fecisse: Vettienum accusat — tricatur scilicet, ut monetalis —; sed ait totum negotium Sestium nostrum suscepisse, optimum illum quidem virum nostrique amantissimum. Quaero autem quid tandem Sestius in hac re facere possit, quod non quivis nostrum? sed, si quid praeter spem erit, facies ut sciam; sin est, ut arbitror, negotium perditum, scribes tamen, neque ista res commovebit. 6. Nos hic *φιλοσοφοῦμεν* — quid enim aliud? — et *τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος* magnifice explicamus *προςφωνοῦμεν*que Ciceroni: qua de re enim potius pater filio? Deinde alia: quid quaeris? exstabit opera peregrinationis huius. Varronem hodie aut cras venturum putabant: ego autem in Pompeianum properabam, non quo hoc loco quicquam pulcrius, sed interpellatores illic minus molesti. Sed perscribe quaeso, quae causa sit Myrtili — poenas

ium in Hispaniam missus in itinere Puteolis vel in illo tractu Serviliam Brutri matrem convenire eamque de filii rebus certiorem facere potuit.

Bassum arcessi „ab illis legionibus, quae ei tradere se vellent." Manut.

ne quid ante sc. accidat, timeo.

§ 5. *Dolabella vir optimus (est).* Verbum deest in codd., sed facile e seq. *etsi* eruitur. Nisi forte haec subiecta sunt verbi *scripsit.* Quoniam h. l. non agitur de Dolabellae animo in remp., sed de homine tardo in solvendo, quod debebat, *vir optimus* ironice vocatur.

sese de attributione (Cf. XVI. 3, 5.) *omnia summa fecisse* ɔ: nihil neglexisse. Cf. de Or. II. 85, et Lucilii versum apud Nonium p. 88 — *quum me ruperim, summa omnia fecerim.*

tricatur scilicet, ut monetalis. Ita scribendum ex epist. 11, 5 lib X., ubi de eodem Vettieno agitur, vidit Schuetzius, nec displicuit Orellio. Codd. *homo talis.* De v. *tricari* monui ad XIV. 19, 4.

Optimum illum quidem virum. Cum B. W. transposui *illum* ante *quidem.* Madvigius ad Fin. p. 545 recte pronomen particulae in hac forma subiici negat.

neque ista res commovebit. Intercidit *me* vel *nos* ante verbum, ut puto.

§ 6. τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος. De Officiis. Cf. XVI. 11, 4. 14, 3.

in Pompeianum properabam. Mox consilium mutavit. Vid. XVI. 11, 6.

quae causa sit Myrtili — et satisne pareat, unde corruptus. Non multum tribuo auctoritati libri, in quo Faernus *in Myrtilo* et *correptus* invenerat. Sed pro *Myrtilo* scripsi *Myrtili,* quoniam de homine iam necato quaeri non potest, quae causa ei *sit,* quam causam *habeat,* sed ponendum erat praeteritum *fuerit.* Errorem autem inde fluxisse, quod Cicero scripsisset Μυρτίλου, non credo, quia nomina propria Graece enuntiare non solet. Coniunctivum *pareat* pro soloeco *paret* v. *patet* revocandum esse recte monent Wesenbergius p. 99 et Moserus Symb. Crit. VII. p. 7, qui non minus bene

quidem illum pependisse audivi —, et satisne pareat unde corruptus. 7. Haec quum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam. Hui, quam timeo quid existimes! Etsi quid ad me, quae non sit foras proditura nisi re publica recuperata? de quo quid sperem non audeo scribere.

observat *unde corruptus* dici posse pro *a quonam corruptus*, sed ne posse quidem dici *unde correptus* pro *a quonam correptus* s. accusatus. Rem autem simili brevitate tangit Cicero XVI. 11, 5: *De Myrtilo dilucide. O quales tu semper istos! Itane in D. Brutum? Dii istis.* Quae verba a multis male intellecta recte expedivit Popma, quem sequuntur Mongaltius et Schuetzius. Scilicet Myrtilus quidam dicebatur sive vere sive falso insidiatus esse M. Antonio. Hanc culpam conferebant isti in D. Brutum, a quo eum servum aut libertinum hominem corruptum dicebant, ut odia multitudinis in eum excitarent. Cf. Fam. XII. 23, 2.

§ 7. *tantum quod* ɔ: commodum, quo vidimus Ciceronem aliquoties usum. Cf. de hac formula sermonis familiaris Manutius ad Fam. VII. 23, 1. *Tantum quod ex Arpinati veneram, quum mihi a te litterae redditae sunt,* I. F. Gronovius ad Liv. XXXIII. 4 extr., ubi tamen historicus non magis utitur hac locutione, quam lib. XXII, 2, Bremius ad Nep. Datam. 6, 5 ubi illud temere a Lambino invectum bonorum codicum nullus habet. Sed dubitationem non habet apud Vell. Pat. II. 117 init. et in Suetonii vitis passim. Vid. intt. ad Vespas. 8.

orationem, de qua scripsit § 1, nisi forte nova epistola incipiat a verbis *Dolabella vir optimus* § 5, quod Graeterus interpr. Germ. VII. p. 165 seqq. speciosis argumentis probare conatus est, quocum facit E. Ruete l. l. p. 34.

XIV. (*A. U. C.* 710).

1. vi. Kal. accepi a Dolabella litteras, quarum exemplum tibi misi, in quibus erat omnia se fecisse, quae tu velles. Statim ei rescripsi et multis verbis gratias egi; sed tamen ne miraretur, cur idem iterum facerem, hoc causae sumpsi, quod ex te ipso coram antea nihil potuissem cognoscere. Sed quid multa? litteras hoc exemplo dedi:

CICERO DOLABELLAE COS. SUO.

2. »Antea quum litteris Attici nostri de tua summa liberalitate summoque erga se beneficio certior factus essem, quumque tu ipse etiam ad me scripsisses te fecisse ea, quae nos voluissemus, egi tibi gratias per litteras iis verbis, ut intelligeres, nihil te mihi gratius facere potuisse; postea vero quam ipse Atticus ad me venit in Tusculanum huius unius rei causa, tibi ut apud me gratias ageret, cuius eximiam quandam et admirabilem in causa Buthrotia voluntatem et singularem erga se amorem perspexisset, teneri non potui quin tibi apertius illud idem his litteris declararem. Ex omnibus enim, mi Dolabella, studiis in me et officiis (tuis), quae summa sunt, hoc scito mihi et amplissi-

§ 1. *cur idem iterum facerem.* Iam antea Dolabellae de re Buthrotia gratias egerat. Cf. § 2.

mum videri et gratissimum esse, quod perfeceris ut Atticus intelligeret, quantum ego te, quantum tu me amares. 3. Quod reliquum est, Buthrotiam et causam et civitatem, quamquam a te constituta est — beneficia autem nostra tueri solemus —, tamen velim receptam in fidem tuam a meque etiam atque etiam tibi commendatam, auctoritate et auxilio tuo tectam velis esse. Satis erit in perpetuum Buthrotiis praesidii magnaque cura et sollicitudine Atticum et me liberaris, si hoc honoris mei causa susceperis, ut eos semper a te defensos velis. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo."

4. His litteris scriptis, me ad συντάξεις dedi, quae quidem vereor ne miniata cerula tua pluribus locis notandae sint: ita sum μετέωρος et magnis cogitationibus impeditus.

§ 3. *velim — velis esse.* In repetitione eiusdem verbi est quaedam orationis negligentia, de qua dixit Madv. ad Cic. Fin. p. 86 et 465.

§ 4. *συντάξεις.* Fieri potest, ut iam tunc scribere coeperit libros *de Officiis;* sed h. l. potius cogitandum esse de opere *de Gloria* (XV. 27, 2. XVI. 2, 6) quum alia suadent, tum quod XVI. 11, 1 opere de Officiis nondum absoluto (ibid., 4), de illo repetit, quod h. l. scribit *cerulas* Attici *miniatulas se extimescere.* Ceterum observetur hic mos *adnotandi* (Plin. Ep. 1. 8, 3) vel signi appingendi locis, qui correctione indigebant. Talia cerae frustula Graeci vocabant *παραπλάσματα.* Cf. Hesychius in voce, Salmasius ad Solin. p. 755, Casaub. ad Persium p. 418. Hor. Ep. ad Pis. 446.

μετέωρος, animo suspenso, ut ap. Thucyd. II. 8. Proprie dicitur de navibus salo agitatis. Conf. XVI. 5, 3 *Existimabam* (Brutum) *μετεωρότερον esse.*

XV. (*A. U. C.* 710.)

1. L. Antonio male sit, siquidem Buthrotiis molestus est. Ego testimonium composui, quod, quum voles, obsignabitur. Nummos Arpinatium, si L. Fadius aedilis petet, vel omnes reddito. Ego ad te alia epistola scripsi de HS. $\overline{\text{cx}}$., quae Statio curarentur; si ergo petet Fa-

§ 1. *Ego testimonium composui.* Scilicet Cicero tabulis confirmabat ea, quae se praesente de agro Buthrotiorum liberando decrevisset Caesar. Cff. epistolae ad Plancum et Capitonem super hoc negotio scriptae et ultimae epistolae libri XVI adiectae.

obsignabitur. Vulgo *obsignavi*, ut est in Med. Sed quum in cod. illo sit *obsignavl. Turnum mos,* sine dubio litteris melius diremptis scribendum, ut edidi et ante me Klotzius: *obsignabitur. Nummos* cet.

Arpinatium. Etiam invitis libris haec forma genetivi Tullio reddenda est. Nititur auctoritate optimorum codd. in hoc ipso nomine Off. I. 21, ubi cf. Heusingeri adnot. et Orellii. Accurate hanc quaestionem tractavit Osannus in Exc. XV ad Cic. de Repb. p. 475 seqq.

L. Fadius aedilis Arpini. Cf. ep. 17, 1.

quae Statio curarentur. Assentior Graetero VI. p. 430 neque Ciceronem quicquam Statio debuisse, neque, si vel maxime huic homini debuisset, eius debiti mentionem alii rei recte interponi. Sed non laudo eius correctionem, qua *Fadio* reponi volebat. Magis puto Ciceronem scripsisse: *quae a Statio curarentur.* Quintus Cicero, qui Statio liberto ad multas res utebatur, nummos debebat

dius, ei volo reddi, praeter Fadium nemini. Apud me item puto depositum. Id scripsi ad Erotem ut redderet. 2. Reginam odi et me iure facere scit sponsor promissorum eius Ammonius, quae quidem erant *φιλόλογα* et dignitatis meae, ut vel in contione dicere auderem. Saran autem praeterquam quod nefarium hominem, cognovi praeterea in me contumacem. Semel eum omnino domi meae vidi. Quum *φιλοφρόνως* ex eo quaererem quid opus esset, Atticum se dixit quaerere. Superbiam autem ipsius reginae, quum esset trans Tiberim in hortis, commemorare sine magno dolore non possum. Nihil igitur cum istis, nec tam animum me quam stomachum habere arbitrantur. 3. Profectionem meam, ut video, Erotis dispensatio impedit: nam quum ex reliquis, quae Nonis April. fecit, abundare debeam, cogor

fratri eosque fortasse se soluturum promiserat. Eodem refero eiusdem Statii mentionem in ep. 16 *a.* extr. Verba sic correcta apte subiiciuntur voci *reddito.* Nam indicandum erat Attico, unde nummos sumeret. Partem Q. fratris nomine suppeditaret Statius; quod deesset e pecunia domi deposita Eros redderet.

depositum. „Post hanc vocem videntur deesse notae, quae significabant, quantum esset depositum." Lambinus. B. W. K. post eam vocem lacunae signum collocarunt. Ego numeralem notam puto latere in v. *item,* quod omnino otiosum est.

§ 2. *Reginam odi* ɔ: Cleopatram iure odi, quia promissa sua non praestat. Qualia fuerint ea, quodammodo divinare licet e nomine, quo ea designantur, *φιλόλογα.* Male hoc interpretatur Corradus *erudita, quasi rationis plena,* neque melius Ernestus *probabilia, quae disputari probabiliter possint.* Vere credo vertisse Mongaltium: *des choses qui convenaient à un homme de lettres,* ut codices scripti sunt aliaque artis vel eruditionis monumenta. Ex eo quod in M. est *odit me,* Wes. fecit *odi: id me,* ego *odi et me.* Quum *facere* ponatur pro *odisse, id* non debet addi.

scit sponsor Wes. olim pro *sit sponsor;* nunc mavult: (testis) *est,* quia in ep. 17, 2 de eadem re legimus: *De regina gaudeo te non laborare, testem etiam tibi probari.*

Saran. Hic Saras erat sine dubio unus e comitibus regiis, ut *Ammonius,* qui fortasse idem est qui a. 698 Ptolemaei Auletae legatus ad senatum Romanum fuerat. Fam. I. 1, 1. In verbis distinguendis sequor Moserum, Symb. Crit. VII. p. 8, qui aptissime comparavit haec ex epist. ad Q. fr. II. 14. *Ego me in Cumano et Pompeiano, praeterquam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam.* Sicilico post *cognovi* posito durior fit oratio.

Atticum se dixit quaerere. In his quoque explicandis Mongaltium sequi malo, quam Corradum, qui putabat Saran negasse Ciceronem in oratoribus Atticis habendum esse. Quanto simplicior est illius interpretatio: *Atticum quaero, non te,* quod responsum a tali homine Ciceroni comiter eum domi suae compellanti datum magnum erat contumaciae, arrogantiae atque insolentiae argumentum. Tunstallus Ep. ad Middl. p. 191 *contumaciam* in his verbis desiderans coniecit Saran graecissantem dixisse *ἄδικον* se quaerere. Hoc tamen nimium mihi videtur.

nec tam animum me quam stomachum habere arbitrantur ɔ: et non putant mihi satis animi esse ut ulciscar, etsi irasci me posse experti sciunt. Negationem (*non*) quam antiquiores post *stomachum* intruserunt, quum recentiores a Bosio reciperent *vix stomachum,* cui aliquid praesidii est in corrupta scriptura M1 *quamuis homachum,* minime desideramus. Eam si Cicero addidisset, scripsisset opinor: *nec animum me, vix stomachum habere arbitrantur,* quod Gallice diceres: ils croient que je n'ai point de coeur, à peine de l'humeur.

§ 3. *ex reliquis.* Eros Nonis April. rationes confecerat domini, unde apparebat tantum ei pecuniae superare, ut non modo non egeret, sed etiam pecunia abundaret. Nunc contra evenit; ergo Eros male dispensarat.

mutuari, quodque ex istis fructuosis rebus receptum est, id ego ad illud fanum sepositum putabam; sed hoc Tironi mandavi, quem ob eam causam Romam misi, te nolui impeditum impedire. 4. Cicero noster quo modestior est, eo me magis commovet. Ad me enim de hac re nihil scripsit, ad quem nimirum potissimum debuit. Scripsit [hoc] autem ad Tironem, sibi post Kal. Apriles — sic enim annuum tempus confici — nihil datum esse; tibi pro tua natura semper placuisse teque existimasse * * * id etiam ad dignitatem meam pertinere, eum non modo liberaliter a nobis sed etiam ornate cumulateque tractari. Quare velim cures — nec tibi essem molestus, si per alium hoc agere possem — ut permutetur Athenas, quod sit in annuum sumptum. † Et scilicet Eros numerabit. Eius rei causa Tironem misi. Curabis igitur et ad me, si quid tibi de eo videbitur, scribes.

Ex iis, quae sequuntur, apparet Ciceronem nondum abiecisse fani Tulliae dicandi consilium, cui destinabat *merces insularum* (ep. 17, 1), quas h. l. dicit *fructuosas res.*

abundare debeam. Delevi his praepositum *vel,* quod etsi per se optimum est, codicum auctoritate non satis munitur.

impeditum impedire. Similia quaedam collegit I. F. Gronovius Obss. IV. 14, p. 691, e Cicerone ad Fam. XIV. 1, 5 *vide, ne puerum perditum perdamus.* Rhet. ad Her. IV. *miserere nostri, noli exstinguere exstinctos.* Plautina, si tanti est, apud ipsum inspiciantur.

§ 4. *tibi pro tua natura* cet. Signa lacunae apposui, quod cum Mongaltio et Schuetzio haec non Marci filii esse statuo, sed patris. Nihil dubitationis relinquitur, si comparamus cum his verbis ea, quae leguntur XIV. 7, 2. Sed *intellexi* assumere durum est, neque opus est statuere hic periisse: *Ego vero memini.* Facile inter *existimasse id* ob litterarum similitudinem intercidere potuit *scio.* Hoc certe lenius, quam: Tibi *vero* pro tua natura semper placuisse teque existimasse *video,* id cet., quod proposuit Moserus Symb. Crit. VII. p. 9.

† *Et scilicet Eros numerabit.* Cratander edidit *ei,* ut in duobus libris scriptis inventum est., idque cum superioribus verbis coniunxit. Sed non erat, quod *ei* ibi adderetur, neque apte sententiam claudit. Cicero scripsit: *Id scilicet Eros numerabit,* aut potius, ut Schuetzius volebat: *Tibi scil. Eros numerabit.* Klotzius *ei scilicet* ab interprete ad praecedentia adscripta putabat.

XVI. a. (*A. U. C.* 710.)

Tandem a Cicerone tabellarius et mehercule litterae *πεπινωμένως* scriptae, quod ipsum *προκοπὴν* aliquam significat, itemque ceteri praeclara scribunt. Leonides tamen retinet suum illud »adhuc'', summis

πεπινωμένως scriptae. Vid. ad XII. 6, 4.

προκοπήν, progressum. Substantivum apud bonos scriptores reperiri temere negant Phrynichus, Suidas et Thomas. Castigavit eos Trillerus in adn. ad Thomam in v. *προκόπτειν.* *Significaret* in M. excusari potest ex aliquo brevitatis studio: nisi alia, vel hic ipse *πίνος* litterarum significaret aliquem progressum. Cf. XIV. 7, 2. Malo tamen *significat,* ut Schuetzius edidit, etiam propter *scribunt,* quod sequitur.

Leonides. Recte haec forma servatur in cod. Med. h. l. et Fam. XVI. 21, 5 *Leonidas* est nomen Spartanum. Ad rem cf. XIV. 16, 3 et 18, 4.

verba mihi dari ɔ: me decipi. Verba dat,

vero laudibus Herodes: quid quaeris? vel verba mihi dari facile patior in hoc meque libenter praebeo credulum. Tu velim, si quid tibi est a Statio scriptum, quod pertineat ad me, certiorem me facias.

qui pro re inania promissa dat. Locutio frequenter legitur apud Plautum et Terentium. Explicatur a Donato ad Eun. prol. 24. Cicero ea usus est de Inv. II. 28. Philipp. XIII. 33.

XVI. b. (*A. U. C.* 710.)

Narro tibi: haec loca venusta sunt, abdita certe et, si quid scribere velis, ab arbitris libera. Sed nescio quo modo *οἶκος φίλος:* itaque me referunt pedes in Tusculanum, et tamen haec *ῥωπογραφία* ripulae videtur habitura celerem satietatem. Equidem etiam pluvias metuo, si Prognostica nostra vera sunt: ranae enim *ῥητορεύουσιν.* Tu, quaeso, fac sciam ubi Brutum nostrum et quo die videre possim.

Narro tibi. Cf. ad II. 11, 1.

haec loca ɔ: villa prope Antium. Ex Antiati scriptas esse ep. 12, 16 *a* et *b*, 15 et 17 adversus Schuetzium contendit Gruberus, de tempore epistt. Cic. p. 30. Falso Ruete in disp. laud. p. 24 illas epistolas in villa Ciceronis prope Asturam scriptas esse putabat. cf. Schmidt in Nov. Ann. Philol. CXXIX p. 345 seqq. Cicero illa loca vocat *ab arbitris libera,* ut in Verr. V. 80 *amoeno sane et ab arbitris remoto loco.* In his similibusque locis arbitri sunt, qui inspiciunt quod aliquis facit.

me referunt pedes in Tusculanum. Imitatur hanc locutionem Plinius ep. VII. 5 *ad diaetam tuam ipsi me, ut verissime dicitur, pedes ducunt.* Cf. quoque Tibulli haec, II. 6, 13 sq.

Iuravi quoties rediturum ad limina nunquam?
Quum bene iuravi, pes tamen ipse redit.

ῥωπογραφία. Docte hanc vocem illustravit Cl. Salmasius ad Spartiani Hadrian. p. 22 sq. Est genus picturae, quod versatur in rebus humilibus et argumentis variis, cui opponitur *μεγαλογραφία*, quae res magnas et argumenta gravia exsequitur. Nomen derivatur *ἀπὸ τοῦ ῥώπου*, quod indicat merces humiliores varii generis, scruta, obsonia. Male nonnunquam confunditur cum cognato genere *ῥυπαρογραφίας.* Vid. Sillig. Catal. artif. p. 398.

ῥητορεύουσιν ɔ: declamant. Ranae strepitum edentes apud Aristophanem dicuntur *φθέγγεσθαι* et *ἰάχειν*. Latini proprio verbo dicebant *coaxare.* In I de divin. § 15 tres versus ex Arati Prognosticis a Cicerone Latine conversis servantur, quae ad ranarum praesagia pertinent. Manifesto eo nunc respicitur.

XVII. (*A. U. C.* 710.)

1. Duas accepi postridie Idus, alteram eo die datam, alteram Idibus: prius igitur superiori. De Bruto, quum scies. De consulum ficto

§ 1. *De Bruto quum scies.* Quum inter hanc epistolam et ep. 16 *b* plures dies intercedant et minimum tredecim epistolae intra illud tempus a Cicerone ad Atticum missae sint, non licet his verbis lucem petere ex ultimis verbis epistolae 16 *b*. Schmidt l.l. p. 346 acute coniecit hic agi de D. Bruto, itaque post *de* inseruit *D.*

De consulum ficto timore. Simulabant consules se insidias metuere a Bruto et Cassio

timore cognoveram; Sicca enim φιλοστόργως ille quidem, sed tumultuosius ad me etiam illam suspicionem pertulit. Quid tu autem? τά μὲν διδόμενα? nullum enim verbum a Siregio: non placet. De Plaetorio vicino tuo permoleste tuli quemquam prius audisse quam me. De Syro prudenter, L. Antonium per M. fratrem, ut arbitror, facillime deterrebis. Antroni vetui, sed nondum acceperas litteras, ne cuiquam nisi L. Fadio aedili: aliter enim nec caute nec iure fieri potest. Quod scribis tibi deesse HS. $\overline{\text{c}}$., quae Ciceroni curata sint, velim ab Erote quaeras, ubi sit merces insularum. Arabioni de Sitio nihil irascor. Ego de itinere nisi explicato *Λ* nihil cogito, quod idem tibi videri puto. 2. Habes ad superiorem: nunc audi ad alteram. Tu vero facis, ut omnia, quod Serviliae non dees, id est Bruto. De regina gaudeo te non laborare, testem etiam tibi probari. Erotis rationes et ex Tirone cognovi et vocavi ipsum. Gratissimum, quod polliceris Ciceroni nihil defuturum, de quo mirabilia Messalla, qui Lanuvio rediens ab illis venit ad me: et mehercule ipsius litterae sic et φιλο-

ideoque Antonius praesidii sui causa homines armatos secum ducebat, quibus scilicet rempublicam opprimere studebat. Phil. II. 112.

illam suspicionem sc. de permutatione provinciarum, ut vidit O. E. Schmidt.

τὰ μὲν διδόμενα. Initium proverbii, quod Cicero iterum citavit supra VI. 5, 2; totum legitur apud Platonem in Gorgia p. 499 C. δέχεσθαι τὸ διδόμενον, *quod datur accipiendum.* Sed non satis manifestum est quo haec spectent. Interpretes vel se ignorare fatentur, vel referunt ad fictum illum consulum timorem. Sed sequentia obstant. Suspicor Ciceronem respicere ad debitum aliquod ex parte solvendum.

a Siregio. Nomen incertum retineri satius est, quam cum Iac. Gronovio huc inferre *Sarae regii* mentionem ex ep. 15, 2, aut cum Tunstallo voc. Graecum hinc extorquere. Nec seqq. *de Plaetorio* et *de Syro* explicari possunt, nec verba: *Arabioni de Sitio nihil irascor.*

L. Antonium — deterrebis, ne Buthrotiis sit molestus. Cf. ep. 15 init.

Antroni vetui np. reddi nummos Arpinatium.

sed nondum acceperas litteras, ne cuiquam nisi L. Fadio aedili. Sic scripsi de emendatione Nipperdeii in Philologo III. p. 149, quum adhuc scriberetur *nec cuiquam.* Respicit ad litteras huius libri 15. 1. Cf. quoque ep. 20 extr.

Quod scribis tibi deesse. Pro ultimo voc. in codd. Z. et Med. est *desere,* unde Lamb. correxit *deberi.* Sed recte Moserus Symb. Crit. VII. p. 9 antiquam lectionem *deesse,* ut urbaniorem, praefert.

Arabioni de Sitio nihil irascor. Praestat fateri ignorantiam quam de re et de personis ignotis nugari. Arabio videtur nomen servi vel liberti ab Arabe factum.

Ego de itinere cet. Nota Λ indicari videtur λοίπῳ i. e. *reliquo,* ut ep. 15, 3 scripsit *ex reliquis.* Sententia constat ex iis, quae leguntur ep. 20, 4 *nisi explicata solutione non sum discessurus.* Peerlkampius coniecit scribendum: *explicata re.*

§ 2. *quod Serviliae non dees, id est Bruto.* Commentarii instar sunt Cornelii Nepotis verba in Attico c. 8, qui narrat Atticum M. Bruto familiarissime usum esse et dixisse: „si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quantum hae paterentur."

testem etiam tibi probari. Recte e scriptura codicis Tornaesiani *teste,* quae etiam invenitur in M., Lambinus fecit *testem.* Ex ep. 15, 2 apparet Ammonium dici testem iusti odii, quo Cicero reginam prosequebatur. Cf. Wesenbergius, Emend. p. 10. Lambinum temere deseruit Moserus, Symb. Crit. VII, 10 pro vulgato *certe* reponens *cetera,*

στόργως et εὐπινῶς scriptae, ut eas vel in acroasi audeam legere, quo magis illi indulgendum puto. De Buciliano Sestium puto non moleste ferre. Ego, si Tiro ad me, cogito in Tusculanum; tu vero, quicquid erit, quod me scire par sit, statim.

qui Lanuvio rediens ab illis venit ad me. Messalla Athenis Romam rediens Lanuvio se contulit Antium, ut Ciceronem conveniret. *ab illis* est a Marco filio eiusque amicis.

in acroasi ɔ: ut Ernestus interpretatur, in coetu hominum doctorum, ubi nihil nisi quod elegans sit, recitari debet. *Acroasis bellorum hominum* nominatur in fragmento Varronis apud Nonium p. 248, 12. In Senecae Exc. Controv. Praef. lib. IV nomen graece scribitur.

De Buciliano. Nominatur iterum XVI. 4, 4, neque diversus videtur ab eo Βουκολιανῷ, quem Appianus B. C. II. 117 inter Caesaris percussores nominat.

XVIII. (*A. U. C.* 710.)

1. XVII. Kal. etsi satis videbar scripsisse ad te quid mihi opus esset et quid te facere vellem, si tibi commodum esset, tamen, quum profectus essem et in lacu navigarem, Tironem statui ad te esse mittendum, ut iis negotiis, quae agerentur, interesset atque etiam scripsi ad Dolabellam me, si ei videretur, velle proficisci petiique ab eo de mulis vecturae [itineris]. 2. † Et in eis, quoniam intelligo te distentissimum esse qua de Buthrotiis, qua de Bruto, cuius etiam ludorum † suorum curam et eam administrationem suspicor ex magna parte ad te pertinere, ut ergo in eiusmodi re, tribues nobis paullum operae; nec enim multum opus est. Mihi res ad caedem et eam quidem propinquam spectare videtur. Vides homines, vides arma. Prorsus non mihi videor esse tutus; sin tu aliter sentis, velim ad me scribas: domi enim manere, si recte possum, multo malo.

§ 1. *in lacu navigarem.* Sic legimus e Beroaldi emendatione, cui non praefero, quod Scaliger in adnotatione Ms. ad Catullum propius ad cod. Med., in quo scriptum est *in lacuna vigilarem* coniecit: *in lacu navigitarem.* Lacum autem non esse Lucrinum, sed Albanum vel Nemorensem recte observat Gruberus l.l. Nam Cicero haec scripsit ex Antiati in Tusculanum iter faciens. Cf. ad 16 *b.* init.

petiique ab eo de mulis vecturae [itineris]. Sic proxime ad codd. vestigia haec edunt. Sed non credo verba esse sana. Fortasse scribendum: *petiique ab eodem mulos vecturae.* Vocabulum *itineris* seclusi, quum e διττογραφίᾳ sequentium ETINEIS ortum videatur. In Tornaesiano aberat et in scidula Virzeb. In proximis verbis recte Gronovius *ut in his,* pro quo deinde post plura interposita scribit: *ut ergo in eiusmodi re.* Cf. quae idem monuit ad Liv. II. 12, 2. Pronomen demonstrativum referri debet ad mulos, quos ad iter a Dolabella petierat.

§ 2. *cuius etiam ludorum suorum curam et eam administrationem. Suorum* post *cuius* nomini *ludorum* addi tamen posse Orellio affirmanti non credo. Etiam *seorsum* Bosii nihili est. Sed valde placet *scenicorum,* adscriptum in margine ed. 1584. Pro *etiam administrationem* scripsi *et eam administrationem.* Disputavit de his verbis Moserus Symb. Crit. VII. p. 11. Cf. Wesenb. Em. alt. p. 139.

XIX. (*A. U. C.* 710.)

1. Quidnam est quod audendum amplius de Buthrotiis? stetisse enim te frustra scribis; quid autem se refert Brutus? Doleo mehercules te tam esse distentum, quod decem hominibus referendum est acceptum. Est illud quidem ἐργῶδες, sed ἀνεκτὸν mihique gratissimum. De armis, nihil vidi apertius: fugiamus igitur, et, ut ais, † coram. Theophanes quid velit nescio — scripserat enim ad me —; cui rescripsi ut potui. Mihi autem scribit venire ad me se velle, ut et de suis rebus et quaedam, quae ad me pertinerent. Tuas litteras exspecto. Vide quaeso ne quid temere fiat. 2. Statius scripsit ad me locutum secum esse Q. Ciceronem valde asseveranter se haec ferre non posse, certum sibi esse ad Brutum et Cassium transire. Hoc enimvero nunc discere aveo, hoc ego quid sit interpretari non possum. Potest aliquid iratus Antonio, potest gloriam novam quaerere, potest totum esse σχεδίασμα, et nimirum ita est; sed tamen et ego vereor et pater conturbatus est: scit enim quae ille de hoc mecum quidem ἄφατα olim: plane quid velit nescio. A Dolabella mandata habebo, quae mihi videbuntur, id

§ 1. In superiori epistola scripserat: *intelligo te distentissimum esse qua de Buthrotiis, qua de Bruto.* Eodem spectat hoc initium usque ad verba *esse distentum.* Sed difficile explicatu est v. *stetisse.* Alii supplendum putant: *in iudicio,* alii *in atriis consulis vel senatorum.* Neutrum satis probabile est. *Stetisse* corruptum puto e *sit egisse,* adeoque legendum: *Quidnam est, quod audendum amplius de Buthrotiis sit? Egisse enim te frustra scribis:* Tum transit ad alterum, quod Atticum impediebat: *Quid se refert Brutus?* ɔ: cur Brutus in Asiam profecturus regreditur? Eodem modo W. in Em. alt. p. 140 locum emendavit, recepto praeterea de Schuetzii coniectura *agendum* pro *audendum,* quoniam in illa de B. actione audacia Attico non opus erat.

quod decem hominibus referendum est acceptum. Decem homines per contemptum appellari decemviros agris in Epiro dividundis probabilis est Graeteri suspicio. Nam si de agris Italicis et de praediis ipsius Ciceronis ageretur *Septemviros* nominare debuerat. (Cf. sub finem huius epistolae). Illis tribuitur culpa molestiae, quae Atticum premebat. Nam haec cum superioribus cohaerere et perperam a Schuetzio cum sequentibus verbis in unam sententiam coniungi, bonis argumentis Graeterus convicit probante Orellio. Quid sit *illud* quod durum vocat, sad tolerabile sibique gratissimum, omnino ignoramus. Atticus facile quid his verbis vellet Cicero perspexit, si ipse in sua epistola negotium appellavit ἐργῶδες.

De armis, nihil vidi apertius ɔ: ut sup. ep. scripserat, *res ad caedem spectare videtur.*

fugiamus igitur et, ut ais, coram. Ultimum voc. corruptum videtur. Repone: *curramus* ɔ: celeriter fugiamus. Sic ep. 20, 3 *Properemus igitur.* Falsum quod vulgo editur: *At, ut ais, coram* sc. deliberabimus de ea re, languidum, quod edidit W. *sed, ut ais, coram.*

Theophanes quid velit nescio. Nos multo magis nescimus. De Theophane cf. II. 5, 1.

Vide q., ne quid temere fiat. „Ne consilium capiam temerarium. Considera diligenter quid mihi agendum sit." Man. Temere Mongaltius haec ad seqq. de Q. filio pertinere statuit.

§ 2. σχεδίασμα, subitum consilium, Belg. *een inval.*

septemvir. Agris Italiae dividundis inter milites. Dignum dicit C. Antonium qui cum fratribus M. et L., Dolabella, Nucula et

est nihil. Dic mihi, C. Antonius voluitne fieri septemvir? fuit certe dignus. De Menedemo est, ut scribis: facies omnia mihi nota.

Lentone legem per vim latam exsequeretur. Cf. Phil. XI. 13 et V. 33. Ciceronem autem in nominibus magistratuum et sacerdotum, qui a numero appellentur, scribendis etsi nota numerali non litteris usum fuisse A. G. Zumptio concedo, qui de ea re monuit ad orat. de leg. agr. p. 43 et 138, tamen, quum non multum referat, constantiae causa codicem Med. secutus sum.

De Menedemo. Cf. ad ep. 2, 2 h. l. Omnia, quae de huius hominis supplicio Attico innotuerant, scire cupit. E vestigiis Med. *de meo domi est* nomen Menedemi apte eruit Victorius, sed libenter e duabus sententiis unam hanc efficiam: *De Menedemo, si est ut scribis, facies omnia mihi nota.*

XX. (*A. U. C.* 710.)

1. Egi gratias Vettieno; nihil enim potuit humanius. Dolabellae mandata sint quaelibet, † mihi aliquid, vel quod Niciae nuntiem. Quis enim haec, ut scribis, † anteno? Nunc dubitare quemquam prudentem, quin meus discessus desperationis sit, non legationis? 2. Quod ais extrema quaedam iam homines de re publica loqui et eos quidem viros bonos, ego, quo die audivi illum tyrannum in contione c l a r i s s i m u m virum appellari, subdiffidere coepi, postea vero quam tecum Lanuvii vidi nostros tantum spei habere ad vivendum, quantum accepissent ab Antonio, desperavi. Itaque, mi Attice, — fortiter hoc velim accipias, ut ego scribo — genus illud interitus, quo † casurus est, foedum ducens et quasi denuntiatum nobis ab Antonio, ex hac nassa exire con-

§ 1. *Vettieno.* Cf. ad X. 5, 3.

mihi aliquid. Post *quaelibet* non bene sequitur *aliquid;* neque *mihi* recte huic demum vocabulo adponitur. Legendum puto: *si nihil aliud.* Manutius et Wes. *modo aliquid* (sc. mandet). *Nicias* est grammaticus, Dolabellae familiaris, de quo saepe supra legimus. Is videtur Dolabellam exspectasse.

† *anteno.* Med. Omnium de h. v. coniecturarum, quae peti possunt e Graevii editione, tum e Tunstalli epistola p. 81, nulla mihi quidem palmaris videtur. Proxime a vero abesse videntur, qui voc. Graecum hic odorantur ex Attici epistola desumptum. Sed nec Bosii ἐν κενῷ, nec Gronovii λεπτύνει, nec Fr. Schmidtii ἂν ἔγνω verum puto. Si *haec* indicant praesentem rerum conditionem, sententiae aptum esset ἐντύνοι, ɔ: *ordinet,* vel quod Moserus Symb. Crit. VII. p. 13 coniecit ἀντέχοι ɔ: sustineat. W. plura inter *anteno* et *nunc* excidisse suspicatur.

§ 2. *tantum spei habere ad vivendum.* Similem constructionem habes in his: *spem nullam esse habituros — ad eius salutem exstinguendam,* p. Mil. 5, *facultas ad dicendum data,* p. Font. 12, *ne hanc causam habeat ad iniuriam,* Off. III. 14.

quo casurus est in Med., *quo causa cursus est* teste Lambino in Tornaesiano codice legebatur. Placet, quod Madvigius A. C. III p. 191 excogitavit: *quo Catulus usus est.* Scilicet Q. Catulus pater tempore Mariano vita se ipse privavit, de re p. desperans. Huius morti Cicero opponit *spem mortis melioris.* In iis quae sequuntur *foedum ducens* scripsi et post *ab Antonio* comma posui, quia sic facillime tollitur difficultas, quae oritur e lectione codd. *duces,* quam Schuetzius in *duco* mutavit.

nassa, „est piscatorii vasi genus, quo quum intravit piscis, exire non potest" sunt verba Festi. Cf. Sil. Ital. Pun. V. 47—52. Pro *naxa* scripsi *nassa,* quod Ritschelius in Mil. Glor.

stitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris. Haec omnis culpa Bruti. 3. Pompeium Carteiam receptum scribis; iam igitur contra hunc exercitum. Utra ergo castra? media enim tollit Antonius: illa infirma, haec nefaria. Properemus igitur. Sed iuva me consilio Brundisione an Puteolis. Brutus quidem subito, sed sapienter. *Πάσχω τι·* quando enim illum? sed humana ferenda. Tu ipse eum videre non potes: Dii illi mortuo, qui unquam Buthrotum! Sed acta missa: videamus quae agenda sint. 4. Rationes Erotis, etsi ipsum nondum vidi, tamen et ex litteris eius et ex eo, quod Tiro cognovit, propemodum cognitas habeo. Versuram scribis esse faciendam mensum quinque, id est, ad Kal. Nov. HS. cc.: in eam diem cadere nummos, qui a Quinto debentur; velim igitur, quoniam Tiro negat tibi placere me eius rei causa Romam venire, si ea te res nihil offendit, videas unde nummi sint, mihi feras expensum. Hoc video in praesentia opus esse: reliqua diligentius ex ipso exquiram, in his de mercedibus dotalium praediorum, quae si fideliter Ciceroni curabuntur, quamquam volo laxius, tamen ei propemodum nihil deerit. Equidem video mihi quoque opus esse viaticum, sed ei ex praediis, ut cadet, ita solvetur; mihi autem opus est universo. Equidem, etsi mihi videtur iste, qui umbras timet, ad caedem spectare, tamen nisi explicata solutione non sum

II. 6, 98 in Palimpsesto Ambrosiano sic scriptum invenit idemque in Plinii H. N. optimi libri praebent.

Haec omnis culpa Bruti. Scil. Decimi Bruti. Cf. ep. 11, 2. Inutilis est correctio Moseri Symb. Crit. VII. p. 13. *Haec omnia culpa Bruti* sc. facta sunt.

§ 3. *Pompeium Carteiam receptum.* Carteia erat oppidum Hispaniae Baeticae, quod aberat a Corduba milia passuum CLXX, ut tradit scriptor belli Hispan. c. 32. Secundum Marcianum Heracleotam et Antonini Itinerarium distabat quinquaginta stadia sive X milia passuum a promunturio Calpe. Hodie appellatur Saint-Roch. Ante hoc tempus Sex. Pompeius latuerat apud Lusitanos. Pro *Carthela* Med. vulgo *Carteiae* scribitur. Ego secutus sum Wes., quem videas in Em. alt. p. 140.

Utra ergo castra? sc. sequar; nam medium esse non iam licet per Antonium.

Brundisione an Puteolis solvam in Graeciam abiturus.

Brutus quidem subito. Collatis iis, quae ep. 23 extr. et 24 in. leguntur, coniicere licet de itineris a Bruto suscipiendi consilio mentionem paucis his verbis significari. Cicero concedit Brutum sapienter facere, quod sine mora discessurus erat, etsi ipse animo commovebatur illius profectione.

Dii illi mortuo, qui unquam Buthrotum. Caesar mortuus Deos experiatur iratos, qui Buthrotum olim proscripsit, quae res te Romae retinet prohibetque quominus Brutum videre possis.

§ 4. *mensum*, non *mensium*, Med. h. l. et Fam. VII, 17, 1, quum ibi III. 6, 5. *men suum* legatur. Grammatici recentiores in Ciceronis scriptis contractam formam probant.

ex ipso exquiram ɔ: ex Erote. Cf. supra: *etsi ipsum nondum vidi.*

quamquam volo laxius ɔ: quamquam non modo ei quicquam deesse nolo, sed etiam abundare volo. *Laxius* mihi non aeque suspectum est ac Madvigio, qui *lautius* et Wesenbergio, qui *largius* vel *prolixius* pro eo reponendum putant.

sed ei ex praediis cet. ɔ: sed Marco filio solvetur, prout nummi redigentur e praediis, pluribus pensionibus, mihi autem viaticum

discessurus; sitne autem extricata necne tecum cognoscam. Hanc putavi mea manu scribendam itaque feci. De Fadio, ut scribis, utique alii nemini. Rescribas velim hodie.

semel solvendum est. *Cadere nummos* supra quoque scripsit. Belgice dicimus: *het geld of de rente vervalt.*

iste, qui umbras timet. Antonius, qui fingit se timere, quum nihil sit timendum.

extricata, ut Bosius scripsit pro *excitata,* Ernesto glossatoris esse videbatur. Retulit igitur ad *explicatam solutionem.* Mihi potius nunc sermo esse de *versura facienda* videtur. Cicero rogat possitne Atticus ab aliquo nummos extricare.

De Fadio. Cf. epist. 17, 1.

XXI. (*A. U. C.* 710.)

1. Narro tibi: Q. pater exsultat laetitia; scripsit enim filius se idcirco profugere ad Brutum voluisse, quod, quum sibi negotium daret Antonius, ut eum dictatorem efficeret, praesidium occuparet, id recusasset; recusasse autem se, ne patris animum offenderet, ex eo sibi illum hostem. »Tum me,'' inquit, »collegi verens ne quid mihi ille iratus tibi noceret: itaque eum placavi; et quidem $\overline{\text{cccc}}$. certa, reliqua in spe.'' Scribit autem Statius illum cum patre habitare velle — hoc vero mirum — et id gaudet. Ecquem tu illo certiorem nebulonem? 2. *Ἐποχὴν* vestram de re Cani [deliberationis] probo: nihil eram suspicatus de tabulis, *ἀκεραίως* restitutam arbitrabar. Quae differs, ut mecum coram, exspectabo. Tabellarios, quoad voles, tenebis; es

§ 1. *ut eum dictatorem efficeret.* Lege lata per Q. Ciceronem, si in sequentem annum trib. pl. factus esset. Sed e M. Tullii silentio in Philippicis merito suspicantur hoc consilium a Quinto fuisse fictum. *Praesidium occuparet* explicat Ern. de Capitolio aliove urbis loco munito occupando. Sic Caesar in concione militum loquitur de eo, quod fieri solebat *in vi tribunicia, in secessione populi templis locisque editioribus occupatis,* B. C. I. 7. Post *efficeret* inserendum videtur *et.*

inquit Q. filius, cuius verba sunt usque ad *in spe,* ut visum Mongaltio et Schuetzio. Minus recte alii illa *Et quidem $\overline{CCCC}$ certa, reliqua in spe* a M. Tullio addita putant de Q. patre, qui exsultans laetitia filio tantum dono dederit. Immo filius patri nuntiat se cum Antonio in gratiam rediisse, itaque pecunia ab eo adiutum iri. De veritate autem eorum, quae ille scribit, dubitari potest.

illum cum patre habitare velle. Antea nolebat. Cf. XIV. 17, 3. Verbi *gaudet* subiectum est *Statius.*

nebulonem autem vocat Q. filium, qui patrem ita mendaciis sibi benevolum reddebat. Paucis diebus post de eodem scribit: *O turpem sororis tuae filium* ep. 27, 3.

§ 2. *Ἐποχὴν vestram de re Cani probo.* Standum hac codd. lectione, etsi omnino ignoramus qua de re agatur. Nam quae interpretes monent de nuptiis Q. Ciceronis cum Cana (cf. XIII. 41) nituntur coniectura. Voc. *deliberationis* huc irrepsisse e malo glossemate vocis Graecae plures ante me viderunt. Quod si cui minus probabile videbitur, utatur coniectura sane speciosa Moseri, qui Symb. Crit. VII. p. 14 pro eo *deliberantium* scribi volebat, qui genetivus sit appositio pron. possessivi. *Vestram* interpretor *Attici,* ad quem scribit, et *Q. fratris,* de quo modo scripserat. Reliqua huius § verba sine Attici litteris certo expediri

enim occupatus. Quod ad Xenonem, probe. Quod scribo, quum absolvero. Quinto scripsisti te ad eum litteras: nemo attulerat. 3. Tiro negat iam tibi placere Brundisium et quidem dicere aliquid de militibus; at ego iam destinaram Hydruntem quidem. Movebant me tuae quinque horae; hic autem quantus πλοῦς! sed videbimus. Nullas a te XI. Kal.; quippe, quid enim iam novi? quum primum igitur poteris, venies. Ego propero, ne ante Sextus, quem adventare aiunt.

non possunt. In ultimo membro vel initio *quod* excidisse videtur ante *Quinto*, vel post *litteras* desidero particulam adversativam.

§ 3. *Tiro negat* cet. In epist. sup. § 3 Cicero amicum rogarat Brundisione an Puteolis discederet. Deinde e Tirone cognorat Brundisium displicere Attico, quo milites Antonii e Graecia adventare dicebantur. Cf. XVI. 4, 4.

at ego iam destinaram Hydruntem quidem. Otiosum est *quidem*. Fortasse scribendum: *At ego iam destinaram Hydrunte. Me quidem movebant tuae quinque horae* ɔ: quod scripseras V horis ab Hydrunte in Graeciam transmitti posse. Ablativus *Hydrunte* confirmatur iis, quae scripsit 20, 3 *Brundisione an Puteolis.*

hic autem quantus πλοῦς. Ernesti correctionem *hinc*, in quam Gronovius quoque inciderat, refutavit Orellius, comparans ex XVI. 4, 4 *haec autem navigatio.*

ne ante Sextus Pompeius in Italiam veniat. Cf. ep. 20, 3.

XXII. (*A. U. C.* 710.)

Gratulor nobis Q. filium exisse; molestus non erit. Pansam bene loqui credo; semper enim coniunctum esse cum Hirtio scio, amicissimum Bruto et Cassio puto, si expediet — sed quando illos videbit? — inimicum Antonio: quando aut cur? quousque ludemur? Ego autem scripsi Sextum adventare, non quo iam adesset, sed quia certe id ageret ab armisque nullus discederet: certe, si pergit, bellum paratum est; hic autem noster Cytherius nisi victorem neminem victurum. Quid ad haec Pansa? utrobi erit, si bellum erit, quod videtur fore? Sed et haec et alia coram, hodie quidem, ut scribis, aut cras.

exisse ɔ: ex urbe profectum esse.

Pansam bene loqui credo. Ex iis, quae sequuntur, apparet Ciceroni non visum esse Pansam vere et ex animo bonum, sed in sermonibus dumtaxat.

sed quando illos videbit? Quaestio frigida. Non male Graeterus coniecit: *Sed quando illi videbitur?* np. expedire.

Cytherius vocatur M. Antonius Cytheridis mimae amator. Cf. X. 10, 5.

utrobi erit. Sic scripsi ex margine Lamb., in quo *utrubi*. Nam *utro*, quod est in M., non bene iungitur cum verbo *esse*. Alii *cum utro* ɔ: cum Antonio an Pompeio.

XXIII. (*A. U. C.* 710.)

Mirifice torqueor, sine dolore tamen, sed permulta mihi de nostro itinere in utramque partem occurrunt. »Quousque?” inquies. Quoad

erit integrum; erit autem usque dum ad navem. Pansa si tuae rescripserit, et meam tibi et illius epistolam mittam. Silium exspectabam, cui hypomnema compositum (est). Si quid novi. Ego litteras misi ad Brutum, cuius de itinere etiam ex te velim, si quid scies, cognoscere.

usque dum. Ubi simplex *dum* temporis spatium satis indicaret, nonnunquam additur *tamdiu* (Att. IX. 6, 5) vel *usque.* Vid. Handii Turs. II. p. 316, qui exemplum affert e Verr. I. 12 *usque dum per me licuerit.* Adde tertium ex or. p. Quinct. 67 *usque dum inveniretur.*

Pansa si tuere scripserit. Med. Vulgo *tue* delent. Wesenb. Emend. p. 130, Emend. alt. p. 141 volebat: *Pansa si mi rescripserit.* Multo lenius correxit Did. Vitrioli in litteris ad me datis: *Pansa si tuae rescripserit* omisso *epistolae,* quoniam sequitur *epistolam.* Cf. I. 10, 1 *eo factum est, ut epistolae tuae rescriberem aliquid.* Pansa suam ad Atticum epistolam poterat mittere Ciceroni, ut celerius vel tutius ad illum perveniret.

hypomnema hic, ut Fam. XVI. 21, 8, in Med. latine exaratum est. Ep. 24 appellatur *causa* et *libellus.* De hac causa Siliana Cicero scripsit ad Trebatium, Fam. VII. 21, et disputavit Ph. E. Huschke, Rostochii 1824.

Si quid novi. Int. *scribe mihi* vel *ad me scribas velim,* si lectio vera est, nec potius legendum: *cui ὑπόμνημα compositum 'st. Ecquid novi?*

XXIV. (*A. U. C.* 710.)

Tabellarius, quem ad Brutum miseram, ex itinere rediit VII. Kal. Ei Servilia dixit eo die Brutum H. I S. profectum. Sane dolui meas litteras redditas non esse. Silius ad me non venerat: causam composui; eum libellum tibi misi. Te quo die exspectem velim scire.

H. IIII editur e X. Sed quum in Med. sit *his* Buechelerus p. 531 litteris distractis scribendum censuit H. I. S. ɔ: *hora prima semis,* idque recepi. Fortasse tamen e Z. in quo rat *hus,* scribendum H. II. S. ɔ: hora semitertia. Nimis audacter Schiche legendum coniecit: *in Nesidem profectum.* Temporis notio aptissima est.

XXV. (*A. U. C.* 710.)

De meo itinere variae sententiae; multi enim ad me; sed tu incumbe, quaeso, in eam curam: magna res est. An probas, si ad Kal. Ian. cogi-

si ad Kal. Ian. cogitamus np. redire. Cf. XVI. 6, 2 *Scribis in caelum ferri profectionem meam, sed ita, si ante Kal. Ian. redeam.* ibid. 7, 2 *profectionis meae approbator certe fuisti, dummodo Kal. Ian. Romae essem.* Cf. Phil. I. 6 extr. Ad reversionis tempus spectant etiam verba: *Est enim hiberna navigatio odiosa.* — *Ut, si nihil offensionis sit* ɔ: ut ad illud temporus redeam, si tuto fieri possit. — Reliqua tantis laborant difficultatibus, ut magni Gronovii acumen omnia expedire non potuerit, quum disputaret de h. l. Observ. IV. 9, p. 615—623. *Piaculum* dici P. Clodii incestum in sacris Bonae Deae, quae *mysteria* rite appellantur, commissum Gronovius probavit. Verba autem sic corrigenda censeo: *offensionis sit. Id tu etiam scribes quo die olim piaculum.* Vult

tamus? meus animus est aequus, sic tamen ut, si nihil offensionis sit. † Et tu etiam scite quo die olim piaculum [mysteria scilicet]. Ut † tu scires, casus consilium nostri itineris iudicabit: dubitemus igitur; est enim hiberna navigatio odiosa, eoque ex te quaesieram mysteriorum diem. Brutum, ut scribis, visum iri a me puto. Ego hinc volo prid. Kal.

scire ex Attico, num forte huic magis placeat, ut redeat ante mysteria. Verba *mysteria scilicet* glossatoris esse videntur. Pro corrupto *ut tu scires* Bosius dedit: *Utut sit res*, quod non esse a Tullio profectum affirmare audeo. Nam, quod iam observavit Vavassor in Antibarbaro p. 614, nusquam alibi Cicero sic locutus est. Fortasse scribendum: *Utut erit* (cf. ep. seq. 4), *casus consilium n. it. iudicabit*, aut cum W. *diiudicabit*. Tum *dubitemus igitur* videtur indicare: nihil certi constituamus, *ainsi ne décidons rien*, ut Mongaltius interpretatur.

eoque — mysteriorum diem. Sacra Bonae Deae fieri certo die initio m. Dec. Cicero sciebat, neque id ex Attico quaerebat, sed num Attico placeret, si ante mysteria illa rediret.

Ego hinc volo pridie Kal. ɔ: e Tusculano profecturus sum pridie Kal. Quint.

XXVI. (*A. U. C.* 710.)

1. De Quinti negotio video a te omnia facta; ille tamen dolet dubitans utrum morem gerat Leptae an fidem infirmet filio. Inaudivi L. Pisonem velle exire legatum ψευδεγγράφῳ senatus consulto: velim scire quid sit. Tabellarius ille, quem tibi dixeram a me ad Brutum esse missum, in Anagninum ad me venit ea nocte, quae proxima ante Kal. fuit, litterasque ad me attulit, in quibus unum alienum summa sua prudentia, idem illud, ut spectem ludos suos. Rescripsi scilicet primum me iam profectum, ut non integrum sit; dein ἀτοπώτατον esse me, qui Romam omnino post haec arma non accesserim, neque id tam periculi mei causa fecerim quam dignitatis, subito ad ludos venire. Tali enim tempore ludos facere illi honestum est, cui necesse

§ 1. *De Quinti — filio.* E verbis *fidem infirmet filio* Ernestus vidit hic agi de re pecuniaria. Nimirum Q. filius mutuam pecuniam sumpserat a Lepta illamque a patre persolverat. Si igitur pater Leptae debitum petenti non solveret, filii fides concideret neque facile alii ei pecuniam crederent.

Inaudivi. De hoc verbo, quod Bosius e vestigiis codd. restituit, diximus ad VI. 1, 20.

ψευδεγγράφῳ SCto. SCta falsa referri ab Antonio inter illius temporis mala ponit Cicero Fam. XII. 1, 1. L. Piso, qui C. Caesaris socer fuerat, facile a M. Antonio falsum SCtum obtinere potuit.

in Anagninum ad me venit. Vulgo post *Anagninum* distinguitur. Verum non Brutum fuisse in eo loco, sed Ciceronem e Tusculano Arpinum proficiscentem in Anagnino fuisse moratum, ut saepius fecit (cf. XII. 1, 1 ad Q. fr. II. 5, 4), docuit E. Ruete, l. l. p. 27. Similiter in ep. ad Att. XV. 6, 3. Hirtius scribit: *in Tusculanum ad me scribe.*

idem illud. Prius pronomen aut delendum, aut pro eo e veteri correctione *id est* scribendum videtur.

ut spectem ludos suos. Opportune Victorius citat haec Plutarchi in Bruto c. 21. ἔγραφε καὶ Κικέρωνι πάντως παρατυχεῖν ταῖς θέαις δεόμενος.

est; spectare mihi ut non est necesse, sic ne honestum quidem est. Equidem illos celebrari et esse quam gratissimos mirabiliter cupio idque ita futurum esse confido et tecum ago, ut iam ab ipsa commissione ad me, quemadmodum accipiantur hi ludi, deinde omnia reliquorum ludorum in dies singulos persequare. Sed de ludis hactenus. 2. Reliqua pars epistolae est illa quidem in utramque partem, sed tamen nonnullos interdum iacit igniculos viriles; quod quale tibi videretur, ut posses interpretari, misi ad te exemplum epistolae, quamquam mihi tabellarius noster dixerat tibi quoque se attulisse litteras a Bruto easque ad te e Tusculano esse delatas. 3. Ego itinera sic composueram, ut Nonis Quint. Puteolis essem; valde enim festino, ita tamen, ut, quantum homo possit, quam cautissime navigem. 4. M. Aelium cura liberabis: is me paucos specus in extremo fundo, et eos qnidem subterraneos; servitutis putat aliquid habituros: id me iam nolle neque mihi quicquam esse tanti, sed, ut mihi dicebas, quam lenissime, potius ut cura liberetur, quam ut me suscensere aliquid suspicetur. Item de illo Tulliano capite libere cum Cascellio loquere. Parva res est, sed tu bene attendisti, nimis callide agebatur; ego

ab ipsa commissione ɔ: ab ipso ludorum initio. Cf. XVI. 5, 1. Nam *committere ludos* est incohare. Vid. Ruhnkenii Scholia in Suet. Aug. p. 164. Madv. ad Fin. III. 8. Deinde scripsi e Med. *hi ludi.* Opponuntur enim *ludi,* qui tunc ipsum committebantur, reliquis ludis. Male Lambino auctore Or. et W. scripserunt *ii ludi.*

§ 3. *quantum homo possit* ɔ: quatenus a prudentia humana pendeat.

§ 4. *is me paucos specus* cet. Huius loci sententiam egregie assecutus est I. F. Gronovius, qui ita fere explicat: Aelius queritur me in ultimis partibus agri mei, qui illi vicinus est, fodere atque egerere paucos specus; quo facto putat se inde aliquid incommodi habiturum, aliquid servitutis subiturum agrum suum. Fac sciat me id consilium mutasse, nec ullum commodum mihi tanti esse, ut eius gratiam amittere velim. Sed in verbis nonnulla emendatione egent. Primum in his: *is me paucos specus* cet. verbum desidero; — neque *rogat,* quod Corradus aliique supplent, cum sententia quadrat; — tum *habituros* corruptum est. Nam non illi specus, sed fundus Aelii servitutem habiturus videbatur. Plures video nodi solvendi rationes, scribendo: *is timet paucos specus — servitutis se putat aliquid habiturum,* vel: *is enim paucos — putat aliquid sibi daturos,* vel etiam: *Emisi paucos specus* cet. In sequentibus malim: *dic me iam nolle,* quum nihil praecedat, unde infinitivi *nolle* et *esse* pendeant. Postremo suspecta mihi sunt *ut mihi dicebas,* multoque lenius haec procederent sic scripta: *sed velim ei dicas quam lenissime.* Fortasse coniectando modum excedisse nonnullis videbor; sed extremae epistolae huius libri tot maculis inquinatae sunt, ut audaciae aliquam veniam petere audeam. Paullo aliter verba explicant et emendant Madv. Adv. Crit. II. p. 240 et III. 192, Wes. Em. alt. p. 141.

specus sunt canales arte ducti vel aquaeductus, ut apud Varronem de re rust. III. 17 extr. *perducere specus e piscinis in mare,* et in hist. belli Alex. 5: *Alexandria — specus habet a Nilo pertinentes, quibus aqua in privatas domos inducitur.*

Item de illo Tulliano cet. „Tullianum caput vocat, quod epistola proxime sequenti (ep. 29, 1) Tullianum semissem. Caput enim quandoque sortem et pecuniae summam significat. Vult autem Atticum *libere* loqui

autem, si mihi imposuisset aliquid, quod paene fecit, nisi tua malitia affuisset, animo iniquo tulissem: itaque, utut erit, rem impediri malo. Octavam partem † tuli luminarum medium ad strane memineris, † cui Caerellia videris, mancipio dare ad eam summam, quae sub praecone fuit maxima; id opinor esse $\overline{\text{CCC}}$ LXXX. 5. Novi si quid erit atque etiam si quid prospicies, quod futurum putes, scribas ad me quam saepissime velim, Varroni, quemadmodum tibi mandavi, memineris excusare tarditatem litterarum mearum. Mundus iste cum M. Ennio quid egerit de testamento — curiosus enim (sum) — facias me velim certiorem. Ex Arpinati VI. Non.

cum Cascellio, contra quam cum M. Aelio, cui responderi nolebat nisi *quam lenissime.*" Bosius. *Cascellius,* qui hic memoratur, non diversus videtur ab Aulo Cascellio ICto, quem nominant Pomponius de orig. iuris § 45. Horatius, Ep. ad Pis. 371. Val. Max. VI. 2, 1. Orellius, qui in Onom. Tulliano hunc locum omisit, recte pro *loquare* coniecit futurum *loquere.*

si mihi imposuisset aliquid ɔ: si me decepisset. Cf. ad Q. fr. II. 6, 5. Nep. Eum. 5 *praefectis Antigoni imposuit.* Nam qui decipit, alteri imponit pro vero, quod verum non est.

malitia h. l. est sagacitas, prudentia, *sluwheid,* ut Fam. IX. 19, 1. Hinc Plautus dixit *sine mala omni malitia.*

Octavam partem cet. Ernestus frustra in his corrigendis et explicandis laborari monuit. Ego non tantum mihi arrogo, ut id invenisse me credam, quod omnibus satisfaciat; inveni tamen aliquid, quod nec a scriptura Medicei nimis recedat et probabilem efficiat sententiam: *Octavam partem sustuli luminarium aedium Asturae. Memineris, quum Caerelliam videris, mancipio dare ad eam summam,* ɔet. Agitur de duobus negotiis. In priore sententia nuntiat se luminarium vel fenestrarum in aedibus suis, quas Asturae habebat, numerum deminuisse. In altera aliquid, quod ut Attico notum non indicat, fortasse praedium, Caerelliae suo nomine tradi iubet tantidem, quantum in auctione publica a plurimum licitante oblatum erat.

§ 5. *memineris* non minus quam *scribas* pendet a *velim;* quamobrem male post hoc verbum vulgo punctum ponitur. Duo mandata sine copula iunguntur, ut X. 15 extr.

Mundus cet. Verba scripsi, ut correcta sunt a Wes. Emend. p. 46. In M. vitiose scriptum est: *Mundus istum M. Enius* cet. *Mundus* est nomen proprium viri ut in ep. 29, 1. *iste* est, de quo tu mihi aliquid scripsisti. De M. Ennio male dubitavit Corradus. Verbis interpositis *curiosus enim* W. addidit *sum,* collato II. 4, 4, ut voluerat I. F. Gronovius, idque praestat Orellii coniecturae *es* addentis.

XXVII. (*A. U. C.* 710.)

1. Gaudeo id te mihi suadere, quod ego mea sponte pridie feceram; nam, quum ad te VI. Non. darem, eidem tabellario dedi etiam ad Sestium scriptas πάνυ φιλοστόργως. Ille autem, quod Puteolos persequi-

§ 1. *Ille autem — iniuste.* Sestius noster humane facit, quod me Puteolos (ubi Cicero haec scribens nondum erat, sed quo Nonis Quint. venit. vid. XVI. 1, 1) sequitur, sed iniuste queritur, quod se de Cosano (cf. IX. 6, 2) redeuntem non exspectaverim. Cum W. e vc. scripsi *persequitur,* quum *prosequitur,* ut est in M., non dicatur nisi de comite. Persequi est sequi aliquem, donec assequaris. *Dum* pro *quum* debetur eidem Wesenbergio.

tur, humane; quod queritur, iniuste: non enim ego tam illum exspectare, dum de Cosano rediret, debui, quam ille aut non ire antequam me vidisset, aut citius reverti: sciebat enim me celeriter velle proficisci, seseque ad me in Tusculanum scripserat esse venturum. 2. Te, ut a me discesseris, lacrimasse moleste ferebam, quod si me praesente fecisses, consilium totius itineris fortasse mutassem; sed illud praeclare, quod te consolata est spes brevi tempore congrediendi, quae quidem exspectatio me maxime sustentat. Meae tibi litterae non deerunt. De Bruto scribam ad te omnia. Librum tibi celeriter mittam de Gloria. Excudam aliquid Ἡρακλείδειον, quod lateat in thesauris tuis. 3. De Planco, memini. Attica iure queritur. Quod me de Bacchide, de statuarum coronis certiorem fecisti, valde gratum, nec quicquam posthac non modo tantum, sed ne tantulum quidem praeterieris. Et de Herode et Mettio meminero et de omnibus, quae te velle sus-

in Tusculanum. Cicero paucis ante diebus inde profectus erat, pridie Kal. Quint. (vid. ep. 25 extr.) et nunc in itinere deverterat in Arpinas, unde datae sunt ad Atticum epistolae 26, 28 et haec ipsa.

§ 2. *Librum — de Gloria.* Cf. XVI. 2, 6. De huius operis, quod duobus libris constabat, tempore, fontibus, argumento disputavit Fr. Schneiderus in Diariis Antiq. Zimmermanni 1839, p. 219—230. Quod Corradus ad h. l. et in Quaestura p. 269 tradit eos libros a Fr. Petrarca lectos esse, id debet ipsi Petrarcae Senil. XV. ep. 1. Hodie nihil fere superest.

Excudam. Verbum sumptum a statuariis, ut in illo Vergiliano: *Excudent alii spirantia mollius aera.* Eodem utitur Plinius Ep. I. 3, 4: *Effinge aliquid et excude, quod sit perpetuo tuum* et scriptor dialogi de Oratt., 9. Cf. ἐκτυποῦν in Platonis Timaeo, p. 50 D.

aliquid Ἡρακλειδεῖον. Cf. ad ep. 4, 3 h. l.

quod lateat in thesauris tuis. Hullemannus in Diatr. de T. P. Attico, p. 185, 3 refert ad Annalem Attici, collatis his e Fin. II. 67: *suppeditabit nobis Atticus noster e thesauris suis quos et quantos viros.* Sed ad illud opus, quod Cicero nunc cogitabat, non videtur admodum multa petere potuisse ex illo libro, et aliud dicere Ciceronem ostendit coniunctivus *lateat.* Cf. II. 6, 2: ἀνέκδοτα, *quae tibi uni legamus.* Thesauros itaque recte interpretantur bibliothecam Attici, pretiosis libris refertam, quorum usus paucis patebat. Et ita accepit G. Boissier, Recherches sur — les lettres de Cicéron p. 26. Aliam vim eidem nomini tribuit Domitius Piso in Plinii Nat. hist. praefat. § 17, quando ait „*thesauros oportet esse, non libros.*" Id enim volebat copiam rerum memorabilium e lectione hauriendam esse, si operae pretium facturus sis.

§ 3. *De Planco, memini* ↄ: quod ad Plancum attinet, memini. Fortasse hoc vult, se Planco causam Buthrotiam commendasse et amplius esse commendaturum. Cf. XVI. 16 A et B. Eadem constructio est in Plauti Asin. V. 2, 89 *de palla memento.*

Attica iure queritur. Cf. ep. 28 extr.

de Bacchide. Mimae nomen videtur, in Onom. Tull. omissum. Eius mentio et coronarum honoris causa statuis impositarum satis certo docet hic agi de ludis Bruti. Cf. Mongaltius ad h. l.

de Herode et Metio. Nihil obstat, quominus cogitemus hic quoque agi de illo Herode Atheniensi, cuius mentio fit XIV. 16, 3. 18, 4 et saepius. Attici libertum cognominem, quem statuit Orellius in Onom. Tull. p. 283 nullum fuisse censeo. *Metium* vel *Mettium* (cf. Schneiderus ad Caes. B. G. I. 47, 4), ignoramus. — Ceterum haec verba affert Freundius in Lexico v. *memini,* probaturus Ciceronem scripsisse *meminisse de aliquo.* In quo virum Latini sermonis peri-

picabor modo. O turpem sororis tuae filium! Quum haec scriberem, adventabat *αὐτῇ βουλύσει* cenantibus nobis.

tissimum non minus falsum arbitror, quam quum ibidem e Phil. II. 91 ostendere vult *meminisse* apud Tullium esse nonnunquam idem, quod *mentionem facere*, quod recte negat Phil. Pareus in Lexico Critico. Verba enim illa sic distinguenda sunt: *Meministi ipse, de exsulibus, scis, de immunitate quid dixeris*, ut utrumque *de exsulibus* et *de immunitate* ex *dixeris* pendeat. Cf. Phil. I. 3.

O turpem sororis tuae filium! Quum haec scriberem, adventabat αὐτῇ βουλύσει c. n. Scripsi de mea coniectura quam veram esse facile obtinebo, si id quod vulgo legitur non ferendum esse ostendero. Est illud: *O turpem sororis tuae filium, quum haec scriberem! Adventabat autem βουλύσει c. n.* Itane vero? eratne Quintus filius turpis, quum patruus haec scriberet? non turpis, quum aut non scriberet ille aut scribere desineret? *Autem* offensioni fuit quoque Malaspinae et Graevio, quam ille tollere volebat geminando v. *adventabat*, hic vel eodem modo vel deleto *autem*. Sed qui non ignorant, quoties vocabula Graeca Latinis litteris exarata turbas dederint, meam correctionem veriorem iudicabunt. Quod autem Schuetzius dedit: *Obturbabat me sororis tuae filius, quum haec scriberem. Adventabat autem βουλύσει c. n.*, etsi speciosum esse concedo, verum esse non facile adducar ut credam.

XXVIII. (*A. U. C.* 710.)

Ego, ut ad te pridie scripseram, Nonis constitueram venire in Puteolanum; ibi igitur quotidie tuas litteras exspectabo, et maxime de ludis, de quibus etiam ad Brutum tibi scribendum est, cuius epistolae, quam interpretari ipse vix poteram, exemplum pridie tibi miseram. Atticae meae velim me ita excuses, ut omnem culpam in te transferas et ei tamen confirmes me immutatum amorem meum mecum abstulisse.

in Puteolanum. Cf. 26, 3 et XVI. 1, 1, e quibus locis manifesto apparet *Tusculanum*, quod in codd. notis hic legitur, librario oscitanti deberi. Correxit Mongaltius.

Atticae meae cet. Interpretes egregie suspicantur Atticam questam esse (cf. ep. 27, 3), quod Cicero sibi non salutem dixisset. Rogat ut Atticus omnem in se culpam transferat, sive quod filiae Ciceronis nomine salutem dicere neglexerat, sive quod eam non secum in Tusculanum adduxerat. Simul Atticae confirmat se eam amare, ut antea. Sed quibus verbis Cicero hoc scripserit dubium est. In Med. est: *confirmem me minuo tutam amore meo mecum attulisse*, ex quo quod P. Victorius dubitanter fecit: *confirmes me minime totum amorem eo mecum attulisse* merito displicuit Wesenbergio. Quod ille correxit recepi, quum nec longe a Med. recedat et aptam praebeat sententiam. Cf. W. Em. alt. p. 142.

XXIX. (*A. U. C.* 710.)

1. Bruti ad te epistolam misi: Dii boni! quanta *ἀμηχανία*! cognosces, quum legeris. De celebratione ludorum Bruti tibi adsentior. Ad M. Aelium nullus tu quidem domum, sed sicubi inciderit. De

Tulliano semisse, M. Axianum adhibebis, ut scribis. Quod cum Cosiano egisti, optime. Quod non solum mea verum etiam tua † me expedis, gratum. Legationem probari meam gaudeo. Quod promittis, dii faxint! quid enim mihi meis iucundius? — sed istam, quam tu excipis, metuo. Brutum quum convenero, perscribam omnia. De Planco et Decimo, sane velim; Sextum scutum abiicere nolebam. De Mundo, si quid scies. 2. Rescripsi ad omnia tua; nunc nostra accipe. Quintus filius usque Puteolos — mirus civus, ut tu Favonium Asinium dicas —, et quidem duas ob causas et ut mecum, et ut σπείσασθαι vult cum Bruto et Cassio. Sed tu quid ais? scio enim te familiarem esse Othonum. Ait hic sibi Iuliam ferre, constitutum enim esse discidium. Quaesivit ex me pater qualis esset fama. Dixi nihil sane me audisse — nesciebam enim cur quaereret — nisi de ore et patre. »Sed quorsus?" inquam. At ille, filium velle. Tum ego, etsi ἐβδελυττόμην, tamen negavi putare me illa esse vera: σκοπός — hoc est enim —

§ 1. *Ad M. Aelium* cet. ɔ: non opus est ut M. Aelium convenias, eiusque domum adeas sed poteris cum eo loqui, si forte in eum incideris. Cf. ep. 26, 4. De locutione *ad Aelium — domum* vid. XIV. 3, 1.

De Tulliano semisse. Quod ep. 26, 2 Tullianum caput vocavit, nunc vocat *semissem* ɔ: dimidiam partem pecuniae.

cum Cosiano. Nomen hominis ignoti. Male Corradus sic potuisse dici Sestium a Cosano ex ep. 27, 1 suspicatur. Scribendum saltem erat *cum Cosano*, quod fecit Schuetzius.

tua me expedis. Aliquid vitii hic latet. K2 id tollit deleto *me*, pro quo Or. volebat *mi* ɔ: in meam utilitatem, ego olim *nunc.* Quod L. Mendelssohnius correxit *tuamet*, in Obss. Crit. p. 62 reieci exemplum Tullianum huius vocabuli desiderans. Cum Baitero suspicor post *tua* intercidisse *causa.*

Quod promittis np. te mox mecum congressurum esse. In iis quae sequuntur, *meis* recte Manutius vidit dativum esse ἀσυνδέτως additum pronomini *mihi.* Nam ablativus qui pendeat a comparativo ideo reiiciendus est, quia tum Cicero de Attico ad Atticum scribens *te* posuisset. *Istam* esse Atticam, cuius valetudo patrem ne retineret timebat, idem vere monuit.

De Planco et Decimo, sane velim. Saepe L. Plancus et D. Brutus una memorantur. Cf. Fam. X. 26, 1. XII. 8, 1. Quid Cicero voluerit, non liquet.

Sextum scutum abiicere nolebam. Cf. ep. 1, 4 libri seq. Cur Cicero noluerit ignoramus.

De Mundo cf. ep. 26, 5.

§ 2. *mirus civis, ut tu Favonium Asinium dicas.* Ernestus putabat sententiam verborum hanc esse, utrovis nomine vel Favonii vel Asinii Quintum designari poste; quod recte fieri negat, quum longe diversi generis illi essent. Propterea coniecit *Favonium alterum*, quae correctio assensum tulit Schuetzii. Mihi alia fuisse scriptoris mens videtur: Q. filius modo reip. partes amplectitur et bonum civem ita agit, ut Favonium, acerrimum illum libertatis propugnatorem, modo ut Asinium hominem Iulianis partibus deditum dicas, sive Q. filius duorum diversarum partium hominum nominibus designari potest. *Tu* redundare videtur et facile e praecedenti *ut* oriri potuit.

et ut mecum, et ut σπ. vult cum Bruto et Cassio. Insolentiam orationis egregie sustulit Lambinus scribendo: *et mecum σπείσασθαι vult et cum Bruto et Cassio.*

Ait hic sibi Iuliam ferre ɔ: Quintus filius ait Iuliam, quae Othoni cuidam nupta erat, quae nuptiae tamen divortio solverentur, sibi conditionem offerre. Pro *Iulia* fuerunt, qui *Tutiam* mallent e XVI. 2, 3. Utrumvis eligas, persona incerta manet.

de ore et patre. Mira sane compositio. Schuetzius coniecit: *de ore putri*, cui bene convenit ἐβδελυττόμην. E codd. scriptura non minus erui posset: *de ore taetro.*

σκοπός — hoc est enim — huic nostro

huic nostro nihil praebere; illa autem οὐ παρά τούτῳ. Ego tamen suspicor hunc, ut solet, alucinari; sed velim quaeras — facile autem potes — et me certiorem. 3. Obsecro te, quid est hoc? Signata iam epistola Formiani, qui apud me cenabant, Plancum se aiebant hunc Buthrotium pridie, quam hoc scribebam, id est III. Nonas, vidisse demissum, sine phaleris; servulos autem dicere eum et agripetas eiectos a Buthrotiis. Macte! sed amabo te, perscribe mihi totum negotium.

nihil praebere. Valde frigent illa *hoc est enim.* Vide an sit scribendum: σκοπὸς *hic est enim huic nostro nihil praebere* ɔ: Quintus frater hoc unum spectat, ut filio nihil praebeat, quod consilium se assecuturum sperat illo matrimonio inito.

illa autem οὐ παρὰ τούτῳ ɔ: illa non apud hunc manebit. Si Iulia nubet Quinto, mox nuptiae dissolventur ob malos mariti mores. Ita I. F. Gron. correxit et explicavit verba. Vulgo post Bosium scribunt τοῦτον. In M. τουτο.

alucinari. Cloatius Verus apud Gellium N.A. XVI. 12 hoc verbum non male derivat a Gr. ἀλύειν. Scribendum itaque simplici *l.* Est autem aberrare et mente non consistere.

§ 3. *Signata iam epistola.* Solet Cicero uti verbo composito *obsignandi,* quod Lambinus hic quoque restituit. Sed *signare* pro signum apponere item legitur XI. 1, 1 et in Hor. Ep. I. 13, 2, et Plinius Ep. I. 9, 2. II. 20, 8 et 10 *signare testamentum* scripsit.

Plancum hunc Buthrotium. T. Plancum Bursam videtur appellare Buthrotium, quoniam consulum decreto illam causam erat compositurus. De eodem rumore agitur XVI. 1, 2 et 4, 3. Non fuisse verum apparet ex XVI. 2, 1.

demissum ɔ: tristem, abiectum. p. Sulla, 74: *Postea quis P. Sullam nisi maerentem demissum afflictumque vidit?*

sine phaleris ɔ: equo non ornato, ut alias solet. Hoc modo fugae festinatio indicatur.

agripetas. Cf. XVI. 1, 2 *Agripeta* respondet Gr. κληρούχῳ. Cf. Cic. N. D. I. 72. In epist. ad Plancum epist. 16 libri seq. addita § 5 appellat *eos, qui agrum Buthrotium concupissent,* et in epist. ad Capit. § 11 *agrarios.*

Macte ɔ: laudo Buthrotios, si tam fortiter se gesserunt.

LIBER XVI.

I. (*A. U. C.* 710).

1. Nonis Quint. veni in Puteolanum. Postridie iens ad Brutum in Nesidem haec scripsi. Sed eo die, quo veneram, cenanti Eros tuas litteras. Itane? Nonis Iuliis? Dii hercule istis! sed stomachari totum

§ 1. *in Nesidem.* In parva illa insula, νησίς, hodie *Nisita,* Lucullus villam habebat, in qua illis ludorum diebus Brutus commorabatur. Cf. ep. 4, 1. 2, 3. 6 h. l. Phil. X. 8.

Nonis Iuliis. Cf. ep. 4, 1. Summo dolore *isti* ɔ: Antoniani Brutum affecerant, quum eius ludos proscripsissent Nonis *Iuliis,* quod nomen Caesaris honoris causa mensi Quintili datum erat. Vid. Suet. Caes. 76. Censor. 22. Macr. Sat. I. 12.

Dii h. istis. Cf. XV. 20, 2 *Dii illi mortuo!*

diem licet. Quicquamne turpius quam Bruto IVLIIS? Redeo ad meum igitur ἔτ' ἐῶμεν· nihil vidi. 2. Sed quid est quaeso, quod agripetas Buthroti concisos audio? quid autem Plancus tam cursim — ita enim inaudiebam — diem et noctem? Sane cupio scire quid sit. 3. Meam profectionem laudari gaudeo: videndum est ut mansio laudetur. Dymaeos agro pulsos mare infestum habere nil mirum: ἐν ὁμοπλοίᾳ Bruti videtur aliquid praesidii esse, sed, opinor, minuta navigia; sed iam sciam et ad te cras. 4. De Ventidio πανικὸν puto. De Sexto pro certo habebatur † ad arma; quod si verum est, sine bello civili video serviendum. Quid ergo? ad Kal. Ian. in Pansa spes? Λῆρος πολὺς in vino et in somno istorum. 5. De $\overline{\text{CCX}}$., optime: Ciceronis rationes explicentur: Ovius enim recens; is multa, quae vellem, in iis ne hoc quidem malum [in mandatis sat abunde] HS. $\overline{\text{LXXII}}$. satis esse, affatim

quam Bruto Iuliis. Cum Lambino malim *Bruto quam Iuliis.*

Redeo ad meum igitur ἔτ' ἐῶμεν· nihil vidi. Ex iis, quae Moserus Symb. Crit. VIII. p. 18 seq. de h. l. disputavit, nihil ad verba explicanda proficimus. In M. est ΕΤΕΩΜΕΝ, in margine ἔλθωμεν, Lambinus e Z. edidit θέωμεν. Proxime ad primam manum cod. M. scribendum censeo ἔτι ἐῶμεν; *adhuc sinimus?* vel εἶτ' ἐῶμεν; *et sinimus?* sc. illos nobis illudere. Tum verba *Nihil vidi,* quae male sequuntur post illam quaestionem, transpono post praecedentem: *Quidquamne turpius Bruto quam Iuliis? nihil vidi.* — *igitur* quarto loco positum post vocabula arcte iungenda *redeo ad meum* nihil offensionis habet. Cf. Draegeri Synt. histor. § 355, 1.

§ 2. *inaudiebam.* Cf. ad VI. 1, 20. Sed nititur h. l. Graevii coniectura. Fortasse in eo quod e Med. et cod. Bessarionis notatur *mediabam* nihil latet nisi simplex *audiebam.* De re cf. XV. 29. 3, et h. l. 4, 3.

§ 3. *Meam profectionem — nil mirum.* In his scribendis cum B.W.Kz. Ernesti transpositionem verborum recepi, qua tollitur difficultas, quam olim alio modo tollere conatus sum. *nil mirum* pro *nimirum* debetur Victorio. Dymaei erant piratae, quos Pompeius in Achaia collocarat, qui nunc ad pristinum vitae genus redierant. *Infestum habere,* pro quo deinde dixerunt *infestare,* iam vidimus IX. 19, 3. Cf. quoque p. Tull. 19.

Minuta navigia, ut Graece λεπτὰ πλοῖα. Vid. Plut. in Alcib. 28 et *minuta navis* in Catulli c. 25, 12.

§ 4. *De Ventidio πανικὸν puto* ɔ: de adventu Ventidii Bassi cum legionibus ex Oriente eiusque cum Antonio coniunctione falsum terrorem puto. Illud factum est anno sequenti post proelium Mutinense. Vid. Polionis epist. Fam. X. 33, 4 et Lepidi X. 34, 1.

De Sexto — ad arma. De Sexto Pompeio varii rumores ferebantur. Nam quum paulo ante diceretur adventare et ab armis non discedere, XV. 22, proxime scutum abiicere narrabatur XV. 29, 1. Itaque non mirum esset, nunc rursus eum dici *ad arma* iturum. Sed hoc si verum esset, bellum civile erat, nec Cicero poterat scribere *sine bello civili* esse serviendum. Ut haec, quae de Sexto nunc dicuntur, cum sequentibus quadrarent, Bosius correxit *haud arma,* pro quo Orellius malebat *haud ad arma.* Neutrum placet. Nihil melius vidi, quam de Klotzii coniectura *abiicere arma,* vel cum Wes. Em. alt. p. 142 *abiecisse arma.*

ad Kal. Ian. in Pansa spes? ɔ: „Spesne est Pansam Kalendis Ian. rem publicam defensurum," ut explicat Wesenbergius p. 116, qui putabat *ad* e cod. Z. recipiendum esse. Cum iis, quae sequuntur de Pansae Hirtiique languore et desidia comparari possunt, quae scribit Q. Cicero, Fam. XVI. 27.

§ 5. *De $\overline{CCX}$ optime* ɔ: quod attinet ad HS. $\overline{\text{CCX}}$, ea quae facta esse scribis, probo. Post haec verba recte distinxit Lambinus.

Ovius enim recens, cet. ɔ: Advenit Ovius quidam nuper Athenis, multaque mihi de filio nuntiavit, quae vellem.

in mandatis sat abunde. Seclusi haec

prorsus, sed Xenonem perexigue et γλίσχρως praebere. Quo plus permutasti quam ad fructum insularum, id ille annus habeat, in quem itineris sumptus accessit: hinc ex Kal. April. ad HS. LXXX. accommodetur — nunc enim insulae tantum —; videndum enim est quid, quum Romae erit; non enim puto socrum illam ferendam. Pindaro de Cumano negaram. 6. Nunc cuius rei causa tabellarium miserim accipe. Q. filius mihi pollicetur se Catonem; egit autem et pater et filius, ut tibi sponderem, sed ita, ut tum crederes, quum ipse cognosses. Huic ego litteras ipsius arbitratu dabo; eae te ne moverint. Has scripsi in eam partem, ne me motum putares. Dii faxint ut faciat ea, quae promittit! commune enim gaudium; sed ego — nihil dico amplius. Is hinc VII. Idus; ait enim attributionem in Idus, se autem urgeri acriter. Tu ex meis litteris quo modo respondeas moderabere. Plura, quum et Brutum videro et Erotem remittam. Atticae meae excusationem accipio eamque amo plurimum; cui et Piliae salutem.

auctore Wesenbergio p. 117, qui acute monet *in mandatis* adscriptum esse, ut explicarentur v. *in iis* et *sat abunde* ad *satis* — *affatim*. Iam reliqua male his verbis interrupta optime cohaerent. *id est minutatim* apertissimum glossema v. γλίσχρως male verbo *praebere* subiectum, dudum ab aliis notatum, frustra aliquo tamen modo a Mosero Symb. Crit. VII. p. 16 et a Mueckio p. 8 adn. 2 defensum, delevi.

affatim ɔ: plus quam satis. Cf. Tusc. II. 24. N. D. II. 127.

Xenonem. Cf. XIV. 16, 4.

Quo plus permutasti. Male hoc ab Ernesto sollicitatum vindicavit Madvigius Emend. I. p. 73, comparans Graecum ὅσῳ πλέον. — De mercede insularum, unde filio sumptus praeberi volebat, agitur XII. 32, 2 et XV. 20, 4.

ex Kal. April. Marcus filius, de cuius profectione in Graeciam agitur in epistolis mense Martio superioris anni scriptis XII. 24, 27, 32, Kal. April. annum Athenis degerat. Hoc altero anno ei ad HS. LXXX tribui vult pater, quoniam tantum ex mercede insularum redibat. Plus igitur ei concedit, quam satis esse affirmabat.

quid, quum Romae erit ɔ: quid ei praebere possim, quum Romae erit.

non enim puto socrum illam ferendam. Possunt haec accipi de Publilia matre, cuius filiam a Cicerone repudiatam nonnulli cum eo conciliare studebant. Sed verisimilius est, haec spectare ad conditionem aliquam Marco filio oblatam. Cf. Schuetz. ad h. l.

Pindaro de Cumano negaram ɔ: dixi Pindaro, procuratori hominis Romani, me Cumanum vendere nolle. Qua explicatione recte repressit Mongaltius Bosii Graeviique scripturam *P. decumano*. In XIV. 13, 5 de alia venditione agitur.

§ 6. *litteras — dabo*. Sunt eae, quae in vulgari serie quinto loco huius libri leguntur. Hinc intelligitur, quanta fides illis tribuenda sit. Cf. etiam ep. 3, 3.

in eam partem ɔ: eo consilio, eius rei causa, vel ut postea dici coeptum est *in id*. Cf. Hand. Turs. III. p. 323 et 327. Cicero de Q filio non melius sentiebat, quam antea; sciebat vulpem mutare pilum, non mores. Pro *commune enim gaudium* malim *commune erit gaudium*.

ait — attributionem in Idus, cet. ɔ: ait se a creditoribus urgeri, ut debitum solvat die constituto, et se delegaturum iis, qui solvant.

II. (*A. U. C.* 710.)

1. VI. Idus duas epistolas accepi, unam a meo tabellario, alteram

a Bruti. De Buthrotiis longe alia fama in his locis fuerat, sed cum aliis multis hoc ferendum. Erotem remisi citius, quam constitueram, ut esset, qui Hortensio, et quia † equibus quidem ait se Idibus constituisse. Hortensius vero impudenter; nihil enim debetur ei nisi ex tertia pensione, quae est Kal. Sext., ex qua pensione ipsa maior pars est ei soluta aliquanto ante diem; sed haec Eros videbit Idibus. De Publilio autem, quod perscribi oportet, moram non puto esse faciendam; sed quum videas, quantum de iure nostro decesserimus, qui de

ut esset, qui Hortensio et quia † equibus quidem ait se Idibus constituisse. His verbis et ob brevitatem et librariorum culpa valde obscuris multum lucis accendit Manutius, qui quum perspexisset de eadem re agi in ep. 6, 3 his verbis: *Coheredibus pro Cluviano Kal. Sext. persolutum ut sit,* haec ita fere exposuit: Cluvii heredes, quae sibi partes bonorum ex illa hereditate obvenerant, eas Ciceroni vendiderant, pacti ut pecunia sibi tribus pensionibus numeraretur. Ex iis Cicero duas solverat et maiorem etiam partem tertiae ante diem solutionis, qui erat Kal. Sext., ut impudenter faceret, qui quod in tertia pensione reliquum esset, ante diem postularet. Hactenus omnia recte procedunt. Sed in verbis adscriptis alia manent dubia. Et primum quidem cum Schuetzio dubitari potest an non pro *Hortensio* et *Hortensius* reponendum sit *Hordeonio* et *Hordeonius,* quem inter heredes Cluvii fuisse novimus ex ep. 46, 3 lib. XIII, quum Hortensius in hac re nusquam memoretur. Maiori etiam difficultate laborant verba *et quia equibus* (vel *equitibus*) *quidem* cet., in quibus sermonem esse *de Publilio* Manutio crediderunt Graevius et Orellius. Sed ne tangam summas difficultates criticas, quibus implicamur, si hanc sententiam tenemus, illud quidem nego duplicem causam, cur Erotem remiserit Romam, his verbis necessario aperiri debere, quoniam (quod Orellius urget) sequatur: *Hortensius vero — De Publilio autem.* Immo primum scribit de Hortensii negotio, tum ad aliud transit eiusdem generis, quare etiam ep. 6, 3 utrumque coniunxit. Nam et Hortensio et Publilio aliquid erat solvendum. Aliam viam iniit Schuetzius, qui suspicabatur scripsisse Ciceronem: *ut esset, qui Hortensio* (sc. *responderet*), *cui quidem ait se Idibus constituisse.* Verum quia ita non intelligitur, unde orta sit scriptura librorum, redeo ad coniecturam Iunii, a Graevio reiectam: *Ut esset qui Hortensio et coheredibus* (sc. *solveret*), *quibus quidem ait se Id. constituisse.* Huic certe lectioni non adversatur illud, quod de coheredibus in seqq. verbis siletur. Nam unus Hortensius petierat, ut ante diem solveretur. Ceterum *Idibus* esse *Quintilibus* constat, quum haec epistola scripta sit *a. d. V Id. Quint.,* ut ex notatione temporis initio huius § et § 4, coll. epist. 1, 1 et 4, 1 manifestum est.

De Publilio autem cet. Cf. ep. 6, 3. *Cum Publilio quomodo agendum sit videbis. Non debet urgere, quoniam iure non utimur; sed tamen ei quoque satisfieri plane volo.*

quod perscribi oportet ɔ: solvi per assignationem, ut hodie loquuntur. Copiose rem explicuit Gronovius Observ. IV. 9, breviter Ruhnkenius in Scholis ad Suet. Caes. c. 42. Non diversum est *rescribere,* quod statim sequitur, et quod Acron ad Hor. Sat. II. 3, 76 explicat *scripto debita liberare.*

quantum de iure nostro decesserimus. „Planum fit ex hoc loco, intra certam diem reddendam fuisse dotem ab iis, qui divortium fecerant. Cicero autem de suo iure decedens ante eam diem, exceptis $\overline{CC}$ HS., omnem dotem numeraverat." Sic Manutius, cuius explicatio verior videtur, quam Graeteri, qui longa disputatione (vol. VI. p. 471—76) efficere studet, non posse illam liberalitatem, quae non adeo magna esset, dici *tantam iuris iacturam,* sed suspicatur Ciceronem Publiliam demisisse ob adulterii suspicionem eique per legem (Iuliam scilicet ille tum nondum latam) licuisse dotis partem vel totam fortasse retinere, quo tamen iure uti noluerit. Cui opinioni quum multa alia obstant, quae nunc omitto, tum falsam esse docent coniunctivi *solverimus* et *rescribamus,* e quibus apparet relativam sententiam esse causalem.

residuis $\overline{\text{cccc}}$. HS. $\overline{\text{cc}}$. praesentia solverimus, reliqua rescribamus, loqui cum eo, si tibi videbitur, poteris eum commodum nostrum exspectare debere, quum tanta sit a nobis iactura facta iuris. 2. Sed amabo te, mi Attice — videsne, quam blande? — omnia nostra, quoad eris Romae, ita gerito, regito, gubernato, ut nihil a me exspectes: quamquam enim reliqua satis apta sunt ad solvendum, tamen fit saepe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus. Si quid eiusmodi acciderit, ne quid tibi sit fama mea potius; non modo versura, verum etiam venditione, si ita res coget, nos vindicabis. 3. Bruto tuae litterae gratae erant; fui enim apud illum multas horas in Neside, quum paulo ante tuas litteras accepissem. Delectari mihi Tereo videbatur et habere maiorem Attio quam Antonio gratiam; mihi autem quo laetiora sunt, eo plus stomachi et molestiae est populum Romanum manus suas non in defendenda re publica, sed in plaudendo consumere. Mihi quidem videntur istorum animi incendi etiam ad repraesentandam improbitatem suam; sed tamen *dummodo doleant aliquid*, *doleant quidlibet.* 4. Consilium meum quod ais quotidie magis laudari, non moleste fero, exspectabamque si quid de eo ad me scriberes: ego enim in varios sermones incidebam, quin etiam idcirco trahebam, ut quam diutissime integrum esset. Sed quoniam furcilla extrudimur, Brundisium cogito:

de residuis $\overline{\textit{CCCC}}$. Si igitur dos tribus pensionibus ut fiebat, reddita est, Publilia attulit $\overline{\text{CIↃCC}}$ HS., quod est centum et viginti milia florenorum, eaque merito a Plutarcho in Cic. 38 παῖς σφόδρα πλουσία appellatur.

reliqua rescribamus ɔ: per argentarium solvi iubeamus. Cf. Bentl. ad Hor. Ep. II. 1, 105.

commodum nostrum ɔ: tempus nobis opportunum, ut XIV. 2, 3.

§ 2. *videsne quam blande.* Mongaltius observat ex XII. 3, 1 causam huius dicti peti posse.

ut nihil a me exspectes ɔ: ut ex facultatibus tuis mihi subvenias, etiamsi res meae non patiantur me statim tibi reddere. Nam sequentia docent falli Manutium et Ernestum, quum interpretentur: ut me non consulas, sed ipse agas, ut tibi visum fuerit.

reliqua. Cf. XV. 15, 3. Paulo post *versura nos vindicabis* est: liberabis me pecunia mutua meo nomine sumpta. Si hoc fieri non poterat, cupit liberari praedio aliquo vendendo.

§ 3. *accepissem.* „Fort. *accepisset.*" Or. Perperam; neque enim Brutus acceperat Attici litteras, sed Cicero, quas ipse acceperat, Bruto recitavit.

Tereo, fabula L. Attii, cuius pauca fragmenta supersunt. De eadem re agitur infra 5, 1 et in Phil. I. 36 et X. 8.

habere maiorem Attio quam Antonio gratiam „ɔ: putare placuisse magis ludos populo ob ingenium poetae, quam quod curator eorum L. Antonius operam dederit ut placerent." Gronov.

ad repraesentandam improbitatem suam ɔ: ad maturanda improba consilia sua. Metaphoricum usum repraesentandi illustrat Gronovius de Sest. I. 6.

dummodo doleant cet. Versus ductus ex Afranii fabula incerta. Vid. Tusc. IV. 45 et 55, ubi de uno singularis *doleat* necessarius est. Hic ubi refertur ad Caesarianos codex Med., qui bis *doleant* habet, audiendus est, non Bouherius, qui transitivum usum huius verbi ignorasse videtur.

§ 4. *Consilium meum.* Cf. ep. 1, 3 h. l.

furcilla extrudimur. „Proverbii locum ob-

facilior enim et exploratior devitatio legionum fore videtur quam piratarum, qui apparere dicuntur. Sestius VI. Idus exspectabatur, sed non venerat, quod sciam. Cassius cum classicula sua venerat. Ego, quum eum vidissem, V. Idus in Pompeianum cogitabam, inde Aeculanum: nosti reliqua. 5. De Tutia ita putaram. De Aebutio non credo, nec tamen curo plus quam tu. Planco et Oppio scripsi equidem, quoniam rogaras, sed, si tibi videbitur, ne necesse habueris reddere — quum enim tua causa fecerint omnia, vereor, ne meas litteras supervacaneas arbitrentur —, Oppio quidem utique, quem tibi amicissimum cognovi; verum, ut voles. 6. Tu, quoniam scribis hiematurum te in Epiro, feceris mihi gratum, si ante eo veneris, quam mihi in Italiam te auctore veniendum est. Litteras ad me quam saepissime: si de rebus minus necessariis, aliquem nactus; sin autem erit quid maius, domo mittito. *Ἡρακλειδεῖον*, si Brundisium salvi, adoriemur. De Gloria misi tibi: custodies igitur, ut soles, sed notentur eclogarii, quos Salvius bonos auditores nactus in convivio dumtaxat legat: mihi valde placent; mallem tibi. Etiam atque etiam vale.

tinet, quo et Horatius usus est (Ep. I. 10, 24) *Naturam expellas furca, tamen usque recurret*, et Catullus (carm. XV) *Musae furcillis praecipitem eiiciunt* et Aristophanes in Pace (v. 637) *τήνδε μὲν δικροῖς ἐώθουν τὴν θεὸν κεκράγμασι* (Cf. Suidas in v. *δικροῖς*)" Lambinus.

devitatio non alibi hodie apud Tullium invenitur, qui verbo *devitare* usus est Verr. I. 8. Tusc. II. 62. Comparativus *exploratior* quoque hoc uno loco in Ciceronis scriptis legitur.

Cassius — venerat. Quum in ep. 4, 4 h. l., quae pridie scripta est, Cassii classem *plane bellam* appellarat, nunc per contemptum vocat *classiculam*, quasi ille non nisi paucas naves cogere potuisset.

Aeculanum. Cf. ad VII. 3, 1.

nosti reliqua ɔ: nosti reliqua loca, in quibus Brundisium tendens devertam.

§ 5. *De Tutia.* Cf. ad XV. 29, 2. De *Aebutio* nihil constat.

Planco et Oppio scripsi. Sine dubio de causa Buthrotia. Epistola ad Plancum annexa est ep. 16 h. l., signata lit. *B.*, ad Oppium periit. Nam quae sola ad eum superest epistola (Fam. XI. 29) hanc rem non tangit. Oppii responsum laudatur ep. 12, 1.

reddere — quum enim arbitrentur — Oppio cet. Sic verba distinxi, ne opus esset duram ellipsin statuere ad illa: *Oppio quidem utique.* Qui autem Moserus, Symb. Crit. VI. p. 14 potuerit dubitare de solita vetandi formula *ne — habueris*, et eius loco *nec — habueris*, proponere, non intelligo.

§ 6. *domo mittito* ɔ: aliquem ex tuis tabellarium mittito.

Ἡρακλειδεῖον. Cf. ad XV. 4, 3.

sed notentur eclogarii. Neque passivum *notentur*, nec quae sequuntur *quos — legat*, quae verba aperte cum his cohaerent, sinunt ut eclogarios h. l. excerptores dici putemus, eosve, quos Cicero in illis libris disputantes induxerat, ut F. Ursinus putabat. Omnino statuendum cum Mongaltio *eclogarios* sc. locos appellari eclogas vel locos insigniores, quae explicatio egregie confirmatur his verbis ex epist. 11, 1, quae ad idem opus de Gloria respicere videntur: *Nostrum opus tibi probari laetor; ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quae mihi florentiora sunt visa tuo iudicio.*

in convivio — legat „ex more veterum. Plin. Paneg. 49. Epp. III. 1 (8) et 5 (11). Martial. IV. 8." Gronov. Salvium Attici librarium novimus e XIII. 44, 3. Idem hic prodit anagnosta.

III. (*A. U. C.* 710.)

1. Tu vero sapienter — nunc demum enim rescribo iis litteris, quas mihi misisti convento Antonio Tiburi — sapienter igitur, quod manus dedisti quodque etiam ultro gratias egisti; certe enim, ut scribis, deseremur ocius a re publica quam a re familiari. Quod vero scribis te magis et magis delectare O TITE SI QVID EGO, auges mihi scribendi alacritatem. Quod Erotem non sine munusculo exspectare dicis, gaudeo non fefellisse eam rem opinionem tuam, sed tamen idem *σύνταγμα* misi ad te retractatius, et quidem *ἀρχέτυπον* ipsum crebris locis inculcatum et refectum. Hunc tu tralatum in macrocollum lege arcano convivis tuis, sed, si me amas, hilaris et bene acceptis, ne in me stomachum erumpant, quum sint tibi irati. 2. De Cicerone, velim ita sit, ut audimus. De Xenone, coram cognoscam, quamquam nihil ab eo arbitror neque indiligenter neque illiberaliter. De Herode, faciam ut mandas, et ea, quae scribis, ex Saufeio et e Xenone cognoscam. 3. De Q. filio, gaudeo tibi meas litteras prius a tabellario meo quam ab ipso redditas, quamquam te nihil fefellisset; verumtamen —. Sed exspecto, quid ille tecum, quid tu vicissim, nec dubito quin suo more uterque; sed eas litteras Curium mihi spero redditurum, qui quidem

§ 1. *Tu vero sapienter — nunc demum..... Tiburi — sapienter igitur* cet. Ita distinguendum esse docent plurimi loci, ubi sententia aliis verbis interrupta plane eodem instauratur modo.

quod manus dedisti ɔ: quod Antonio non restitisti, sed eius voluntati paruisti. Cf. II. 22, 2. Atticus insuper gratias egerat Antonio, *qui finis omnium cum dominante sermonum*, ut scribit Tacitus Ann. XIV. 56. Si quaeritur qua de re agatur, nil melius vidi suspicione Schuetzii tangi consilium L. Antonii occupandi agri Tusculani, sed parcendi villae Ciceronis. Cf. XV. 8, 2 et 12, 2.

deseremur ocius. Redii ad scripturam editionum ante Victorium et a Lambino probatam, quum *potius*, quod nulla libri Ms. auctoritate nititur (in Med. est *otius*), mentem Attici corrumpere videatur, nisi cum Ernesto seqq. transponas *a re familiari quam a re publica*, quod quam temerarium sit apparet. Atticus scripserat: Antonio cessi, quoniam videbam citius rem p. perituram, quam nos destitutum iri bonis nostris. *Ocius* sic ponitur Tusc. IV. 32, de R. P. VI. 29.

O Tite si quid ego ɔ: librum meum de senectute, cuius hoc est initium. Cf. ep. 11, 3. Cum B. W. *delectare* scripsi pro *delectari*, quod illud O TITE nominativus vel accusativus esse potest, sed non ablativi loco poni.

idem σύνταγμα de Gloria, ut apparet ex epist. 2 extr.

inculcatum. Nove dictum et sine exemplo pro *auctum* vel *exornatum*.

tralatum in macrocollum. Cf. ad XIII. 25, 3.

ne in me stomachum erumpant. Erumpere transitive dictum pro *emittere* illustrat Gron. ad Liv. XXXVI. 7, 13.

§ 2. *De Cicerone* ɔ: de filio meo. Cf. ep. 1, 5, unde lucem accipiunt quoque, quae de Xenone h. l. referuntur. Herodem, Marci filii magistrum, iam cognovimus.

§ 3. *De Q. filio,* cet. Cf. ad ep. 1, 6 h. l.

suo more uterque sc. tu graviter, ille simulate.

Curium puto esse eundem, quem in epistolis 2 et 3 lib. VII laudavit et ad quem scriptae sunt epp. 23 seqq. libri VII Fam.

mihi spero. Quod e Med. notatur *in yspero* magis commendat *mihi*, quam contractum *mi*.

etsi per se est amabilis a meque diligitur, tamen accedet magnus cumulus commendationis tuae. 4. Litteris tuis satis responsum est; nunc audi quod, etsi intelligo scribi necesse non esse, scribo tamen: multa me movent in discessu, imprimis mehercule, quod diiungor a te; movet etiam navigationis labor, alienus non ab aetate solum nostra verum etiam a dignitate, tempusque discessus subabsurdum; relinquimus enim pacem, ut ab bellum revertamur, quodque temporis in praediolis nostris et belle aedificatis et satis amoenis consumi potuit, in peregrinatione consumimus. Consolantur haec: aut proderimus aliquid Ciceroni aut, quantum profici possit, iudicabimus; deinde tu iam, ut spero et ut promittis, aderis, quod quidem si acciderit, omnia nobis erunt meliora. 5. Maxime autem me angit ratio reliquorum meorum, quae quamquam explicata sunt, tamen, quod et Dolabellae nomen in iis est et † attributione mihi nomina ignota, conturbor, nec me ulla res magis angit ex omnibus. Itaque non mihi videor errasse, quod ad Balbum scripsi apertius, ut, si quid tale accidisset, ut non concurrerent nomina, subveniret, meque tibi etiam mandasse, ut, si quid eiusmodi accidisset, cum eo communicares: quod facies, si tibi videbitur, eoque magis, si proficisceris in Epirum. 6. Haec ego conscendens e Pompeiano tribus actuariolis decemscalmis. Brutus erat in Neside etiamnunc, Neapoli Cassius. Ecquid amas Deiotarum et non amas Hieram? qui, ut Blesamius venit ad me, quum ei praescriptum esset, ne quid sine Sexti

accedet sc. quando Curium ad me mittes cum litteris, quibus eum commendas. Futurum e Med. Klotzius recte revocavit.

§ 4. *subabsurdum.* Hac voce Ciceronem usum esse observat Quintilianus I. O. I. 5, 65. Legitur iterum de Or. II. 274.

§ 5. *et attributione mihi nomina ignota.* Kahntius Symb. Crit. p. 11 difficultatem, quae in his verbis inest, sustulisse sibi videtur transponendo *attributione et mihi n. ign.* Mihi vero sic vulnus gravari videtur. Ablativo tamen et ipse offendor, scribendumque credo: *et ex attributione* cet. *Ex* facilius a librariis omitti pouttuit quam *in*, ut Ernestus addebat, et sententiae melius etiam convenit. Alia ratione haec temptavit Huschkius (Zeitschr. f. gesch. Rechtsw. XIV. 1, p. 44 in adn. 7) scribens: *et attributio nectit mihi nomina ignota;* quod mihi quidem non probatur. De Dolabellae debito cf. imprimis XIV. 18, 1 et de attributione XV. 13, 5. Fam. XVI. 24.

ut non concurrerent nomina ɔ: ut ii, qui mihi deberent, non responderent ad illud tempus, quo mihi pecunia opus esset.

§ 6. *decemscalmis. Scalmus,* unde Gallicum *escaume,* est paxillus in margine navis, cui remus loro alligatur, ne in impellendo et reducendo frustra remiges laborent. Recte autem Orellius Victorium secutus est coniunctim scribentem *decemscalmis,* ut sit adiectivum, quo declaretur magnitudo actuariolarum. Seiunctim scripsisset *decem scalmorum,* ut de Orat. I. 174 scripsit *duorum scalmorum naviculam.*

Ecquid amas Deiotarum, cet. Hieras et Blesamius erant legati regii, qui memorantur in orat. p. Deiot. 41 sq. et quos in Phil. II. 95 nomine suppresso appellat *viros bonos, sed timidos et imperitos,* quia *sine reliquorum hospitum regis sententia* per Fulviam (vid. XIV. 12, 1) Armeniam regi suo receperant, syngrapha HS centies M. Antonio oblata. Eodem respici in verbis his vidit Manutius,

nostri sententia ageret, neque ad illum neque ad quemquam nostrum rettulit. Atticam nostram cupio absentem suaviari; ita mihi dulcis salus visa est per te missa ab illa; referes igitur ei plurimam itemque Piliae dicas velim.

cui credimus quoque haec ironice accipienda esse. *Sextus noster* videtur esse Peducaeus. Cf. XIII. 1, 3.

absentem. Retinui vocem a Cratandro e codice suo additam, etsi liber Med. non agnoscit. Suspicor Ciceronem scripsisse *absens absentem.* Cf. Verg. Aen. IV. 83 *illum absens absentem auditque videtque.* Ter. Ad. IV. 5, 34 *Quum hanc sibi videbit praesens praesentem eripi.*

IV. (*A. U. C.* 710.)

1. Ita ut heri tibi narravi vel fortasse hodie — Quintus enim altero die se aiebat — in Nesida VIII. Idus. Ibi Brutus. Quam ille doluit de Nonis Iuliis! mirifice est conturbatus: itaque sese scripturum aiebat, ut venationem eam, quae postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent (in) III. IDUS QVINTILES. Libo intervenit: is Philonem Pompeii libertum et Hilarum suum libertum venisse a Sexto cum litteris ad consules sive quo alio nomine sunt: earum exemplum nobis legit, si quid videretur. Pauca παρὰ λέξιν, ceteroqui et satis graviter et non contumaciter: tantum addi placuit, quod erat coss. solum, ut esset PRAETT. TRIBB. PLEB. SENATVI, ne illi non proferrent eas, quae ad ipsos missae essent. 2. Sextum autem nuntiant cum una solum legione fuisse Karthagine, eique eo ipso die, quo oppidum Baream

§ 1. *heri tibi narravi vel fortasse hodie.* Sic scribit dubitans, utrum Atticus litteras VIII Id. datas (supra ep. 1) pridie, quam haec scriberet, an hoc ipso die demum accepisset.

Q. enim altero die se aiebat. Quintus filius e Puteolano profecturus erat VI Idus. Vid. ep. 1, 6.

proscriberent (in) III Id. Quint. Praepositionem ante numeri notam omissam supplevit Wesenberg. Emend. p. 107.

Libo. Erat hic S. Pompeii socer et frater Scriboniae, quam postea duxit Octavianus. Appian. B. C. V. 52 sq.

sive quo alio nomine sunt. Indicativus indicat haec esse Ciceronis, qui Antonium et Dolabellam consulum nomine vix dignos iudicabat, propterea quod non liberis populi suffragiis creati erant, sed e Caesaris iussu renuntiati. Cf. Phil. II. 79.

si quid videretur. Ernestus explicat: „ut, si quid videretur mutandum, diceremus.” Quod tamen in verbis ipsis non inest. *Si quid videretur* est: si quid placeret.

παρὰ λέξιν, praeter loquendi usum, minus proprie dicta.

§ 2. *Karthagine* sc. Nova, unde non adeo longe meridiem versus distabat oppidum *Barea,* hodie *Vera,* quod nomen reposui pro *Boream.* Utraque autem urbs, Karthago et Barea, sita erat in Hispania citeriore, ut constat e Plinio, qui H. N. III. 1, 9 Murgin fl. Baeticae s. ulterioris finem facit et inter oppida citerioris Hispaniae orae maritimae proxima a fl. Murgi progressus secundo loco nominat *Baream,* quamvis illo tempore Baeticae adscri; tum III. 3, 19. Quod ipsum correctionem meam egregie confirmat; nam Karthagine Sextus in ulteriorem Hispaniam revertisse dicitur. Hinc apparet Turnebi

cepisset, nuntiatum esse de Caesare; capto oppido miram laetitiam commutationemque animorum concursumque undique, sed illum ad sex legiones, quas in ulteriore reliquisset, revertisse. Ad ipsum autem Libonem scripsit nihil esse, nisi ad larem suum liceret. Summa postulatorum, ut omnes exercitus dimittantur, qui ubique sint. Haec fere de Sexto. 3. De Buthrotiis undique quaerens nihil reperiebam: alii concisos agripetas, alii Plancum acceptis nummis relictis illis aufugisse. Itaque non video sciturum me quid eius sit, ni statim aliquid litterarum. 4. Iter illud Brundisium, de quo dubitabam, sublatum videtur: legiones enim adventare dicuntur; haec autem navigatio habet quasdam suspiciones periculi. Itaque constituebam uti ὁμοπλοίᾳ. Paratiorem offendi Brutum, quam audiebam: nam et ipse Domitius bona plane habet dicrota suntque navigia praeterea luculenta Sestii, Buciliani, ceterorum: nam Cassii classem, quae plane bella est, non numero ultra fretum. Illud est mihi submolestum, quod parum Brutus properare videtur: primum confectorum ludorum nuntios exspectat, deinde, quantum intelligo, tarde est navigaturus, consistens in locis pluribus. Tamen arbitror esse commodius tarde navigare quam omnino non navigare et, si, quum processerimus, exploratiora videbuntur, etesiis utemur.

Eboram, Lusitaniae oppidum, omnino hinc alienum esse, nec quicquam tribuendum esse levissimae Schuetzii suspicioni *Boream* in *Bigerram* mutantis.

in ulteriore Hispania, quod ut in re nota sine incommodo omitti poterat.

scripsit nihil esse, nisi ad larem suum liceret ɔ: negavit se arma abiecturum, nisi bona patria sibi restituerentur.

§ 3. *quid eius sit* ɔ: quid eius rei sit, verane sit an falsa. Praecisam locutionem exemplis Terentianis ex Eun. I. 2, 122, Heaut. III. 3, 10. V. 2, 8. Hec. III. 2, 3 illustravit Manutius ad Cic. Verr. V. 25 extr., ubi legitur: *quid eius sit, vos coniectura assequi debetis.* Genitivus pendet a verbo, non a pronomine, ut in his Livii III. 17, 2. *Quid hoc rei est?* Plane respondet nostrum: *wat daarvan is.*

§ 4. *legiones adventare dicuntur.* Falsum fuisse rumorem apparet ex epistola ad Cornificium, Fam. XII. 23, 2, ubi legimus Antonium a. d. VII. Id. Oct. legionibus Macedonicis obviam iisse.

haec navigatio, „Puteolis instituenda." Corradus.

et ipse — habet dicrota suntque. Paulo negligentius alterum membrum priori additur particula *que*, quum requiratur *et*. Cf. de hac licentia Madv. ad V. de Fin. 64.

dicrota. Cf. ad V. 11, 4. Proprie sunt *dupliciter pulsantes*, quae impelluntur duplici remorum ordine.

non numero ultra fretum ɔ: Cassii classe uti non possum ultra fretum Siculum, quod ille Syriam, non ut Brutus et reliqui, quos modo nominavit, Graeciam petet. Cf. Appian. B. C. III. 24.

si — utemur ɔ: si in cursu cognoverimus maria non infestari a piratis, Brutum relinquemus et celerius navigabimus, etesiis usi.

V. (*A. U. C.* 710.)

1. Tuas iam litteras Brutus exspectabat, cui quidem ego [non] novum attuleram de Tereo Attii — ille Brutum putabat —; sed tamen rumoris nescio quid afflaverat commissione Graecorum frequentiam non fuisse; quod quidem me minime fefellit: scis enim quid ego de Graecis ludis existimem. 2. Nunc audi quod pluris est quam omnia: Quintus fuit mecum dies complures, et, si ego cuperem, ille vel plures fuisset, sed, quantum fuit, incredibile est quam me in omni genere delectarit, in eoque maxime, in quo minime satisfaciebat. Sic enim commutatus est totus et scriptis meis quibusdam, quae in manibus habebam, et assiduitate orationis et praeceptis, ut tali animo in rem publicam, quali nos volumus, futurus sit. Hoc quum mihi non modo confirmasset, sed etiam persuasisset, egit mecum accurate multis verbis tibi ut sponderem se dignum et te et nobis futurum, neque se postulare ut statim crederes, sed, quum ipse perspexisses, tum ut se amares. Quodnisi fidem mihi fecisset iudicassemque hoc, quod dico, firmum fore, non fecissem id, quod dicturus sum: duxi enim mecum adolescentem ad Brutum. Sic ei probatum est quod ad te scribo, ut ipse crediderit, me sponsorem accipere noluerit eumque laudans amicissime mentionem tui fecerit, complexus osculatusque dimiserit. Quamobrem etsi magis est quod gratuler tibi, quam quod te rogem, tamen etiam rogo ut, si quae minus antea propter infirmitatem aetatis constanter ab eo fieri videbantur, ea iudices illum abiecisse, mihique credas mul-

§ 1. [*non*] *novum*. *Non* ortum videtur e repetita priore syllaba v. *novum*, nec opus est ut cum Orellio corrigamus *nuntium novum*, quum *afferre* habeat nonnunquam vim nuntiandi. Cf. Att. V. 14, 1. XVI. 6, 2. 7, 1. Fam. X. 20, 1. Klotz. 2. correxit *hoc novum*.

de Tereo Attii. Cf. ep. 2, 3 h. l. Nomen poëtae fuisse *L. Attium*, non ut saepe legitur *Accium*, satis demonstratum est. Vid. Osanni Anal. Crit. p. 61. Madvigii Op. Acad. I. p. 96, Weichert de L. Vario p. 9.

ille Brutum putabat. M. Brutus putabat non Tereum Attii, sed eiusdem Brutum actam fuisse. Huius fabulae praetextatae fragmenta collegerunt Neukirch, de fabula togata Rom. p. 83—89 et Ribbeckius Trag. Lat. reliq. p. 238 seqq.

commissione Graecorum. Cf. Fam. VII. 1, 3 ubi ludi Graeci opponuntur Oscis. Ludi erant scaenici, in quibus fabulae Graecae agebantur. Cf. Bernhardy, Grundr. d. röm. Liter. p. 344 ed. sec. De fabulis e Graeco in Latinum sermonem conversis, ut erat Tereus, cogitare non licet. Cicero autem non magis quam Marius Graecos ludos amasse videtur.

§ 2. Cff. ea, quae monuimus ad ep. 1, 6 h. l.

quantum fuit. Lambinus et Ernestus corr. *quamdiu fuit*, Moserus Symb. Crit. VI. p. 13. *quantum quantum*, coll. XII. 23, 3, ubi Cicero usus est genetivo pretii *quanti quanti*. Illud tamen verius puto.

quae in manibus habebam ɔ: in quibus scribendis occupatus eram. Cf. XIII. 47, 1. Tusc. V. 18. Videtur respicere libros de Officiis.

tum allaturam vel plurimum potius ad illius iudicium confirmandum auctoritatem tuam. 3. Bruto quum saepe iniecissem de ὁμοπλοίᾳ, non perinde, atque ego putaram, arripere visus est: existimabam μετεωρότερον esse, et hercule erat, et maxime de ludis. At mihi, quum ad villam redissem, Cn. Lucceius, qui multum utitur Bruto, narravit illum valde morari non tergiversantem, sed exspectantem, si qui forte casus. Itaque dubito an Venusiam tendam et ibi exspectem de legionibus: si aberunt, ut quidam arbitrantur, Hydruntem, si neutrum erit ἀσφαλές, eodem revertar. Iocari me putas? moriar, si quisquam me tenet praeter te; etenim circumspice, sed † ante erubesco. 4. O dies in auspiciis Lepidi (lepide) descriptos et apte ad consilium reditus nostri! Magna ῥοπὴ ad proficiscendum (in) tuis litteris, atque utinam te illic! sed ut conducere putabis. 5. Nepotis epistolam exspecto. Cupidus ille meorum, qui ea, quibus maxime γαυριῶ, legenda

§ 3. *quum saepe iniecissem. Iniicere* absolute ponitur pro obiter mentionem rei facere. Vid. Fam. XII. 16, 2, p. Quint. 68, p. Tullio, 35. Similiter simplex *iacere,* de quo egit Kritzius ad Sal. Iug. 11, 5.

de ὁμοπλοίᾳ. Cf. ep. 1, 3 h. l.

existimabam μετεωρότερον *esse* ɔ: putabam animum habere magis occupatum in aliis rebus, ut Cobetus interpretatur in Mnemosynes N. S. VII p. 23.

de legionibus. Vid. XV. 21, 3 et XVI. 4, 4.

si neutrum erit ἀσφαλές, *eodem revertar* ɔ: si neque Brundisium, neque Hydruntem me tuto conferre potero, revertar in eum locum, ubi nunc sum, Puteolos.

etenim circumspice, sed † ante erubesco. Ita Med. Sed haec significare posse, quod multi volunt, *in os tuum* vel *ante oculos tibi dicere erubesco,* pernegamus. Possunt si Cicero scripsit ἄντα ɔ: *coram.* Nil iuvat, quod e margine Crat. affertur: *sed antequam erubesco,* nec Moseri explicatio, Symb. Crit. VII. p. 16.

§ 4. *O dies in auspiciis Lepidi lepide descriptos.* M. Lepidus, pontifex maximus in C. Caesaris locum furto creatus (Vell. Pat. II. 62), dies indicarat, quibus augures ad auspicia capienda adesse deberent. Conveniebant ad consilium reditus Ciceronis. *Lepide* additur de certa Malaspinae correctione, non ut Orellius scribit e cod. Faerni.

in tuis litteris. Praepositionem addidi e coni. Orellii probata Wesenbergio p. 46. Cf. Moseri Symb. Crit. VIII. p. 19.

§ 5. *Nepotis.* Fuerunt, qui agi putarent de Q. Metello Nepote, qui aliquoties memoratur in epistolis a. 696 et 697 scriptis. Sed etiamsi ille a. 700 inter Scauri laudatores fuerit, teste Asconio in Scaur. p. 28, tamen post tam diuturnum silentium statuere licet iam obiisse et certe non is erat, quem Cicero eximie laudaret. At nihil obstat, quominus Cornelium Nepotem indicari statuamus, quem constat ante a. 707 Chronicorum libros tres edidisse (Catull. I. 1), quo opere inclaruerat, et quem Ciceronis familiarem fuisse e Suetonio (Caes. 55), Macrobio (Sat. II. 1) aliisque scimus.

meorum. Rectius haec a Rinckio, Proleg. ad Aem. Probum a Rothio editum, p. L, referuntur ad scripta Ciceronis historica, a Nepote vehementer desiderata, quam a Scioppio Parad. Liter. ep. 5, aliisque ad epistolas. Nam si ea quae sequuntur cum Nepotis mentione coniungenda erant, Cicero non scripsisset: *Mearum epistolarum,* cet, sed potius: *Mearum autem epistolarum.* Pro *meorum,* si hoc voluisset, *mearum* dici oportuisse non credo (Vid. Rinck. l. l. et Moseri Symb. Crit. VII. p. 17 seq.); nam epistolae quoque communi *scriptorum* nomine includi poterant.

ea quibus maxime γαυριῶ. Etiam in his explicandis dissentiunt viri docti. Heusingerus propter locum Nepotis apud Lactantium div. inst. III. 15, 10, in quo philosophiae contemptum reperiri putabat, haec verba ad scripta Tullii de philosophia referebat. Sed ut recte vidit Rinckius p. LI eo loco non carpitur vera philosophia, sed ii tantum, qui

non putet? Et ais, »μετ' ἀμύμονα." Tu vero ἀμύμων, ille quidem ἄμβροτος. Mearum epistolarum nulla est συναγωγή, sed habet Tiro instar septuaginta, et quidem sunt a te quaedam sumendae. Eas ego oportet perspiciam, corrigam; tum denique edentur.

philosophos se esse simulent, quum in omnium libidinum cupiditate vivant. Quin Nepos in aliquo fragmento Ciceronem laudat eo nomine, *quod philosophiam ante eum incomptam Latinam sua conformavit oratione.* Quum autem alibi Nepos scripsisse tradatur *locupletem naturam non uni omnia dare voluisse,* acute Rinckius suspicatur intelligenda esse poëmata. Cum Rinckio facit Herm. Peck in disq. de scriptore vitarum exc. imper., inserta Tabulario Philol. et Paedag. X. 1, p. 86, ubi copiose h. l. explicavit.

et ais ἀμύμονα. Respicit „Homerum, qui Aiacem fortissimum describit τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα. Atticus igitur Ciceroni scripserat, Nepotem alterum a Cicerone esse, ut Aiacem ab Achille; cui respondet Cicero, Atticum cum Achille, Nepotem vero cum numine comparari oportere, sibi locum Aiacis tacite relinquens." Rinck. p. L. Adiicere potuisset vere et ex animi sententia sic scribere potuisse Ciceronem, si hic agi de scriptis historicis statuas, in quo genere Nepos insignem, Atticus non exiguam laudem meruerat, quum in eo Cicero nondum elaboravisset, sed, si vellet, aliquid dignum efficere posse videretur. Cf. Cic. Leg. I, 2. Non audiendus igitur Peckius, qui l. l. metuens ne Cicero Nepoti nimiam laudem tribueret, haec ita corrigenda putabat: *Tu vero* ἀμύμων *ille, quin dicam* ἄμβροτος.

habet Tiro instar septuaginta. Vocabulum *instar,* quod fere similitudinem vel speciem indicat, apud probatos scriptores cum numeralibus ita coniungitur, ut *circiter* illum numerum adfuisse indicet. Vorstius de Latin. selecta p. 24 seqq. de hoc vocabulo egit, citavitque Varr. de R. R. I. 1 *de Graecis libris — adiecit non pauca et de Magonis dempsit instar librorum octo.* Hirtium bell. Alex. 19. *Caesar cohortium trium instar in terram exposuerat.* Vell. Pat. II. 20, 4 *Cinna triginta legionum instar impleverat.* Colum II. 5 *acervi stercoris instar quinque modiorum disponentur.* Addo Catulli epigr. CXV. v. 1 *Mentula habet instar triginta iugera prati.* Non igitur est, cur hunc usum Ciceroni denegemus, etsi hoc uno loco nunc invenitur, neque scriptura cod. Med. *inistar* mihi persuadet, ut aliquid corrupti hic latere putem. *Equidem* cod. Med. hic, ut XIII. 26, 1, in *et quidem* mutari debet.

tum denique. Cf. ad I. 6, 2.

VI. (*A. U. C.* 710.)

1. Ego adhuc — perveni enim Vibonem ad Siccam — magis commode quam strenue navigavi; remis enim magnam partem, prodromi nulli. Illud satis opportune: duo sinus fuerunt, quos tramitti oporteret, Paestanus et Vibonensis; utrumque pedibus aequis tramisimus.

§ 1. *ad Siccam.* De eo vid. ad III. 2.

prodromi appellantur Aquilones, qui Caniculae exortum diebus ferme octo praecedunt, et quos excipiunt Etesiae. Plin. H. N. II. 123.

pedibus aequis. Quum in Med. et Z. sit *pedibus equis,* nulla fides habenda est libris, qui *equis* omittunt. Sed quum natura sinus Paestani et Vibonensis vetat, quominus *terrestri itinere* transeantur, verissime correxit Salmasius Exerc. Plin. p. 400 apud Macrobium, qui Saturn. VI. 4, 9 haec verba citavit. Pedes quum sint proprie funes ad angulos velorum pro ipsis velis ponuntur et *pedibus aequis* navigamus, quum ventus aequaliter velorum sinus implet. Vergilius Aen. IV. 587 dixit *aequatis* classem procedere *velis.*

Veni igitur ad Siccam octavo die e Pompeiano, quum unum diem Veliae constitissem, ubi qnidem fui sane libenter apud Talnam nostrum nec potui accipi, illo absente praesertim, liberalius. IX. Kal. igitur ad Siccam: ibi tamquam domi meae scilicet; itaque obduxi posterum diem. Sed putabam, quum Regium venissem, fore ut illic δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες cogitaremus corbitane Patras an actuariolis ad Leucopetras Tarentinorum, † ast inde Corcyram, et, si oneraria, statimne freto an Syracusis: hac super re scribam ad te Regio. 2. Mehercule, mi Attice, saepe mecum, ἢ δευῤ ὁδός σοι τί δύναται; cur ego tecum non sum? cur ocellos Italiae, villulas meas non video? sed id (satis) superque, tecum me non esse, quid fugientem? periculumne? at id nunc quidem, nisi fallor, nullum est. Ad ipsum enim revocat me auctoritas tua; scribis enim in caelum ferri profectionem meam, sed ita, si ante Kal. Ian. redeam; quod quidem certe enitar. Malo enim vel cum timore domi esse quam sine timore Athenis tuis; sed tamen prospice quo ista vergant, mihique aut scribe aut, quod multo malim,

Veliae. Inde dedit epistolam ad Trebatium (Fam. XII, 20) subscriptam XIII Kal. Sext. Sed temere aliquis indicatus apud Or. ed. 1. inde coniecit non *apud Talnam,* sed apud *Testam* Ciceronem Veliae fuisse. De Talna vid. ad XIII. 29, 1.

obduxi posterum diem ɔ: addidi unum diem, profectionem distuli. Verbum hac vi rarum illustravit Menckenius in Obss. Lat. linguae p. 668 sq. interpretans *longius ducere* ac *protrahere.*

Regium scripsi, non Rhegium, secutus auctoritatem cod. Med. h. l. et Fam. XII. 25, 3. Alii ut in Graeco nomine *Rhegium* scribere malunt, ut Varro apud Nonium p. 203 et apud Valerium Probum p. 4 ed. Keil. et Plinius H. N. III. 87. In eiusdem l. XXXIV. 59 et 60 codex Bambergensis servat *Reginus,* et XXXV. 164 *regum* ostendit scribendum esse *Regium,* quod palimpsestus Veronensis XII. 7 praebet.

δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες. Cf. h. l. 13 a., 1. Respicitur Homerus in Od. III. 169.

corbita „genus navigii tardum et grande." Nonius. Apud Plautum in Poenulo opp. *celoci.* Paulo post eadem vocatur *oneraria.* Quum velis agerentur tardae erant in mari tranquillo, ut ait Plautus in eadem fabula III. 1, 4.

ad Leucopetras Tarentinorum. Has diversas credo esse ab ea Leucopetra, quae memoratur in ep. seq. et promunturium agri Regini dicitur Phil. I. 7, ex quo loco Ciceronis iter cognoscere licet.

ast inde. Lamb. corr. *atque inde,* quod probo. Nam si vel maxime usus part. *ast* Ciceroni concedatur, tamen adversativam particulam sententia respuit.

freto ɔ: per fretum traiicerem in Graeciam.

§ 2. ἢ δεῦῤ ὁδὸς κτλ. Cf. XV. 11. 3.

ocellos Italiae. Elegantiam huius metaphorae illustravit P. Victorius, Var. Lect. IX. 9, similia citans e Catullo, qui carm. 31 Sirmionem appellat *insularum ocellum,* aliisque.

Ad ipsum enim revocat me auctoritas tua. Schuetzius scripsit *autem* pro *enim,* verbaque Ernesto non intellecta ita explicat: „Nunc quidem nullum video esse periculum, cuius causa fugiam; tu vero me revocas ad id tempus, quo in ipsum periculum incidam." comparans ex ep. 7, 2 haec verba: *Ita fiebat ut, dum minus periculi videretur, abessem, in flammam ipsam venirem.* Sed *enim* servari debet, ut aliis in locis ubi editores *autem* substituerunt. Cf. Handii Turs. II. p. 382 sq.

quod — enitar. Cf. Fam. IX. 13, 4 *quod ut enitare contendasque — te etiam atque etiam rogo.* Ante *haec hactenus* cum W. ad-

affer ipse. (Sed) haec hactenus. 3. Illud velim in bonam partem accipias me agere tecum, quod tibi maiori curae sciam esse quam ipsi mihi: nomina mea, per deos, expedi, exsolve. Bella reliqua reliqui, sed opus est diligentia, coheredibus pro Cluviano Kal. Sext. persolutum ut sit. Cum Publilio quo modo agendum sit videbis: non debet urgere, quoniam iure non utimur, sed tamen ei quoque satisfieri plane volo. Terentiae vero, quid ego dicam? etiam ante diem, si potes, quin, si, ut spero, celeriter in Epirum, hoc, quod satisdato debeo, peto a te ut ante provideas planeque expedias et solutum relinquas. 4. Sed de his satis, metuoque ne tu nimium putes. Nunc negligentiam meam cognosce: De Gloria librum ad te misi; at in eo prooemium id est, quod in Academico tertio. Id evenit ob eam rem, quod habeo volumen prooemiorum: ex eo eligere soleo, quum aliquod σύγγραμμα institui; itaque iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto prooemio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. Quum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum; itaque statim novum prooemium exaravi et tibi misi: tu illud desecabis, hoc agglutinabis. Piliae salutem dices et Atticae, deliciis atque amoribus meis.

didi *sed,* ut solet Cicero facere in hac formula.

§ 3. Cf. adnot. ad ep. 2, 1 h. l.

persolutum ut sit. Orellius, quem sequitur Klotzius, haec ita distinxit, ac si haec, ut ea quae sequuntur, penderent a *videbis.* Veriorem puto superiorum editorum distinctionem eamque revocavi.

si — celeriter in Epirum sc. profecturus es.

quod satisdato debeo. „Satisdato debet, qui pro alio cavit idonea cautione [vel qui spopondit pro alio se soluturum]. Videtur intelligere Montani nomen, pro quo se soluturum spoponderat, ep. 15, 5 h. l." Gron.

§ 4. *prooemium id est, quod* cet. Pro *id* potius scribendum esse *idem* W. intellexit.

volumen prooemiorum. Sic quoque Demosthenes prooemia composuisse putatur, quibus deinde uteretur. Sed in iis quae supersunt rhetoris manum facile agnoscas.

exaravi et tibi misi. Rectius ita est in ant. editt., quam ut recentiores scripserunt sine copula. In Med. vitiose scriptum est *exaravit tibi.*

VII. (*A. U. C.* 710.)

1. VIII. Id. Sext. quum a Leucopetra profectus — inde enim tramittebam — stadia circiter CCC. processissem, reiectus sum austro vehementi ad eandem Leucopetram. Ibi quum ventum exspectarem, — erat

§ 1. Commentarii instar sunt, quae dixit Cicero Phil. I. 7 et 8.

stadia circiter CCC. In spatio cursus maritimi definiendo veteres per stadia computabant. cf. Fam. XVI. 2. Acad. II. 100. Trecenta stadia respondent quatuor milibus passuum.

austro vehementi. Auster, qui ab Horatio III. 1, 5 appellatur *dux inquieti turbidus Hadriae,* saevit saepius in illo tractu. A

enim villa Valerii nostri, ut familiariter essem et libenter — Regini quidam, illustres homines, eo venerunt Roma sane recentes, in iis Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset. Haec afferebant: edictum Bruti et Cassii, et fore frequentem senatum Kalendis, a Bruto et Cassio litteras missas ad consulares et praetorios, ut adessent rogare. Summam spem nuntiabant fore ut Antonius cederet, res conveniret, nostri Romam redirent; addebant etiam me desiderari, subaccusari. Quae quum audissem, sine ulla dubitatione abieci consilium profectionis, quo mehercule ne antea quidem delectabar; 2. lectis vero tuis litteris, admiratus equidem sum te tam vehementer sententiam commutasse, sed non sine causa arbitrabar. Etsi quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meae, approbator certe fuisti, dummodo Kal. Ian. Romae essem; ita fiebat, ut, dum minus periculi videretur, abessem, in flammam ipsam venirem. Sed haec, etiamsi non prudenter, tamen *ἀνεμέσητα* sunt, primum quod de mea sententia acta sunt, deinde, etiamsi te auctore, quid debet, qui consilium dat, praestare praeter fidem? 3. Illud admirari satis non potui, quod scripsisti his verbis: »Veni igitur tu, qui *εὐθανασίαν*, veni: relinques patriam?" An ego relinquebam aut tibi tum relinquere videbar? tu id non modo non inhibebas, verum etiam approbabas. Graviora, quae restant: »Velim *σχόλιον* aliquod elimes ad me, oportuisse te istuc facere." Itane, mi

Graecis vocabatur *νότος*, unde fluxit poëtarum latinorum Notus. Favebat Paulo apostolo, quum Regio peteret Puteolos. vid. Acta apost. 28, 13.

Kalendis np. proximis, id est Septembribus. In eiusdem rei mentione in Phil. prima male addi *Sextilibus* docuit Madvigius O. A. I. p. 163 sq. Futurum *fore* vetat quominus de senatu Kal. Sext. habito cogitemus, ut volebat O. E. Schmidt in disp. de tempore legis Antoniae Corneliae in Nov. Ann. Philol. CXXVII p. 864.

villa Valerii. Eius memoria et fortasse rudera supersunt prope montem candido saxo formatum in agro Regino, ut mihi nuntiavit civis Reginus Didacus Vitriolius.

edictum Bruti et Cassii. Illud, quod nominatur in Bruti et Cassii ad Antonium epistola, Fam. XI. 3, 1 et Phil. I. 8, unde quae sequuntur lucem accipiunt.

§ 2. *Etsi quamvis.* Cum Perizonio ad Sanctii Min. III. 14 adn. 2 et Handio, Turs. II. p. 605 iudico has particulas componendas esse, non ut vulgo fit h. l. divellendas. Concessivo *etsi* respondet in apodosi *certe*, non possunt *etsi certe fuisti* opponi praegressis *quamvis non fueris.*

Sed haec — ἀνεμέσητα sunt. Cum adverbio coniungitur adiectivum, ut de Fin. V. 88 *sed haec etsi praeclare, nondum tamen perpolita* (sunt), ad q. l. vid. Madvigii adnotatio.

§ 3. *tu, qui εὐθανασίαν* sc. laudas. Schuetzio Atticus videtur respexisse ad Tusc. I. 45. Sed possunt haec quoque cum Manutio referri ad *spem mortis melioris* in ep. 20, 2 libri XV. Ceterum e corruptelis cod. Med. *Bene igitur — bene relinque patriam* mihi suspicio orta est Atticum ita scripsisse: *Visne igitur tu, qui εὐθανασίαν, relinquere patriam?* ɔ: tu sane non relinques patriam.

inhibebas. Sic scripsi pro vulg. *prohibebas,* quum in margine edit. 1584 notatum sit et facile explicet vitium cod. Med. *iubebas.* Eodem verbo utitur Cic. Verr. V. 163.

Attice? defensione eget meum factum, praesertim apud te, qui id mirabiliter approbasti? ego vero istum ἀπολογισμὸν συντάξομαι, sed ad eorum aliquem, quibus invitis et dissuadentibus profectus sum; etsi quid iam opus est σχολίῳ? si perseverassem, opus fuisset. »At hoc ipsum non constanter.'' Nemo doctus unquam — multa autem de hoc genere scripta sunt — mutationem consilii inconstantiam dixit esse. 4. Deinceps igitur haec: »Nam si a Phaedro nostro esset, expedita excusatio esset: nunc quid respondemus?'' Ergo id erat meum factum, quod Catoni probare non possem? flagitii scilicet plenum et dedecoris. Utinam a primo ita tibi esset visum! tu mihi, sicut esse soles, fuisses Cato. 5. Extremum illud vel molestissimum: »Nam Brutus noster silet,'' hoc est, non audet hominem id aetatis monere: aliud nihil habeo, quod iis a te verbis significari putem, et hercule ita est. Nam XVI. Kal. Sept. quum venissem Veliam, Brutus audivit: erat enim cum suis navibus apud Heletem fluvium citra Veliam milia passuum III; pedibus ad me statim. Dii immortales, quam valde ille reditu vel potius reversione mea laetatus, effudit illa omnia, quae tacuerat! ut recordarer illud tuum: »nam Brutus noster silet;'' maxime autem dolebat me Kal. Sext. in senatu non fuisse, Pisonem ferebat in caelum; se autem laetari, quod effugissem duas maximas vituperationes: unam, quam itinere faciendo me intelligebam suscipere, desperationis ac relictionis rei publicae — flentes mecum vulgo querebantur, quibus

elimes ɔ: elabores, expolias. *Elimandi* verbum in scriptis Ciceronis non invenitur.

Nemo — mutationem consilii inconstantiam dixit esse. cf. Fam. I. 9, 11 et 21. p. Planc. 94.

§ 4. *Nam si a Phaedro nostro esset* ex ed. Ro. recepit B. Simile exemplum e Ciceronis scriptis non memini. Scripsisset: *si Phaedri nostri factum esset* aut *si a Ph. profectum esset.* Sed scripsit, opinor, Atticus *esses,* (in Med. *esse* legitur) quomodo Cicero Fin. IV. 7 *Zeno et ab eo qui sunt,* de qua locutione vid. Hand. in Turs. I. p. 36. Atque quo magis credam ita scribendum esse facit Phaedri tanquam vivi mentio, etsi hunc ex epist. Fam. XIII. 1 a. 703 data iam tum obiisse apparet. — Epicureus autem facile fugam defenderet e scholae suae praeceptis de dolore vitando.

§ 5. *Quod iis a te verbis significari putem.* Sic edidit W. cum Lambino *et* deleto, quod in Med. post *quod* legitur. Fortasse tamen scribendum *ex iis,* ut in Bruto, 88 *ex quo significabat.*

Heletem, ut est in M. h. l., non *Haletem,* ut M. dat Fam. VII. 20, 1, fuisse nomen fluvii prope Veliam, ipsum nomen oppidi suadet, etsi non licet uti testimonio Strabonis VI. 1 p. 252, quum verba ἔνιοι δὲ τοὔνομα ἀπὸ ποταμοῦ Ἐλέητος interpolatori tribuenda videantur.

milia passuum tria. W. scripsit *milibus,* facili — nam olim scribebatur nota M. —, sed non necessaria mutatione. cf. Madv. gramm. lat. § 254 *b.* interpr. meae. Drak. ad Liv. IV. 9, 13 et XXV. 9, 26.

reditu vel potius reversione mea. Cicero se corrigit; non pervenerat eo, quo tendebat; ergo non rediit, sed reversus est. Redit, qui coeptum iter confecit. cf. Phil. I. 1 et 9.

Pisonem ferebat in caelum propter orationem Kalendis Sext. in senatu habitam. Cf. Phil. I. 10.

flentes mecum vulgo querebantur. flentes cum Med. scribendum esse non *euntes,* quod

de meo celeri reditu non probabam —, alteram, de qua Brutus et qui una erant — multi autem erant — laetabantur, quod eam vituperationem effugissem, me existimari ad Olympia; hoc vero nihil turpius quovis rei publicae tempore, sed hoc ἀναπολόγητον: ego vero austro gratias miras, qui me a tanta infamia averterit. 6. Reversionis has [speciosas] causas habes, iustas illas quidem et magnas, sed nulla iustior, quam quod tu idem aliis litteris: »Provide, si cui quid debetur, ut sit unde par pari respondeatur. Mirifica enim δυσχρηστία est propter metum armorum." In freto medio hanc epistolam legi, ut, quid possem providere, in mentem mihi non veniret, nisi ut praesens me ipse defenderem. Sed haec hactenus: reliqua coram. 7. Antonii edictum legi a Bruto et horum contra scriptum praeclare; sed, quid ista edicta valeant aut quo spectent plane non video, nec ego nunc, ut Brutus censebat, istuc ad rem publicam capessendam venio; — quid enim fieri potest? num quis Pisoni est assensus? num rediit ipse postridie? — sed abesse hanc aetatem longe a sepulcro negant oportere. 8. Sed obsecro te, quid est quod audivi de Bruto? Piliam πειράζεσθαι παραλύσει te scripsisse aiebat. Valde sum commotus, etsi idem te scribere sperare melius. Ita plane velim: ei dicas plurimam salutem

in Z. fuisse videtur, dubitare non sinit adiectum *vulgo*.

ad Olympia ɔ: ad ludos Olympicos visendos ire.

sed hoc ἀναπολόγητον ɔ: sed hoc tempore non potest defendi, nunc venia caret.

ego vero austro gratias miras. Quum Cicero scripserit agere gratias *incredibiles* (Fam. XIII. 27, 2) et *mirificas* (ib. X. 11), cur hic non feremus *gratias miras?* Non tulit Baehrens ad Catulli 68, 105 pro *miras* scribens *miro.* Epitheton mihi Austro minime aptum videtur.

§ 6. [*speciosas*]. Vocabulum Ernesto merito suspectum seclusit Orellius auctore Wesenbergio Emend. p. 119, quum illud ante *iustas et magnas* mire langueat.

unde par pari respondeatur ɔ: unde debitoribus satisfiat. Sine causa Ernestus negat ita Atticum nisi per iocum scribere potuisse. Non meminerat loci ex his epistolis VI. 1, 22 *paria paribus respondeamus.* At ibi non de pecuniae solutione agitur. Fateor, sed non video cur minus recte hoc, quam illo modo formula usurpari existimetur.

δυσχρηστία, difficultas rerum explicandarum. Hic cogitandum de molestia pecuniae mutuo sumendae. Cf. Victorii V. L. XXIII. 6.

nisi ut — defenderem ɔ: nec illa legens quicquam reperiebam, quo illis satisfacerem, nisi hoc unum ut ipse adessem.

§ 7. *a Bruto.* Sic scripsit, quum plenius dicendum esset *a Bruto acceptum.* Similis ellipsis in illis Horatii Sat. II. 3, 69 *Scribe decem a Nerio.* Seqq. verba *et horum contra* de edicto Bruti et Cassii intelligi debere, etiamsi unius Bruti nomen praecedit, vel tirones videbunt. Nemo facile probabit suspicionem Alani *ab utro,* quod principes editiones habent pro *a Bruto,* esse initium edicti.

sed — negant oportere. Cohaerent cum illis: *nec ego nunc — venio.* Sententia est: non venio ut remp. capessam, sed ut in patria moriar.

§ 8. πειράζεσθαι παραλύσει ɔ: „*temptari* (XI. 23, 1) *resolutione nervorum,* ut vertit Celsus III. 27." Corrad.

quum Pompeianum accederem. Recte Ruhnkenius ad Muret. I. p. 78 scripsit magis Ciceronianum esse huic verbo addere prae-

et suavissimae Atticae. Haec scripsi navigans, quum Pompeianum accederem, XIIII. Kal.

positionem, ubi habet appropinquandi vel se ad aliquem conferendi vim. Nam quum alii scriptores, ut Cornel. Nep. Them. 4, Hann. 8., Sallustius locis a Kritzio indicatis ad Iug. 18, 9, Tacitus Hist. III. 24 praepositionem omittant, praeter hunc locum non memini me sic apud Ciceronem invenire. Nam quod legitur in Milon. 59 *proxime Deos accessit* diversi generis est, pendetque accusativus ab adv. *proxime.* Neque tamen Corrado concedi potest, hic legendum esse *quum in P. accederem;* nam qui adhuc navigat, potest ille dici *ad aliquem locum terrae accedere,* non *in aliquem.*

VIII. A. U. C. 710.)

1. Quum sciam quo die venturus sim, faciam ut scias. Impedimenta exspectanda sunt, quae Anagnia veniunt, et familia aegra est. Kal. vesperi litterae mihi ab Octaviano. Magna molitur. Veteranos, † quiqui Casilini (sunt) et Calatiae, perduxit ad suam sententiam; nec mirum: quingenos denarios dat. Cogitat reliquas colonias obire: plane hoc spectat, ut se duce bellum geratur cum Antonio. Itaque video paucis diebus nos in armis fore: quem autem sequamur? vide nomen, vide aetatem. Atque a me postulat, primum ut clam colloquatur mecum vel Capuae vel non longe a Capua. Puerile hoc quidem, si id putat clam fieri posse. Docui per litteras id nec opus esse nec fieri posse. 2. Misit ad me Caecinam quendam Volaterranum, familiarem suum, qui haec pertulit, Antonium cum legione Alaudarum ad urbem pergere, pecunias municipiis imperare, legionem sub signis ducere: consultabat, utrum Romam cum CIↃ CIↃ CIↃ veteranorum proficisceretur, an Capuam

§ 1. *quae Anagnia veniunt.* Quum haec epistola cum praecedenti (XV. 13) et aliquot seqq. e Puteolano data sit, molesta est Anagniae mentio. Atque in v. c. Lambini, id est in Tornaesiano, legebatur huius nominis loco *inania,* in M. *anania,* in Ball. *an via,* in Helmst. *an in via,* ut scriptura satis dubia sit. Fortasse scribendum: *quae a Velia veniunt.*

Kal. scil. Novemb., ut recte docuit Corradus probante Malaspina.

† *quiqui — sunt.* „Cicero an non *quiqui* scripserit, dubito; neque enim apta est significatio, Octavianum sine discrimine omnes, quicumque Casilini et Calatiae fuerint, perduxisse ad suam sententiam et codex Med., in quo ita scribitur, mendose omittit *sunt* prorsus contra Ciceronis consuetudinem." Madv. ad Fin. p. 420. Fortasse scribendum: *qui quidem Casilini sunt et Calatiae.* De re vid. Vell. II. 61.

Cogitat reliquas colonias obire. Capuam, quo ex lege Iulia a. 695 colonia deducta erat. De aliis nihil certi affirmari potest.

vide nomen, vide aetatem. Nomen Caesaris, aetatem undeviginti annorum. Vid. Monum. Ancyr. tab. I. v. 4 et Tac. Ann. XIII. 6. Neutri satis fidendum erat. cf. XV. 12, 2.

§ 2. *cum legione Alaudarum.* Agunt de hac legione a Caesare in Gallia conscripta, cui nomen impositum ab *alauda,* Gall. *alouette,* Casaubonus ad Suet. Caes. 24 et Nipperdeius in Quaestt. Caes. p. 120.

legionem sub signis ducere. Hoc est e certa Manutii correctione, quum codd. habeant *suis* non *sub.* Sed constanter dici *sub signis ducere, habere, ire* sim. lexica docent.

teneret et Antonium venientem excluderet, an iret ad tres legiones Macedonicas, quae iter secundum mare superum faciunt, quas sperat suas esse. Eae congiarium ab Antonio accipere noluerunt, ut hic quidem narrat, et ei convicium grave fecerunt contionantemque reliquerunt. Quid quaeris? ducem se profitetur nec nos sibi putat deesse oportere. Equidem suasi ut Romam pergeret; videtur enim mihi et plebeculam urbanam et, si fidem fecerit, etiam bonos viros secum habiturus. O Brute, ubi es? quantam εὐκαιρίαν amittis! Non equidem hoc divinavi, sed aliquid tale putavi fore. Nunc tuum consilium exquiro. Romamne venio, an hic maneo, an Arpinum — ἀσφάλειαν habet is locus — fugiam? † Romam, ne desideremur, si quid actum videbitur. Hoc igitur explica. Nunquam in maiore ἀπορίᾳ fui.

congiarium. Non vidi qui hoc nomine uteretur ante Ciceronem h. l. et X. 7, 3. Sequentis aetatis scriptores distinxerunt inter *congiarium*, quod plebi, et *donativum*, quod militibus dabatur. Cf. Ruhnk. ad Suet. Caesarem 27.

si fidem fecerit ɔ: si iis probaverit se causam rei p. serio suscipere. Fidem facere sine dativo ponitur, ut in Bruto, 187 *fidem facit oratio*, cum dativo personae h. l. 5, 2.

εὐκαιρίαν, opportunitatem, ut interpretatur Cicero Fin. III. 45.

Romamne venio, cet. Alterum utrum certe scripsit Cicero, vel quod Wesenbergius, Emend. p. 81 proposuit: *Nunc tuum consilium exquiro, Romamne veniam, an hic maneam, an Arpinum — fugiam*, vel quod mihi magis placet: *Nunc tuum consilium exquiro. Romamne venio, an hic maneo, an Arpinum — fugio?* De indicativo praesentis temporis, quando quis rogat, quid faciendum sit, accurate disputavit Madv. Op. Acad. II. p. 40 sq. Cum h. l. cf. Att. XIII. 40: *Quid mi auctor es? advolone an maneo?*

† *Romam, ne desideremur.* His verbis signum corruptelae praeposui, quum manifesto non ita a Cicerone profecta sint. Tribus propositis, de quibus Attici consilium quaerit, aut singulorum rationes erant reddendae, cur placerent, aut aliquid saltem adiiciendum, unde intelligeretur, quid ex tribus illis ipsi optimum videretur. Nude *Romam* e superiori quaestione posse reponi nego. Quare suspicor verbum excidisse, ut *malo*, quod ante *Romam* a librariis neglectum fortasse in *fugam* cod. MZ. pro *fugio malo* latet.

ne desideremur, si quid actum videbitur. Cf. ep. 9. *Metuo, ne quae ἀριστεία me absente.* Cupiebat Cicero suis consiliis suaque auctoritate rem agendam adiuvare eamque ad bonum exitum perducere. Cf. Moseri Symb. Crit. VIII. p. 20.

IX. (*A. U. C.* 710.)

Binae uno die mihi litterae ab Octavio; nunc quidem, ut Romam statim veniam, velle se rem agere per senatum. Cui ego non posse senatum ante Kal. Ian.; quod quidem ita credo: ille autem addit consilio tuo. Quid multa? ille urget: ego autem σκήπτομαι, non confido aetati, ignoro quo animo; nihil sine Pansa tuo volo. Vereor

σκήπτομαι, *moras necto.* cf. Locella et Peerlkampius ad Xen. Ephes. p. 251.

Varroni displicet consilium pueri, mihi non. Moserus Symb. Crit. VI. 9 dubitat, num in

ne valeat Antonius, nec a mari discedere libet et metuo ne quae ἀριστεία me absente. Varroni quidem displicet consilium pueri, mihi non sic. Firmas copias habet, Brutum habere potest, rem gerit palam, centuriat Capuae, dinumerat. Iam iamque video bellum. Ad haec rescribe. Tabellarium meum Kalend. Roma profectum sine tuis litteris miror.

fine v. *displicet* sit repetendum. Cf. ad XIV. 12, 2. Et sane non solet Cicero sic nude in extrema sententia *non* ponere, quamquam hoc statuit Handius Turs. IV. p. 268, qui tamen praeter haec duo ex epistolis nulla exempla citavit. Sed h. l. scripsit Cicero *mihi non sic*, unde factum in Z *si*, quod male reliquis verbis additur, ut librarius cod. Gudiani Tusc. III. 22 pro *sic dicuntur* scripsit *si dicuntur*. *Sic* dicitur pro *adeo*, *valde*.

Brutum habere potest ɔ: Decimum Brutum potest secum coniungere. *rem gerit palam*. *Et* ante *rem* cur deleverim nemo, qui Ciceronis usum novit, non videt.

centuriat ɔ: veteranos in centurias describit iisque quingenos denarios dat, ut scripsit Cicero ep. 8, 1. Victorius v. *centuriare* munivit loco ex orat. ad Quir. post red. 13. Livius XII. 38 narrat *equites decuriatos, centuriatos pedites*.

X. (*A. U. C.* 710.)

1. vii. Id. veni ad me in Sinuessanum; eodem die vulgo loquebantur Antonium mansurum esse Casilini: itaque mutavi consilium — statueram enim recta Appia Romam —: facile me ille esset assecutus, aiunt enim eum Caesarina uti celeritate. Verti igitur me a Minturnis Arpinum versus; constitueram ut v. Idus aut Aquini manerem aut in Arcano. 2. Nunc, mi Attice, tota mente incumbe in hanc curam; — magna enim res est — tria sunt autem, maneamne Arpini an propius accedam an veniam Romam. Quod censueris faciam. Sed quam primum: avide exspecto tuas litteras. vi. Idus mane in Sinuessano.

§ 1. *VII. Id.* E subscriptione epistolae manifestum est non alium diem hic posse nominari. Victorius in suo codice invenerat *VI veni ad me*, idemque in duobus erat Malaspinae libris. In Med. quod scriptum est CN plane absurdum est. Bosius addidit *Kal.*, quod verum esse nequit.

mansurum ɔ: pernoctaturum. Eadem vi hoc verbum legimus IV. 19 extr., V. 16, 3 et VII. 21, 1. Cf. Drak. ad. Liv. III. 45, 7. Quis non meminit ex Hor. Carm. I. 1; *manet sub Iove frigido venator?*

Caesarina. Haec forma adiectivi est suspecta. Nepos in Att. 7 bellum civile *Caesarianum* vocat. Apud poëtas quicquid Caesaris est, appellatur *Caesareum*. Caesaris in itinere faciendo celeritatem exemplo declaravit Suetonius in Caes. 56.

Verti igitur me a Minturnis Arpinum versus. Cicero volebat viam Appiam, qua Antonius proficiscebatur, Minturnis relinquere ibique ad dextram flectere. Verum de re nondum perfecta, sed animo concepta, tempore praeterito non potest uti. Igitur scribendum *vertam* vel *verto*, quod de re iamiam instanti dici potest, nisi forte statuas Ciceronem hic respicere tempus, quando Atticus epistolam legeret. Cf. adnot. Graeteri ad hanc epist. vol. VII. p. 170 seqq., ubi iter Ciceronianum recte narratur.

§ 2. *in Sinuessano* sc. haec scripsi. W. correxit: *e S.* sc. data, quod Ciceronis consuetudini aptius est.

XI. (*A. U. C.* 710.)

1. Nonis accepi a te duas epistolas, quarum alteram Kal. dederas, alteram pridie; igitur prius ad superiorem. Nostrum opus tibi probari laetor, ex quo *ἄνθη* ipsa posuisti, quae mihi florentiora sunt visa tuo iudicio; cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam. De Sicca ita est, ut scribis; † asta ea aegre me tenui; itaque perstringam sine ulla contumelia Siccae aut Septimiae, tantum ut sciant *παῖδες παίδων*, sine † vallo Luciliano, eum ex Gaii Fadii filia liberos habuisse. Atque utinam eum diem videam, quum ista oratio ita libere vagetur, ut etiam in Siccae domum introeat! sed illo tempore opus est, quod fuit illis IIIviris — moriar, nisi facete! —; tu vero leges Sexto

§ 1. *Nostrum opus.* Dicit libros de Gloria, ut apparet ex iis quae ep. 2, 6 de iis scripsit. De *cerulis miniatulis* vid. XV. 15, 4.

De Sicca cet. Haec et reliqua quae hac § continentur spectant ad orat. Philipp. II. 3, ubi Cicero obscurius Antonium perstringere maluit, quam Siccae *familiaris et necessarii* sui infamiam detegere. Scilicet videtur Antonius non tantum e Fadia liberos habuisse, sed etiam cum Septimia, Siccae uxore, familiarius vixisse. Sed Siccae causa orator de Septimia tacuit.

† *asta ea aegre me tenui*, e Med. scripsi, ubi manus secunda corr. *hasta.* Orellius recepit Bosii emendationem: *At st! aegre me tenui.* Lambinus et Madvigius, A. C. III p. 192 suspicantur scribendum *a Fadia*, quae non nominatur, sed non obscure l.l. significatur. Ego malim: *Heus tu, aegre me tenui.* Nimis audacter Iordanus, Krit. beiträge, p. 297 *asta ea*, aut *astura* Crat., *aste* Z., quum ad sententiam non sint necessaria, delenda censet. Pro futuro *perstringam*, quod de oratione iam scripta non recte ponitur, scribendum puto *perstringo Antonium.*

sine vallo Luciliano. Si vera est scriptura codd. Med. Hisp. Oxonn., vere eam interpretatur Corradus his verbis: „sine vallo, quo se Lucilius et scripta sua muniebat, quum dicebat se neque ab indoctissimis, neque a doctissimis legi velle II. de Orat. [25]. Ego vero non recusabo, quominus omnes, praesertim posteri mea legant I. de Fin. [7] et ita *παῖδες παίδων* sciant quae sequuntur." Sin fuit in libro scripto *sine ullo L.*, in eo vel latet voc. Graecum, vel id quod coniecit Theod. Marcilius ad Suet. Vespas. 13 *sine velo Luciliano.* Ceteris coniecturis, quas quidem vidi, *sillo, sale, ὕθλῳ, ὕλλῳ, felle, bile, libello*, hoc maxime obstat, quod tum haec verba neque cum *παῖδες παίδων*, neque cum *sciant* constructa bonam praebent sententiam.

ex Gaii Fadii filia. Sic scribendum aut *ex C. Fadii f.* non *Galli Fadii.* Nam homo ille libertinus (Phil. II. 3. III. 17), e cuius filia Antonius liberos sustulerat, manumissus a C. Fadio Gallo patroni praenomen et nomen accepit ex more, sed cognomine abstinuit. Codicibus autem in hac re non nimium tribui debet; nam ut hic *Gaii* loco dant *Galli* vel *Gali*, sic XV. 13, 3 in omnibus pro *Gaio* est *Gallo.* At obstat, quod ille loco citato e Phil. II. *Q. Fadius* appellatur Audio, sed non video cur codicibus, quae eam orationem servant, plus tribuatur auctoritatis, quam iis, qui hic conspirant in alio praenomine. Immo facile G. in Q. depravari potuit et ex h. l. restitui debet.

sed illo tempore opus est, quod fuit illis IIIviris. Dicit Cicero, ut ubique legatur oratio sua in M. Antonium, opus esse tempore, in quo magna regnaret libertas dicendi et scribendi. Sed illud tempus designat ratione faceta, quae ex aliqua Attici epistola petita videtur, qui Pompeium et Caesarem, non quia aliquando cum Crasso coniuncti plurimum in rep. potuerant, sed quod uterque *tres uxores* habuerat, nominaverat *IIIviros.* Hanc coniecturam a Bosio verbo prolatam bene munivit Schuetzius, nec video quid ei obiici possit. Itaque non probo, sed aliorum causa describo ingeniosam I. F. Gronovii emendationem, ab Orellio

eiusque iudicium mihi perscribes: εἷς ἐμοὶ μύριοι: Caleni interventum et Calvenae cavebis. 2. Quod vereris ne ἀδόλεσχος mihi tu, quis minus? cui, ut Aristophani Archilochi iambus, sic epistola (tua) longissima quaeque optima videtur. Quod me admones, tu vero etiamsi reprehenderes, non modo facile paterer, sed etiam laetarer, quippe quum in reprehensione sit prudentia cum εὐμενείᾳ: ita libenter ea corrigam, quae a te animadversa sunt: *eodem iure, quo Rubriana* potius, quam *quo Scipionis*, et de laudibus Dolabellae deruam cumulum, ac tamen est isto loco bella, ut mihi videtur, εἰρωνεία, quod eum ter contra cives in acie; illud etiam malo, *indignissimum est hunc vivere*, quam: *quid indignius?* 3. Πεπλογραφίαν Varronis tibi probari non moleste fero, a quo adhuc Ἡρακλείδειον illud non abstuli. Quod me hortaris ad scribendum, amice tu quidem, sed me scito agere nihil aliud. Gravedo tua mihi molesta est: quaeso adhibe, quam soles, diligentiam. O Tite tibi prodesse laetor. Anagnini sunt Mustela

comprobatam: „— *quo fuerint illi IIviri*, hoc est, quum perierint Antonii fratres, Marcus, Lucius, Caius."

tu vero leges orationem illam *Sexto* Peducaeo, quem Cicero in epistt. ad Att. solet solo praenomine indicare.

Caleni interventum et Calvenae cavebis ɔ: cavebis ne illa oratio recitetur coram Antonii amicis. Duo nominat, quorum alter est Q. Fufius *Calenus*, qui aperte M. Antonio favebat, Phil. XII. 1; alterum ficto nomine designat, quo usus est XIV. 2, 2 et 9 extr. ad indicandum C. Matium. Atque ad eundem nunc respici verisimile fit ex ipsius Matii epistola quadam Fam. XI. 28, in qua § 7 scribit se consulis Antonii domum saepe salutandi causa venire. Aperte erravit scriptor Gallicus, qui in disp. de re scenica vett. anno 1839 edita in horreo, quod inscribitur *Revue des deux mondes*, hic Sp. Maecium Tarpam intelligendum esse censuit.

§ 2. *ut Aristophani Archilochi iambus.* Recte monent interpretes Aristophanem esse grammaticum Alexandrinum, saepius a Cicerone laudatum. Post *epistola* deest *tua*, ut Lambinus vidit.

eodem iure, quo Rubriana. Phil. II. 103 nunc legitur: — *advolas in M. Varronis — fundum Casinatem. Quo iure? quo ore? Eodem, inquies, quo in heredum L. Rubrii, quo in heredum L. Turselii praedia.* Cicero, quum initio scripserat: *Eodem, quo in Scipionis*, ab Attico admonitus hoc non accurate dici, quum M. Antonius Tiburtinum Metelli Scipionis alio modo acquisiverat, eo loco reponi volebat: *Eodem, inquies, quo in Rubriana.*

de laudibus Dolabellae. Ibid. 75, maxime his verbis: *Ter depugnavit Caesar cum civibus, in Thessalia, Africa, Hispania. Omnibus adfuit his pugnis Dolabella.*

indignissimum est hunc vivere. Prior manus Ciceronis remansit ibid. 86 *Quid indignius quam vivere eum, qui imposuerit diadema?*

§ 3. Πεπλογραφίαν *Varronis.* Plurimas virorum doctorum de eo libro opiniones cognoscere licet ex altera editione Galli Beckeriani I. p. 46—52 et e docta adnotatione Wuestemanni ad eum locum, edita in Novis Ann. Philol. Vol. 57. p. 123—132. Cf. quoque G. Boissier, Etude sur — M. T. Varron, p. 341 seqq.

a quo adhuc Ἡρ. *illud non abstuli.* Varronis Ἡρακλείδειον, quod iterum nominatur in ep. 12, Cicero legere cupiebat, quia ipse simile opus moliebatur. Cf. adn. ad XV. 4, 3.

Gravedo tua. Cf. ad X. 10, 3.

O Tite. His verbis designatur Ciceronis dialogus de senectute, ut h. l. 3, 1. Quae in Z. his praeponuntur: *Librum meum illum* interpretis manum aperte ostendunt.

Anagnini sunt Mustela τ. *et Laco.* Hoc quoque pertinet ad Phil. II., ubi Attici li-

ταξιάρχης et Laco, qui plurimum bibit. Librum, quem rogas, perpoliam et mittam. 4. Haec *** ad posteriorem. *Τὰ περί τοῦ καθήκοντος*, quatenus Panaetius, absolvi duobus: illius tres sunt, sed, quum initio divisisset ita, tria genera exquirendi officii esse, unum, quum deliberemus honestum an turpe sit, alterum, utile an inutile, tertium, quum haec inter se pugnare videantur, quomodo iudicandum sit, qualis causa Reguli, redire honestum, manere utile, de duobus primis praeclare disseruit, de tertio pollicetur se deinceps, sed nihil scripsit. Eum locum Posidonius persecutus (est), ego autem et eius librum arcessivi et ad Athenodorum Calvum scripsi, ut ad me τὰ κεφάλαια mitteret — quae exspecto; quem velim cohortere et roges, ut quam primum —: in eo est περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. Quod de inscriptione quaeris, non dubito quin καθῆκον officium sit, nisi quid tu aliud, sed inscriptio plenior de officiis; προςφωνῶ autem Ciceroni filio: visum est non ἀνοίκειον. 5. De Myrtilo dilucide. O quales tu semper istos! Itane? in D. Brutum? Dii istis! 6. Ego me, ut scripseram, in Pompeianum non abdidi, primum tempestatibus, quibus nihil taetrius, deinde ab Octaviano quotidie litterae, ut negotium susciperem, Capuam venirem, iterum rem publicam servarem, Romam utique statim:

- - - αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι·

is tamen egit sane strenue et agit: Romam veniet cum manu magna, sed est plane puer. Putat senatum statim; quis veniet? si venerit, quis incertis rebus offendet Antonium? Kal. Ian. erit fortasse prae-

brarius nomina haec apposuit. Certe in omnibus libris Mss. et editis nunc leguntur c. 41, 106.

Librum, quem rogas, perpoliam et mittam. Acute Mongaltius haec verba refert ad *Topica*, quae nuper Cicero in cursu maritimo conscripserat et Regio ad Trebatium miserat. Fam. VII. 19.

§ 4. *Haec ad posteriorem.* Esti haec sic explicari possunt: ea, quae sequuntur, respondeo ad posteriorem tuam epistolam, tamen Wesenbergius recte monuit Ciceronem nunquam sic scripsisse, et excidisse aliquid post *haec*, ut *ad superiorem, nunc* vel *Habes ad superiorem, nunc audi ad posteriorem.* Cum eo lacunam indicavi. — Ad sequentia cf. Beierus ad Cic. Off. II. p. 196 seq. Ad verba *Eum locum Posidonius persecutus* verbum *est* addidi, ut ante me Klotzius fecerat.

ad Athenodorum Calvum Tarsensem, philosophum Stoicum, Octavii praeceptorem. Cf. epist. 14, 4 et Fam. III. 7, 5. Plura de eo, sed non omnia satis certa, scripsit Is. Eil. Harkenrothius in Misc. Observ. Novis anni 1740 T. 1. p. 49—62. Cf. R. Hirzel, Unters. zu Cicero's philos. Schr. II. p. 736.

περὶ τοῦ κ. π. καθήκοντος, de eo, quod pro re nata officium est, de officio, quod temporis ratio postulat.

§ 5. *De Myrtilo* cet. Haec quo modo expedienda sint, docui ad XV. 13, 6.

O quales — istos! ɔ: o quam Antonii amicos recte cognoscis et vere describis.

§ 6. *ut scripseram*, in ep. 7 h. l. extr.

αἴδεσθεν — ὑποδέχθαι. Eodem Homeri versu usus est supra VI. 1, 23.

sidio, aut quidem ante depugnabitur. Puero municipia mire favent; iter enim faciens in Samnium venit Cales, mansit Teani: mirifica ἀπάντησις et cohortatio: hoc tu putares? Ob haec ego citius Romam, quam constitueram. Simul et constituero, scribam. 7. Etsi nondum stipulationes legeram — nec enim Eros venerat —, tamen rem pridie Idus velim conficias. Epistolas Catinam, Tauromenium, Syracusas commodius mittere potero, si Valerius interpres ad me nomina gratiosorum scripserit — alii enim sunt alias nostrique familiares fere demortui —; publice tamen scripsi, si uti vellet eis Valerius, aut mihi nomina mitteret. 8. De Lepidianis feriis Balbus ad me usque ad III. Kalend. Exspectabo tuas litteras, deque Torquati negotiolo sciturum (me) puto. Quinti litteras ad te misi, ut scires, quam valde eum amaret, quem dolet a te minus amari. Atticae, quoniam, quod optimum in pueris est, hilarula est, meis verbis suavium des volo.

est plane puer. Saepe sic appellat Octavianum, ut 15, 3. Fam. X. 28, 3. XII. 25, 4, ut Alexandrum olim Demosthenes (Plut. Demost. 26). Utrumque male iudicasse eventus docuit.

Simul et. Hic quoque dubito de hac formula et *simul ut* scribendum puto, vel *et* delendum.

§ 7. *Etsi nondum stipulationes legeram,* cet. Non potest de h. l. certi quid pronuntiari, sed probabilis est suspicio Manutii, qui putabat Ciceronem aliquod praedium vendere velle, pro quo alii se pecuniam daturos spoponderant. Dubito an Ocellae mentio in ep. seq. huc spectet.

Valerius interpres. Cf. I. 12, 2. Videtur aliquid negotii in Sicilia habuisse et a Cicerone petiisse, ut sibi litteras daret ad Siculos, qui tunc gratia et auctoritate plurimum valerent.

alias ɔ: alio tempore, ut docuit Madvigius ad Cic. Fin. p. 21. Non semper iidem homines sunt gratiosi.

publice t. scripsi ɔ: scripsi, quae in curia Catinae, cet. recitarentur. Praegnantem, ut Grammatici dicunt, adverbii usum demonstrant quoque haec ex epist. Ciceronis ad Pompeium, Fam. V. 7 in.: *Ex litteris tuis, quas publice misisti* ɔ: quas ad senatum misisti. Ibid. XV. 1, 1 *publice scribere* est scribere ad coss. praett. tribb pl. senatum, quibus ea epistola inscribitur.

aut mihi nomina mitteret. De usu coniunctivi dixi ad II. 1, 3 *aut ne poposcisses.* Plurima exempla e Ciceronis et aliorum scriptis congessit Madvigius ad Fin. p. 208.

§ 8. *De Lepidianis feriis* cet. ɔ: Balbus ad me scripsit dies in auspiciis Lepidi descriptos, qui feriae sunt senatui, finiri a. d. III. Kal. Ianuarias, ut apparet ex ep. 5, 4. Pro *Lepidianis* Malaspina volebat *Lepidanis,* ut scripserunt Ern. et Sch., sed male. Non deterius esset *Lepidinis.* Cf. Reisig. Schol. p. 166 sq.

sciturum (me) puto. Perspicuitas postulat, ut pronomen addatur. Id facilius post *sciturum* intercidit, quam ex *neque* libri Med. efficias *meque de,* ut Lambinus correxit. Ipsum vero illud *neque* dubium reddit, an non cum Bosio scribendum sit: *meque T. negotiolo staturum puto,* ut sit a *sisto me.*

in pueris. Puerorum nomine puellas contineri multi observarunt, quos laudat S. Obbarius ad Hor. Ep. I. 2, 44. Attica, quo tempore Cicero illa scripsit, annum aetatis duodecimum agere poterat. Cf. adnot. mea ad V. 19, 2.

suavium des volo. Ita recte Orellius in edit. alt. e cod. Z. Vulgo contra Ciceronis usum edunt: *suavium des. Vale.* Cf. Wesenberg. Emend. p. 8, qui comparavit Fam. IX. 21, 2, *quorum quidem tu omnium patriciorum imagines habeas volo.*

XII. (*A. U. C.* 710.)

Oppii epistolae, quia perhumana erat, tibi misi exemplum. De Ocella, dum tu muginaris nec mihi quicquam rescribis, cepi consilium domesticum; itaque me pridie Idus arbitror Romae futurum. Commodius est visum frustra me istic esse, quum id non necesse esset, quam, si opus esset, non adesse, et simul ne intercluderer metuebam: ille enim iam adventare potest, etsi varii rumores multique, quos cuperem veros. Nihil tamen certi. Ego vero, quicquid est, tecum potius, quam animi pendeam, quum a te absim, et de te et de me; sed quid tibi dicam? bonum animum. De *Ἡρακλειδείῳ* Varronis, negotia salsa: me quidem nihil unquam sic delectavit; sed hoc et alia maiora coram.

De Ocella. Cf. ad X. 10, 4.

muginaris ɔ: tarde agis, causaris, cessas. Hanc vim verbi esse puto in versu ex Aquis caldis T. Attae, quem Ribbeckius ita edidit: *atque ita muginantur hodie, at ego iam occlusero Fontem,* etsi Nonius, qui versum laudat, verbum interpretatur *murmurare.* Eodem verbo usum esse Varronem scimus e Praef. Hist. Nat. Plinii § 18, ubi tamen Silligius alteram formam *musinari* recepit.

consilium domesticum ɔ: a me ipso. Corr. Cf. X. 14, 2 *id domi est.*

tecum potius. Paulo durior est ellipsis verbi. Fortasse *sum* post *tecum* omissum est.

De Ἡρ. *Varronis negotia salsa: me quidem — delectavit* ɔ: quae mihi scripsisti de Ἡρ. Varronis, plena sunt salis valdeque me delectarunt. In iis, quae proxime praecedunt, *bonum animum* sc. habeamus, recte a Victorio e cod. Med. leviter corrupto (*bonam enim unde* Ἡρ.) correctum esse, et temere Bosium et Popmam vocabulum Graecum hinc elicuisse, πονοῦμαι *enim* vel πόνῳ ἑνί, non eget demonstratione.

XIII. a. (*A. U. C.* 710.)

1. O casum mirificum! v. Idus quum ante lucem de Sinuessano surrexissem venissemque diluculo ad pontem Tirenum, qui est Minturnis, in quo flexus est ad iter Arpinas, obviam mihi fit tabellarius, qui me offendit *δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα.* Ego statim, »cedo", inquam, »si quid ab Attico". Nondum legere poteramus; nam et lumina dimiseramus nec satis lucebat; quum autem luceret, ante scripta epistola ex duabus tuis prior mihi legi coepta est. Illa omnium quidem elegantissima — ne sim salvus, si aliter scribo ac sentio: nihil legi humanius; itaque veniam, quo vocas, modo adiutore te — sed nihil tam *ἀπροςδιόνυσον* mihi primo videbatur quam ad eas litteras,

§ 1. *de Sinuessano surrexissem* ɔ: e lecto surrexissem et de Sinuessano profectus essem.

ad pontem Tirenum. Nomen aliunde ignotum pontis in fl. Liri. In M. vocatur *Tiretium.* Deinde voc. πλόον non de navigatione sumendum esse, sed de itinere pedestri e § 2 apparet.

cedo. Cf. ad IX. 18, 3.

lumina sunt faces. Cf. Casaub. ad Suet. Caes. 31. *Dimittere* est auferri iubere.

quibus ego a te consilium petieram, te mihi ista rescribere. 2. Ecce tibi altera, qua hortaris *παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα, νήσου ἔπι Ψυρίης*, Appiam scilicet *ἐπ' ἀριστέρ' ἔχοντα*. Itaque eo die mansi Aquini; longulum sane iter et via mala; inde postridie mane proficiscens has litteras dedi.

§ 2. *παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα, νήσου ἔπι Ψυρίης.* Versibus Homericis ex Od. III. 171 sq. Atticus iter amico indicaverat secundum Apenninum ad insulam Arpinatem, Appia via sinistrorsus relicta.

via mala. Obtemperavit Orellius Wesenbergio, Emend. p. 10, ante quem Popma in codd. vestigiis, *mata*, *inata*, hoc inesse iam docuerat. Reiicienda est coniectura Salmasii ad Hist. Aug. script. p. 461 B. *matta*, et Moseri Symb. Crit. VI. p. 15 *avia*, non minus quam παραδιορθῶσις cod. Helmst. *inepta*, unde Klotzius 2 fecit *inaequa*.

XIII. b. (*A. U. C.* 710.)

1. * * * * et quidem ut a me dimitterem invitissimus, fecerunt Erotis litterae: rem tibi Tiro narrabit; tu, quid faciendum sit, videbis. Praeterea, possimne propius accedere — malo enim esse in Tusculano aut uspiam in suburbano — an etiam longius discedendum putes, crebro ad me velim scribas: erit autem quotidie cui des. 2. Quod praeterea consulis quid tibi censeam faciendum, difficile est, quum absim: verumtamen, si pares aeque inter se, quiescendum: sin, latius manabit et quidem ad nos, deinde communiter.

§ 1. ... *et quidem.* Haec a superioribus separanda esse et nonnulla verba in lacuna periisse acute vidit Mongaltius. Schuetzius autem haec fere supplenda vidit: *Tantum quod in Arpinas veneram, quum Tironi has ad te litteras dedi. Equidem ut* cet.

§ 2. *verumtamen — communiter.* „Si pares copiis sunt Antonius et Octavius, Romae tibi censeo manendum; — sin superior alteruter erit, discedendum. Utercunque enim valebit, periculum primo ad nos, qui remp. defendimus, deinde ab omnes manabit." Ita Manutius recte haec explicavit. Moserus Symb. Crit. VIII. p. 22 *pares aeque inter se* explicandum putat e sermonis familiaris quadam redundantia, et comparavit e Plauti Men. V. 9, 60 *aeque ambo pares.* — *Sin* elliptice ponitur, ut *sin autem* X. 7, 2. Fam. XIV. 3, 5.

XIII. c. (*A. U. C.* 710.)

1. Avide tuum consilium exspecto. Timeo, ne absim, quum adesse me sit honestius: temere venire non audeo. De Antonii itineribus

§ 1. *temere venire non audeo.* Primum voc. a Bosio tanquam e cod. prolatum, qui e Lambini consensu Tornaesianus fuisse videtur, non abiiciendum est propterea quod in Med. eius loco scriptum est *timere*, idqu linea notatum. Moneo, ne quis Mosero hac in re fidem habeat, illud delenti Symb. Crit. VII. p. 18.

nescio quid aliter audio, atque ut ad te scribebam; omnia igitur velim explices et ad me certa mittas. 2. De reliquo quid tibi ego dicam? Ardeo studio historiae — incredibiliter enim me commovet tua cohortatio —, quae quidem nec institui nec effici potest sine tua ope: coram igitur hoc quidem conferemus. In praesentia mihi velim scribas, quibus consulibus C. Fannius M. F. tribunus pl. fuerit: videor mihi audisse P. Africano, L. Mummio (censoribus); id igitur quaero. Tu mihi de iis rebus, quae novantur, omnia certa, clara. III. Id. ex Arpinati.

scribebam. Ep. 10, 1.

§ 2. *In praesentia.* Cf. ad VII. 14, 1.

videor mihi audisse P. Africano, L. Mummio (censoribus). Ultimum vocabulum abest a Med., sed additur e Crat. et marg. Lamb. et necessarium est, quod Cicero certe sciebat P. Scipionem Africanum nunquam cum L. Mummio consulem fuisse, sed a. u. 612 eos collegas fuisse in censura. Cicero putabat se aliquando legisse C. Fannium, C. Laelii generum, illo tempore fuisse tribunum plebis, sed quaerit nunc ex Attico, in quem annum illud incidat. Scire volebat, quia Fannii persona utebatur in dialogo de amicitia, quem tum ipsum scribebat. Wesenbergium Emend. p. 119 seq. in his verbis constituendis errasse censeo.

quae novantur. Res novari dicuntur, quum rei publicae status mutatur. Cf. Kritzius ad Sal. Cat. 39, 3.

XIV. (*A. U. C.* 710).

1. Nihil erat plane quod scriberem; nam quum Puteolis essem, quotidie aliquid novi de Octaviano, multa etiam falsa de Antonio. Ad ea autem, quae scripsisti — tres enim acceperam III. Idus a te epistolas — valde tibi assentior, si multum possit Octavianus, multo firmius acta tyranni comprobatum iri quam in Telluris atque id contra Brutum fore; sin autem vincitur, vides intolerabilem Antonium, ut quem velis nescias. 2. O Sestii tabellarium hominem nequam! postridie Puteolis Romae se dixit fore. Quod me mones ut pedetemptim, assentior, etsi aliter cogitabam. Nec me Philippus aut Marcellus movet

§ 1. *multa etiam falsa de Antonio* sc. afferebantur vel audiebam. Moneo, ne quis incidat in Kochii errorem, qui quum suppleret *scripsi*, non tulit *falsa*, iisque male supposuit *salsa*. Vid. Mus. Rhen. XII. p. 279.

quam in Telluris ɔ: quam factum est a senatu in aede Telluris, post diem tertium a caede Caesaris, a. d. XVI. Kal. Apr. Vid. Phil. I. 1 et II. 89.

quem velis. Quum sermo sit de Octaviano et Antonio, dicendum erat *utrum velis.* Sed optimis etiam scriptoribus *quis* excidit pro *utro.* Cf. supra 8, 1 *quem sequamur?* Vid. Reisigii Scholae de Gramm. Lat. § 205, Draegeri Synt. hist. § 52.

§ 2. *postridie — fore.* „Dixit se Romae fore postridie quam Puteolis discessisset." Man.

ut pedetemptim ɔ: ne festinem in consilio capiendo, nec sequar L. Philippi aut C. Marcelli consilium, quibus neutram partem secutis fortasse excusatio parata erat ex affinitate, quae utrumque cum Caesare Octaviano coniungebat, cuius ille matrem

— alia enim eorum ratio est, et, si non est, tamen videtur —, sed in isto iuvene, quamquam animi satis, auctoritatis parum est. Tamen vide, si forte in Tusculano recte esse possum, idne melius sit — ero libentius; nihil enim ignorabo — an hic, quum Antonius venerit. 3. Sed, ut aliud ex alio, mihi non est dubium, quin, quod Graeci *καθῆκον*, nos officium; id autem, quid dubitas quin etiam in rem publicam praeclare quadret? nonne dicimus consulum officium, senatus officium, imperatoris officium? praeclare convenit, aut da melius. 4. Male narras de Nepotis filio: valde mehercule moveor et moleste fero; nescieram omnino esse istum puerum. Caninium perdidi, hominem, quod ad me attinet, non ingratum. Athenodorum nihil est quod hortere; misit enim satis bellum ὑπόμνημα. Gravedini, quaeso, omni ratione subveni. Avi tui pronepos scribit ad patris mei nepo-

Atiam, hic sororem Octaviam uxorem duxerat. *Pedetemptim* est velut pede iter temptans, itaque caute, quocum iungitur in Verr. Act. I. 18 p. Cluent. 118.

idne melius sit. Sic scripsi cum Schuetzio, ut notatum erat in margine edit. 1584. Nam si retinetur vulgata scriptura *ne id*, parum apte his verbis subiicitur illud *an hic*. Rogat Cicero utrum melius sit in Tusculano esse an in Arpinati manere.

§ 3. *ut aliud ex alio.* Plena locutio est apud Terentium in Heaut. III. 3, 37 *ut aliud ex alio incidit.*

quid dubitas quin — caderet? Correxi *quadret* (ut supra XIII. 33, 3 *quadret* primum in *cadet*, id rursus in *ea de* depravatum est). Neque enim erat, cur scriptor h. l. imperfecto coniunctivi uteretur potius, quam praesenti, ut in iis, quae citavit Haasius ad Reisigium adn. 478 e Cic. Fam. XIII. 1, 5 *nec dubitat, quin ego a te nutu hoc consequi possem, etiam si aedificaturus esses*, ubi conditionalis sententiae tempus imperfectum *possem* satis munit. Hic vero *caderet* ita demum recte se haberet, si Cicero addidisset: *si de republica usurparetur* aut simile quid. C. F. W. Mullerus in Philologo XIX verbum eodem modo correxit.

§ 4. *de Nepotis filio.* Fortasse ex Attico cognoverat Cornelium Nepotem (ep. 5, 5 h. l.) amisisse filium. Cf. XV. 1, 1: *O factum male de Alexione.*

Caninium. Hoc accipiendum de L. Caninio Gallo, quem reum Cicero a. 699 defenderat (Fam. VII. 1, 4). Saepius memoratur in Epist. Fam.

Athenodorum cet. Cf. ad ep. 11, 4.

Avi tui pronepos. In codd. quod est *qui tui pronepos* vel *Q. tui pronepos* praeclare a Mureto correctum est. *Quinti* nomen hic stare nequit. Quum a glossatore additum esset, *Q. avi* in *qui* abiit. Potuerat Cicero brevius scribere: *Q. filius scribit ad Marcum meum*, sed usus est descriptione.

se — explicaturum. Aedem Opis explicare est indicare, quantum pecuniae ibi fuerit depositum, quo tempore C. Caesar occisus est et rationes illius pecuniae exigere ab Antonio. Cf. Phil. I. 17. II. 35 et 93. Sed quaeritur, quo iure hoc facere potuerit Q. filius. Sunt, qui coniiciant eum illo tempore tribunum pl. fuisse, alii eum aedilem faciunt. Cui coniecturae quum alia multa obstant, tum maxime aetas Q. Ciceronis, qui quum a. 703 togam virilem accepit (Att. V. 20, 9), nunc annum aetatis vicesimum tertium agebat aut quartum. Cautius itaque sequemur Mongaltium, qui putat Quintum privatum eo nomine Antonium ad populum accusare voluisse, certe id Marco significasse. Sed minus recte hoc se facturum diceret *ex Nonis* Decembribus, quum certo tempore causa esset agenda. Fortasse scripsit: — *se esse Nonis* cet. Nonae autem Decembres ideo indicantur, quod eo die novi quaestores munus inibant. Cf. O. Hirschfeld in Hermae vol. V p. 300.

Sexti iudicium exspecto. Cf. ep. 11, 1. *Tu vero leges Sexto* (np. orationem illam in M. Antonium) *eiusque iudicium mihi perscribes.*

tem se ex Nonis iis, quibus nos magna gessimus, aedem Opis explicaturum, idque ad populum: videbis igitur et scribes. Sexti iudicium exspecto.

XV. (*A. U. C.* 710.)

1. Noli putare pigritia me facere, quod non mea manu scribam, sed mehercule pigritia — nihil enim habeo aliud quod dicam —, et tamen in tuis quoque epistolis Alexim videor agnoscere. Sed ad rem venio. Ego, si me non improbissime Dolabella tractasset, dubitassem fortasse utrum remissior essem, an summo iure contenderem; nunc vero etiam gaudeo mihi causam oblatam, in qua et ipse sentiat et reliqui omnes me ab illo abalienatum, idque prae me feram, et quidem mea causa facere et rei publicae, qui illum oderim, quod, quum eam me auctore defendere coepisset, non modo deseruerit emptus pecunia, sed etiam, quantum in ipso fuerit, everterit. 2. Quod autem quaeris quomodo agi placeat, quum dies venerit, primum velim eiusmodi sit, ut non alienum sit me Romae esse, de quo, ut de ceteris,

1 §. *sed mehercule pigritia.* Pulchrum exemplum ὀξυμώρον, ex eodem genere atque illud Plinii de oratore quodam: *Nihil peccat, nisi quod nihil peccat*, Ep. IX. 26 in., et Scipionis, quod servavit Cic. Off. III. 1, 1. Nube exemplorum e scriptoribus Graecis et Latinis C. Rittershusius ad Oppiani Cyneg. I. v. 260 hanc figuram illustravit.

Alexim ɔ: manum Alexidis, liberti tui, quae prope accedebat ad similitudinem scripturae patroni. Cf. VII. 2, 3.

Sed ad rem venio ɔ: ad ea, quae scribis de Dolabella, meo debitore. Cf. XIV. 18, 1. XVI. 3, 5.

et quidem mea causa facere et rei publicae, qui illum oderim. Vulgo inserunt *me* ante *mea*, et quum in cod. Med., de quo solo constat, scriptum sit *cui illum oderim*, alii scripserunt *ut i. od.* alii *cur i. od.* Mihi autem Cicero scripsisse videtur: *idque prae me feram, me quidem non mea causa facere, sed rei publicae, qui illum oderim.* Quamvis enim Cicero suam quoque iniuriam ulcisci vellet, volebat tamen videri rei publicae nomine agere in Dolabellam.

defendere coepisset. Cf. epist. Ciceronis ad Dolab. post ep. 17, lib. XIV.

§ 2. Consului, quae de h. l. disputarunt duo eximii ICti, Kellerus in libro *de Litis contestatione* Turici anno 1827 edito, p. 463—479 et Ph. E. Huschkius in disp. peculiari, quae invenitur in Diario iurisprudentiae historicae, XIV. 1, p. 42—70. Orellius, qui Huschkii labore non potuit uti, cum Kellero facit inseruitque *non* in verbis *ut sponsores appellentur*, nimiaque religione in alt. edit. scripsit *procuratorem introducere*, quum tamen sententia aperte *procuratores* postulet et Dolabellae *procuratores* nominentur Fam. VI. 18, 5 et XVI. 24, 2. At Huschkius egregie demonstravit negationem illam plane repugnare Ciceronis menti, quam Kellerus male perspexerat. Illius disputatio huc fere redit. Cicero accurate distinguit inter debiti *diem* et *summam*. Diem solutionis saepius iam prorogatam Attico constituendam permittit; summam in iure severe exigi vult, sed tamen Dolabellae existimationi parcere. Poterat enim ipsum Dolabellam in ius vocare et, si absentis procuratores, quibus *mandati contraria actio* adversus hominem sine re et sine fide non multum praesidii afferret, causam relinquerent, postulare ut in possessionem bonorum mitteretur, quae postea praeconi subiiceret. Sed hoc fieri non poterat *sine summa* debitoris *ignominia* et infamia. Itaque hoc modo ius suum persequi nolebat. Restabat, ut sponsores appellaret. Atque hoc

faciam, ut tu censueris; de summa autem agi prorsus vehementer et severe volo. Etsi sponsores appellare videtur habere quandam δυσωπίαν, tamen hoc quale sit consideres velim: possumus enim, ut sponsores appellemus, procuratores introducere — neque enim illi litem contestabuntur —; quo facto non sum nescius sponsores liberari, sed et illi turpe arbitror eo nomine, quod satisdato debeat, procuratores eius non dissolvere, et nostrae gravitatis ius nostrum sine summa illius ignominia persequi. De hoc quid placeat rescribas velim, nec dubito quin hoc totum lenius administraturus sit. 3. Redeo ad rem publicam. Multa mehercule a te saepe in πολιτικῷ genere prudenter, sed his litteris nihil prudentius: »quamquam enim † postea in praesentia belle iste puer retundit Antonium, tamen exitum exspectare debemus."

se facere velle declarat et suum consilium defendit ab iis, quae ab aliis vel ab Attico contra dici posse putaret. Nam etsi summo iure poterat convenire sponsores ante reum principalem, tamen *verecundia* quaedam ab hoc consilio dehortari videbatur, non quo sic Dolabellae iniuria fieret, sed quia iniquum erat in sponsores ipsos. Igitur, ne inhumanus videretur, aliud excogitaverat. Volebat enim *procuratores introducere,* id est, iis, quos in ius vocare non poterat, debitorem absentem appellando imponere quasi necessitatem in ius veniendi. Sic demum sine ulla reprehensione sponsores appellare poterat, quando procuratores debitum, quod negare non poterant, non solverent. At procuratoribus licebat litem contestari; quod si fecissent, actio in sponsores peribat. Itaque periculum erat, ne Cicero hac ratione male suis rebus prospiceret. Scio, inquit, hoc ita esse; sed illi litem non contestabuntur (quod Belgice est: zij zullen over de schuld geen proces voeren). Causam, cur ita statuat, non addit, sed facile hanc esse patet, quia sic se ipsi obligarent, quod Dolabella mandante, qui tanto aere alieno laborabat, nemo sanae mentis auderet. Haec est Huschkii sententia, quam et ICtorum testimoniis et auctoritate Quintiliani Declam. 273 confirmat, ubi sponsor in iudicium adductus, defendit non esse exigendum a se creditum, nisi prius convento eo, cui pecunia esset data: non enim aliter salvo pudore sponsorem appellari. — Laelius quoque Taurellus de h. l. quid sentiret explicuit in epistola anno 1545 Florentiae scripta, quam cognovi ex Ind. lect. Acad. Turic. a. 1847, p. 13—16. Quaestionem tamen, ut ipse initio profitetur, non absolvit. — De δυςωπία cf. ad XIII. 33, 2.

ut sponsores appellemus. Vulgo post Bosium et Lamb. edunt *appellentur*, quod tamen non certa codicis auctoritate nititur. In Med. Oxonn. et Ball. scriptum est *appellemur*, quod facilius ex *appellemus*, quam ex *appellentur* depravatum esse Orellio concedimus. Utrumvis eligas, sententia non mutatur.

quo facto ɔ: quod si fit, si procuratores litem contestantur.

§ 3. *quamquam enim † postea in praesentia* cet. Ita nemo scribere potest. Sed quum multi in his emendandis feliciter versati sint, auctor sum ut vel cum I. Fr. Gronovio reponatur: *quamquam enim potest* (scil. *retundere) et in praesentia belle iste puer retundit A.*, vel cum Orellio: *quamquam enim potest in praesentia belle iste puer retundere A.* Nam quod hic postea Attico obtrudere voluit vocabulum comicum *postprincipia*, vehementer displicet, quod et longius a codicum scriptura recedit et minime hic aptum est. *Postprincipia* sunt enim, quae sequuntur post principia, quum in aliqua re longius progressi sumus et iam fere ad exitum pervenimus, ut apparebit inspicienti quae laudari solent e Plauti Persa IV. 1, 3 et e Varrone apud Gellium XVI. 18 extr., ne utar versu Afranii apud Ciceronem in Sest. 118 sine dubio corrupto et egregie, nisi omnia me fallunt, emendato a Peerlkampio in Ravii Var. Lect. libro a. 1834 edito, p. 49. Neque placet suspicio Moseri Symb. Crit. VI. p. 18, qui *postea* in alienum locum devenisse putabat, verbaque ita re-

At quae contio! — nam est missa mihi —, iurat, »ita sibi parentis honores consequi liceat,” et simul dextram intendit ad statuam: μηδὲ σωθείην ὑπό γε τοιούτου! Sed, ut scribis, certissimum esse video discrimen Cascae nostri tribunatum, de quo quidem ipso dixi Oppio, quum me hortaretur ut adolescentem totamque causam manumque veteranorum complecterer, me nullo modo facere posse, (nisi) mihi exploratum esset eum non modo non inimicum tyrannoctonis verum etiam amicum fore. Quum ille diceret ita futurum: »quid igitur festinamus?” inquam. »Illi enim mea opera ante Kalend. Ianuar. nihil opus est, nos autem eius voluntatem ante Idus Decembr. perspiciemus in Casca”. Valde mihi assensus est: »quamobrem haec quidem hactenus. Quod reliquum est, quotidie tabellarios habebis, et, ut ego arbitror, etiam quod scribas habebis quotidie. Leptae litterarum exemplum tibi misi, ex quo mihi videtur στρατύλλαξ ille deiectus de gradu; sed tu, quum legeris, existimabis.

4. Obsignata iam epistola litteras a te et a Sexto accepi. Nihil iucundius litteris Sexti, nihil amabilius: nam tuae breves, priores erant uberrimae. Tu quidem et prudenter et amice suades, ut in his locis potissimum sim, quoad audiamus haec, quae commota sunt, quor-

stituebat: *quamquam enim in praesentia belle iste puer retundit Antonium, tamen postera et exitum exspectare debemus.*

At quae contio! Manutius et Popma significari putant orationem habitam ab Octaviano in contione convocata a Canutio trib. pl., cuius mentio fit apud Appianum B. C. III. 41 et Dionem XLV, 6. Recte omiserunt testimonium Ciceronis ipsius ex epist. ad Cassium, Fam. XII. 3. Nam quum ea contio habita sit a d. VI Non. Oct. et Ciceroni turpissima videretur, nunc certe de alia recentiore scribit. Atque bis a Canutio productum fuisse Octavianum tradit quoque Dio XLV. 6 et 12. De illa scripsit Cicero Cassio, de hac hoc loco cogitandum.

certissimum — tribunatum. P. Servilius Casca, unus e percussoribus Caesaris, a. d. IV Id. Dec. tribunatum initurus erat. Si non impediret Octavianus, inde coniecturam capere licebat, qua mente in remp. esset futurus. Atque hic Casca, quem minus accurate iam anno 710 ἐκ τῶν δημάρχων fuisse scribit Dio XLIV. 52, tribunatum gessit, Cic. Phil. XIII. 31, sed metu Octaviani urbem reliquit et a republica remotus est. Dio. XLVI. 49.

etiam quod scribas habebis quotidie. Miror Orellium a Wesenbergio p. 56 admonitum tamen *quid* retinuisse, quod h. l. plane absurdum est.

στρατύλλαξ. Cod Med. dat *stratillax.* Dubium itaque manet, scripseritne Cicero στρατύλλαξ ɔ: *imperatorculus*, an στρατήλλαξ, quod video placuisse Sim. Bosio in epist. ad Ios. Scaligerum data in Syll. Burmann. II p. 309. Nam hoc quoque conveniret in M. Antonium, qui eo tempore militum animos valde a se abalienavit. Vid. Appian. B. C. III. 43. Neutrum voc. scriptoris Graeci auctoritate confirmatur; sed fortasse Cicero illud invenit apud comicum nunc deperditum, aut e Plauti Truculento desumpsit, ubi servus, qui *stratilax* appellatur, *stratullax* vocari debet. Cf. Bergk, Kleine philol. Schr. I p. 5, ubi cum eo comparatur θορυβύλλαξ.

deiectus de gradu proprie dicitur miles vel gladiator, qui ab adversario de loco et statu movetur. vid. Broukhusius ad Prop. I. 13, 8. Drak. ad Liv. VI. 32, 8.

§ 4. *nam tuae breves, priores erant litterae uberrimae.* Sic Med. Non credo haec veram Tullii manum referre. Certe non planum

sus evadant; 5. sed me, mi Attice, non sane hoc quidem tempore movet res publica — non quo aut sit mihi quicquam carius aut esse debeat, sed desperatis etiam Hipprocrates vetat adhibere medicinam; quare ista valeant — me res familiaris movet: rem dico? immo vero existimatio. Quum enim tanta reliqua sint, ne Terentiae quidem adhuc quod solvam expeditum est: Terentiae dico? scis nos pridem iam constituisse Montani nomine HS. $\overline{\text{xxv}}$. dissolvere. Pudentissime hoc Cicero petierat uti de suo; liberalissime, ut tibi quoque placuerat, promiseram Erotique dixeram, ut sepositum haberet: † non modo, sed iniquissimo faenore versuram facere Aurelius coactus est. Nam de Terentiae nomine Tiro ad me scripsit te dicere nummos a Dolabella fore: male eum credo intellexisse, si quicquam male intelligit,

est, quas dicat litteras *priores*. Fortasse scribendum: *nam tuae breves, etsi res erant uberrimae.*

§ 5. *non quo medicinam* cet. Manifesta oppositio inter illa: *me non movet res publica* et haec: *me res familiaris movet,* nisi verba ita ut feci interpunguntur, oblitteratur.

Terentiae dico. Recte sic correxit Lambinus, quod e codd. affertur *Terentiam dico.* Non minus enim in quaestione eiusmodi v. *dico* componitur cum casu nominis praecedentis, quam ubi adiungitur alicui vocabulo, quod perspicuitatis causa additur aut repetitur. Cf. Madv. Gr. Lat. § 243 adn. 3 interpr. meae et haec exempla e Plinii Epist. III. 2, 2. *Arrianus Altinatium est princeps. Quum dico princeps, non de facultatibus loquor.* Ibid. 5, 14. *Solum balinei tempus studiis eximebatur. Quum dico balinei, de interioribus loquor,* quo loco, ut hoc obiter moneam, *de interioribus* quum ferendum non sit, scribendum suspicor *de immersionibus.* Non dubito igitur, quin paullo ante Cicero recte scripsisset *res dico;* sed accusativus ibi ad praecedentem nominativum relatus minus offensionis habet, quam hic praecedente dativo.

scis nos pridem cet. Lucem haec accipiunt ex ep. 52 lib. XII. Montanus enim praes pro Flaminio debebat Planco XXV HS; quam pecuniam Cicero filius, quocum Montanus in Graeciam profectus erat, patrem ut solveret rogarat. Cicero filii rogatu promiserat et receperat, ut Montani nomine Planco solveret. *Uti de suo* proxime ad ductum Med., in quo est *ut inde suo,* scripsi, quoniam id quod Lambinus attulit e Torn. *ut fide sua* falsum videtur. Neque enim Marcus filius ea aetate erat, ut fide iubere posset. Sed verecunde poterat patrem rogare, ut illa pecunia detraheretur de eo, quod sibi in annuum sumptum erat constitutum. Cicero pater liberaliter responderat se non decucturum esse a filii pensione annua.

† *non modo, sed iniquissimo faenore.* Ad sanandum h. l. aliquando putabam satis esse, si scriberem: *Non modico, sed* cet., quod vidi Baitero quoque in mentem venisse. Sed praestat, opinor, de Pii coni. transponere: *non modo versuram facere, sed iniq. faenore A. coactus est.* Recepit W.

Aurelius. Bene Corradus coniecit hunc fuisse Montani procuratorem. Non diversum puto ab eo Aurelio, qui memoratur ad Fam. XVI. 24, 1 mense Maio a. 710.

nummos a Dolabella fore ɔ: solutum iri Terentiae de eo, quod Dolabella numerabit. Ita et nos loquimur: dat het geld van D. zal komen.

si quisquam male intelligit. Malaspina haec explicat e quadam sermonis elegantia, qua significabant aliquem in eo genere, de quo agatur alios superare. Secundum eum Cicero voluit: Male Tiro intellexit, ut qui pessime vel potius nihil intellexit. Mihi contra haec non ad reprehensionem, sed potius ad laudem Tironis addita videntur, quod obtinebo lenissima correctione: *si quicquam male intelligit.* Itaque non *male* intellexerat Tiro, sed *nihil* intellexerat, et Ciceroni quasi ab Attico sibi dictum perscripserat, de quo Atticus ne cogitaverat quidem.

Cocceii responsum. „Cocceius unus e pro-

potius nihil intellexisse: tu enim ad me scripsisti Cocceii responsum et iisdem paene verbis Eros. 6. Veniendum est igitur vel in ipsam flammam: turpius est enim privatim cadere quam publice. Itaque ceteris de rebus, quas ad me suavissime scripsisti, perturbato animo non potui ut consueram rescribere. Consenti in hac cura mecum, ut me expediam, quibus autem rebus venit quidem mihi in mentem, sed certi constituere nihil possum, priusquam te videro. Qui minus autem ego istic recte esse possim, quam est Marcellus? sed non id agitur, neque id maxime curo; quid curem vides. Adsum igitur.

curatoribus Dolabellae Attico pecuniam Ciceronis nomine petenti ita responderat, ut sperandum nihil omnino videretur." Manutius.

§ 6. *cadere* ɔ: non posse stare, creditoribus suis non satisfacere. Cf. Suet. Oth. 5: *Neque dissimulabat nisi principem se stare non posse: nihilque referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet.* et Iuven. Sat. 11, 13 *cito casurus.* Similem vim habet *corruere,* ut in Cat. II. 21 *si stare non possunt, corruant.*

Consenti in hac cura mecum, ut me expediam. Ex libris editur *Consenti in hac cura, ubi sum,* quod neque Latinum est, et inanem explicationem continet. *Consentire* enim nude positum non est una deliberare, et qui dicit *in hac cura* non addit *ubi sum,* aut *in qua sum,* quod Mosero Symb. Crit. VI. p. 16 rescribendum videbatur. Pro *ubi sum* in Oxon. ⅌ et Ball. erat *invisum,* in cod. Reg. *in usum,* quae ipsa scripturae diversitas me movit, ut corrigerem *mecum,* quo facto omnis difficultas tollitur. *Consentire cum aliquo* esse i. q. conspirare cum aliquo, aliquid cum altero tractare, nemo ignorat. Madvigius A. C. III p. 192 corrigens *Consenui in hac cura* ceteraque retinens, non mihi videtur verum invenisse.

sed certi constituere nihil possum. Codd. dant *certe,* unde facile *certi* efficias.

istic ɔ: in urbe. *Adsum* ɔ: paro me ad iter et mox adero.

XVI. (*A. U. C.* 710.)

1. Iucundissimas tuas legi litteras. Ad Plancum scripsi, misi: habes exemplum. Cum Tirone quid sit locutus, cognoscam ex ipso. 2. Cum sorore ages attentius, si te occupatione ista relaxaris.

§ 1. *Ad Plancum scripsi, misi.* In Med. *misi* deletum est. Sed quum in Crat. ed. inveniatur, retinui.

quid sit locutus np. Plancus, nisi scribendum *sis,* ut Corradus volebat.

§ 2. *Cum sorore ages attentius.* Scripta est haec epistola post ep. XIV, 13, unde apparet Quintum cum uxore sua Pomponia divortium fecisse § 5. Itaque suspicari licet hic agi de restitutione dotis.

occupatione ista ɔ: re Buthrotia, de qua in epistolis huic additis agitur.

A.

M. CICERO L. PLANCO PRAET. DES. S.

3. Attici nostri te valde studiosum esse cognovi, mei vero ita cupidum, ut mehercule paucos aeque observantes atque amantes me habere existimem; ad paternas enim magnas et veteres et iustas necessi-

tudines magnam attulit accessionem tua voluntas erga me meaque erga te par atque mutua. 4. Buthrotia tibi causa ignota non est: egi enim saepe de ea re tecum tibique totam rem demonstravi, quae est acta hoc modo Ut primum Buthrotium agrum proscriptum vidimus, commotus Atticus libellum composuit: eum mihi dedit, ut darem Caesari; eram enim cenaturus apud eum illo die. Eum libellum Caesari dedi: probavit causam, rescripsit Attico aequa eum postulare, admonuit tamen, ut pecuniam reliquam Buthrotii ad diem solverent. 5. Atticus, qui civitatem conservatam cuperet, pecuniam numeravit de suo. Quod quum esset factum, adiimus ad Caesarem, verba fecimus pro Buthrotiis, liberalissimum decretum abstulimus, quod est obsignatum ab amplissimis viris. Quae quum essent acta, mirari equidem solebam pati Caesarem convenire eos, qui agrum Buthrotium concupissent, neque solum pati, sed etiam ei negotio te praeficere: itaque et ego cum illo locutus sum, et saepius quidem, ut etiam accusarer ab eo, quod parum constantiae suae confiderem, et M. Messallae et ipsi Attico dixit, ut sine cura essent, aperteque ostendebat se praesentium animos — erat enim popularis, ut noras — offendere nolle: quum mare transissent, curaturum se ut in alium agrum deducerentur. 6. Haec illo vivo; post interitum autem Caesaris, ut primum ex senatusconsulto causas consules cognoscere instituerunt, haec, quae supra scripsi, ad eos delata sunt: probaverunt causam sine ulla dubitatione seque ad te litteras daturos esse dixerunt. Ego autem, mi Plance, etsi non dubitabam quin et senatusconsultum et lex et consulum decretum ac litterae apud te plurimum auctoritatis haberent, teque ipsius Attici causa velle intellexeram, tamen hoc pro coniunctione et benevolentia nostra mihi sumpsi, ut id a te peterem, quod tua singularis humanitas suavissimique mores a te essent impetraturi: id autem est, ut hoc, quod te tua sponte facturum esse certo scio, honoris nostri causa libenter, prolixe, celeriter facias. 7. Mihi nemo est amicior nec iucundior nec carior Attico, cuius antea res solum familiaris agebatur eaque magna, nunc accessit etiam existimatio, ut,

L. PLANCO PRAET. DES. Haec epistola et duo quae sequuntur B et E missae sunt ad L. Plotium Plancum, fratrem germanum L. Munatii Planci, qui anno 712 cum M. Aemilio Lepido consul fuit. Quum adoptione transiisset in gentem Plautiam praenomen, quod habebat, mutavit, cognomen Plancum retinuit. Male Schuetzius pro *L.* scripsit Cn. cf. Borghesi Oeuvres V. I p. 200 sqq.

§ 4. *Libellum* supplicem. Eadem vi legitur apud Suetonium Aug. 53. Calig. 15.

§ 5. *ei negotio* ɔ: agro Buthrotio dividendo.

§ 6. *ex SCto.* Cf. ep B init.

quod consecutus est magna et industria et gratia et vivo Caesare et mortuo, id te adiuvante obtineat: quod si a te erit impetratum, sic velim existimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo summo beneficiò me affectum iudicem. Ego, quae te velle quaeque ad te pertinere arbitrabor, studiose diligenterque curabo. Da operam, ut valeas.

§ 7. *me de tua liberalitate ita interpretaturum* ɔ: me quod attinet ad tuam liberalitatem id ita accepturum. Cf. Menckenii Observ. Lat. ling. p. 532.

B.

CICERO PLANCO PRAET. DES. S.

8. Iam antea petivi abs te per litteras, ut, quum causa Buthrotiorum probata a consulibus esset, quibus et lege et senatusconsulto permissum erat, ut de Caesaris actis cognoscerent, statuerent, iudicarent, eam rem tu adiuvares Atticumque nostrum, cuius te studiosum cognovi, et me, qui non minus laboro, molestia liberares; omnibus enim rebus magna cura, multa opera et labore confectis, in te positum est, ut nostrae sollicitudinis finem quam primum facere possimus, quamquam intelligimus ea te esse prudentia, ut videas, si ea decreta consulum, quae de Caesaris actis interposita sunt, non serventur, magnam perturbationem rerum fore. 9. Equidem, quum multa — quod necesse erat in tanta occupatione — non probentur, quae Caesar statuerit, tamen otii pacisque causa acerrime illa soleo defendere; quod tibi idem magno opere faciendnm censeo, quamquam haec epistola non suasoris est sed rogatoris. Igitur, mi Plance, rogo te et etiam oro, sic mediusfidius, ut maiore studio magisque ex animo agere non possim, ut totum hoc negotium ita agas, ita tractes, ita conficias, ut, quod sine ulla dubitatione apud consules obtinuimus propter summam bonitatem et aequitatem causae, id tu nos obtinuisse non modo facile patiare, sed etiam gaudeas; qua quidem voluntate te esse erga Atticum saepe praesens et illi ostendisti et vero etiam mihi. Quod si

§ 8. *ut — iudicarent* cf. Phil. II. 100, unde apparet consules ex Kal. Iuliis ea quae Caesar decrevisset et egisset cum consilio cognoscere debuisse.

decreta — quae — interposita sunt ɔ: facta sunt. Similiter in Pison. 4 *interpositam senatus auctoritatem* memorat.

§ 9. *quod necesse erat in tanta occupatione* ɔ: quod non poterat aliter fieri in homine tot negotiis obruto. Sic in orat. p. Rosc. Am., 22 multi dicuntur Sullae *occupationem* observasse.

rogo te et etiam oro. Quum orare plus sit quam rogare, recte hoc illi tanquam gravius

feceris, me, quem voluntate et paterna necessitudine coniunctum semper habuisti, maximo beneficio devinctum habebis, idque ut facias te vehementer etiam atque etiam rogo.

particulis *et etiam* subiicitur. Cf. Heusingerus ad Corn. Nepotis fragmenta Mallio Theodoro addita p. 144. Hand. Turs. II. p. 522 et 551 et Dietrich. in Diar. Antiq. a. 1845. Suppl. fol. 5, p. 40 sq.

C.

CICERO CAPITONI SUO S.

10. Nunquam putavi fore ut supplex ad te venirem, sed hercule facile patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Atticum quanti faciam scis. Amabo te, da mihi et hoc: obliviscere mea causa illum aliquando suo familiari, adversario tuo, voluisse consultum, quum illius existimatio ageretur. Hoc primum ignoscere est humanitatis tuae; suos enim quisque debet tueri; deinde, si me amas — omitte Atticum — Ciceroni tuo, quem quanti facias prae te soles ferre, totum hoc da, ut, quod semper existimavi, nunc plane intelligam me a te multum amari. 11. Buthrotios quum Caesar decreto suo, quod ego obsignavi cum multis amplissimis viris, liberavisset ostendissetque nobis se, quum agrarii mare transissent, litteras missurum quem in agrum deducerentur, accidit ut subito ille interiret. Deinde, quemadmodum tu scis — interfuisti enim —, quum consules oporteret ex senatus consulto de actis Caesaris cognoscere, res ab iis in Kal. Iun. dilata est. Accessit ad senatusconsultum lex, quae lata est a. d. IV. Non. [Iun.], quae lex earum rerum, quas Caesar statuisset, decrevisset, egisset, consulibus cognitionem dedit. Causa Buthrotiorum delata est ad consules. Decretum Caesaris recitatum est et multi praeterea libelli Caesaris prolati. Consules de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios; ** Plancum dederunt. 12. Nunc, mi Capito —

§ 10. *Nunquam putavi* cet. I. F. Gronovius apte comparavit initium orationis, quam Sallustius in Iug. 110 Boccho tribuit.

da mihi et hoc. Recte Matthiae ad h. l. notavit ordinem legitimum futurum fuisse: „da mihi et hoc, ut obliviscaris —, et hoc, ut nunc plane intelligam, me a te amari." Constructione mutata Cicero in altero membro repetiit verba *totum hoc da.*

adversario tuo. Quem dicat ignoramus. Et de ipso Capitone incerta res est, quamquam nihil impedit, quominus hunc fuisse statuamus illum C. Ateium Capitonem, qui nominatur supra XIII. 33, 4.

omitte Atticum ɔ: si Atticum indignum beneficio tuo putas. Nisi potius scribendum: *omitto Atticum.*

§ 11. *agrarii.* Vid. ad XV. 29, 3.

a. d. IV. Non. [*Iun.*]. Seclusi Wesenbergii monitu, qui de h. l. Emend. p. 118 hoc

scio enim, quantum semper apud eos, quibuscum sis, posse soleas, eo plus apud hominem facillimum atque humanissimum Plancum —, enitere, elabora vel potius eblandire, effice ut Plancus, quem spero optimum esse, sit etiam melior opera tua. Omnino res huiusmodi videtur esse, ut sine cuiusquam gratia Plancus ipse pro ingenio et prudentia sua non sit dubitaturus, quin decretum consulum, quorum et lege et senatusconsulto cognitio et iudicium fuit, conservet, praesertim quum hoc genere cognitionum labefactato acta Caesaris in dubium ventura videantur, quae non modo ii, quorum interest, sed etiam ii, qui illa non probant, otii causa confirmari velint. 13. Quod quum ita sit, tamen interest nostra Plancum hoc animo libenti prolixoque facere, quod certe faciet, si tu nervulos tuos mihi saepe cognitos suavitatemque, qua nemo tibi par est, adhibueris: quod ut facias, te vehementer rogo.

scripsit: „quod vulgo legitur *Iun.*, quasi sic sit in margine Cratandrinae, deleo, quod si in archetypo fuit ex superiori versu repetitum est. Nam certe *Mai.* esse debebat; apertum est enim illam legem ante Kal. Iun. ad SCtum de eadem re factum accessisse. Cf. A § 6. B § 1."

** *Plancum dederunt.* Ex A § 6 Manutius legendum putat: *litteras ad Plancum dederunt.* Potest tamen etiam alia ratione hic locus emendari scribendo: *Planco rem detulerunt,* aut *Planco mandarunt.*

§ 13. *nervulos tuos.* Cf. adnot. ad XV. 4 *a.*, 1.

D.

CICERO C. CUPIENNIO S.

14. Patrem tuum plurimi feci, meque ille mirifice et coluit et amavit, nec mehercule unquam mihi dubium fuit, quin a te diligerer; ego quidem id facere non destiti. Quamobrem peto a te in maiorem modum, ut civitatem Buthrotiam subleves decretumque consulum, quod ii secundum Buthrotios fecerunt, quum et lege et senatusconsulto statuendi potestatem haberent, des operam ut Plancus noster quam primum confirmet et comprobet. Hoc te vehementer, mi Cupienni, etiam atque etiam rogo.

C. Cupiennio. Nusquam alias hoc nomen apud Ciceronem inveni. Fuisse cum Capitone inter Planci comites, videtur. De Cupienniis vid. Borghesi, Oeuvres I. p. 466 sq.

§ 14. *in maiorem modum.* Fam. XI. 22, 1. *Peto a te maiorem in modum.* Q. fr. II. 14, 3 *Eum tibi commendo in maiorem modum.*

E.

CICERO PLANCO PRAET. DES. S.

15. Ignosce mihi, quod quum antea accuratissime de Buthrotiis ad te scripserim, eadem de re saepius scribam. Non mehercule. mi Plance,

facio, quo parum confidam aut liberalitati tuae aut nostrae amicitiae, sed — quum tanta res agatur Attici nostri, nunc vero etiam existimatio, ut id, quod probavit Caesar nobis testibus et obsignatoribus, qui et decretis et responsis Caesaris interfueramus, videatur obtinere potuisse, praesertim quum tota potestas eius rei tua sit — ut ea, quae consules decreverunt secundum Caesaris decreta et responsa, non dicam comprobes, sed studiose libenterque comprobes. 16. Id mihi sic erit gratum, ut nulla res gratior esse possit. Etsi iam sperabam, quum has litteras accepisses, fore ut ea, quae superioribus litteris a te petissemus, impetrata essent, tamen non faciam finem rogandi, quoad nobis nuntiatum erit te id fecisse, quod magna cum spe exspectamus; deinde enim confido fore ut alio genere litterarum utamur tibique pro tuo summo beneficio gratias agamus. Quod si acciderit, velim sic existimes, non tibi tam Atticum, cuius permagna res agitur, quam me, qui non minus laboro quam ille, obligatum fore.

F.

CICERO CAPITONI S.

17. Non dubito quin mirere atque etiam stomachere, quod tecum de eadem re agam saepius. Hominis familiarissimi et mihi omnibus rebus coniunctissimi permagna res agitur [Attici]. Cognovi ego tua studia in amicos, etiam in te amicorum: multum potes nos apud Plancum iuvare. Novi humanitatem tuam, scio quam sis amicis iucundus. 18. Nemo nos in hac causa plus iuvare potest quam tu. Et res ita est firma, ut debet esse, quam consules de consilii sententia decreverunt, quum et lege et senatusconsulto cognoscerent; tamen omnia posita putamus in Planci tui liberalitate, quem quidem arbitramur quum officii sui et rei publicae causa decretum consulum comprobaturum, tum libenter nostra causa esse facturum: adiuvabis igitur, mi Capito; quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

§ 17. *Attici.* Si Cicero necessarium putasset amici nomen addere, scripsisset potius: *T. Pomponii.* Sed *Attici* a librariis additum videtur.

§ 18. *Et res — cognoscerent; tamen omnia* cet. Cum W. scribendum videtur: *Etsi res — cognoscerent, tamen* cet.

esse facturum. Gron. suspicabatur ante haec verba inserendum esse *id.*

ADDENDA.

1, 4. *ne contra* in M. omissa, sed ad sententiam necessaria, habet Rav.

3, 2. *non vidimus.* Pluygersii coni. *nondum vidimus* bonis argumentis reiecit Klotzius in prooemio ed. sec. p. XLIX seq.

12, 3. *servulae.* Usitatius esset *ancillae,* sed Cicero videtur quaesivisse allitterationem scribendo *servulae servatum.* Deminutivum *servulus* legitur in Or. p. Quintio, 27.

13, 1. *pellectione.* Verbum *pellego* servatum est in ep. ad Att. XIII. 44, 2.

14, 5. *Romanae autem se res sic habent.* Codex R. meliori ordine voces sic ponit: *R. autem res sic se habent.*

14, 6. *post illam contionem, in qua ab eo senatus laudatus est.* In R. *in* omittitur. Praepositio recte abest, si contionem interpretamur orationem in contione habitam.

18, 1. *non homo, sed litus.* Plura similia congessit Aem. Baehrens ad Catulli v. l.

18, 3. *hic nunc ille annus.* Ut Tacitus, sic Vergilius Aen. VII. 255 et 272 *hunc illum* pro *hunc talem* posuit. Cicero non videtur ita usurpasse. Nam in Or. p. Flacco, 52 in verbis: *Huic illi legato — patronum suum — tradidissent,* pronomine *illi* designantur Tralliani.

19, 8, *nihil enim denique.* In R. est: *nihil iam denique,* ut vulgo editur.

II. 5, 1. *excipiamus et exspectemus.* Assentior Kaysero verba transponenti. Nam exspectatio praecedit, sequitur rei exceptio.

9, 4. *Nunc audi quod quaeris.* Wes. in Emend. alt. p. 90 non recte citavit, quod Malaspina in codice Faerni invenisse se scripsit. Erat enim: *Nunc ad id, quod quaeris.* Verum puto. Nihil opus est verbo *audi.* Cf. III. 8, 3 *Nunc ad ea, quae scripsisti.*

16, 1. *pedisequorum.* Haec scriptura nominis confirmatur inscriptionibus. Cf. Ephem. epigr. V p. 115 seq.

6, 4. *Si possum discedere.* Carolus Giambelli in Tabul. philol. Taurinensi IX. fasc. 5 coniecit: *Si possum id defendere.*

19, 3, *volare dicebantur.* Volare est celeriter ire, properare, ut in Catulli c. 46, 6 *ad claras Asiae volemus urbes,* et in Apologia Apulei, 83 *si verba pinnis apta vulgo volarent.*

20, 3. *sine internecione.* Mommsenus in Ephem. epigr. V. p. 155 ad verba iurisiurandi Aritiensium *bello internicivo* observat eam esse nominis formam genuinam. Ergo legatur *sine internicione.*

21, 1. *omnia perdiderunt.* Cf. Corn. Nep. in Eum. 8 *ut sua intemperantia nimiaque licentia omnia perdant,* et Livius in praef. § 12 *desiderium —pereundi perdendique omnia.*

24, 2. *itaque insinuavit.* Cf. Wesenbergius in Emend. alt. p. 9 seq.

III. 14, 1. *etsi scio.* Malaspina ita scripsit e codice Faerni, quocum facit codex R.

15, 1. *me obiurgas.* In R. quoque add. *et rogas.* Wes. id recepit, ego male sprevi.

25. *sed bonam in partem accipies.* Scribendum puto : *id bonam in p. a. — id* sc. quod dicturus sum.

26. *legum lationem.* Suspicor Ciceronem scripsisse *legis lationem.* Nam agitur de sola lege, qua revocaretur ab exsilio.

IV. 1, 4. *quum Brundisii essem* post *cognovi* delevi. Leguntur tamen in R., ut in Z.

5, 3. *sed viderimus,* ut in ep. seq. § 4. XII. 5, 1 *sed ipse viderit.* XII. 21, 1 *sed haec iterum ipse viderit.* At X. 4, 11 *sed haec videbimus.*

9, 2. *Quod Lucceio scribis te nostram gloriam commendaturum.* Spectant ad Ciceronis desiderium, de quo scripsit in ep. 6, 4.

17, 3. *Rantius.* Hoc nomen legitur quoque in subscriptione SCti a. d. XVII Kal. Nov. anni DCLXXXI facti et nuper Oropi reperti. Cf. Mommsenus in Herma XX p. 284.

V. 14, 1. *spatium* ɔ: tempus vacuum, otium. Cf. Fam. IX. 5, 3 *mihi si spatium fuerit in T. ante Nonas veniendi.* XV. 17, 1 *si mihi aliquid spatii ad scribendum darent.*

VI. 1, 7. *cum eo, quod — fiat* ɔ: cum hac cautione, ut — fiat. Locutionem illustravit Madvigius iu Emend. Livianis ad VIII. 12, 16.

1, 25. *comedisse.* „Hinc *comedum* bona sua consumentem antiqui dixerunt" Paulus e Festo p. 58.

VII. 1, 2. *dimicationem, sed tantam.* Exemplis allatis add. Ciceronis in Bruto, 247 hoc: *perfectus litteris, sed Graecis* ɔ: perfectus litteris, non utrisque, sed Graecis solis.

8, 1. *tam valde.* Saepius Cicero haec coniunxit, ut Fam. V. 6, 1, de Leg. II. 2 et *quam valde* Fam. VII. 15, 2.

VIII. 11, 7. *librum — ad te missum.* Eadem locutio invenitur Att. XII. 40, 1 et 44, 1. de N. D. I. 16. de Div. II. 3.

IX. 10, 9. *illi — ἀσμένιστον fore.* Cf. IX. 2a., 2, ubi in multis editt. male ἀσμε–

νέστερον legitur. ἀσμένιστον est superlativus adiectivi ἄσμενος. — ἀσμενιστόν esset adiectivum derivatum a verbo ἀσμενίζω.

X. 7, 2. *Philotimum libertum*. XIII. 33, 1 iterum nominatur *Philotimus libertus*. Fortasse hoc nomine designatur libertus Ciceronis, diversus a Terentiae liberto Philotimo, cuius frequens in epistolis mentio est.

12a, 2. *Non credo* cet. Giambellus l. l. verba sic distinxit: *Non credo. Utut est luculentus auctor, potuisse certe teneri illam provinciam scio.*

XIII. 14, 2. *induci* ɔ: deleri, ut IV. 17, 2 *nominibus inductis*.

XIV. 1, 4. *quid est autem cur ego personatus ambulem?* A. Palmer observavit haec verba efficere senarium et desumpta putat ex aliqua tragoedia.

XV. 10, *Dionis legatio*. Cf. Corn. Nep. in Dione, 4. Plut. Dion. 15.

INDICES RERUM ET VERBORUM, DE QUIBUS IN ADNOTATIONE AGITUR.

I.

INDEX LOCORUM EX ALIIS SCRIPTIS, QUI EMENDANTUR VEL EXPLICANTUR.

Caesar de B. G. I. 2...... XI. 6, 2.
„ „ I. 31..... X. 4, 8.
„ de B. C. III. 53... VIII. 14, 1.
Cicero in Bruto, 10....... VII. 22, 1.
„ „ 88....... V. 14, 1.
„ p. Caecina 49...... IIII. 5, 1.
„ p. Caelio 23........ I. 18, 1.
„ „ 56........ XIIII. 1, 1.
„ in Catil. I. 15...... VI. 1, 2.
„ in Clod. et Curion. 4,
2 et 4........... I. 16, 10.
„ p. Deiot 17........ VII. 2, 3.
„ ad Famil. I. 1, 3. IX. 9, 1.
„ „ I. 7, 1. I. 13, 1.
„ „ I. 7, 5. III. 8, 4.
„ „ I. 10... III. 20, 1.
„ „ II. 12, 3. I. 16, 4.
„ „ II. 15, 3. VIII. 2, 4.
„ „ II. 16, 2. XII. 34, 1.
„ „ V. 12... IIII. 6, 4.
„ „ XII. 1, 1. XV. 4a, 3.
I „ XIII. 1, 5. XVI. 14, 3.
„ „ XIII. 10, 1. IX. 7B., 3.
„ „ XIII. 29, 4. XIIII. 14, 2.
„ „ XIIII. 4, 3. III. 8, 1.
„ de Legib. I. 3..... I. 10, 1.
„ p. Murena, 6...... VI. 1, 2.
„ de Orat. I. 90.... II. 24, 2.
„ „ I. 142.... I. 6, 2.
„ „ I. 229.... IIII. 2, 1.
„ „ II. 16.... VII. 13a., 1.
„ „ II. 149.... II. 24, 2.
Cicero de Orat. II. 256.... II. 1, 10.
„ Philipp. II. 91..... XV. 27, 3.
„ p. Planc. 26....... XI. 15, 2.
„ ad Q. fr. I. 4, 1... III. 20, 1.
„ „ II. 2, 1... IIII. 2, 7.
„ p. Rosc. Am., 144.. I. 18, 5.
„ p. Sestio 50....... X. 8A., 2.
„ „ 122....... VII. 8, 2.
„ pro Sulla 49....... XIII. 38, 2.
„ Tuscul. V. 39...... XIII. 38, 2.
„ „ V. 58...... I. 16. 10.
„ in Verrem IV. 135. I. 16, 9.
Cornelius Nepos in Dat. 8. VII. 14, 3.
Iustinus II. 9............. IX. 1, 3.
Livius XXIX. 34......... II. 12, 4.
„ XXXIIII. 33......... IIII. 18, 4.
„ XLII. 62......... V. 20, 9.
Lucilius ap Non. 536...... I. 13, 1.
Plinius Epist. III. 5....... XVI. 15, 5.
„ Hist. nat. Praef. 9.. IIII. 15, 7.
„ „ 17.. XV. 27, 2.
„ „ VII. 86.. I. 17, 9.
Quintilianus I. O. V. 10, 87. I. 17, 8.
„ „ VIII. 3, 25. XII. 6, 4.
Rutilius Lupus I. 7....... XI. 15, 2.
Seneca de morte Claudii, 9. I. 16, 13.
Servius ad Georg. I. 7..... II. 8. 2.
Sisenna ap. Non. 161...... II. 15, 3.
Tacitus Ann. IV. 40...... II. 24, 3.
Terentius Phorm. V. 8, 78. VIII. 4, 1.
Vergilius Aen. III. 435... XI. 9, 3.

II.

INDEX GRAECUS.

α.

ἀγωνητεύτως XII. 3, 1.
ἀγών I. 16, 8.
ἀδιαφορία II. 17, 2.
αἴκε δύνηαι XIII. 12, 3.
Ἀκαδημικὴ (συντάξις) XIII. 12, 3.
ἀκηδία XII. 45 2.
ἀκκίζεσθαι II. 19, 5.
ἀκοινωνήτως VI. 1, 7.
ἀκραές X. 17, 3.
ἀκρωτηρίων οὔρια V. 12, 1.
ἄλη *voc. dubium.* X. 1, 4.
ἀλίμενα IX. 13, 5.
ἅλις δρυός II. 19, 1. σπουδῆς II. 1, 8.
ἀλογευόμενος VI. 4, 3.
ἀνέκδοτα II. 6, 2.
ἀνεξία V. 11, 5.
ἀνηθοποίητος X. 10, 6.
ἀξιοπίστως XIII. 37, 2.
ἀπαῤῥησίαστον IX. 2a, 2.
Ἀρκαδίαν X. 5, 2.
ἀσιτία *de coniectura* XIIII. 19, 1.
ἀσμεναίτατα XIII. 22, 1.
ἀσμένιστον IX. 10, 9 in Add.
ἀτύπος Balbus XII. 3, 2.
αὐτῇ βουλύσει XV. 27, 3.
ἄφρακτα — δίκροτα — ἐπίκωποι V. 11, 4.

β.

βαθύτης IIII. 6, 3.
βεβίωται XII. 2, 2.
βοῶπις II. 9, 1.

γ.

γενικώτερον IX. 10, 6.

δ.

δέῤῥεις IIII. 19, 1.
διατροπή IX. 13, 6.
διαφάσεις II. 3, 2.
Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ IX. 9, 1.
διπλῇ VIII. 2, 4.
διφθέραι XIII. 32, 3.
δυσεκίλλητα? V. 10, 4.
δυσχρηστία XVI. 7, 6.
δυσωπία XIII. 33, 2.

ε.

ἐγγήραμα XII. 25, 2.
ἐκβολὴ λόγου VII. 1, 6.
ἐκιταονον, *vitiosum* X. 13, 3.
ἐκτένεια X. 17, 1.
ἐκτοπισμός XII. 12, 1.
ἑλικτὰ καὶ οὐδὲν II. 25, 1.
ἐμετικὸν agere XIII. 52, 1.
ἐμπέρπερεύομαι I. 14, 4.
ἐν αἰνιγμοῖς II. 19, 5.
ἐν δυνάμει IX. 6, 6.
ἐνερευθής XII. 4, 1.
ἐνσχολάζω σοι *corruptum* VII. 11, 2.
ἐξακανθίζειν VI. 6, 1.
ἐπέστησε XIII. 38, 1.
ἐπικεφάλια V. 16, 1.
ἐπισημασίαι I. 16, 11.
ἐπίτηκτα VII. 1, 5.
ἑπταμηνιαῖος X. 18, 1.
ἔρδοι τις V. 10, 3.
ἔτ᾽ ἐῶμεν XVI. 1, 1.
εὐαγγέλια II. 3, 1.
Εὐμολπιδῶν πάτρια I. 9, 2.

εὐπινές XII. 6, 4.
εὐρίπιστα XIIII. 5, 2.

ζ.

ζηλοτυπία X. 8 A, 1.
ζώσης φωνῆς II. 12, 2.

η.

ἦθος ἀγχίμολον? X. 12 b, 4.
ἡλίου ἀνάθημα *suspectum* I. 1, 5.

ϑ.

ϑέσεις IX. 4, 1.

κ.

καὶ τόδε Φωκυλίδου IIII. 9, 1.
Καλλιπίδης XIII. 12, 3.
καταβίωσις XIII. 1, 2.
κατακλήσις et κατακλείς II. 3, 3. IX. 18, 3.
κατὰ λεπτόν II. 18, 2 et Add.
κατὰ μίτον XIIII. 16, 3.
κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις II. 3, 2.
κατ' ὀπώρην τρύξ II. 12, 3.
κατηχήσις XV. 12, 2.
κέκρικα XIII. 31, 3.
κεπφοῦμαι XIII. 40, 2.
κέρας V. 20, 9.
κινδυνώδη IX. 17, 2.
κολακεία XIII. 27, 1.
Κῦρος δ', ε XII. 38 b., 2.
Κωρυκαῖοι X. 18, 1.

λ.

Λ. XV. 17, 1.
λαλαγεῦσα X. 2, 1; *falso editur* IX. 18, 3.
λαπίζειν IX. 13, 4.
λέσχη XII. 1, 2.
ληκύϑοι I. 14, 3.
λῆψις VII. 7, 3.
λόγοισιν Ἑρμόδωρος XIII. 21, 4.

μ.

μεταίχμιον VI. 3, 1.
μετέωρος V. 11, 6. XV. 14, 4. XVI. 5, 3.
μὴ γὰρ αὐτοῖς XIII. 20, 4.
μηδὲν αὐτοῖς VI. 1, 16.
μηλοῦν XII. 51, 2.
μίασμα δρυός XIII. 42, 3.
μικροψυχία IX. 11, 4.

ν.

νεκυία IX. 10, 7.
νεώτεροι VII. 2, 1.
νομαναρ'α *voc. corruptum* V. 11, 7.

ξ.

ξυνὸς Ἐνυάλιος VII. 8, 4.

ο.

ὁ ϑησαυρὸς ἄνϑρακες XV. 5, 1.
οἰκοδεσποτικά XII. 44, 2.
οἰκονομία VI. 1, 1.
ὀξύπεινος II. 12, 2.
ὁρμή VII. 11, 5.
οὐκ ἐκ τοῦ νοῦ XV. 1a, 4.
οὐ παρὰ τούτῳ XV. 29, 2.
οὐ ταὐτὸν εἶδος XIII. 11, 1.

π.

παλιγγενεσία VI. 6, 4.
Παλλαδος *corruptum* XIII. 39, 2.
παρὰ λέξιν XVI. 4, 1.
παράπηγμα ἐνιαύσιον V. 14, 1.
παραπλευτέον — παρακλεπτέον X. 12a, 2.
παρεγχείρησις XV. 4a, 3.
παριστορεῖν VI. 1, 25.
πεντέλοιπος XIIII. 21, 4 et XV. 2, 4.
πεφύσημαι V. 20, 6.
πλουδοκέω? X. 8, 9.
πολιτικός IIII. 6, 1.
πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ VIII. 8, 2.
πορπαπυμνα *corruptum* IIII. 18, 1.

πράγματα ἀσύγκλωστα VI. 1, 17.
προβολή XIII. 21, 3.
προκοπή XV. 16a.
προπύλον VI. 1, 26.
προσανατρέφεσθαι VI. 1, 2.
προςφώνησις XIII. 12, 2.

ρ.

ῥητορεύειν de ranis XV. 16b.
ῥιξόθεμιν *suspectum* XIIII. 10, 3.
ῥωπογραφία XV. 16b.

σ.

σαλάκωμα *voc. corruptum* XIIII. 2, 2.
σίλλυβος IIII. 4b, 1.
σκήπτομαι XVI. 9.
σκολιά XIII. 39, 2.
σκυλμός IIII. 13, 1.
σκυτάλη X. 10, 3.
σοφιστεύω II. 9, 3.
Σπάρταν I. 20, 3.
στρατύλλαξ XVI. 15, 3.
συγκύρημα II. 12, 2.
συμπαθῶς-ἐμπαθῶς V. 11, 7.
συμπολιτεύομαι VII. 7, 7.
συμφιλοσοφῆσαι IIII. 18, 2.
συναγωνιᾶν V. 12, 2.
σύνες ὅ τοι λέγω X. 10, 3.
σχεδιάζειν VI. 1, 11.
σῶμα II. 1, 3.

τ.

τὰ μὲν διδόμενα VI. 5, 2. XV. 17, 1.
ταὐτόματον ἡμῶν I. 12, 1.
τέθριππα V. 21, 7.
τέλος XII. 6, 2.
τετυφῶσθαι XII. 25, 2.
Τεῦκρις I. 12, I.
τὴν ἔσω γραμμὴν tenere IIII. 8b, 4.
τίς πατέρ' αἰνήσει I. 19, 10.
τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον I. 19, 2.
τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί VI. 9, 3.
τρισαρειοπαγῖται IIII. 15, 4.
τυραννικῶς — παροινικῶς X. 10, 1.

υ.

ὑπέρευ X. 1, 4.
ὑπηνέμιος XIIII. 10, 1.
ὑπομνηματισμός Ariopagi V. 11. 6.
ὕπουλον X. 11, 1.
ὑπώπιον I. 20, 5.
ὕστερον πρότερον I. 16, 1.

φ.

φαλάκωμα XIIII. 2, 3.
φαλαρισμός VII. 12, 2.
φιλόδημος et φιλειδήμων *permutantur* XII. 6, 2.
φιλόλογα XV. 15, 2.
φίλος οἶκος IIII. 8a, 1.
φιλοτέχνημα XIII. 40, 1.
φορβεία II. 16, 2.
φυρμός XIIII. 5, 1.

ψ.

ψευδησιόδειον VII. 18, 4.

χ.

χρηστομαθής I. 6, 1:

ω.

ὠναί V. 16, 1.

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

III.

INDEX HISTORICUS.

A.

Abdera IIII. 17, 3.
Academia Ciceronis I. 4, 3.
Acidinus IIII. 3, 3.
Actium Corcyrae VII. 2, 3.
Acutilianum negotium I. 5, 4.
Adrianum mare X. 7, 1.
Aeculanum VII. 3, 1.
Aedui fratres po. Ro. I. 19, 2.
Aegypta VIII. 15, 1.
Aenaria X. 13, 1.
Aesopi filius XI. 15, 3.
Afranii versus XVI. 2, 3.
Africanus VIII. 9, 2. Africani et Nasicae statua VI. 1, 17.
Agusius XI. 23, 2.
Alaudarum legio XVI. 8, 2.
Alexander Ephesius II. 20, 6.
Alexandreus *suspectum* XI. 6, 7.
Alexionis obitus XV. 1, 1.
Alexis Attici lib. V. 20, 9. VII. 7, 7.
Aliensis pugna IX. 5, 2.
Alienus X. 15, 3.
Alledius XII. 4, 2.
Alsium XIII. 50, 4.
Amalthea *et* Amaltheum I. 13, 1.
Anagnia *vid. corruptum* XVI. 8, 1.
Ancon *an* Ancona VII. 11, 1.
Anicatus II. 20, 1.
Anneius V. 4, 2.
Annianus XV. 13, 4.
Annius Saturninus V. 1, 1.
Annius C. XV. 13, 3.
Antias Ciceronis XV. 3. 1.
Antiates *quinam* XV. 12, 1.
Antisthenis Cyrus XII. 386, 2.
Antius IIII. 17, 4.
Antonius (M.) aleator XIIII. 5, 1; propter praedes accurrit XII. 18 A, 1; trib. pl. pro praet. X. 8 A. inscr.; eius leones X. 13, 1; eius epistolae ad Ciceronem X. 8 A et 10, 2. XIIII. 13 A.
Apenas IIII. 8 b., 1.
Apollodori chronica XII. 23, 2.
Apollonius IIII. 7, 1.
Appia *sc. via* IX. 6, 1.
Appii censoris edictum VI. 9, 5.
Appuleia IIII. 11, 2.
Appuleius augur XII. 13, 2; praediator XII. 14, 2.
Aquilius I. 1, 1.
Arabarches II. 17, 3.
Arbuscula IIII. 15, 6.
Archiae poëmata I. 16, 15.
Archilochi fragmentum VI. 3, 1.
Argiletum I. 14, 7.
Ariarathes XIIII. 2, 2.
Aristophanes grammaticus XVI. 11, 2.
Aristotelius mos dialogorum XIII. 19, 4.
Aristus V. 10, 5.
Arpinas V. 1, 3.
Asia provincia V. 14, 2.
Asiani I. 17, 9.
Athenio signifer II. 12, 2.
Athenodorus XVI. 11, 4.
Atilianum nomen V. 19, 1.
Atilii versus XIIII. 20, 3.
Attianae legiones *an* Appianae VII. 15, 3.
Atticus T. Pomponii cognomen. Praef. p. XII; quando natus IX. 5, 1; clientem habet S. Clodium X. 8, 3; faenus exercebat IIII. 17, 4. V. 21, 15; non fuit praes XIII. 3, 1; eius avia moritur I. 3, 1; annalis XII. 23, 2; epigrammata I. 16, 15; res cum Sicyoniis I. 19, 9; nomina III. 20 inscr.; familiares I. 2, 2; gladiatores IIII. 4 b., 2; filiola V. 19, 2; parsimonia VI. 1, 13; novus morbus X. 16, 6; legatio ad Brutum XV. 9, 2; horti XII. 40, 2. Cf. ad XII. 34, 1; thesauri XV. 27, 2.
Attii fabula Tereus XVI. 5, 1.
Attus (Navius) X. 8, 6.
Aufidius I. 1, 1.
Aufius. *Nomen suspectum* VI. 1, 10.
Auli filius I. 1, 1 et II. 3, 1.
Aurelius XVI. 15, 5.
Avius XII. 5, 2.
Axius III. 15, 3. IIII. 15, 5. X. 13, 1.

B.

Bacchis XV. 27, 3.
Baiana negotia XIIII. 8, 1.
Balbilius XV. 13, 4.
Balbus Cornelius II. 12, 1 VIII. 15, 3; eius epistolae ad Ciceronem VIII. 15 A., IX. 7 A et B., 13 A.; Balbus et Oppius saepe iunguntur XI. 6, 2.
Barea opp. Hispaniae citer. XVI. 4, 2.
Basilica Aemilia IIII. 16, 8; Iulia ibid.
Bassus Lucilius poëta XII. 5, 2.
Bibuli edicta II. 19, 5; sermo? II. 14, 1; maeror VI, 5, 3.
Brinniana hereditas XIII. 14 et 50, 2.
Brundisium quando conditum IIII. 1, 4.
Bruti (M.) res cum Ariobarzane V. 18, 4; epitome Fannianorum XII. 5, 3; eiusdem epitome Caelianorum XIII. 8; oratio pro Deiotaro XIIII. 1, 2; Lanuvinum XV. 9, 1; Cato reprehenditur XII. 21, 1; epistola obiurgatoria XIII. 6, 3; in Parthenone habet stemmata XIII. 40, 1.
Bucilianus XV. 17, 2.
Bustum Basili VII. 9, 1.

C.

Caecilii Statii fragmentum VII. 3, 10.
Caecilius Attici avunculus I. 1. 3.
Caelianum X. 12b., 3.
Caelius argentarius XII. 5, 2.
Caelius (M.) scribit de pantheris, cet. VI. 1, 21; Caesari se adiungit. 3, 6. Eius epistola X. 9 A.
Caerellia XIII. 21, 5.
Caesar (L.) VII. 13 b. 1.
Caesarinus XVI. 10.
Caieta (in) VIII. 3. 6. Caietanum I. 4, 3.
Calenus XVI. 11, 1.
Calidius (M.) V. 19, 3. VI. 8, 3.
Callenius VIII. 12 C. 1.
Calvena XIIII. 5, 1. XVI. 11, 1.
Calvus ex Nanneianis I. 16, 5.
Camillus XI. 16, 5.
Camule. *Nomen corruptum* V. 21, 4.
Cana XIII. 41, 1.
Candavia III. 7, 3.
Caninius. *Nomen suspectum* XIIII. 5, 1.
Canuleius V. 21, 4.
Canus XIII. 31, 4.
Carneadis legaiio XII. 23, 2.
Carfulenus XV. 4a. 1.
Carteia XV. 20, 3; *falso scribitur* XII. 44, 4.
Casca. *Nomen suspectum* XIII. 44, 3; *fortasse nominatur* XV. 2, 4; eius tribunatus XVI. 15, 3.
Cascellius XV. 26, 4.
Cassius (C.) V. 21, 2. VII. 3, 5. XI. 15, 2.
Cassius (L.) XIIII. 2, 1.
Castricianum negotium XII. 28, 3.
Castricius II. 7, 5.
Cato, liber M. Ciceronis XII. 5, 2; item M. Bruti XII. 21, 1.
Cato (C.) trib. pl. IIII. 16, 5.
Catonis pueri negotium XIII. 6, 2.
Celer, libertus Attici X. 1, 4.
Ceramicus I. 10, 1.
Cerialia II. 12, 2.
Cermalus IIII. 3, 3.
Chaerippus V. 4, 2.
Chrysippus Ciceronis libertus VII. 2, 8.
Cicero (M.) an defenderit Catilinam quaeritur I. 2, 1 et Antonium I. 12, 1; agit de patris morte I. 6, 2; de consulatu suo scripsit I. 19, 10; oratt. scribit adolescentibus II. 1, 3; eius Prognostica II. 1, 11; eius ἀνέκδοτα II. 6, 2, XIIII. 17, 6; versus e carmine incerto II. 15, 3; legationem Caesaris recusat II. 18, 3; or. in Curionem III. 12, 2; or. de domo IIII, 2, 2; Hortensiana IIII. 6, 3; epist. ad Lucceium laudat IIII. 6, 4; poëma aliquod IIII. 8 b, 3; augur fieri cupit II 5, 2; non vult ire in provinciam IIII. 19, 2; non habuit orat. in Gabinium maiest. reum IIII. 18, 1; M. filio dat togam puram IX. 19, 1; scripsit laudem Catonis XII. 5, 2; συμβουλευτικὸν sive epistolam ad Caesarem scribere vult XII. 40, 2, 49, 2 et 51, 2; cognatus C. Marii XII. 49, 1; scripsit Academica XIII. 13, 1; scripsit de consolatione XII. 14, 3; facit testamentum XII. 18a, 2; fanum Tulliae destinabat XII. 36, 1; vitium e Ligariana tolli iubet XIII. 44, 3; voluit scribere Ἡρακλειδεῖον XV. 4a, 3 et 13, 3; scripsit de gloria XV. 27, 2; Attico mittit quae in Phil. II. correcta vult XVI. 11, 2; de epistolis suis colligendis agit XVI. 5, 5.
Ciceronis (L.) mors I. 5, 1.
Cincius I. 20, 1.
Cinnana crudelitas VIII. 9, 4.
Claudius (Servius) I. 20, 7.
Clodii (P.) accusator I. 16, 3; legatio II. 4, 2.
Clodius Hermogenes XII. 30, 1.
Clodius praetor IIII. 15, 2.
Clodius (S.) Attici cliens X. 8, 3; ab Antonio restituitur XIIII. 13, 6. XV. 13, 3.
Cluatius XII. 18, 1.

Cluviana XIIII. 9, 1.
Comitia in foro habita IIII. 15, 8.
Compitalia II. 3, 3.
Conciones extra urbem et nundinis haberi poterant I. 14, 1.
Considii oratio II. 24, 4.
Coponiana villa XII. 31, 2.
Cornelius quidam I. 12, 1.
Cornificius XIII. 14, 2.
Cornutus I. 14, 6.
Corumbus XIIII. 3. 1.
Cosa IX. 6, 2.
Cossinius I. 19, 11; XIII. 46, 4.
Cotta XIII. 44, 1; liber Cottae XIII. 44. 3.
Crassipes Ciceronis gener IIII. 5, 3.
Crassus proficiscitur in Parthos IIII. 13, 2.
Crassus Dives I. 4, 3; II. 13, 2.
Crater de sinu maris II. 8, 2.
Craterus medicus XII. 13, 1.
Culeo III. 15, 5.
Culleolus VI. 3, 6.
Cupiennius (C.) XVI. 16 D.
Curii (M.) urbanitas VII. 2, 3.
Curio pater I. 14, 5.
Curio (C.) fortasse designatur X. 1, 2.
Curius (M.) lacum Velinum emisit IIII. 15. 5.
Curius (Q.) homo contemptus I. 1, 2.
Curtius homo incertus II. 5, 3.
Curtius (M.) IX. 5. 1. XII. 49, 1: XIIII. 9, 2.
Cyrrhestica V. 21, 2.
Cytheris X. 10, 5.

D.

Damasippus XII. 29, 2.
Dareus *an* Darius V. 20, 3.
Decem primi X. 13, 1.
Decumani Asiae V. 13, 1.
Demetrius Pompeii lib. IIII. 11, 1.
Demetrius Magnes IIII, 11, 2; περὶ ὁμονοίας scripsit VIII. 11, 7.
Dicaearchi πολιτεῖαι II. 2, 1; tabulae et Trophoniana narratio VI. 2, 3; XIII. 31, 2. 33, 2; περὶ ψυχῆς XIII. 32, 2; mos scribendi XIII. 30, 3; sententia quaedam VII. 3, 1; laudatur II. 16, 3; VII. 3, 1; 11. 12, 4.
Dida XIII. 50, 5.
Diodotus II. 20, 6.
Dioeceses nostrae V. 15.
Dionis legatio XV. 10 et Add.
Dionysius libertus litteratus IIII. 8 b. 1; 15. 1; XIII. 2, 3.
Diphilus tragoedus II. 19, 3.
Domitius repulsam fert IIII. 8 b, 2.
Domitius (L.) I. 1, 3.
Dona *corruptum* III. 12, 3.
Drusus reus IIII. 15, 9; absolutus 17, 5.
Drusus Pisaurensis II. 7, 3, praetor VII. 2. 8.
Duoviri in municipiis II. 6, 1; alii XIIII. 21, 2.
Dyrrhachium III. 8, 1.

E.

Edictum Ciceronis in Cilicia VI. 1, 15; P. Licinii V. 3, 2; Q. Mucii VI. 1, 15.
Ennii versus II. 19, 2; XIII. 47 a; VI. 2, 8; VII. 26, 1.
Epicharmi versus I. 9, 8.
Epicrates II. 3, 1.
Epicurus *pro* sententia Epicuri XII. 12, 2.
Eppius (M.) VIII. 11 B. 1.
Eratosthenes II. 6, 1: VI. 1, 18.
Etesiae VI. 7, 2.
Eupolidis mors VI. 1, 18.
Euripidis versus ex Androm. et Phoen. II. 25, 1; e fabula incerta VI. 1, 8; e Troad. VII. 3, 5; e Phoen. (516) VII. 11, 1. 13a, 3; e Med. VII. 26, 1; e fab. inc. VIII. 8, 2; item IX. 2 a, 2; ex Ione XIII. 11. 1.
Eurotas XV. 9, 1.
Eutrapelus XV. 8, 1.
Eutychides Attici libertus IIII. 15, 1.

F.

Fabatus VIII. 12, 2.
Faberius XII. 21, 2. XIII. 2, 1. XIIII. 18, 1.
Fabius *non* Fadius VII. 3, 3 et VIII. 3, 7.
Fadii (G.) filia XVI. 11, 1.
Fannius XI. 6, 6.
Fannius (C.) fuitne Laelii gener XII. 5, 3.
Fausti Sullae bibliotheca IIII. 10, 1.
Favonius II. 1, 9; XV. 29, 2.
Feralia VIII. 14, 1.
Ficulense praedium Attici XII. 34, 1.
Flaccus (L. Valerius) defenditur ab Hortensio II. 25, 1.
Flamma Flaminius XIIII. 16, 4.
Flavius (Cn.) Annii fil. scriba et aedilis VI 1. 8.
Foenicularius campus XII. 8.
Fontius (M.) I. 6, 1.
Formiae II. 13, 2.
Fretense mare X. 7, 1.
Fulviniaster? XII. 44, 4.
Furnii exceptio VI. 1, 11.
Furnius? XI. 8, 2.

G.

Gabinius (A.) Eius absolutio IIII. 18, 1.
Galba (P.) I. 1, 1.
Gallia *pro* Gallia Cisalpina I. 1, 2; Gallia Pompeii IIII. 16, 6.
Gallus Fabius aut Fadius VIII. 12, 1; XIII. 49, 1.
Gallus-Gaius XVI. 11, 1.
Gamala XII. 23, 3.
Gentilis Attici XIII. 35.
Graeceius XV. 8, 2.

H.

Hegesias XII. 6, 1.
Heles fluvius XVI. 7, 5.
Helvetia I. 19, 2.
Herae *falsa scriptura* II. 1, 5.
Hermeracles I. 10, 3.
Herodes II. 2, 2; XV. 27, 2.
Hesiodi versus laud. XIII. 12, 3.
Hilarus librarius XIII. 19, 1.
Hipparchus II. 6, 1.
Hirrus IIII. 16, 5; V. 19, 3; VI. 8, 3.
Hirtii (A.) epistola XV. 6.
Homerus laud. I. 1, 4; I. 15; I. 16, 5; II. 3, 3; II. 5, 1; II. 9, 3; II. 11, 2; II. 13, 2; II. 16, 4; IIII. 7, 2 et 3; IIII. 15, 7 (ex Il. XXIII. 326); VI. 1, 23; VII. 1, 2, 4 et 9; VII. 6, 2 (ex Od. XII. 209); VII. 8, 4. 11. 3; VIII. 16, 2; IX. 5, 3 (ex Il. XVI. 96 et 98); IX. 6, 4 (Il. X. 93); ibid. 6; IX. 7, 3 (ex Od. XI. 633); IX. 8, 2 (ex Od. III. 22); IX. 15, 3 et 4; X. 1, 1; X. 10, 4 (Il. XVIII. 113); XIII. 25, 3 (Il. XI. 654); XIIII. 13, 1 et 2; XVI. 11, 6; XVI. 13 a, 1 et 2.
Hortensina *vitiosum* X. 18, 1.
Hortensius tangitur III 8, 4; Ciceronem laudat II. 25, 1; defendit Procilium IIII. 15, 4; eius obitus VI. 6, 2; eius mentio VII. 2, 7. Tuditani nepos XIII. 6, 4. Hortensii nomen suspectum XVI. 2, 1.
Hypsaeus III. 8, 3.

I.

Ialysus Protogenis II. 21, 4.
Ilium III. 8, 2.
Issus VI. 7, 2.
Isthmicus conventus XII. 30, 3.
Iudices CCCLX VIII. 16, 2.
Iulia *an* Tutia XV. 29, 2.
Iulius (C.) V. 21, 13.
Iulius Caesar (C.) eius exercitus II. 16, 2; voc. amens X. 8, 4; urbem augere volebat XIII. 33, 11; eius sella XV. 3, 3; Quirini contubernalis XII. 45 et XIII. 28, 3. Eius epistolae IX. 6 A. 7 C. 13 A. 16. X. 8 B.
Iulius Caesar (L.) I. 1, 2.
Iuventatis sacra I. 18, 3.

L.

Lacus Velinus a M. Curio emissus IIII. 15, 5.
Laelius VIII. 12 A, 3; XI. 14, 1.
Laenius VI. 1, 6.
Lanuvium Lepidi XIII. 46, 2.
Lartidius VII. 1, 9.
Laterensis laudatur II. 18, 2.
Laterium IV. 7, 3.
Latinae (feriae) I. 3, 1.
Latinitas XIIII. 12, 1.
Lavernium VII. 8, 4.
Legati ad Mummium XIII. 30—33 et 4—6.
Legatio Athen. Romam missa XII. 23, 2.
Legiones Attianae VII. 15, 3; legio Alaudarum XVI. 8, 2.
Lentulus M. Tullii nepos XII. 28, 3.
Lentulus (L.) Gabinii accusator IIII. 18, 1.
Lentulus (L.) Crus XI. 6, 6.
Lentulus Niger IIII. 6, 1.
Lentulus debitor Ciceronis XII. 40, 4.
Leonides XIIII. 16, 3; XV. 16 A.
Lepidianae feriae XVI. 11, 8.
Lepidus (M.) VIII. 6, 1.
Lepreon VI. 2, 3.
Lepta V. 17, 2.
Leucopetrae Tarentinorum XVI. 6, 1.
Leuctrica pugna VI. 1, 26.
Lex Aelia I. 16, 13.
„ agraria Flavia I. 18, 6.
„ aliqua sumptuaria XIII. 6, 1.
„ Campana II. 18, 2.
„ Cincia I. 20, 7.
„ Clodia de collegiis III. 15, 4.
„ Clodia de exsilio Ciceronis III. 4.
„ Coctia (?) IIII. 16, 8.
„ Curionis sumptuaria VI. 1, 25; X. 4, 8.
„ de provincia Macedonia III. 1.
„ frumentaria II. 19, 3.
„ Fufia I. 16, 13.
„ Gabinia V. 21, 12.
„ incerta de sumptu funeris XII. 35 et 36.
„ Iulia agraria II. 16, 2; de repetundis V. 10, 2.
„ Iunia Licinia IIII. 16. 5.
„ Papia IIII. 18, 4.
„ Plotia I. 18, 6.
„ Pompeia de ambitu IX. 14, 2; XIII. 49, 1.
„ Roscia II. 19, 3.

Liberalia VI. 1, 12. XIIII. 10, 1.
Libonis annalis XIII. 30, 3 et 44, 3.
Ligurinus μῶμος V. 20, 6.
Ligurius XI. 9, 2.
Livineius III. 17, 1; X. 1. 1.
Lollii laudatio Catonis XIII. 48, 2.
Lucceium Attico conciliare studet Cicero I. 11, 1; Tusculanum vendit VI. 1, 23; premitur aere alieno VI. 1, 23.
Luceriae (?) VIII. 16, 2.
Lucilius citatur II. 8, 1; VI. 3, 4; XIII. 21, 3; 52, 1.
Lucius noster VII. 2, 4.
Lucullus, quis? I. 1, 3.
Lucullus et Lucilius permutantur XIII. 21, 3.
Luscenius — Lucienus VII. 5, 3.
Lycurgei I. 13, 3.

M.

Macer condemnatur a Cicerone I. 4, 2.
Madarus = C. Matius XIIII. 2, 2.
Magius (N.) IX. 7 C, 2.
Magnus cogn. Pompeii VI. 1, 22.
Mamurra XIII. 52, 1.
Marcellus Comensem vexat V. 11, 2; necatur XIII 10, 1 et 3.
Marcellus (C.) X. 12, 3.
Marianae aquae I. 16, 10.
Marius (C. F.) XIIII. 6, 1.
Massilienses Attici vicini XIIII. 14, 6.
Matius IX. 15, 4 et 6. XIIII. 1, 1. Eius et Trebatii epistola IX. 15 A
Megabocchus II. 7, 3.
Megarica signa I. 9, 2.
Melita demus Attica V. 19, 3.
Memmii (C.) pactio turpis cum coss. IIII. 17, 2.
Memmius I. 18, 3.
Menedemus XV. 2, 2 et 19, 2.
Messalla consul I. 12, 4.
Messalla Caesaris assecla XIIII. 10, 2.
Messallae (M. Valerii) iudicia V. 12, 2; praes Atilii V. 19, 1.
Messius de sodalitiis reus IIII. 15, 9.
Metella XI. 15, 3. XIII. 7, 1.
Metelli (Q.) Celeris oratio VI. 3, 10.
Metellina Ciceronis oratio I. 13, 5.
Metellus Attici debitor moritur IIII. 7, 2; inepte nominatur I. 18, 1.
Metellus, trib. pl. X. 4, 8.
Metonis annus XII. 3, 2.
Milonis domus duae IIII 3, 3.
Minucia (via) IX. 6, 1.
Moeragenes V. 15, 3.
Moneta VIII. 7, 3.
Mucia, Pompeii uxor dimissa I. 12, 3.
Mucius (Q.) VIII. 3, 6.
Mundus XV. 26, 5.
Murcus (Statius) XII. 2, 1.
Myrtili causa XV. 13, 6.
Mysteria Romae acta V. 21, 14. XV. 25.

N.

Nanneiani. *Nomen suspectum.* I. 16, 5.
Nar fl. neutro gen. IIII. 15, 5.
Nares Lucanae III. 2 extr.
Nasica II. 1, 9.
Natta IIII. 8 b, 3.
Nemus VI. 1, 25.
Nepos (Cornelius) XVI. 5, 5 et 14, 4.
Nesis XVI. 1, 1.
Nicasones XII. 5, 4.
Nicias Cous VII. 3, 10, XIII. 52, 2.
Nigidius II. 2, 3.
Ninnius III. 23, 4.
Numerius Numestius II. 20, 1 et 22, 7.

O.

Ocella X. 10, 4.
Octavii pueri XIII. 49, 1.
Octavius II. 1, 12.
Octavius—Octavianus XIIII. 5, 3; puer XVI. 11, 6. Eius concio XVI. 15, 3.
Ofilius XIII. 37, 4.
Ollius. *Nomen incertum* XIII. 48, 2.
Olympia XVI. 7, 5.
Onchesmites VII. 2, 1.
Opis aedes XIIII. 14, 5. XVI. 14, 4.
Oppii X. 4, 12. 7, 3; VII. 13 a, 5. 22, 2.
Osaces V. 20, 3.
Ovia XIII. 22, 4.

P.

Paciaecus XII. 2, 1.
Pacificator Allobrogum I. 13, 2.
Pactio Memmii cum coss. facta IIII. 17, 2.
Pacuvii versus XIIII. 14, 1.
Paedagogus Atticae XII. 33.
Paetus IIII. 9, 2.
Palicanus I. 1, 1.
Pammenes et Pammenia V. 20, 10; VI. 2, 10.
Panaetius περὶ προνοίας XIII. 8.
Parilia II. 8. 2.
Parthenon Bruti XIII. 40, 1.
Parthicus casus VII. 25, 3.
Patro V. 11, 6.
Paullus (L. Aemilius) cos. II. IV. 13, 2.
Peloponnesum sustinere X. 12 b, 4.
Pelops Byzantius XIIII. 8, 1.
Phaedri Epicurei libri XIII. 39, 2.

Pherionum mos Puteolanus XIIII. 14, 1.
Philargyrus IX. 15, 5.
Philotimus IIII 10, 2. X. 7, 2 in Add.
Philoxenus IIII. 6, 2.
Phliasii — Phliuntii VI. 2, 3.
Phocis Curiana II. 17, 2.
Picena VII. 13 a, 1.
Pilia Attici uxor IIII. 4 b, 2.
Pindarus laudatur XII. 5, 1; XIII. 38, 2.
Piraeeus VI. 9, 1. VII. 3, 10.
Piso. Negotium cum eo XIII. 2, 1.
Piso (C.) pacificator Allobrogum I. 1, 2. 13, 2.
Piso Ciceronis gener III. 22, 1.
Pituanius IIII. 15, 2.
Plaetorianum incendium V. 20, 8.
Plancus Buthrotius XV. 29, 3.
Plancus (L.) ad quem sunt Cic. epistolae XVI. 16. XVI. 16 A., 3.
Plato laudatur IV. 16, 3. IX. 13, 4; Platonis numeri VII. 13 a, 5.
Plutarchus locum ex epistola Cic. respicit VII. 11. 3.
Poëtae incerti versus VIII. 5, 1.
Pollex XIII. 46, 1.
Pompeius (Cn.) Ciceroni amicissimus I. 12, 3; Iovi iniquus VIII 15, 2; tertius consulatus VII. 1, 4; valetudo infirma VIII. 2, 3; in scribendo negligentia VIII. 12 A, 1; mors. XI. 6, 5. Eius epistolae VII. 11 A. C. 12. A—D.
Pomponia I. 5, 2.
Pomptina summa VII. 5, 3.
Pomptini triumphus IIII. 18, 4; Ciceronis legatus V. 1, 5.
Porciae laudatio Tulliana XIII. 37, 3.
Portoria Italiae sublata II. 16, 1.
Portorium circumvectionis II. 16, 4.
Postumius XIII. 32, 3.
Praetor non habet comitia consularia nec praetoria IX. 9, 3.
Procilius scriptor II. 2, 1; caedis condemnatur IIII. 15, 4.
Ptolemaeus in regnum reductus IIII. 10, 1.
Publilia M. Tullii uxor XII. 32, 1: quantam dotem attulerit XVI. 2, 1.
Publilius (Syrus) XIIII. 2, 1.

Q.

Quattuorviri V. 2, 3.
Quercus Dodonaea II. 4, 5.
Quinquennii licentia XV. 11, 4.
Quinqueviri II. 7, 4.
Quintus fil. quando natus V. 20, 9; Lupercus XII. 5, 1.

R.

Rantius IIII. 17, 3 et Add.
Rarius. *Vox corrupta.* XIII. 21, 1.
Reatini de lacu Velino cum Interamnatibus litigant IIII. 15, 5.
Rebilus IX. 15, 4.
Regillus Lepidi filius XII. 24, 2.
Reginus X. 12, I.
Regium XVI. 6, 1.
Rhintonis versus I. 20, 3.
Rhodus VI. 7, 2.
Rhosiaca vasa VI. 1, 13.
Romani facile flebant VI. 1, 8.
Rosea IIII. 15, 5.
Rufio V. 2, 2.

S.

Saccones de Velia sunt Oppii VII. 13 a, 5.
Saepta Iulia IIII. 16, 8.
Salaminiorum in Cypro controversia cum faeneratoribus Romanis V. 21, 10.
Salus dea IIII. 1, 4.
Sallustius (Cn.) I. 11, 1; XI. 20, 2.
Sampsiceramus II. 14, 1.
Saserna XV. 2, 3.
Saxa Acronoma XIII. 40, 2.
Saturnalia V. 20, 1.
Saufeius (L.) I. 3, 1; II. 8, 1; VI. 1, 10; XIIII. 18, 4.
Scaeva XIII. 23, 3.
Scaptius (M.). Duo eiusdem nominis VI 1, 4. 3, 5.
Scapulae heredes XII. 38 b., 2.
Scaurus reus IIII. 16, 6; a Cicerone defensus IIII. 17, 4.
Scipionis Africani statua VI. 1, 17.
Scrofa XIII. 21, 7.
Selicia? XV. 13, 4.
Seliciana provincia IIII. 19, 2.
Septem aquae IIII. 15, 5.
Septemviri XV. 19, 2.
Septemtriones IX. 6, 8.
Septimia Siccae uxor XVI. 11, 1.
Sequani *non nominantur* I. 19, 2.
Serapion II. 4, 1.
Servilia V. 4, 1.
Servius (Sulpicius) XV. 7.
Sestii rogatio de Cicerone III. 20, 3.
Sestius noster VII. 17, 2; XI. 7, 1; de ambitu accusatus lege Pompeia XIII. 49, 1.
Sextus noster IX. 7, 2.
Sicca III 2.
Sicyon *fem. gen.* I. 13, 1.
Signa Megarica I. 9, 2.

Silius (A.) XII. 24, 1.
Siregius XV. 17, 1.
Solonium II. 3, 3.
Sophoclis versus II. 7, 4; 16, 2. IV. 8 a, 1; XIIII. 22, 2.
Sopolis pictor IIII. 18, 4.
Spartacus VI. 2, 8.
Statii manumissio II. 18, 4. 19, 1.
Stesichori versus IX. 13, 1.
Sufenas IIII. 15, 4.
Saliarem in modum epulari V. 9, 1.
Sulla (P.) XI. 21, 2.
Sunii *nomen interpolatum* XIII. 10, 3.
Supplicatio Bibulo decreta VII. 2, 6 et 7.
Sybota V. 9, 1.
Syrpiae conditiones? II. 4, 2.
Syrus *corruptum in* Scyrum V. 12, 1.

T.

Tadiana res I. 5, 6.
Talna—Thalna XIII, 28, 4.
Templum a Lepido exstructum XIII. 42, 3.
Terentia Ciceronis XII. 21, 3.
Terentii versus II. 19, 1; VII. 3, 10; XII. 6, 3; XIII. 34.
Tertulla XIIII. 20, 2.
Theatrum Pompeii IIII. 9, 1.
Theophanes II. 5, 1.
Theophrastus laudatur II. 3 extr.; 16, 3.
Theopompus laudatur II. 6, 2. XII. 40, 2.
Thermus Asiae pro pr. V. 13, 2.
Thermus (Q. Minucius) I. 1, 2.
Thyillus I. 9, 2.
Thucydides laudatur X. 8, 7.
Thurium III. 5.
Thyamis VII. 2, 3.
Tigellius XIII. 49, 1. 50, 3.
Tigranes III. 8, 3.
Tirenus pons XVI. 13 a., 1.
Tisamenus XII. 10.
Titinii filius IX. 6, 6.
Torquatus (A. et L.) IX. 8, 1; A. V. I, 5. L. IIII. 18, 3.
Trebonius (C.) XI. 20, 1.
Trebulanum VII. 3, 12.
Tres Tabernae I. 13, 1,
Tribuni aerarii — aerati I. 16, 3.
Tribunus pl. notatus cet. VII. 9, 2.
Tribus Aemilia II. 14. 2.
Tritones piscinarum I. 9, 1.
Troianum in agro Laurente IX. 13, 6.
Tullia sponsa C. Pisonis I. 3, 3; ei novus maritus quaeritur V. 4, 1; VI. 4, 2.
Tullianum caput XV. 26, 4.
Tullii (L.) mors I. 5, 1.
Tullius Ciceronis legatus V. 11, 4.
Tullius Lepta (M.) VIII. 11, B, 4.
Tullius Cicero (Q.) M. fr. quando natus I. 5, 2; uxorem dimittere vult VI. 2, 1. 3, 8. eius annales II. 16, 4; in rep. a fratre dissensit XI. 6, 4.
Turranius I. 6, 2.
Tuscilius (M.) VIII. 12 C, 2.
Tyrannio II. 6, 1; scripsit de accentibus XII. 6, 2.

V.

Valerius interpres XVI. 11, 7; eius nomen restituitur I. 16, 16.
Valerius quidam II 3, 1. XII, 51, 1; eius villa XVI, 7, 1.
Vallum Lucilianum XVI. 11, 1.
Varronis (M.) διάλογος XV. 13, 3; πεπλογραφία XVI. 11, 3, Ἡρακλειδεῖον XVI. 12.
Vatinius epulo II. 7, 3; augur fieri vult II. 9, 2.
Vedius (P.) VI. 1, 25.
Veiento IIII. 17, 3.
Vennonius historicus XII. 3, 1.
Venus Apellis II. 21, 4.
Vergilius XII, 26, 1; XIII. 33, 2.
Vescinus ager XV. 2, 1.
Vestorius X. 5, 2.
Vettienus X. 5, 3.
Vettius II. 4, 7; index II. 24, 2.
Vetus (Antistius) XIIII. 9, 3.
Vibullius VIII. 2, 4 et 15, 1.
Vigintiviri II. 6, 2.
Villa publica IIII. 16, 8.
Virgines Vestales I. 13, 3.
Visellius III. 23, 4.
Volcacius XIIII. 9, 3.
Volusius, Cn. an Q. V. 11, 4.

X.

Xeno V. 10, 5.
Xenocrates I. 16, 4.

Z.

Zaleucus VI. 1. 18.
Zmyrna IX. 9, 2.

IV.

INDEX VOCABULORUM ET GRAMMATICUS.

A.

A comitiis III. 14, 2; a me sit XI. 3, 3; a pedibus mittere VIII. 5, 1; a Pompeio = post P. III. 9, 2. V. 21, 4; a primo IX. 6, 5.
Ab aliquo nuntiatur X. 4, 7; *quando nominibus urbium add.* III. 4, *quando non* XI. 17, 3. *Usus praepos. post adiectiva* I. 1, 2; *post gerundivum* X. 4, 6.
Ab = ob, propter *non Tullianum* IX. 7 B, 3.
Aberrare coniectura *et* a coniectura XIIII. 22, 1.
Abiicere II. 7, 1.
Abire (sic) XIIII. 1, 1.
Abiungere se ab aliquo II. 1, 3.
Abiurare I. 8, 3.
Ablativus causae I. 1, 4; *gerundivi nudus et cum praep.* in IIII. 1, 7; *in i* II. 4, 2. VII. 3, 4; *nudus cum verbis intelligendi* XI. 5, 3.
Abscindere II. 7, 1.
Absens absentem XVI. 3, 6.; absens praesens IIII. 2, 7.
Absentes quomodo censeri soliti I. 18, 8.
Abs te I. 3, 2.
Absque *non Tullianum* I. 19, 1.
Absciram *suspectum* II. 7, 1.
Abuti III. 13, 2.
Ac *non delendum* VI. 2, 2; *vitiosum post comparativum* V. 11, 2; = ac tamen VI. 1, 2. XIII. 2, 3; = et statim XIII. 52, 1; ac non I. 16, 4; ac si = quasi *Ciceroni abiudicatum* V. 13, 1.
Ac tamen II. 1, 9. III. 19, 2. IX. 6, 1.
Accedere aliquid *non Tullianum* XVI. 7, 8.
Accedit ut III. 8, 1.
Accensus IIII. 18, 4.
Acceptum referre I. 14, 3.
Accidere I. 5, 1.
Accipere *absolute* XI. 22, 2; aliquem I. 18, 4; ob rem iudicandam I. 17, 8.
Accipio quod datur I. 14, 4.
Accivero *an* accepero V. 1, 3.
Accommodare ad tempus XI. 21, 3.
Accredere VI. 2, 3.
Accudere I. 1, 2.
Accusativus Gr. 3ae decl. XIIII. 14, 2; *cum infin. post interrogandi particulas* I. 14. 3; *post nomen subst.* opinio. III. 24, 2.
Acer IIII. 3, 3; in ferro II. 21, 4; *male pro* alacer XV. 13, 3.
Acquiescere VII. 12, 3.
Acroasis XV. 17, 2.
Actae XIIII. 8, 1.
Actor *et* auctor *differunt* III. 18, 1.
Actuariola X. 11, 4.
Actum est V. 15, 1; acta V. 4, 4; acta agere IX. 18, 3.
Actutum *non Tullianum* XV. 5, 2.
Ad Baias XIII. 52, 2; ad extremum II. 22, 2; ad Kal. XVI. 1, 4; ad modum consolantis *non Tullianum* XI. 17, 1; ad nihil *suspectum* IIII. 18, 4; ad nummum V. 21, 12; ad Opis VI. 1, 17; ad spem III. 23, 1; ad summam XIIII. 1, 1; ad te = in praedia tua III. 11, 1.
Ad *in comparatione* IIII. 5, 2; *tempori notando inservit* II. 5, 1; XIII. 46, 1.
Addicere aliquid alicui X. 5, 2; liberos VII. 2, 8.
Addici X. 5, 3.
Addo ad aliquid XIII. 20, 2; in aliquid I. 13, 5.
Adducor *seq. infin. c. acc.* XI. 16, 2.
Adeo XIII. 48, 2.
Adesse II. 2, 3. VII. 21, 1.
Adhibere aliquem severe X. 12 a, 3; adhiberi IIII. 2, 4.
Adiectiva neutra plur. num. substantivi genetivum admittunt IIII. 3, 3; *pro genet. plur. substantivorum* I. 1, 2.
Adigere X. 9, 3.
Adire in ius XI. 24, 4.
Adiungere socium VI. 1, 10.
Adiutor *et* auctor IX. 11 A, 2.
Adlevare XII. 38 a, 2.

Admurmurare I. 18, 2.
Adspirare II. 1, 8. 24, 3.
Adsumere II. 19, 4.
Advolare in rostra I. 14, 5.
Aenigma VII. 13 a., 5.
Aequabilis IIII. 15, 5.
Aequinoctium vernum a. 705 X. 17, 3.
Aequo animo XII. 4, 2.
Aequum esse alicui I. 4, 2.
Aes Corinthium — circumforaneum II. 1, 11.
Aestimatio XII. 21, 4.
Aestuosus V. 14, 1.
Affatim XVI. 1, 5.
Affectus = animatus I. 5, 5.
Afferre = *nuntiare* XVI. 5, 1 *et* auferre *permutantur* XI. 16, 2.
Affinis I. 5, 1.
Age = esto VII. 1, 2.
Agere amplius V. 4, 3; cum republica I. 13, 2; ἐμετικόν non ἐμετικήν XIII. 52, 1; actum agere IX. 18, 3; lapidibus agere XI. 21, 2; agitur officium meum XII. 19, 4; agitur satis IIII. 15, 9.
Agitare legem I. 19, 4.
Agrarii I. 19, 4.
Agripetae XV. 29, 3.
Ain tu? an *vitiosum* IIII. 5, 1.
Alacrior XV. 13, 3.
Alias XVI. 11, 7.
Alicunde *et* aliunde X. 1, 3. XII. 25, 1.
Aliquando iam *suspectum* I. 4, 1.
Aliquid *dubitantis* VIII. 16, 2.
Aliquis *non est* alius aliquis XI. 22, 1; *numeralibus add.* IIII. 4 b., 1.
Aliter — et X. 11, 1; — atque II. 18, 2.
Alius quis *non Tullianum* III. 16.
Allegatio I. 11, 1.
Alligare VIII. 16, 1.
Alsius IIII. 8 a, 1.
Alterna *an febris dicatur* VIII. 6, 3.
Altitudo animi IIII. 6, 3.
Alucinari XV. 29, 2.
Amabiliter XIIII. 13 A., 2.
Amare *et* diligere XIIII. 17 A., 5.
Amarus XIIII. 21, 3.
Amator I. 20, 7.
Ambitiose XV. 1 b, 2.
Ambitiosus I. 18, 1.
Ambulare VII. 1, 1.
Ambulatio IIII. 20, 2.
A. M. C. XV. 3, 3.
Amo me (te) multum I. 1, 5. IIII. 18, 2; amabo te VII. 1, 4.
Amplus = firmus VIII. 12 C, 3.
An *ponitur in re incerta* I. 3. 2. 14, 3. X. 10, 5; *non* an — an XI. 6, 7.
An — non III. 15, 3.
Anagnostes I. 12, 4.
Anatocismus anniversarius V. 21, 11.
Ancora *non solvitur* I. 13, 1.
Angere V. 21, 4; angere *et* tangere *permutantur* II. 19, 1.
Animus est in re XV. 12, 1; exspectat XV. 6, 1; praesens I. 18, 2; animo XIIII. 3, 2; *Confunditur cum* habitu V. 1, 3.
Ante *non dicitur pro* coram XVI. 5, 3; ante diem Nonas, *non recte dic.* III. 17, 1; *nec* a. d. II. Kal. IIII. 11, 1; *nec* ante VI Idus XV. 11, 1; a. d. V. Terminalia VI. 1, 1; ante nos — ante Nonas VIII. 14, 1; ante se diligere VIII. 15 A, 2.
Anteno. *Voc. corruptum.* XV. 20, 1.
Anteponere aliquid *sine dativo* XI. 7, 3.
Antiquum XII. 5, 4.
Aperire *in re nummaria* V. 1, 2; *vitiosum* VII. 3, 12; *dubium* IX. 9 A., 1.
Aperte ferre aliquid XIIII. 13, 2; aperte tecte I. 14, 4.
Apisci *non Tullianum* VIII. 14, 3.
Appellare sponsorem I. 8, 3. 10, 6. XVI. 15, 2.
Appositus VIII. 7, 3.
Arbitrari *non passive* I. 11, 2.
Arbitri XV. 16, 6.
Arca I. 9, 2.
Argumentum ac sententia I. 19, 1.
Aritia *unde corruptum* XIIII. 19, 1.
Arma inspicere XIIII. 21, 2.
Armare *figurate* II. 22, 2.
Armatis hominibus IIII. 3, 2.
Arpinatium *gen. plur.* XV, 15, 1.
Artius teneri XII. 44, 4.
Asinus *de homine stupido* IV. 5, 3.
Assecula VI. 3, 6.
Assentior *non* assentio IX. 9, 1.
Asservari X. 16, 2.
Assignare VI. 1, 11.
Ast III. 15, 6.
Astute agere X. 6, 1.
Asyndeton duorum nominum XI. 9, 3; *in ordinalibus* V. 19, 1.
Atque XV. 11, 1; atque adeo I. 17, 9.
Atqui IIII. 16, 8.
Atriolum I. 10, 3.
Attamen *elliptice* XI. 25, 3.
Attractio pron. relat. I. 18, 8.
Attributi *et* attributi XIII. 2, 1. 22, 4.
Auctor legis I. 19, 4; reipb. VIII. 2, 2.
Auctoritas perscripta V. 2, 3.
Audire a comitiis III. 14, 2; de aliquo XIII. 21, 7; audiri—laudari V. 2, 2.
Augurum cena XII. 13, 2.

Aures dare alicui I. 5, 4.
Auster XVI. 7, 1.
Aut *in adiungenda quaestione* VIII. 3, 5; *corruptum ex* ac III. 23, 4.
Autem *post vocab. repetitum* V. 4, 2; *in corrigendo per quaestionem* V. 13, 3.

B.

Barbatuli I. 14, 5.
Baro V. 11. 6.
Beatus I. 14, 1.
Bellus homo I. 1, 4; de fronte et vultu V. 10, 3.
Bene emere I. 13, 6; bene eveniat VII. 2, 4; bene habere II. 8, 1; olere II. 1, 1; bene mane IIII. 9, 2.
Beneficia III. 9, 3.
Bibliotheca librorum *non recte dicitur* IIII. 4 b., 1.
Biduo eo IIII. 1, 6.
Blandus XII. 5, 4.
Bonae frugi IIII. 8 b, 3.
Boni viri I. 13, 3; *et* boni II. 22, 1.
Bono modo XIII. 23, 3.
Bonus = utilis I. 13, 1.
Breve facere, brevi dicere XI. 7, 6; brevi tempore II. 25, 2.
Bucca, in buccam venire I. 12, 4.

C.

Cadere = evenire III. 24, 1. XV. 20, 2; de debitore XVI. 15, 6; cadunt nummi XV. 20, 4.
Calere *et* carere *conf.* VII. 20, 2; calere *de iudiciis* IIII. 18, 3.
Calfieri II. 3, 3.
Calidius consilium XV. 6, 2.
Caligae II. 3, 1.
Calumnia IIII. 3, 3.
Candidatorium munus I. 1, 2.
Canis *translate* VI. 3, 6.
Captio V. 4, 5.
Caput sedes mentis X. 9, 2.
Casus armorum XV. 9, 2; casus navigandi *sing. num.* VI. 1, 9.
Cave *seq. coniunct.* III. 17, 3.
Cavillatio I. 13, 2.
Causa non habet causam VII. 3, 5. Causa *pro* conditione XI. 13, 1.
Causalis particula omittitur V. 21, 8.
Causam noscere XI. 13, 4; sustinere XIII. 10, 3.
Cedo IX. 18, 3.
Celare de aliquo XV. 4 a., 2.
Celebrare aliquem IIII. 1, 5.
Celebritas III. 7, 1.
Celeritas — crebritas IIII. 16, 1.
Censeri sub lustrum I. 18, 8.
Censeo *seq. coniunctivo* I. 4, 1. II. 4, 7.
Centesimae usurae I. 12, 1. V. 21, 11.
Centuriare XVI. 9.
Cernere hereditatem XI. 2, 1.
Cerritus VIII. 5, 1.
Certe *suspectum* X. 10, 3; *male mutatur in* certo II. 22, 6.
Certo scio *et* certe scio III. 20, 1.
Certum scire V. 21, 14. VII. 13 b, 2.
Certus = constans X. 11, 3; *permutatur cum* recto V. 21, 5; certus homo V. 21, 6.
Cerula miniata XV. 14, 4.
Ceteroqui XII. 3, 1 et 45, 2.
Chorus XIIII. 8, 1.
Cillanus V. 15, 3.
Circiter *post numerum* II. 17, 1.
Circuli II. 18, 2.
Circumfluere *pro* abundare II. 20, 3.
Circumscriptus VII. 9, 2.
Cistophorus II. 6, 2. XI. 1, 2.
Clam *apud Cicer. adverbium* X. 12, 5.
Clamores de plausu I. 14, 4.
Classis et exercitus IIII. 1, 7.
Clitellae V. 15, 3.
Coaedificare XIII. 33 a., 1.
Coartatus in oppidis VII. 10.
Cogere agmen XV. 13, 1.
Cogitare *et* excogitare IX. 6, 7. XII. 37, 2.
Cognomina ante nomina ponuntur II. 24, 3. VIII. 12, 1. 15, 3.
Cognoscere XII. 22, 1.
Cogor *suspectum* V. 21, 3.
Coitio consulum IIII. 15, 7.
Colere victum, vitam, *dubia locutio* XII. 28, 2; colere *et* observare II. 19, 5.
Colligere se VII. 3, 8.
Collybus XII. 6, 1.
Columnarium XIII. 6, 1.
Comedere VI. 1, 25.
Comissatores coniurationis I. 16, 11.
Comiter III. 15, 7.
Comitiis *abl. instrumenti* XIIII. 12, 1.
Commeatus XIII. 41, 2.
Comminus accedere II. 2, 2.
Commissio ludorum XV. 26, 1.
Committere, ut VII. 15, 3.
Commodare alicui II. 16, 2.
Commode — quum *non Tullianum* II. 12, 2; commode loqui IIII. 16, 3.
Commodo meo (tuo) IX. 6 A.
Commodum mihi est II. 1, 3.
Commodum — quum II. 12, 2. VII. 2, 5.

Commovere se ex aliquo loco VII. 7, 3; aliquem XI. 24, 2.
Commune est IX. 9, 3.
Communiter scribere litteras XI. 5, 1.
Compacto X. 12 a., 2.
Compellare II. 2, 3.
Compendium = lucrum V. 4, 2.
Comperisse I. 14, 5.
Compingere se aliquo VIII. 8, 1.
Compleri ab IIII. 1, 5.
Componere *et* exponere *permut.* VI. 1, 8.
Compositissimus VI. 9, 1.
Comprimere frumentum V. 21, 8.
Conata IIII. 15, 2.
Concallescere IIII. 18, 2.
Concludi XI. 14, 3.
Concordia IX. 7 B., 1.
Condire X. 8, 5.
Conditio *de transactione* XI. 12, 3.
Condonare iudicium alicui II. 3, 1.
Conferre II. 17, 1; inter se I. 20, 1; cum aliquo XIII. 19, 5.
Conficere alicui aliquid I. 7; XII. 52, 2; provinciam IIII. 18, 5; confici et confieri II. 16, 2; conficior *absolute* X. 18, 3.
Confidentia IX. 13, 4.
Conflictari aliqua re *et* cum aliqua re X. 4, 4.
Congiarium XVI. 8, 2.
Coniunctivus imp. et pl. q. perf. de eo quod fieri debebat v. debuerat. II. 1. 3 et XVI. 11, 7.
Coniunctivus necessarius in quaest. indirecta I. 1, 4. VIII. 13, 2; *per attractionem expl.* I. 1, 3; *pro imperativo sec. pers.* I. 17, 11; *singulari vi ponitur* I. 16, 10.
Conquisitores VII. 21, 1.
Conscendere *absolute positum* VI. 8, 4.
Conscindere VIII. 16, 1.
Conscribere epistolam XII. 19, 2.
Conscius de aliqua re II. 24, 3; conscius *et* consors *permut.* I. !8, 1.
Consenescere II. 13, 2.
Consentire XVI. 15, 6.
Consiliari *an Tullianum?* XV. 9, 2.
Consilium domesticum XVI. 12.
Consistere I. 16, 8; cum aliquo II. 24, 2; de usura VI. 1, 7.
Consonus IIII. 16, 3.
Constantia IX. 2 a., 2.
Constantius — cunctantius XIII. 10, 3 extr.
Constitutum I. 7. XI. 16, 2.
Constrictio librorum IIII. 5, 3.
Consul *et* censor *permutantur* VI. 1, 17. XVI. 13 c., 2. Consules *vocantur, qui sunt designati* I. 2, 1.
Consularis *non est uxor consulis* II. 1, 5.
Consulares orationes II. 1, 3.
Consulere. Te id consulo *corruptum* VII. 20, 2.
Consumere in aliquid *non Ciceronis* IIII. 16, 8.
Contemnere in aliquid IIII. 16, 8.
Contendere I. 5, 5.
Continere libros XIII. 21, 4.
Contubernales XIII. 33, 3.
Contumacia XIIII. 13 A., 3.
Contundere animum XII. 44, 3.
Conturbare IIII. 7, 1.
Convenit XV. 3, 3.
Conventus I. 19, 9.
Conventu *male pro* convento VI. 3, 1.
Convicium I. 14, 5.
Copia *differt a* copiis VIII. 12 A, 1.
Corbita XVI. 6, 1.
Corona *de venditione sub corona* IX. 8, 1.
Corrigere rogationem III. 2.
Creber in aliqua re I. 19, 1.
Credere = confidere I. 16, 10.
Cretio libera XIII. 46, 3; simplex XI. 12, 4.
Cuicuimodi III. 22, 4.
Cum. *Usus praepos. singularis* II. 20, 6. X. 15, 1; cum contumelia V. 17, 6; cum eo quod, *sequente coni.* VI. 1, 7 et Add.; cum prima luce IIII. 3, 4; cum tua gratia X. 15, 1.
Cunctis copiis V. 18, 1.
Cupere *plus quam* velle II. 18, 4.
Cur *post* accuso III. 13, 2.
Curare aliquem V. 4, 2; *absolute positum* I. 18, 7; *in re pecuniaria* I. 7. XV. 15, 1.
Curatio vini XIII. 46, 2.
Currere *in perf. compositorum non reduplicatur* IIII. 1, 6. XII. 18a, 1.
Currens *an* accurrens VIII. 9, 4.
Currentem hortari VI. 7, 1.
Cursus III. 8, 2. V. 8, 1.
Custos urbis VII. 3, 3.

D.

Dare aures alicui I. 5, 4; se alicui IX. 5, 3; ut initia se dant III. 23, 5.
Dativus ethicus I. 14, 5; *male additus part. perf. pass.* VIII. 3, 7; *pro genetivo* VIII. 7, 1.
De = quod attinet ad I. 4, 2 = propter XI. 3, 3; de consilii sententia II. 16, 4; de nocte IIII 3, 4; de pompa XIII. 28, 3.
Debere alicuius causa XV. 3, 2; deberi non potest IIII. 2, 2.
Decedere *et* discedere *confunduntur* I. 6, 2; de provincia VII. 3, 5.

Decemscalmus *adiect.* XVI. 3, 6; decem homines *pro* Xviris XV. 19, 1.
Decernere suo capite X. 9, 2.
Decidere = transigere I. 8, 1.
Declinare II. 19, 1.
Decumani V. 13, 1.
Dedita opera XV. 4 a., 4.
Deducere II. 1, 5.
Defendere *pro* arcere XIIII. 14, 2.
Deferre praefectos V. 7; deferre—referre VII. 11, 5.
Deformatus corpore II. 21, 3.
Deiicere de gradu XVI. 15, 3.
Delectare *absolute positum* IIII. 16, 1; delectari ab aliquo IV. 11, 2.
Delectus — delictum VIII. 12, 2.
Delegare XII. 12, 1.
Delegatio a mancipe XII. 3, 2.
Deliberatum est mihi XV. 5, 3.
Deliciae I. 17, 9.
Demittere se in causam VII. 12, 3.
Denegare I. 1, 1.
Denique. *Usus singularis* V. 20, 8; *post unum membrum* X. 8, 4.
Denuntiare II. 22, 1; *male pro* renuntiare XI. 23, 3.
Depecisci periculo IX. 7, 3.
Dependere I. 8, 3.
Deplorare de aliquo IX. 18, 1.
Deponere provinciam II, 1, 3.
Deportare — reportare IIII. 18, 5.
Derelinquere VIII. 1, 1.
Derogare III. 23, 3.
Descendere sacra via IIII. 3, 3; ad aliquid VII. 9, 3.
Deseri ab aliqua re IIII. 16, 1.
Designator IIII. 3, 2; designatio librorum IV. 4 b, 1.
Desponsa provincia I. 16, 8.
Destinare XII. 30, 1. XIII. 33, 2.
Detergere XIIII. 10, 3.
Deterior histrio I. 16, 12.
Deterrere II. 1, 2.
Detexere = absolvere XIII. 23, 2.
Detinere *suspectum* X. 1, 2.
Devenire I. 9, 1.
Devertere a Cumis *falsum* XV. 2, 1.
Devitatio *voc. rarum* XVI. 2, 4.
Devorare spe I. 16, 10.
Devorti III. 7, 1.
Dextella alicuius XIIII. 20. 5.
Dexterae tensae, *non* densae VII. 1, 4.
Diaria VIII. 14, 1.
Dicere de scripto IIII. 3, 3; ex inferiore loco II. 24, 3; pro testimonio I. 16, 2; sententiam in aliquem VII. 1, 8.
Dicis causa I. 18, 5.
Dico *orationi interpositum suspectum* VI. 1, 3 et VII. 9, 3; *cum variis casibus nominum* XVI. 15, 5.
Diecula V. 21, 13.
Dies meus XIII. 42, 2; dies natalis reditus III. 20, 1; dies primi III. 23, 1; testamenti XV. 2, 4: dies tuus VII. 8, 2; dies = tempus III. 15, 2 et XIIII. 22, 2; dies rogationis III. 4; dies *masc. gen.* V. 14, 1; diem dare alicui I, 10, 6; diem ex (de) die VII. 25, 3; diem consumere IV. 2, 4. Dies et noctes XII. 46.
Differre diem XIII. 37, 4; vadimonium II. 7, 2.
Digamma IX. 9, 4.
Dignatio *pro* dignitate X. 9, 2.
Dignus *cum genetivo* VIII. 15 A, 1.
Dii approbent VI. 6, 1.
Dilaudo IV. 17, 5. VI. 2, 9.
Dilectus X. 12 a., 2.
Diligens = parcus VI. 1, 25.
Diligere *et* amare XIV. 17 A, 5.
Diploma X. 17, 4.
Dirumpi IIII. 16, 8 et 18, 2.
Discedere ab aliquo *pro* excipere I. 17, 5; discedere *corruptum* II. 16, 4.
Discere ab *et* de aliquo II. 2, 2.
Discessus XII. 40, 3.
Discribere II. 1, 4.
Dissimulare *absolute ponitur* V. 1, 4.
Dissolutus I. 19, 8.
Dissolvere vota XV. 11, 4.
Diu multumque IIII. 13, 2.
Divinitus = praeclare I. 16, 9.
Divisores I. 16. 12.
Dolor *et* maeror *diversa* XII. 28, 2.
Domi esse X. 14, 2 et XV. 1 a, 2; domi nasci I. 19, 3.
Domo mittere XVI. 2, 6.
Domum ad te (se) IIII. 14, 1.
Dubitare XII. 49.
Ducere dieculam V. 21, 13; rationem VIII 11 D, 7; *et* dicere *confusa* VIII. 7, 2.
Duci *de comitiis dilatis* IIII. 15, 7.
Duco esse I. 20, 1.
Dum *pro* quum X. 16, 5; *cum perf.* I. 16, 2; *cum coniunctivo* V. 21, 3.
Dumtaxat IIII. 3, 6.
Duumvirum *genetivus* II. 6, 1.

E.

Eatenus — qua IIII. 5, 2.
Ecce tibi II. 15, 3.
Eclogarii XVI. 2, 6.

Ecquis *mutandum in* et quis II. 5, 2.
Edolare XIII. 47, 1.
Effari templum XIII. 42, 3; *passive* ibid.
Efficere in aliquo, IX. 11, 4; *pro* conficere XII. 52, 2.
Effligere IX. 19, 2.
Effundi IIII. 9, 1.
Ego vero V. I, 1.
Eiectio II. 18, 1.
Eiicere II. 24, 2.
Eleganter accipi XIII. 52, 2; elegantius facere *et* fieri V. 20, 6.
Elegantia VI. 2, 8.
Eligendi optio IIII. 19, 2.
Elimare *voc. Attici* XVI. 7, 3.
Ellipses I. 13, 3. VII. 15, 3.
Emereo VI. 2, 6.
Emergere ex aliqua re V. 8, 1.
Emittere = eiicere II. 1, 3; *male pro* mittere II. 12, 1.
Emori VIII. 2, 4.
Emptio ab hasta *an* ad hastam XII. 3, 2.
Enim *et* autem *confusa* VIII. 3, 6. XVI. 6, 2; enim *in parenthesi* II. 1, 1; *omittitur* V. 21, 8.
Enimvero *restituitur* VII. 3, 5.
Eniti XVI. 6, 2.
Enuntiatio primaria inter duas causales I. 5. 4.
Eodem loci I. 13, 5.
Epistola Memmiana VI. 1, 10.
Equidem III, 3; — sed I. 13, 1; equidem *repositum* VII. 22, 2.
Equitatus II. 1, 7.
Ergo *cum genet.* III. 23, 2. VII. 20, 1.
Erigere remp. II. 15, 2.
Erui aliqua re *falsum* X. 14, 1; *suspectum* XII. 36, 1.
Erumpere aliquid in aliquem XVI. 3, 1.
Escendere in concionem IIII. 2, 3.
Esse ab aliquo X. 11, 3; XVI. 7, 4. 15, 5; ad aliquem *dubium* X. 4, 8; ad aliquid III. 7, 2. VI. 1, 14; ad Baias XIII, 52, 2; ad naturam IIII. 18, 2; ad scribendum I. 19, 9; alicuius rei XVI. 4, 3; aliquid (nihil) IIII. 2, 2; (manere) aliquo statu V. 9, 2; antiquorum hominum IX. 15. 5; deliberationis *vitiosum* VIII. 12, 3; facillime XII. 34, 1, futurum in Tusculanum XV. 4, 2; impedimento maiori et maiore X. 18, 1; in auspicio II. 12, 1; in caelo II. 9, 1; in epistola VIII. 9, 1; in gratia IIII. 16, 5; in hoc II. 1, 5; in invidia II. 9, 1; in manibus VI, 3, 1; in medio mari V. 12, 3; in oculis VI. 2, 5; in officio I. 10, 2; in operto I. 16, 10; in potestate I. 10, 2; in spe I. 13, 6; in splendore I. 18, 1; in timore V. 14, 2; libenter XIII. 52, 2; nihili I. 19, 4; nihil negotii XII. 14, 1; nulla spe VI. 1, 23; recte I. 7; tuto XV. 11, 1. XIIII. 20, 3. Esse *pro* scriptum esse VIII. 9, 1; *cum* posse *permut.* VII. 14, 1.
Est in eo XII. 40, 4; totum V. 20, 7.
Et *non recte ponitur ante extremam vocem orationis asyndeti* I. 20, 1; et — et non II. 4, 6; et = et tamen XIIII. 8, 1; et — etiam II. 1, 3; et heus *suspectum* VI. 1, 25; et *indignantis* VI. 2, 9; et ipse IIII. 5, 2; et quidem VIII. 16, 2; et *pro* etiam I. 1, 4. XI. 9, 2; et — que XVI. 4, 4.
Etiam *in responsione* I. 13, 6. IIII. 5, 1. 18, 4; etiam *scriptum pro* iam I. 2, 1; etiam antea VII. 1, 8; etiam dum XIII. 31, 1; etiam et etiam VIII. 15, 2.
Etsi *cum coniunctivo* V. 11. 2; etsi = sed IIII. 9, 1; etsi quamvis XVI. 7, 2.
Eu *dubitanter Ciceroni tribuitur* VI. 3, 5.
Eventum III. 8, 4.
Evigilare IX. 12, 1.
Evulsa arbor XV. 4, 2.
Ex quo *causam indicat* II. 23, 3; ex sententia IIII. I4, 2.
Exaudire I. 14, 4.
Excidere IIII. 17, 1.
Excipere laudem I. 14, 3. II. 5, 1.
Excubare animo IX. 11, 4.
Excudere XV. 27, 2.
Exemplum litterarum IX. 6, 3.
Exercitus = vexatus I. 11, 2.
Exhaurire mandata V. 1, 5.
Exhibere pupillum V. 18, 4.
Exigere V. 21, 10.
Exigue scripta epistola XI. 16, 1.
Exire de libris XIII. 13, 1; de classe X. 4, 9.
Existimare I. 5, 1.
Exitiabilis *forma dubia* X. 4, 3.
Exoriri VII. 26, 1.
Expedire *et* experiri *permutantur* VII. 1, 9.
Expeto — exspecto VII. 13 a., 4.
Explicare debitum V. 5, 2; se VIII. 12 A, 3.
Exponere actiones VI. 1, 8.
Exprimere aliquem VIII. 11, 1; vocem II. 21, 5.
Exsequi fatum IX. 12, 1.
Exspectatio Caesaris III. 15, 3; Corfiniensis VIII. 5, 2.
Extemplo XIII. 47 a.
Extorquere VI. 1, 25.
Extra quam si VI. 1, 15.
Extrudere V. 1, 5.
Exturbare VIII. 16, 2.

F.

Faba manium I. 16, 13.
Facere de conditione XI. 2, 3; de struendo sacello I. 16, 18; omnia summa XV. 13, 5; satis V. 3, 3; *dicitur, cuius culpa aliquid non fit* V. 20, 1; *alius verbi loco ponitur* VII. 3, 2.
Facile I. 1, 2; esse alicubi XII. 34, 1; et libenter I. 1, 2.
Facio, ut I. 11, 1; VII. 15, 3.
Factum male (bene) XII. 10. XV. 1, 1; *corruptum ex* facetum XI. 7, 1.
Factus II. 24, 3.
Facultas agraria II. 15, 1; facultate *corruptum* XI. 25, 3.
Faenus subito auctum IIII. 15, 7; perpetuum V. 21, 13; et impendium recusare VI. 1, 4.
Fallit *imperson.* XIIII. 12, 2.
Fasciae cretatae II. 3, 1.
Fasti codicillorum IIII. 8 b, 2.
Favere *non dicitur patronus reo* XII. 49, 1.
Fecisse *et* non fecisse videri IIII. 17, 5.
Felicatae lances VI. 1, 13.
Ferre aperte XIIII. 12, 2; lente II. 13, 3; obscure IX. 7, 3; tacitum II. 3, 2; tribum II. 1, 9; fluctum V. 12, 1.
Ferreus XIII. 30, 1.
Festine *an* festive IIII. 14, 2.
Fides publica II. 24, 2: fidem facere XVI. 8, 2.
Fieri *de sacris* I. 12, 3.
Filiola Curionis I. 14, 5.
Finire provincias die VIII. 3, 3.
Finis sit IIIl. 5, 2; fem. gen. IX. 10, 3.
Fit sedulo X. 6, 2.
Flectere Leucatam V. 9, 1.
Flocci facteon I. 16, 13.
Fluctum ferre V. 12, 1; fluctus numerare II. 6, 1,
Fore *de comitiis* IIII. 15, 8; *pro* factum iri IIII. 3, 5. Foret *pro* esset VII. 21, 2; *non componitur cum partic. fut.* V. 21, 4.
Foris esse = non esse solvendo IIII. 18, 3.
Forma urbis VII. 12, 6.
Formula satisdandi I. 8, 1.
Fortasse VI. 6, 3; *numerali add.* VII. 4, 2.
Fortes oculi XV. 11, 1.
Forum agere V. 16, 4.
Fractus = violatus IIII. 1, 3.
Frater *de patruele* I. 5, 1.
Fraudem facere IIII. 12, 1; fraudi esse V. 21, 12.
Fremere II. 7, 3.
Frequenter = a multis I. 19, 5.
Fretum Siculum II. 1, 5.
Frigere *de oratore* I. 14, 1.
Frontem ferire I. 1, 1.
Frugi (bonae) IIII. 8 b, 3.
Fucosus I. 18, 1.
Fuere *suspectum* X. 18, 1.
Fultum est *corruptum* XIII. 40, 1.
Furcilla extrudi XVI. 2, 4.
Futurum exactum I. 4, 1. IIII. 1, 2.

G.

Genetivus in ium I. 14, 5. VIII. 1, 3. XV. 15, 1. 20, 4; *duplex ab uno nomime suspensus* II. 4, 7. 5, 1. IIII. 1, 2; *nominum in* ius *et* ium I. 5, 4; *nominum propriorum tertiae decl. in* i, II. 1, 1; *obiectivus* XI. 11, 2; *temporis ex ellipsi ortus* III. 7, 1.
Gentilis tuus XIII. 35.
Genus, *opzicht* IIII. 2, 7. VI. 2, 4. genera duo VI. 1, 15.
Gerundii accus. a praepositione pendens transit in gerundivum I. 13, 1; *gerundium an passive dic.* VII. 20, 2; *gerundium cum accus.* VII. 2, 4.
Gerundivum cum praepos. ab X. 4, 5.
Gestus histrionis VI. 1, 8.
Gladiatoribus II. 19, 3. 24, 3.
Glutinatores IIII. 4 b, 1.
Grandiores libri XIII. 13, I.
Gratiae *plur. num.* I. 1, 4.
Gratuita comitia IIII. 15, 8.
Gratulari aliquid V. 20, 1.
Gratulatio laudis I. 17, 6.
Gratum *et* iucundum I. 8, 1.
Gravedo X. 16, 6.
Gravis opinio III. 24, 2.
Gravissimus vir, *ironice* V. 12, 2.
Gravitas loci XI. 21, 2.
Gravius est mihi XII. 32, 1.
Gubernacula II. 7, 4.
Gymnasium I. 8, 2.

H.

Habere aliquem III. 2; animo I. 6, 1; *cum infinitivo* II. 22, 6; *cum partic. perf.* VI. 2, 8; exitum VII. 11, 4; hoc XIII. 2; in manibus XVI. 5, 2; in nummis VIII, 10; mare infestum IX. 19, 3; promulgatum I. 18, 5; quid *et* quod scribam I. 12, 4; rationem cum aliquo II. 5, 2; rationem suam VII. 9, 4; secum IIII. 15, 6: sibi aliquid VII. 11, 1; suum negotium XII. 22, 3; XIII. 49, 2; tribus IIII. 15, 9.
Hac re, *abl. conseq.* IX. 7 A, 2 et B, 2.
Haec *de re Romana* XII. 19, 1.

Haerere VIII. 12 C, 1. IX. 10, 3. XI. 24, 2; in re XIII. 39, 2.
Haeresis Vestoriana XIIII. 14. 1.
Hemicillus *suspectum* XIII. 51, 1.
Here *pro* heri X. 13, 1.
Heres ex libello, ex teruncio VII. 2, 3.
Heros *dicitur Cato* I. 17, 9.
Hic = hoc rerum statu I. 14, 5.
Hic ille I. 18, 3 et Add.
Hirudo aerarii I. 16, 11.
Historia II. 8, 1.
Hoc *abundat* IIII. 8 b, 2.
Hoc (id) temporis XI. 7, 6.
Homo *cum contemptu* I. 16, 5; *sine contemptu* I. 14, 7; hominem esse II. 2, 2; novi, ipsum non novi XIII. 21. 7.
Honestas et dignitas II. 24, 4.
Honoris causa XI. 9, 2.
Hortari ad pacem, *non* pacem VII. 14, 3.
Hostis — inimicus II. 19, 3.
Huiusmodi *sequente pron. relativo et* quod I. 1, 1.
Humaniter ferre I. 2, 1.
Hypomnema XV. 23.

I.

I *et* e *in* Aristotelius *cet.* II. 1, 1.
Iacere II. 7, 4.
Iacere *cum ablat.* II. 6, 2.
Iactare I. 11, 1. IIII. 9, 1; se de aliquo II. 9, 1.
Iactor *suspectum* XI. 16, 3.
Iacturae VI. 1, 2.
Iam *deletur* V. 12, 2; iamdiu *pro* etiam diu I. 2, 1; iam etiam XI. 9, 1; iam nunc I. 8, 2; *suspectum* XIIII. 14, 7; iam pridem II. 5, 1; *suspectum* VI. 1, 22.
Ibidem ilico II. 12, 2.
Id est — *formula se corrigentis* IIII. 18, 1. VI. 9, 5. XIIII. 2, 3; *explicationem adiungit* XIII. 38, 2.
Id quod — id IX. 7 A, 1.
Idem *in oppositione* I. 11, 1; idemque III. 12, 1. IIII. 1, 1.
Ignoratio VII. 21, 1.
Ii *pro* ivi III. 14, 2.
Illac facere *suspectum* VII. 3, 5.
Illim VII. 13 b, 2. X. 1, 2.
Illo III. 4.
Illustre I. 13, 4.
Imagunculae VI. 1, 25.
Immittere I. 16, 9.
Impedire impeditum XV. 15, 3.
Impendio magis X. 4, 9.
Imperfecti indicat. usus quidam rarior V. 17, 1; *de conatu* V. 15, 3. 20, 5. VII. 23, 2; *imp. coniunct. post praesens* VIII. 12, 1. VIII. 12 B, 2.
Impetratio XI. 22, 1.
Impingere VI. 1, 6.
Implicatus aliqua re I. 19, 8.
Imponere aliquo *et absolute dictum* I. 10, 3; = decipere XV. 26, 4; vulnus reip. I. 16, 7.
Improbitas militum VI. 4, 1.
Impugnatio IIII. 3, 3.
In *cum ablat., ubi etiam cum accus. stare possit* IIII. 17, 3; *cum accus. pro ablat.* XV. 4, 2.
In alteram aurem XIII. 24; in dies (singulos) V. 7, 1; in domo Caesaris II. 7, 3. in eam partem XVI. 1, 6; in eandem rationem scribere I. 11, 1; in hoc I. 1, 1; in interiora aedium IIII. 3, 3; in maiorem modum XVI. 16 D, 14; in omnes partes XI. 6, 2; in oppidum multos dies ponere XI. 22, 2; in Piraeea VI. 9, 1. VII. 3, 10; in praesentia VII. 14, 1; in quo III. 15, 6; in scribendo *et* in scripto *permut.* I. 19, 1; in toto *corruptum* XIII. 20, 4; in Tusculanum futurus essem XV. 4 a, 2.
Inanis populus IIII. 2, 3.
Inaudire VI. 1, 20. XVI. 1, 2.
Incendium *figurate dicitur* V. 20, 8.
Incidere — insidere XIII. 32, 1.
Includere *cum dativo* I. 13, 5. XV. 4a, 3; in librum IIII. 16, 2.
Incumbere in aliquod I. 19, 4.
Inde = deinde VII. 12, 2.
Indicativus additus formulae nescio quo pacto (modo) XIIII. 13, 2; *in quaestione* X. 11, 4; *indic. praes. temp. in quaestione* XVI. 8, 2; *in quaest. indirecta non ponitur* I. 1, 4. VIII. 13, 2.
Indices librorum IIII. 4 b, 1. 15, 9.
Indicium postulare II. 24, 4.
Indignitas *non dicitur pro* indignatione X. 8, 3.
Indoles X. 12, 7.
Inducere de gladiatoribus IIII. 11, 1; animum XIIII. 13, 6; SCtum, I. 20, 4.
Inductus III. 15, 7.
Indulgentia X. 4, 6.
Infantia *vitiosum* X. 18, 1.
Infimi IIII. 2, 3.
Infinitivus praes. temporis nonnunquam ponitur pro futuro I. 1, 1. XIII. 14, 1; *post* velim X. 8, 10; *suspectus* IIII. 18, 4.
Informata cogitatio I. 1, 2.
Ingerere praeterita XI. 6, 3.

Inhibere *in re nautica* XIII. 21, 3; = prohibere XVI. 7, 3.
Iniicere XVI. 5, 3.
Inops. *Duplex constructio* I. 1, 2.
Insanire XIII. 29, 2.
Inscriptio epistolarum Praef. p. XI.
Insidere *cum accus.* I. 17, 1.
Insigne I. 4, 3; amoris III. 15, 4.
Insinuare (se) II. 24, 2.
Insolens *cum genet.* II. 21, 3.
Instar *cum genetivo* X. 4, 1; *cum numerali* XVI. 5, 5.
Instaurare sacrificium I. 13, 3.
Instituere = incipere VIII. 12 B, 2.
Insulsitas villae XIII. 29, 2.
Integrum mihi est, ut — possim IIII. 2, 6.
Intelligere aliqua re XI. 5, 3.
Intendere aliquo VIII. 11 D, 3.
Inter caesa et porrecta V. 18, 1; inter istos *an* inter ipsos II. 7, 3; inter lucos *an* vicos IIII. 3, 4; inter se VI. 1, 12; inter viam IIII. 3, 5.
Intercalari V. 9, 2.
Intercedere I. 16, 5; pro aliquo aliquid VI. 1, 5.
Intercludor dolore VIII. 8, 2.
Interesse *cum genetivo vocis Graecae* V. 19, 3.
Interest *cum nominativo* III. 19, 1.
Intermittere *absolute* XI. 25, 1.
Intermortuus I. 14, 4.
Internecio II. 20, 3 et Add.
Interponere decreta XVI. 16 B, 8; indicium VIII. 3, 7.
Interpres I. 12, 2.
Interpretari de aliquo XVI. 16 A, 7.
Intervallum *de tempore* I. 4, 1.
Intra praesidia venire I. 20, 2.
Introducere *de uxore* XIIII. 13, 5; procuratores XVI. 15, 2.
Introductio *de stupro* I. 16, 5.
Inurere dolorem I. 16, 7.
Invaletudo *barbarum* VII. 2, 2.
Invicem *falsum* V. 10, 5.
Invitare XI. 10, 1.
Invite *non est Ciceronis* VIII. 3, 4.
Involgare *falso leg.* II. 1, 3.
Ioculator *vocabulum dubium* IIII. 16, 3.
Ipse *numeralibus add.* III. 21; *non ponitur pro* is ipse X. 14, 3; = per se XII. 14, 3; ipse is *vitiosum* V. 4, 1.
Ire ad Bibulum II. 21, 5; *de re* XIIII. 20, 4; in consilium XIII. 49; in locum III. 14, 2.
Ista IIII. 6, 2; istae res I. 14, 2; istim I. 14, 4.
Istac — istac VII. 6, 1.
Ita — ut = ea conditione ut IIII. 2, 6; *restrictive* VII. 13 a, 1. XI. 15, 1.
Ita vivam ut V. 15, 2.
Itane vero XIIII. 10, 1.
Iubere *cum dat. soloecum* IX. 13, 2; *cum infin. act.* VII. 3, 11.
Iucundus *differt a* grato I. 8, 1.
Iudicatus XII. 19, 2 coll. XIII. 6, 3.
Iudices a praetore lecti I. 14, 1.
Iudicia tenere — timere XIII. 20, 4.
Iudicium nolo IIII. 3, 2; tacitum IIII. 17, 3.
Iunctus aliqua re I. 19, 6.
Iurare morbum I. 1, 1.
Iurisdictio imperita VI. 2, 5.
Iusta itinera V. 2, 1.
Iuventatis sacra I. 18, 3.

L.

Labare X. 15, 1.
Laborare IV. 16, 8; non laboro XIIII. 49, 1; *cum infinitivo* V. 2, 2.
Lacerta *et* lacertus II. 6, 1.
Laconicum IIII, 10, 2.
Lacuna XII. 6, 1.
Lanista clemens I. 16, 3.
Lanterna linea IIII. 3, 5.
Laxius XV. 20, 4.
Legare ab aliquo XIII. 46, 3; legari alicui *et* ab aliquo IIII. 2, 6.
Legati cum auctoritate I. 19, 2.
Legatio libera II. 4, 2; votiva II. 18, 3; legationes quando auditae I. 14, 5.
Legatoria provincia XV. 9, 1.
Legere alicui I. 16, 7.
Lente ferre II. 13, 2.
Lentus I. 18, 4 et 12, 2.
Lepide esse VIII. 14, 3.
Letum *de morte* X. 10, 5.
Levitas II. 5, 2.
Levi bracchio IIII. 17, 3.
Levius ac levius XIII. 21, 6.
Libellus XVI. 16 A, 4.
Liberare ab aliqua re X. 15, 4.
Liberalis in aliquo IIII. 17, 3.
Libertus *quando potest in servitutem redigi* VII. 2, 8; alterius cliens I. 12, 2.
Liberum non putare I. 18, 3.
Librariolus XV. 7.
Librarius XIII. 33, 1.
Licere XII. 23, 3; liceri XII. 38 b, 2.
Liguritio XIII. 46, 2.
Lippitudo sicca X. 14, 1.
Litem contestari XVI. 15, 2.
Litterae = libri VIII. 11, 1; ardentes XIIII. 10, 4; cum nuntio IX. 15, 1; magni ponderis XIIII. 14, 1; victrices V. 21, 2.

Litterae Cassii VII, 24; Diocharinae XIII. 45, 1; Epiroticae XII. 53; *de orationibus* I. 14, 3.
Litteras *corruptum e* διφθέρας XIII. 32, 3.
Loco IIII. 2, 4.
Locutiones rei militaris XV. 13, 1.
Loqui aliquid IX. 2 a, 3.
Loreolam in mustaceo quaerere V. 20, 4.
Lucere III. 15, 4.
Lucrativus VII. 11, 1.
Luculentus II. 12, 4.
Ludi Graeci XVI. 5, 1; ludis I. 16, 11; ludus, *de bello* IX. 13, 4.
Lupus in fabula XIII. 33 a., 1.
Lustrare exercitum V. 20, 2.
Lux V. 15, 1.

M.

Macrocollum XIII. 25, 3.
Macte XV. 29, 3.
Maculosus I. 16, 3.
Maeror *differt a* dolore XII. 28, 2; maeror — error III. 8, 4.
Maestus — maerens I. 16, 3.
Magisse *vitiosum* XIIII. 5, 2.
Magister in bonorum venditione I. 1, 3.
Magistratus *sing. num. non dicitur de pluribus* VII. 12, 5. 13, 1.
Magistri publicanorum V. 15, 3.
Male *et* factum male XII. 10; male intelligere XVI. 15, 5; male odisse XIIII. 1, 2.
Malitia = sagacitas XV. 26, 4.
Malle alicui II. 16, 4.
Malum *interiectio* V. 20, 1; malum habere VII. 2, 4.
Manare *et* manere XV. 4 a., 3.
Mancipio accipere I. 1, 3; dare XIII. 50, 2.
Mandare I. 10, 3.
Manere in conditione VII. 15, 3; *pro* pernoctare XVI. 10.
Manumissio non solemnis VII. 2, 8.
Manus I. 1, 2; m. dare II. 22, 2.
Maturare *cum infin.* IV. 1, 8.
Maxime *non additur superlativo* XII. 38 b., 3.
Maximus *et* minimus *permut.* XII. 23, 2.
Mecum ipse VII. 17, 2.
Medius X. 8, 4.
Meis verbis V. 11, 7.
Memini de aliquo *non Tullianum* XV. 27, 2.
Mensis *in genet. plur.* XV. 20, 4.
Mentionem facere III. 17, 1.
Merus *et* mirus *permutantur* VI. 8, 2. VII. 1, 9.
Metus Gallici, *plur. num.* I. 19, 2.
Mi *pro* mihi *debetur librariis* I. 8, 3.
Micillus *vitiosum* XIII. 51, 1,
Miles sine animo I. 18, 5.
Militia *vitiose app.* V. 19, 3. XIII. 22, 4.
Mille *subst. cum verbo sing. num.* IIII. 16, 8.
Minus uno vitio I. 14, 6.
Mirari III. 3.
Mire quam I. 11, 3.
Mirus *et* mirificus III. 18, 2.
Missio litterarum I. 5, 3.
Missu *et* iussu *permut.* VIII. 9, 4.
Mittere de mensa V. 1, 4; librum ad aliquem VIII. 11, 7 et Add.; sanguinem invidiae I. 16, 11; = nuntiare II. 25, 1.
Mocosus *voc. barbarum* I. 13, 2.
Moderari alicui *et* aliquid V. 20, 9.
Modeste dicere II. 1, 9; rogare I. 17, 11.
Modio pleno VI. 1. 16.
Molae II. 1, 9.
Molli brachio II. 1, 6; mollis animus I. 17. 2. II. 21, 3.
Monetalis X. II, 5.
Monstra narrare IIII. 7, 1.
Monumenta XII. 18, 1.
Moratus II. 25, 1.
Moriar (ne vivam) si VIII. 6, 3.
Movere nummum I. 12, 1; *absolute* IX. 1. 1.
Muginari XVI. 12.
Multiiuges XIIII. 9, 1.
Multiplex VI. 2, 2.
Multissimus *vitiosum* XI. 2, 1.
Munus X legatorum XIII. 4, 1.
Munerari VII. 2, 3.
Mures *quando migrant* XIIII. 9, 1.
Mutare vultum XIII. 52, 1.
Mutum a litteris VIII. 14, 1.

N.

Narro tibi II. 11, 1.
Nascitur ab aliquo XI. 23, 3.
Nassa XV. 20, 2.
Natalis coloniae et templi IIII. 1, 4.
Navare opus IX. 11, 2.
Nave — navi XIIII. 20, 1.
Navigare mari *et* mare VIII. 3, 5.
Navigium *de rep.* XV. 11, 3.
Ne *breviter adiunctum* I. 13, 3.
Ne — quidem, *ubi negatio non praecedit* XII. 36, 1.
Nebulo VI. 1, 25.
Necesse habeo *cum infin.* XII. 39, 1.
Nedum IX. 7 A, 1. X. 16, 6.
Negare *absolute* VIII. 4, 2.
Negatio deletur VII. 3, 5; *omissa* VII. 15, 2.

Negotium de homine I. 12, 1. VI. 1, 13.
Nemine *et* neminis *non sunt Tulliana* XIIII. 1, 1.
Nemo = nullius pretii VII. 3, 8.
Nequam homo VI. 2, 3.
Neque = et tamen non I. 13, 2. XV. 6, 1.
Neque — neque non X. 9 A, 1.
Nequedum I. 5, 3.
Nequicquam IIII. 6, 2.
Nervi = vires XV. 4, 1.
Nescio an nullus IIII. 3, 2; nescio quis X. 11, 2.
Nihil est mihi cum aliquo XII. 17; nihil iacturae IIII. 17, 2; nihil negotii est XII. 14, 1; nihil quod attinet XV. 1 a, 1; nihil attinet *seq. infinitivo* I. 17, 2.
Nimio plus X. 8 a., 1.
Nisi quid eius fuerit *corruptum pro* nisi qui deus fecerit VII. 23, 3; nisi quod II. 1, 11; nisi si II. 3, 2. 11, 1.
Niti in aliquo I. 1, 4; niti ad omnia *corruptum* XII. 14, 3.
Noctes *de concubitu* I. 16, 5.
Noctuabundus XII. 1, 2.
Noenum *non Tullianum* VII. 3. 10.
Nomen *sine re* V. 15, 1.
Nomina *in pecunia debita* IIII. 17, 1; *translate* XIII. 14, 2.
Nomina propria cum vi repetuntur V. 2, 2; *fem. gen. de maribus* IIII. 11, 2; *interpolata* II. 1, 3. II. 13, 2. IIII. 17, 3. V. 20, 2. VIII. 5, 1. XVI. 16 F; *quo ordine collocentur* XII. 38 a., 2.
Non *pro* non item XIIII. 12, 2; non habeo, quid *et* quod I. 12, 4; non modo — sed ne — quidem IIII. 2, 1; non modo = ne dicam VIII. 12, 2; non moleste fero VII. 5, 3; non possum XIII. 28, 2; non sic XVI. 9.
Nonae Iuliae XVI. 1, 1; Decembres I. 19, 6.
Noscere causam XI. 13, 4; causas XI. 7, 5.
Notatus VII. 9, 2.
Notio = cognitio XI. 20, 2.
Novus morbus X. 16, 6.
Nudus *de inope* I. 16. 3.
Nugae *de hominibus* VI. 3, 2.
Nullo negotio X. 16, 3.
Nullus = omnino non XI. 24, 2.
Numerare Idibus XIIII. 20, 2.
Numeri corrupti I. 13, 6. II. 20, 6. III. 4. 5, 6. IIII. 15, 4. V. 20, 1 et 8. V. 21, 9. XI. 19, 2. XII. 25, 1. 52, 1. XV. 4 a., 1. 11, 1; *omissi* IX. 13, 4.
Numerus verbi in membro secundario ad subiectum sententiae primariae accommodatus VIII. 12, 4; *numerus verbi post nomina plur.* IX. 10, 2.
Numerus frumenti V. 21, 8.
Nummarius X. 1, 3. Cf. I. 16, 8.
Nunc *cum inperf.* V. 16, 4; = hoc rerum statu II. 1, 8; nunc iam I. 8, 2; nunc ipsum VIII. 9, 2.
Nuntium remittere XI. 23, 3.

O.

O *praecedit accus. in exclamando* VII. 25; *sed non semper* II. 14, 2.
O factum bene (male) XV. 1, 1.
Obducere aliquem I. 1, 2; diem XVI. 6, 1.
Obdurari *impersonale* XII. 3, 1.
Obfirmatus I. 11, 1.
Obrogare III. 23, 3.
Obscure ferre IX. 7, 3.
Observare XIII. 49, 2.
Obsignare XIV. 3, 2.
Obtentare *corruptum* IX. 10, 3.
Obtinere II. 16, 2; *absolute* XI. 7, 3; *vitiosum* I. 5, 4; causam VII. 25.
Obtrectare III. 26.
Obvenire II. 12, 4.
Obviam ire *duplici modo dic.* II. 1, 5; obviam venire II. 12, 4.
Obviamitio XI. 16, 1.
Occupare *absolute* IIII. 17, 4.
Occupatio II. 23, 1.
Occurrere XIII. 19, 5; *vitiosum* VIII. 11, 4.
Ocelli Italiae XVI. 6, 2.
Ocius — potius XVI. 3, 1.
Oculatus *non Tullianum* IIII. 6, 3.
Odorari *translate* IIII. 8 b, 4.
Offendere in aliquo VII. 14, 3. XII. 40, 2.
Offensus alicui II. 19, 2; in aliquem I. 5, 5.
Offerre se alicui II. 1, 3; obviam IIII. 3, 5.
Officium sermonis VII. 4, 2.
Omnium memoria *dubia locutio* V. 20, 5.
Ope *et* opibus uti IX. 16.
Opera IIII. 3, 3.
Operam dare alicui IIII. 15, 6; operas dare pro magistro XI. 10, 1.
Opinio *rei* VII. 2, 5.
Opinor et certe VI. 3, 8.
Opipare XIII. 52, 1.
Oportet-opus est IIII. 6, 2.
Oppidum *de Athenis* III. 7, 1.
Optato XIII. 28. 3.
Optima ratio II. 1. 6.
Optimatem, *substantive* X, 9 A, 2; viam I. 20, 3. *In genet.* ium I. 14, 5.
Opus est VII. 14, 1.
Oratiunculae II. 1, 3.

Orbis rei publicae II. 9, 1.
Ornare provincias III. 24, 1; *non fit per populum.* ibid.
Ornatissime defendere IIII. 17, 4.
Oro *plus est quam* rogo XVI. 16 B, 9.
Os praebere alicui I. 18, 5.
Oxymoron XVI. 15, 1.

P.

Pactiones inter publicanos et provinciales V. 13, 1.
Pactum et conventum VI. 3, 1.
Paene XIII. 27, 1; *an* plane? VII. 23, 1; *deletur* XIII. 34.
Paenitet (non) I. 20, 3.
Paenulam attingere, scindere XIII. 33 a, 4.
Palaestra I. 10, 3.
Palam X. 15, 2; facere heredem VII. 2, 3; sentire *an* palam assentiri X. 7, 1.
Palpare *non Tullianum* IX. 9, 1.
Pangere *de scriptore* II. 6, 2.
Panes — panis X. 15, 4.
Parare in navem *vitiosum* X. 15, 4.
Paratus *et* partus *conf.* I. 10, 6.
Parochus *non* parocha XIII. 2, 2.
Pars, in omnes partes XI. 6, 2.
Partes mentis (animi) III. 7, 3; salutis III. 20, 2; = regiones III. 2.
Parvo animo et pravo I. 13, 2.
Patere *duplici vi dicitur* VII. 13 a, 5.
Patrare I. 14, 7.
Paullo salubres *non Latinum* VIII. 12, 5.
Paullulum *suspectum* XV. 1 b, 1.
Pedarii I. 19, 9.
Pedes referunt aliquem aliquo XV. 16, 13.
Pedetemptim XVI. 14, 2.
Pedibus aequis XVI. 6, 1; ire, venire III. 8, 1; trahi *homines dicuntur non res* IIII. 18, 2.
Pedisequus *non* pedissequus II. 16, 1 et Add.
Pegmata IIII. 8 a, 2.
Pellectio I. 13, 1.
Pellegere XIII. 44, 2.
Pendere (animi) IIII. 15, 6; ex aliquo XIIII. 26, 3.
Pennae — pinnae IIII. 2, 5.
Per *separatur a nomine, quocum iungitur* I. 4, 3.
Per fortunas III. 20, 1.
Percussus *et* perculsus VI. 9, 1.
Percutere III. 12, 2.
Perdere *et* amittere V. 20, 4; omnia II. 21, 1 in Add.; tribum II. 1, 9.
Perfectum coniunctivi post tempus praeteritum quando ponitur I, 19, 7; *terminatio in* ERE IIII. 8 a, 2; X. 18, 1; *secunda persona non solet contrahi in scriptis Ciceronis* XIII. 32, 3.
Perfringere III. 23, 5.
Pergo aliquid III. 15, 5.
Perhibere aliquem I. 1, 4.
Perhonorificus I. 13, 2.
Periculosum esse in se XIII. 27, 1.
Perinde ut XIII. 43, 1.
Permalus *non Tullianum* I. 19, 2.
Perscribere XVI. 2, 1.
Perscriptio IV. 17, 2.
Persecare XIII. 23, 3.
Persequi — prosequi XV. 27, 2.
Persolvere VII. 3, 1.
Pertinere ad aliquem I. 17, 4; ad rem XII. 10.
Petere I. 17, 11.
Persona mea *quid sit apud Cic.* VIII. 11 D. 7.
Perspicere *et* prospicere *confusa* VI. 5, 3.
Petiturio I. 14, 7.
Phaselus I. 13, 1.
Philologia II. 17, 1.
Piaculum XV. 25.
Pigmenta II. 1, 1.
Pilus, ne pilum quidem V. 20, 6.
Pingere = ornare I. 14, 3; IIII. 5, 3.
Piscinarii I. 18, 6.
Placet tibi? VI. 6, 2.
Plane II. 24, 5; XI. 7, 5.
Plena manu II. 25, 1; pleno modio VI. 1. 16.
Plenus *cum abl.* III. 14, 1.
Pleonasmus IIII. 2, 6.
Plumbeus I. 16, 2.
Pluribus *et* plurimis verbis VII. 17, 3.
Plur. num post subiecta singularia in anaphora II. 17, 1.
Plus = magis II. 1, 8; plus annum XII, 22, 3.
Poena odii XIIII. 12, 1.
Pollex non index XIII. 46, 1.
Pompa (de) XIII. 28, 3.
Ponere dies in oppidum XI. 22, 2; in gratia V. 3, 3.
Populare aliquid habere VIII. 11 D. 7.
Popularis I. 19, 8.
Porta IIII. 18, 4.
Portus *pro* portoriis V. 15, 3.
Posmeridianus XII. 53.
Posse *in* esse *corruptum* VII. 14, 1.
Possessio *de agro provinciali* VI. 1, 13.
Postea in praesentia *corruptum* XVI. 15, 3.
Postprincipia *male tribuitur Tullio* XVI. 15, 3.
Postulare aliquem aliquid *falsum* II. 7, 1 indicium II. 24, 4.

Postulationes in iudicio I. 16, 4.
Pote *pro* potest IIII. 13, 1. XIII. 38, 1.
Potest = fieri potest IIII. 13, 1; XI. 14, 3.
Prae re VI. 1, 23.
Praecavere *et* providere II, 1, 6.
Praeceps II. 21, 3.
Praecidere VIII. 4, 2; naves IX. 6, 3.
Praecipere consilium VIII. 11 B, 1.
Praecipio *et* praeripio IX. 17, 1.
Praecipitare III. 15, 7.
Praecipuum *oppon.* communi XI. 14, 1.
Praecise negare VIII. 4, 2.
Praedia *et* praesidia *confund.* VII. 17, 1.
Praedicare de aliquo II. 1, 6.
Praediatores XII. 14, 2.
Praefecti in provinciis V. 21, 10.
Praefectura = dignitas praefecti V. 21, 10.
Praenomen a librariis omissum I. 1. 3; I. 13, 3; V. 21, 2 et 13; *restituitur* Axio X. 13. 2; *male additur* III. 19.
Praeponere *absolute dicitur* VIII. 11 B, 1.
Praepositio cum ablat. nominis loci VIII. 3, 6; *addita nomini Piraeei* VII. 3, 10; *quando recte omittitur ante nomina regionum* IIII. 18, 5; *iteratur* XV. 5, 1; *omittitur* III. 19, 2; *post casum ponitur* X. 4, 1. 8, 8.
Praeproperus I. 1, 1.
Praesens animus I. 18, 2; pecunia II. 4, 1; supplicium IIII. 3, 3.
Praesertim quum *et* quum praesertim VIII. 7, 1.
Praesidia *non* praedia IIII. 7, 3.
Praestare aliquem VI. 2, 2; aliquid VII. 14, 3.
Praesto esse alicui IIII. 12.
Praestolari *cum dativo* II. 15, 3.
Praeter *adv.* V. 3. 2; XV. 11, 3.
Praetextatus VI. 1, 22.
Pragmatici II. 20, 1. Pragmaticum XIIII. 3, 2.
Pretia aedium I. 6, 1. 13, 6.
Pridie eum diem XI. 23, 2.
Primo *et* primum *differunt* II. 16, 1.
Primum *non seq.* deinde I. 13, 2; primum sententiam rogari I. 13, 2.
Privare exsilio I. 16, 9; molestia XII. 26, 2.
Pro *et* prae *diversa* XI. 9, 3.
Pro re nata VII. 8, 2.
Procellis *et* proeliis *conf.* VIII. 11 D. 7.
Prodromi XVI. 6, 1.
Producere in contionem I. 14, 1.
Proeliari I. 16, 1.
Professio XIII. 33, 1.
Profici I. 1. 1.
Profugere *intransitivum* X. 8 A, 2.
Proinde I. 10, 6.
Prolixus I. 1, 2.
Promereri IIII. 12.
Pronomen demonstr. abundat I. 3, 2; *pron. personale omissum ad infinitivum* II. 16, 2; *pron. poss. cum gen.* unius, solius, *al.* XI. 15, 2; *poss. pro genet. obiectivo* VII. 9, 4; *relat. cum demonstr. permutatur* X. 16, 3; *relativi rarior constructio* I. 13, 4; *pron. nomini accommodatum pro genet.* VIII. 14, 1.
Pronuntiare nummos in tribu I. 16, 13.
Propagator *et* prorogator VIII. 3, 3.
Propior = paratior XIIII. 19, 1.
Propius biduum VIII. 14, 1; factum est nihil X. 4, 8.
Proponere = sibi proponere VIII. 19, 2.
Prorogare XIII. 34.
Prorsus ire XIIII. 20, 4.
Proximo *non Tullianum* IIII. 18, 5.
Proximus *cum dat.* I. 14, 3 = simillimus II. 6, 2.
Provincia I. 19, 2; prorogatur V. 2, 1.
Prudens et sciens X. 9 A, 5; prudens — pudens II. 22, 7.
Publice scribere XVI. 11, 7.
Pueri XVI. 11, 8.
Pugnare = operam dare III. 22, 3.
Pulchellus puer II. 16, 10.
Putare *cum accus.* XIIII. 10, 2; *pleonastice* II. 24, 3; putato *corruptum* VII. 7, 1.
Puteal I. 10, 3.
Putidus I. 14, 1.
Puto *ironiam indicat* VIII. 9, 4; XII. 11; *suspectum* XII. 49, 1.
Putus *quaeritur sitne Tullianum* II. 9, 1.

Q.

Q. Nota numeralis IX. 9, 4.
Qua = in qua parte VIII. 9, 1; qua — qua II. 19, 3.
Quadrare IIII. 19, 2. XIII. 30, 3. XVI. 14, 3.
Quaeri alicui I. 12, 2.
Quaeso *irrisum a Caesare* XII. 6, 3.
Quam *adiectivi vim augens suspectum* VII. 15, 2; VIII. 11 D, 8; *post* superior IX. 9, 2.
Quam dudum XIIII. 12, 3; quam ut *cum indic. suspectum* VIII. 11 B, 1.
Quantus = quam parvus III. 9, 2; quanti = quod tanti I. 20, 3; quanti quanti XII. 23, 3; quantum *conflatum ex* quo animo XIII. 50, 3.
Quartum nihil sapere XII. 5, 1.
Quasi *numerali add.* VII. 8, 3; quasi consecratum XII. 19, 1.
Que *post sententiam negantem* VII. 25.

Quercu (exsculpere e) XIII. 28, 1.
Queri cum aliquo X. 3 a, 2.
Qui *in asseverando* IIII. 7, 1; *suspectum* IIII. 16, 4. Qui *ablativus* XI. 11, 2.
Quicum *et* quocum I. 18, 1.
Quid ad hoc IIII. 5, 2; quid ago? VII. 20, 2; quid eius est? XVI. 4, 3; quid ero? = nihil ero VIII. 2 extr.; quid mihi cum re? XII. 21, 5, coll. X. 1 a, 1; quid quaeris? I. 14, 6. II. 1, 2; quid refert? XIII. 33, 4; quid si hoc melius? VII. 3, 2.
Quidam *adiectivo adiectum* VIII. 4, 1.
Quidem VI. 1, 14; *pronomini abundanti subiectum* VIII. 11, 1; *pro* equidem *restituitur* III. 3; quidem certe I. 1, 4.
Quidnam I. 13. 6.
Quin *suspectum* I. 17, 9; *exhortantis* IIII. 19, 1; *vitiosum pro* qui I. 13, 2. XII. 23, 1. XIII. 26, 1; quin etiam *corruptum* II. 1, 5. 6, 1. VII. 19. XIII. 26, 2; quin immo *non Tullianum* I. 13, 2.
Quini = omnes quinque simul V. 7, 1.
Quippe V. 15, 1.
Quis = quisquam V. 11, 5; *de duobus* XVI. 14, 1.
Quisque *initio sententiae male ponitur* IIII. 2, 4.
Quisquiliae I. 16, 6.
Quo *et* cui *confusa* VIII. 2, 1.
Quo itineris VIII. 14, 3.
Quoad *varia tempora admittit* IIII. 16, 3.
Quod *cum coniunct. praes.* = quatenus I. 1, 1; quod licebit XII. 48; quod nisi IIII. 2, 6; quod — poteris I. 5, 7. X. 2, 2. XI. 12, 4; quod potes *et* quoad potest II. 7, 3.
Quomodo *pro* ut *restrictive* VIII. 10 A, 3.
Quoniam *corr. in* quum IIII. 17, 1; *restituitur* IIII. 17, 3; quoniam quidem XIIII. 5, 1.
Quotidie *et* in singulos dies *diff.* V. 7, 1.
Quum *mutandum in* quoniam IIII. 17, 1; *in* quod XIIII. 17 A, 3; *causale cum indicativo* XII. 25, 1.

R.

Raudusculum IIII. 8 a, 1. VI. 8, 5.
Ratio mea (sua) VII. 9, 4; ratio agraria I. 19, 4; ratione facere XII. 44, 4; rationem ducere VIII. 11 D, 7; rationes I. 2, 1. IIII. 2, 6.
Recedere *et* redire *confusa* XII. 21, 2.
Recidere XII. 21, 5.
Recipere fidem II. 22, 2; de se VIII. 9, 2; pecuniam XII. 32, 2.
Reclamare II. 24, 2.
Recognoscere = agnoscere VIII. 11 C.
Recordationes XII. 18, 1.
Recta (via) V. 14, 2.
Recte IIII. 1, 1; est I. 7; sit VII. 22, 2.
Recusare faenus et impendium VI. 1, 4.
Redacta *et* traducta *permutantur* II. 9, 2.
Redire ad se VII. 3, 8; ad suam manum XI. 24, 1.
Reditus — reversio XVI. 7, 5.
Reduci cum frequentia I. 16, 5.
Referre ad aliquem VII. 16, 3.
Refractariolum dicendi genus II. 1, 3.
Refricat lippitudo X. 17, 2.
Refrigescere de foro et de lege I. 1, 2; de homine IIII. 17, 3.
Refugere ab aliquo XII. 31, 1; incipiendo *suspectum* IIII. 6, 3.
Regere rem publicam VII. 25.
Regia X. 3 a, 1.
Regina XIIII. 8, 1.
Regnum II. 12, 1.
Reiectio iudicum I. 16, 3.
Reiicere se aliquo VIII. 15 A, 1.
Reiici XV. 5, 3; *pro* differri I. 4, 1.
Relanguescere XIII. 41, 1.
Reliquia est *corruptum* IIII. 6, 2.
Reliquum est XIII. 29, 2.
Remittere ne habeas XII. 39, 1.
Repetitio nominis ad pronon. relat. II. 11, 1; *vocabuli* I. 13, 2. II. 7, 3. III. 18, 2.
Reponere XIII. 12, 3.
Reportare Britannia *suspectum* IIII. 18, 5.
Repraesentare XII. 25, 1; *metaphorice* XVI. 2, 3.
Reprimere itinera X. 9, 1; se XV. 11, 2.
Repudiare periculum *suspectum* II. 19, 5.
Rerum prolatio VII. 12, 2; dissensio I. 19, 7.
Res *indefinite* IIII. 18, 3; *de cibis* IIII. 10, 1; res est XI. 14, 3; res novantur XVI. 13 c, 2; res redempta a iudicibus *dubium* I. 16, 10; res sedit IIII. 17, 3.
Rescribere XVI. 2, 1.
Resipisco, *eius perfectum* IIII. 5, 1.
Respondere, *in iudicio adesse* IIII. 18, 3; in delectu militum VII. 14, 2; respondere *et* reponere *permut.* IIII. 10, 2 *et* rependere VI. 1, 22; par pari XVI. 7, 6.
Restare XIII. 13, 1.
Restrictus X. 11, 2.
Retur *suspectum* XII. 32, 1; *item* rentur VII. 3, 12.
Reus ab aliquo *non est Tullianum* IIII. 3, 5.
Rex *de Cicerone* I. 16, 10; *vox suspecta* X. 7, 1

Rhetorum pueri I. 13, 1.
Rogare = invitare II. 3, 3; rogare et orare XVI. 16 B, 9; *cum coniunctivo* VII. 12, 1.
Ruere II. 14, 1. 15, 2. IIII. 3, 2.
Ruinae X. 1, 1.
Ruminatio II. 12, 2.
Ruri XIII. 49, 1.
Rursus II. 9, 1.

S.

Sacerdotium *pro* auguratu II. 9, 2.
Saliarem in modum V. 9, 1.
Salvum venisse gaudeo V. 21, 1.
Sanari *tropice* III. 12, 2.
Sane iam *et* sane quam II. 1, 6.
Sanguinarius II. 7, 3.
Sanum esse II. 2, 3.
Satis agere IIII. 15, 9.
Satis consilium habere XII. 50.
Satisdationis formula I. 8, 1; secundum mancipium V. 1, 2.
Satisdato debere XVI. 6, 3.
Satisfactio IIII. 6, 3.
Scida I. 20, 7.
Sciens prudensque X. 9 A, 5.
Scilicet XII. 1, 2.
Scindere dolorem *an* rescindere III. 15, 2; paenulam XIII. 33 a, 1.
Scio *interponitur aliis verbis* VIII. 15 A, 3.
Sciveram — statueram XI. 9, 1.
Scriptura *vectigal* V. 15, 3.
Scripulum *an* scriptulum IIII. 16, 7.
Scopae solutae VII. 13 b, 1.
Scuta in ludo Caesaris VII. 14, 2.
Secum — speculam X. 13, 1.
Secundum III. 12, 1. IIII. 2, 3.
Secus I. 19, 11.
Sed *vitiosum pro* et I. 20, 2. IIII. 2, 6; *delendum* II. 1, 5. 22, 2. V. 8, 3; *pro* scilicet XIII. 33 a, 1; *pro* sit IIII. 5, 2; *restituitur* VI. 1, 26. X. 12, 5. 16, 4.
Sed etiam, *non praecedente* non solum III. 15, 5; sed etiam *suspectum* XIIII. 14, 2.
Sedere = otiosum esse VI. 3, 4. IX. 13, 4. XIIII. 1, 2.
Seducere V. 21, 12.
Semel I. 19, 6.
Sementis proscriptionis IX. 8, 1.
Semiliber XIII. 31, 3.
Semissis *in nomine* XII. 3, 2.
Senatusconsultum nullum facere I. 14, 5.
Sensus IX. 16 A, 3; de re publica XV. 7.
Sentina urbis I. 19, 4.
Sentire VII. 5, 5.
Septemtrio *de regionum situ* IX. 9, 2.
Sequi aliquid IIII. 2, 4; fugam? VIII. 3, 5. = petere X. 18, 2.
Sermonem subire XI. 6, 2.
Serperastra VII. 3, 8.
Servire alicui rei V. 10, 2. XII. 31, 2.
Servula I. 12, 3 et Add.
Servus a pedibus VIII. 5, 1.
Sessio Capitolina XIIII. 14, 2.
Sex septem dies X. 8, 2.
Si *non ponitur pro* quoniam II. 1, 10; *post verba temptandi* IX. 7 C, 1; si etiam *non pro* etiamsi VIII. 11 D, 3; si forte XIIII. 13, 2: si iam = etiamsi V. 4, 1; si minus III. 19, 3; si nihil aliud II. 15, 2.
Sic *minuentis* XV. 13, 3; sic — si XII. 38 a, 2.
Sicubi XIII. 2, 1.
Sidere. *Eius perf.* sidi *vel* sedi IIII. 17, 3.
Signa I. 8, 2.
Signare epistolam XV. 29, 3.
Silere XII. 43, 1.
Simul et *pro* simul etiam I. 1, 4; *pro* simul ac II. 20, 2. X. 4, 12. 16, 4.
Simulare = simile facere IX. 8, 2.
Sin *male pro* si X. 8, 2; *elliptice scriptum* XVI. 13 b, 2.
Sine *non sine ablativo ponitur* VIII. 3, 5; sine fuco I. 1, 1; sine sorte VI. 6, 4.
Singillatim I. 14, 5.
Sis = si vis VI. 1, 23.
Sistere se X. 16, 6.
Sive = vel potius VI. 2, 2. IX. 1, 3.
Sol assus *et* unctus XII. 6, 2.
Soleo *absolute positum* I. 19, 1.
Solida usura VI. 1, 3.
Solitudo *et* solitudines XII. 23, 1.
Sollemne *substantive* VII. 6, 1.
Soluta ancora — ora I. 13, 1.
Solvere ab aliquo V. 21, 11.
Sonitus I. 14, 4.
Sors *de pecunia* XII. 18, 3.
Spatium *de tempore* V. 14, 1 in Add.
Spectatio XIII. 44, 2.
Specus XV. 26, 4.
Spes ad vivendum XV. 20, 2.
Spissus X. 18, 2.
Spurcissime *suspectum* XI. 13, 2.
St. *corruptum in* si II. 1, 10.
Stabilis VIII. 1, 2.
Stadia XVI. 7, 1.
Stare *impersonaliter* III. 14, 2; animo-manu V. 18, 2; *et* sedere *translate* VI. 3, 4; iudicio alicuius VIII. 4, 1.
Statio VI. 9, 5.
Statuere finem VII. 12, 4.
Status dignitatis I. 20, 2.

Strictim II. 1, 1.
Structor XIIII. 3, 1.
Strues laterum V. 12, 3.
Struma II. 9, 2.
Stultus *vitiosum* VII. 1, 5.
Sub *in compositione minuit* I. 5, 4.
Subabsurdus XVI. 3, 4.
Subdebilitatus XI. 5, 1.
Subdocere VIII. 4, 1.
Subire offensam X. 9 A, 2.
Sublatus VII. 9, 2.
Subringi IIII. 5, 2.
Substantivum iteratur post pron. relat. II. 11, 1.
Subtilis I. 13, 4.
Suburbanum Ciceronis IIII. 2, 7.
Suggerere ludum alicui XII. 44, 2.
Suis humeris VI. 2, 5.
Sumere legationem IIII. 2, 6; sibi VIII. 11 D, 6; *non dicitur pro* petere VII. 5, 3.
Summa X. 5, 2; summa resp. *non* reip. I. 16, 9.
Summam (ad) XIIII. 1, 1.
Summum XIII. 21, 2.
Sumptus annuus VI. 3, 2; facere in aliquo *non recte dicitur* VI. 2, 4.
Sunt qui putent I. 1, 1.
Suo capiti VIII. 5, 1.
Super *cum ablat. pro* de X. 8, 10.
Superficies IIII. 1, 7.
Suppeditare *intransitive* I. 14, 4; *absolute ponitur* X. 12, 7.
Suppetiari *et* suppetias ire XIIII. 18, 2.
Surgere *de eo, qui dicturus est* I. 16, 10.
Sursum deorsum V. 10, 5.
Suscipere partes suas VII. 4, 2.
Suspiritus *vox dubia* I. 18, 3.
Susque deque (habeo) XIIII. 6, 1.
Sustentari usuris XII. 22, 3.
Sustinere *absolute* VII. 7, 5; *seq.* ut IX. 7 B, 1; causam XIII. 10, 3.
Suum habere aliquid XIII. 49, 2.
Syllabatim dictare XIII. 25, 3.

T.

Tabescere III. 25.
Tabula auctionis XII. 40, 4.
Tacita *et* tanta *permutantur* X. 8, 3.
Tagax VI. 3, 1.
Talaria videte XIIII. 21, 4; talarius ludus I. 16, 3.
Tam *separatur praepositione ad adiectivo* III. 10, 2; *non sequente* quam VIII. 4, 2; tam valde VII. 8, 1 in Add.
Tamdiu dum IX. 6, 5.
Tamen *elliptice positum* I. 16, 2. V. 14, 1. IX. 7 A, 1. XIIII. 5, 2; *initio epistolae* XII. 2, 1; *peculiaris usus* III. 20, 1; *suspectum* I. 20, 2. II. 1, 11.
Tamen etsi V. 17, 2. cf. XII. 1, 1.
Tametsi — tamen I. 11, 1.
Tangi XV. 11, 2.
Tanquam *in comparatione* VI 1, 5.
Tanti esse V. 20, 6.
Tantum abest ut — vix XIII. 21, 5; tantum quod XV. 13, 7.
Tardare VI. 7, 2.
Tectorium I. 10, 3.
Tectus XIIII. 21, 2.
Temperate IX. 2 a., 2. XIII. 1, 1.
Tempus fert VIII. 9, 2.
Tendere fugam aliquo VIII. 15, 1.
Teneo *sine obiecto* II. 18, 1; te *an simpl.* teneo *pro* moror te X. 14, 1.
Tenere hereditatem XIII. 48, 1. se oppido IX. 14, 1.
Terra et mari X. 4, 3.
Terrae filius I. 13, 4.
Tetrarchae II. 9, 1.
Texere basilicam *vitiosum* IIII. 16, 8.
Tibicen = fulcrum VI. 1, 23.
Tocullio II. 1, 12.
Toga pura *quando pueris dabatur* V. 20, 9.
Tollere laudibus IIII. 16, 8; pedes II. 1, 5; tribunum pl. VII. 9, 2.
Totum *post* quanti *vitiosum* XIII. 1, 3; totum est in eo II. 22, 5.
Totus venio ad te XII. 48.
Tractatur res II. 20, 2.
Trado = commendo V. 13, 2.
Tranquillitates X. 18, 1.
Transigere I. 4, 2.
Transitare V. 21, 5.
Transmissio IIII. 19, 1.
Transverso (de, ex) XV. 4, 5.
Transversum unguem XIII. 20, 4.
Transversus versiculus epistolae V. 1, 3.
Tresviri *ironice* XVI. 11, 1.
Tricari XIIII. 19, 4.
Tribunal in castris V. 20, 5.
Trinae litterae IIII. 6, 2.
Triplices XIII. 8.
Tris *accus. forma* IX. 9, 1.
Triumphare gaudio I. 16, 4; IX. 16, 2.
Tua epistola = *epistola ad te data* II. 13, 1.
Tueri aliquid XIII. 49, 1.
Tum denique *et* tum demum I. 6, 2.
Tumere *de negotiis* XIIII. 4, 1.
Turbari *active* II. 17, 1.
Tute = tu ipse IX. 10, 10.
Tutissime VIII. 11 A.
Tutissimo VIII. 1, 2.

Typus I. 10, 3.
Tyrannoctonus XIIII. 6, 2.
Tyrotarichus IIII. 8 a, 1.

U.

Ubi *non pon. pro* quo III. 8, 3.
Unus *intendit superlativum* X. 8, 7; = prae omnibus I. 19, 8; unus pro omnibus XI. 9, 3. *singularis usus vocabuli* IX. 10, 2.
Urbani competitores I. 1, 2; = homines ex urbe XII. 49, 1; = politi IIII. 18, 3.
Urbs *pro incolis urbis* IIII. 3, 2.
Usque dum XV. 23; usque istinc I. 14, 4.
Usurpare VII. 2, 8.
Ut = qualis IIII. 5, 1; = ex quo I. 15, 2; ut iam VIII. 3, 5; ut in malis XI. 22, 2. ut non IIII, 6, 2; ut nunc est XII. 29, 1; ut quid? VII. 7, 7; ut scribis = ut soles scribere XII. 32, 1; ut *et* vi *permutantur* IIII. 2, 3.
Utut X. 12 a., 2; utut sit res *non Tullianum* XV. 25.
Utinam ne *et* utinam non XI. 9, 3; utinam *vitiosum* X. 10, 3.
Utique V. 9, 2; *deletur* XIII. 13, 5.
Utor via *suspectum* II. 19, 2; est, qui utar = unde vivam XI. 11, 2; utens optimo animo II. 1, 8; uti aliquo XII. 23, 3; uti eodem faenore VII. 18, 4; uti porta VII. 7, 4; uti populari vita IX. 6, 7.
Utpote qui *male cum indicat.* II. 24. 4.
Utrique *de duobus* XIIII. 14, 4.
Utrobi XV. 22.
Utrum — an I. 14, 3; *non sequente* an X. 15, 2.

V.

Vacatio iudiciaria V. 7.
Vadimonium differre II. 7, 2.
Vafer I. 19, 8.
Vale. *Sequuntur post hanc vocem alia* V. 19, 2.
Vectigalia privatorum XII. 19, 1.
Vel = vel potius II. 18, 4. IX. 7, 1; vel — vel VII. 9, 4.
Vela contrahere, dare I. 16, 2.
Velle alicuius causa III. 24, 1; aliquem X. 16, 4; vellem fuissem *non* fuisse VIII. 11 D, 5; velim ut X. 16, 1.
Vemens VIII. 5, 1.
Vendere XIII. 12, 2.
Venditare I. 14, 7; se alicui I. 16, 16.
Venire contra aliquem I. 1, 4; in Albanum VII. 5, 3; in buccam I. 12, 4; in funus XV. 1 b, 1; in senatum *pro* in senatum legi X. 11, 4; in spectaculum IIII. 15, 6; usu VII. 26, 1.
Venti secundi sunt alicui II. 1, 6.
Verba dare alicui XV. 16 a.
Vereri = anxie dubitare II. 19, 2.
Veritas IIII. 18, 5.
Veritus *cum genet. non Tullianum* VIII. 4, 1.
Vero, *ubi maius quid affertur* II. 9, 1.
Versiculi faceti XIII. 6, 4.
Versuram facere V. 1, 2.
Versus incerti poetae II. 1, 5. IIII. 3, 3. 8 b, 2. 11, 2. XII. 23, 3. 51, 3. XIII. 23, 3. XIIII. 12, 2. XV. 11, 3.
Verum consilium IIII. 5, 1. IX. 7 A, 1.
Verumtamen I. 10, 1; *elliptice* XII. 17. XIIII. 8, 2.
Verus = iustus, rei aptus II. 1, 8. XII. 6, 2.
Vestibulum IIII. 3, 3.
Vexari XIII. 37, 2.
Via mala XVI. 13 a, 2.
Viarum nomina propria sine appellativo IX. 6, 1.
Vicem alicuius X. 8, 7; (dolere) VI. 3, 4.
Vicesima (manumissionum) II. 16, 1.
Vicus I. 4, 3. VII. 3, 6.
Vide ne non XIII. 6, 1.
Videlicet V. 11, 7. XIII. 5, 1.
Videor — videre VII. 1, 2.
Videre = curare V. 1, 3; = futurum prospicere III. 14, 1; videre ut *vitiosum* VII. 14, 3; viderimus IIII. 5, 3 et Add.
Videri *in decreto* IIII. 2, 3; *in sententia* IIII. 17, 5.
Vilitas *de annona* I. 14, 4.
Villae — vigiliae XV. 8, 2.
Vincire praesidiis VII. 18, 2.
Vindicare ab aliquo VII. 2, 8.
Vir = maritus II. 1, 5.
Viridia II. 3, 2.
Vis ad resistendum VII. 3, 4.
Vita et victus XII. 28, 2; vita fert VI. 6, 4. XIII. 22, 4.
Vitiare dies IIII. 9, 1.
Vivere = esse III. 5; = valere X. 1, 1; cum aliquo IIII. 15, 5.
Vix ut *et* ut vix I. 14, 1.
Vocabulum per attractionem in sententiam relativam translatum I. 18, 8.
Vocari in locum mortui II. 19, 4,
Volare II. 19, 3 in Add.
Volo des XVI. 11, 8.
Volumen epistolarum IX. 10, 4.
Vulgus (in) IX. 5, 2.

X.

Xystus I. 8, 2.

Z.

Zeugma X. 4, 4.

CORRIGENDA

I. IN EPISTOLIS.

I.	14, 6 extr.	*quaris?* Scribe: *quaeris.*
II.	1, 12.	*cura ut conserventur.* Adde: *et ad me perferantur.*
II.	16, 2.	ἐσοφέζετο. Scr. ἐσοφίζετο.
III.	3.	*sed si veneris.* Scr. *sed eo si veneris.*
III.	20, 3.	*neque dignitatis habet.* Scr. *neque dignitatis satis habet.*
IIII.	8 a, 1.	οικος. Scr. οἶκος.
VII.	3, 10.	in Caecilii versu pro *Manu* scr. *Mane.*
VII.	6, 1.	*solemne.* Scr. *sollemne* et in seq. versu *concedendum.*
VII.	9, 2.	*quum si necesse.* Scr. *quum sit necesse.*
VII.	11, 1.	*Anconem.* Scr. *Anconam.*
IX.	7B, 2.	*comulatissime.* Scr. *cumulatissime.*
XII.	23, 3.	*existimen.* Scr. *existimem.*
XIII.	13, 2.	*Vola.* Scr. *Volo.*
XIII.	16, 2.	*hortare.* Scr. *hortari.*

II. IN COMMENTARIO.

p. 5	col. a.	v. antepen.	*Taririum* lege *Turium.*
„ 8	„		ἐπ ὶ l. ἐπεὶ.
„ 17	„	v. 4.	*occurendo* l. *occurrendo.*
„ 22	„		*Vid. eum in praef.* l. *Vid. eius praef.*
„ 48	„	v. 1.	*uius* l. *cuius.*
„ 56	„	v. 12.	*curas sua* l. *curas suas.*
„ 56	col. b.	v. 20.	*requescam* l. *requiescam.*
„ 81	col. a.	pro.	*Mihi cre — es* l. *Mihi cre — des* et pro *Mihi ede* l. *Mihi crede.*
„ 97	col. b.	v. 7.	*ad munusculum* l. *ad minusculam.*
„ 110	„	v. 10.	*singulatim* l. *minutatim* et in v. seq. pro II p. 147, 3 lege I p. 48, 16.
„ 159	col. a.	v. 4.	*retinere* l. *tenere.*
„ 160	col. b.	v. 4.	*ege* l. *lege.*
„ 163	„	v. penult.	*nomin* l. *nomine.*
„ 169	„	med.	*Negatio, quae* l. *Negatio, quam.*
„ 302	col. a.	v. 13.	*quod praestat vulgato ab aliis* Add.: *e M 2: et approbante te.*
„ 387	„	ad ep. 3.	*in Cat. Man.* l. *in Cat. Min.*
„ 438	col. b.	v. 16.	*Rhegium* l. *Regium.*
		v. 17.	CURIAM l. CUR IAM.
„ 477	„	v. 6.	*proprius* l. *propius.*
„ 485	col. a.	v. 7.	*scribant* l. *scribunt.*
„ 541	col. b.	v. 6 scr.	*se graviter habere.*
		v. 7 „	cf. VII. 2, 3.
„ 583	col. a.	ad ep. 23, 2.	*sit detexta* l. *ita detexta.*
„ 624	col. a.	v. ult.	XII. 4 l. XII. 6, 4.
„ 694	col. b.	v. 6.	*poste* l. *posse.*
„ 700	col. a.	v. 10.	Comparativus *exploratius* legitur in Epp. Fam. VI. 1. 5.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Cicero, Marcus Tullius

Epistolarum ad T. Pomponium Atticum libri XVI Recensuit et adnotatione illustravit J. C. G. Boot

Amstelodami 1886

A.lat.b. 396 hmb
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11540067-6